Migne, Jacques Paul

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD ÆTATEM INNOCENTII III (ANN. 1216) PRO LATINIS, ET AD CONCILII FLORENTINI TEMPORA (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

IUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA ; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA ; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS, DETECTIS AUCTA ; INDICIBUS ORDINARIIS VEL ETIAM ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA ; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIORUM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA ; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA ;

DUCENTIS ET QUADRAGINTA INDICIBUS SUB OMNI RESPECTU, SCILICET, ALPHABETICO, CHRONOLOGICO, ANALYTICO, ANALOGICO, STATISTICO, SYNTHETICO, ETC., OPERA, RES ET AUCTORES EXHIBENTIBUS, ITA UT NON SOLUM STUDIOSO, SED NEGOTIIS IMPLICATO, ET SI FORTE SINT, PIGRIS ETIAM ET IMPERITIS PATEANT OMNES SS. PATRES, LOCUPLETATA ; SED PRÆSERTIM DUOBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS INDICIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, ABSQUE ULLA EXCEPTIONE, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR ; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT :

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, CORRECTIONIS PERFECTIO, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, VEL ETIAM INEDITORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM,

ET EX INNUMERIS OPERIBUS TRADITIONEM CATHOLICAM CONFLANTIBUS, OPUS UNICUM MIRABILITER EFFICIENTIUM.

SERIES GRÆCA POSTERIOR

IN QUA PRODRUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ GRÆCÆ AB ÆVO PHOTIANO AD CONCILII USQUE FLORENTINI TEMPORA, ET AMPLIUS, NEMPE MORTEM CARDINALIS BESSARIONIS.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA, AD INSTAR IPSIUS ECCLESIÆ, IN DUAS PARTES DIVIDITUR, ALIAM NEMPE LATINAM, ALIAM GRÆCO-LATINAM. AMBÆ PARTES JAM INTEGRE EXARATÆ SUNT. LATINA, 222 VOLUMINIBUS MOLE SUA STANS, 1110 FRANCIS VENIT : GRÆCA DUPLICI EDITIONE TYPIS MANDATA EST. PRIOR GRÆCUM TEXTUM UNA CUM VERSIONE LATINA LATERALI COMPLECTITUR, ET 104 VOLUMINA IN 109 TOMIS, PRO PRIMA SERIE, NON EXCEDIT. POSTERIOR VERSIONEM LATINAM TANTUM EXHIBET, IDEOQUE INTRA 55 VOLUMINA RETINETUR. SECUNDA SERIES GRÆCO-LATINA AD 58 VOLUMINA TANTUM ATTINGIT ; DUM HUJUS VERSIO MERE LATINA 29 VOLUMINIBUS EST ABSOLUTA. UNUMQUODQUE VOLUMEN GRÆCO-LATINUM 8, UNUMQUODQUE MERE LATINUM 5 FRANCIS SOLUMMODO EMITUR : UTROBIQUE VERO, UT PRETII HUJUS BENEFICIO FRUATUR EMPTOR, COLLECTIONEM INTEGRAM, SIVE LATINAM, SIVE GRÆCAM COMPARET NECESSE ERIT ; SECUS ENIM CUJUSQUE VOLUMINIS AMPLITUDINEM NECNON ET DIFFICULTATES VARIA PRETIA ÆQUABUNT. IDEO, SI QUIS TANTUM EMAT LICET INTEGRE, SED SEORSIM, COLLECTIONEM GRÆCO-LATINAM, VEL EAMDEM EX GRÆCO LATINE VERSAM, TUM QUODQUE VOLUMEN PRO 9 VEL PRO 6 FRANCIS SOLUM OBTINEBIT. ISTÆ CONDITIONES POSTERIORI PATROLOGIÆ LATINÆ SERIEI, PATRES AB INNOCENTIO III AD CONCILIUM TRIDENTINUM EXHIBENTI, APPLICABUNTUR. PATROLOGIA QUÆ MANUSCRIPTIS IN BIBLIOTHECIS ORBIS UNIVERSI QUIESCENTIBUS CONSTABIT, NECNON PATROLOGIA ORIENTALIS, CONDITIONIBUS SPECIALIBUS SUBJICIENTUR, ET IN TEMPORE SUO ANNUNTIABUNTUR, SI TEMPUS EAS TYPIS MANDANDI NOBIS NON DEFUERIT.

PATROLOGIÆ GRÆCÆ TOMUS CLII.

MANUEL CALECAS. JOAN. CYPARISSIOTA. MATTH. CANTACUZENUS. ALII.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE, EDITOREM,
IN VIA DICTA *THIBAUD*, OLIM *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1866

Digitized by Google

BR
60
.M38
t. 152

Digitized by Google

TRADITIO CATHOLICA.

SÆCULUM XIV. ANNI 1355-1372.

ΜΑΝΟΥΗΛ

ΠΑΤΡΙΑΡΧΟΥ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΩΣ,

ΤΟΥ ΚΑΛΕΚΑ,

ΤΑ ΕΥΡΙΣΚΟΜΕΝΑ ΠΑΝΤΑ.

MANUELIS CALECÆ

ORDINIS FRATRUM PRÆDICATORUM,

CONSTANTINOPOLITANI PATRIARCHÆ

OPERA OMNIA.

ACCEDUNT

JOANNIS CYPARISSIOTÆ, MATTHÆI CANTACUZENI,

SCRIPTA THEOLOGICA ET EXEGETICA;

NEC NON

JOANNIS GLYCIS, ESAIÆ, JOANNIS CALECÆ, ISIDORI, CALLISTI, PHILOTHEI,

DIPLOMATA, SYNODICÆ CONSTITUTIONES, EPISTOLÆ;

ACCURANTE ET DENUO RECOGNOSCENTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS UNICUS.

VENIT 10 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J. P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *THIBAUD*, OLIM *D'AMBOISE* PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1865

Digitized by Google

TRADITIO CATHOLICA.

SÆCULUM XIV, ANNI 1355-1372.

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CLII CONTINENTUR.

MANUEL CALECAS, ORDINIS FRATRUM MINORUM MONACHUS, CPOLITANUS PATRIARCHA.

Notitia de scriptis et rebus gestis Manuelis Calecæ. col. 9

MANUELIS CALECÆ SCRIPTA.

Contra errores Græcorum libri quatuor, interprete Ambrosio Camaldulensi, cujus præmittitur epistola nuncupatoria ad Martinum V Pontificem Maximum. 11

De essentia et operatione, editore et interprete Francisco Combefisio. 283

De fide deque principiis fidei catholicæ, ex ejusdem editione. 429

JOANNES CYPARISSIOTA.

Notitia historica et litteraria. 661

SCRIPTA.

Palamiticarum Transgressionum liber primus, editore et interprete Fr. Combefisio, quem operis moles ab edendis omnibus libris deterruit. Vide (col. 737) quæ de operis in libros distinctione Combefisius scribit. 663

Expositio eorum quæ de Deo a theologis dicuntur, in decem decades partita, Franc. Turriano S. J. interprete. 737

Index scriptorum in Decadibus Cyparissiotæ citatorum 991

MATTHÆUS CANTACUZENUS IMP. CP.

Commentarius in Canticum Canticorum, interprete et editore Vincentio Ricardo, Clerico regulari. 997

Commentarius in Sophiam Salomonis. 1083

JOAN. GLYCIS, ESAIAS, JOAN. CALECA, ISIDORUS, CALLISTUS, PHILOTHEUS, CPOLITANI PATRIARCHÆ.

Diplomata, Synodicæ Constitutiones, Epistolæ, ab anno 1310 ad annum 1372. 1085

Parisiis. — Ex Typis J.-P. MIGNE.

Digitized by Google

ANNO DOMINI MCCCLV.

MANUEL CALECA

ORDINIS FRATRUM PRÆDICATORUM MONACHUS. CPOLITANUS PATRIARCHA.

NOTITIA.

(Fabric. Harles Bibliotheca Græca, tom. XI.)

Manuel Caleca, Græcus (*a*) e familia Joannis Calecæ, ab ann. 1333 ad 1347 patriarchæ CPol. (*b*), pro Latinis adversus Græcos suos scripsit, atque inter monachos ordinis Prædicatorum (*c*) perinde ut Pantaleo *nomen* professus est suum, vixit non tempore concilii Lugdunensis a. 1274 (*d*), sed post errores a Palama disseminatos, quem prolixo volumine refellit, adeoque circa ann. 1360, ut recte H. Whartonus, in Appendice ad Cavenum (*e*). Scripta ejus sunt :

1. *Libri IV adversus errores Græcorum de processione Spiritus sancti*, de quo opere Petavius lib. VIII, *Dogm. theolog. de Trinitate*, c. 1 : *Manuel Caleca, auctor eruditus et catholicus, cujus habeo volumen egregium pro Latinis adversus Græcos, in quo de processione sancti Spiritus uberrime accuratissimeque disputat, nihil ut de hoc argumento scribi posset doctius et subtilius*. Præter Petavium loca ex eo Græce producit Allatius, lib. *De purgatorio*, p. 12 seq. et *De consensu*, pag. 1332, 1333, 1360. Typis exscriptum hoc opus Latine tantum hactenus vidit lucem ex versione, quam Martini V papæ jussu composuit Ambrosius Camaldulensis, ediditque ex Bavarica bibl. Petrus Stevartius cum notis, Ingolst. 1616, 4; cum iisdem notis recusum in *Bibl. patrum*, tom. XVI, edit. Col. [col. 1618, vol. XIV, p. 257, in Cat. bibl. Leidens. p. 33] et tom. XXVI edit. Lugd p. 382 sqq. Libro quarto multa etiam alia capita, quibus Latina Ecclesia a Græcis reprehenditur vel ab ea dissentit, Caleca breviter persequitur ac perstringit (Fabr.); ms. Romæ in bibl. Vatic. n. 4064, Ambrosio monacho interprete. — Mediolani, in bibl. Ambros. — In bibl. Mazarin. et bibl. de Mesme, Man. Calecæ cod. nomine libri non addito. V. Montfauc. *Bibl. biblioth.* mss. p. 114 *B*, et 117 *D*, p. 513 *E*. p. 1308 *D*, et 1327 *C*. — Venetiis in cod. gr. 159 bibl. Marc. in calce nota de auctore et argumento libri legitur Latina, cujus auctor in fine, « Hic, ait, præclarissimus et magnarum virtutum vir obiit Mitylenæ in capella sancti Joannis 1410. — Ibid. in cod. Lat. 138, idem opus, Ambrosio Camaldulensi interprete. V. Cat. codd. Gr. Marc. p. 90, et *Lat.* p. 79, add. paulo post, § 17, init. (Harl.)

2. Περὶ οὐσίας καὶ ἐνεργείας. *De essentia et operatione Dei*, liber adversus tomum Gregorii Palamæ in synodo CP. probatum, Græce et Latine editus cum notis a Francisco Combefisio, tom. II, Auctarii novissimi Bibl. Patrum, p. 1, 67; Paris. 1672 fol. Latine ex Combefisii versione tom. XXVI *Bibl. Patrum Lugd.*, p. 321 sqq. Tomum ipsum, ann. 1351, in synodo sub Joanne Cantacuzeno imp. et Callisto Xanthopulo patriarcha CP. promulgatum Græce et Latine vulgavit Combefisius, p. 135-176. (Fabr.) Paris, in bibl. publ. cod. 1279. (Harl.)

3. Περὶ πίστεως καὶ περὶ τῶν ἀρχῶν τῆς καθολικῆς πίστεως. *De fide deque principiis catholicæ fidei*, liber insignis in decem capita distributus, in quo nitorem styli, perspicuitatem et soliditatem doctrinæ ex Patrum maxime traditione laudat Combefisius, qui Græce et Latine edidit in eodem Auctario novissimo,

(*a*) Caleca ipse sub extremum libri IV contra Græcos.

(*b*) Combefisius, *Bibl. Concionatoriæ* tom. I, pag. 8.

(*c*) Combefis. tom. II Auctarii noviss. ad Calecam de essentia et operatione, p. 1 et 118, ex testimonio Joannis, cardinalis a Turrecremata in *Summa de Ecclesia*, lib. II, cap. 93. Confer præfat. Combefisii, recusam in *Bibl. Patrum* tom. XXVI, edit. Lugd. p. 320 *G*.

(*d*) Petrum Galesinium, qui Calecam Lugdunensi illi concilio scribit interfuisse in Vita sancti Bonaventuræ, cap. 14, refellit Allatius, lib. II *De consensu utriusque Ecclesiæ*, c. 18 § 4. Roberto Constantino in nomenclatore insignium scriptorum dicitur *Cyrmanoa Caleca* pro κὺρ Μανουὴλ, ubi librum ejus de theologia et Spiritu sancto commemorat.

(*e*) Pag. 65 sq. ed. Basil. ad ann. 1360. Indicem librorum Calecæ Whartonianum auxit ibid. R. Gerius. Uberius enarrat Calecæ vitam scriptaque Oudin. in Comment. de SS. Eccles. tom. III, col. 1039 sqq. aliosque qui de eo egerunt, excitat. Add. Saxii *Onom. litt.* part. II, pag. 576; Schœckh *Hist. Eccl. christ.* tom. XXXIV, p. 63 seq. — Diversi sunt Joannes Caleca, (de quo v. infra, p. 490 vet. ed.) et Matthæus Caleca, (v. infra, p. 552). [Harl.]

1917

Digitized by Google

tom. II, p. 174 285 [al. p. 182-197] cum notis. Unde recusus Latine, omissis notis, est in tomo XXVI *Bibl. Patrum Lugd.*, p. 345. Idem Calecæ scriptum in duos divisum libros Latina versione donaverat Jacobus Pontanus, quam editurum se promisit Labbeus, tom. II *De scriptoribus eccles.*, pag. 45. Idem opus Græce legisse se summa cum animi delectatione testatur Allatius, ex ms. Mediolani in monasterio sancti Ambrosii, ann. 6910, qui fuerit Christi 1402, fortasse non multo post ejusdem Calecæ ætatem exaratum. Idem laudans Arcudius, c. 7, Calecam virum vocat *sane antiqua Græcia dignum, et catholicum.* Idem *vir magna et doctrina et fide* vocatur a Francisco Turriano libro de VI et VIII synodo. (Fabr.) Florent. in bibl. Laurent., cod. 13, n. 41, plut. 74, *Confessionis* (τῆς ἐξομολογήσεως) *modus*, dom. Man. Calecæ interpretatio ex Latino, seu forma confessionis et absolutionis peccatorum secundum Latinorum ritum, a Man. Caleca in Græcam linguam conversa, inc. Ἐξομολογοῦμαι τῷ Κυρίῳ μου, τῷ Θεῷ μου, etc. Subjiciuntur deinde confessionis sacramentalis prærogativæ, quæ numerantur quindecim, earumque declarationes. V. Bandin. Cat. codd. Gr. Laur. tom. III, p. 110. — Monac. in cod. Bavar. 127, (sec. cat. gr. mss. Bavar. p. 53, ab Hardtio numeratur cod. 262 *de elementis catholicæ fidei secundum traditionem sanctæ Scripturæ et catholicorum doctorum.* (Harl.)

4. Περὶ τῆς ἁγίας Τριάδος, de sancta Trinitate, tractatum opulentissimum Allatius vidisse se testatur p. 855, de consensu, adhuc quod sciam ineditum. Incipit : Τῶν παλαιῶν αἱρετικῶν ἦν.

5. Λόγοι Θεολογικοί, *Orationes theologicæ* e quarum sexta profert quædam idem Allatius, p. 435 seq. contra Creyghtonum.

6. *Oratio de sancto Stephano protomartyre.* Citat idem lib. *De synodo Photiana*, p. 542, meminitque libro *de Simeonibus*, p. 115. Incipit : Ὥσπερ ὁ ἥλιος πανταχοῦ. [V. supra, vol. X, p. 327.]

7. *In circumcisionem Domini.* Incipit : Τῷ καιρῷ ἐκείνῳ ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι. Idem Allatius lib. de Simeonibus p. 112. [V. supra l. c. p. 240.]

8. *Grammatica* ms. in bibl. Colbertina cod. 1992. Itaque per Manuelem grammaticum in Catena Macarii Chrysocephali in Lucam intelligi hunc Manuelem Calecam, suspicatur Wolfius noster in Diss. de catenis Patrum, p. 32. (Fabr.) Conf. supra ad vol. VI, p. 325. — Man. Calecæ Grammatica quædam, Paris. in cod. Mazarin. 91. V. Montfauc. *Bibl. biblioth. mss.*, p. 1319 E. (Harl.)

[Calecæ ad Joannicium epistolæ, in cod. Vossiano. V. Cat. mss. Angliæ etc. vol. II, n. 2240]

Hymnus, Te Deum laudamus, Græce translatus per *Calecam*, uti legitur in margine cod. Florent. Laurent. n. 2, plut. 4. Alii versionem illam hymni Ambrosiani tribuunt Sisebuto monacho, qui vixit sæc. XI, alii aliis. V. Bandin. Cat. codd. Gr. Laur. I, p. 533.

Calecæ Monodia super Meledone, ibid. in cod. Laur. 13 n. 19, plut. 74. V. Bandin. l. c. III, p. 106.

Ad Calecam epistola Demetrii Cydon. in cod. Coislin. 315 fin. V. Montfauc. Bibl. Coislin. n. 429. (Harl.)

MANUELIS CALECÆ

CONTRA GRÆCORUM ERRORES

LIBRI QUATUOR,

Olim Latine versi ab Ambrosio Camaldulensi ; postea ex bibliotheca Bavarica in lucem prolati et notis illustrati a Petro Stevartio, Leodio, SS. Theologiæ D. professore, et Academiæ Ingolstadiensis procancellario, etc.

—

PRÆFATIO.

Domno S. ac beatissimo papæ Martino Ambrosius.

Parui præceptis tuis, domne beatissime, opusque illud clari et eruditi viri Manuelis Calecæ contra Græcæ levitatis errores, quod insignis Theologiæ cultor Magister Antonius Massanus, zelo fidei succensus, Constantinopoli ex urbe regia secum advexit, commode utinam atque utiliter, prompte certe atque obtemperanter ex Græco converti. Quo sane in opere, vir ille optimus ita suscepti muneris implevit officium, ut diligentiam in se desiderari (meo quidem judicio) passus non sit. Caute enim ut in re tanta congruum fuit,

Digitized by Google

subtiliterque pro materiæ dignitate procedit, eosque præclari bellatoris instar, suis potissimum revincit armis; atque inolitum errorem, imo ingenitum contentionis studium, ab ipsis, ut ita dicam, fundamentis aperit, detegit, nudat, ipsumque radicitus evellit.

Id equidem eo libentius transtuli, quo et a te, cui omnia fideli obsequio debeo, injungebatur : et ob antiquam gentem, ac dudum inclytam, et omni genere laudis illustrem. Quis enim nesciat Græcos olim cum sapientia et eloquentia, tum fide ac religione, cæterisque virtutum meritis, cunctis fere mortalibus excelluisse? Ægre, ut par erat, ac moleste ferebam, hujusmodi diutius impeditam laqueis plagisque irretitam : ebque id, jam pridem summis calamitatibus ita obtritam et consumptam, ut vix ullum vestigium pristinæ gloriæ ac dignitatis servet : cupiebamque, te potissimum auctore ac duce, eam, etsi non in pristinam dignitatem, priscam sanctitatem, faciemque restitui, id quippe majus est, quam ut optandum nobis sit, at saltem ab internecione liberari.

Tuum quippe est, et esse intelligis, Papa beatissime, errantes homines ad rectum revocare iter, atque ad imitationem veri æternique pastoris, cujus vices in terris agis, ovem perditam, ac per devii erroris anfractus male liberam, atque in perniciem suam gradientem studiose requirere, inventamque ac sacris humeris impositam ad ovile revehere. Tuæ, inquam, gloriæ in primis est, adeo divinum opus, tam præclarum facinus, tota animi intentione suscipere, nihilque diligentiæ omittere, dum id conficias : ut quo pastore Occidua Ecclesia plures ante annos divisa fœderata est, eo auctore, Orientis etiam Ecclesia, majore longe ac deteriore scissura segregata, sub uno capite, reliquo Ecclesiæ corpori jungatur : ne diutius a cætera compage disjecta prædæ ac pabulo Barbaris sit : neu inde Christianum nomen funditus tollatur, ubi primo exortum est, quo quid dici gravius, quid cogitari indignius potest?

Gratulor sanctæ menti tuæ. Domne beatissime, gratulor felicitati, teque ad id opus divinitus instinctum mirifice exsulto; quo nihil gloriosius, nihil esse possit illustrius. Hoc si efficere potueris, poteris autem, Christo miserante, qui te ad hoc munus elegit; plurimum ad tuorum meritorum cumulum accessisse, nemo nisi judicii ac rationis ignarus denegabit, quando non solum reficiendis diu collapsis sacris ædibus, verum, multo dignius instaurandæ universali Ecclesiæ, omni studio incumbis. Sed enim laudes tuas prosequi propositum non est. Sum memor ipse mei, facient hoc excellentiora ingenia : mihi sat fuerit, pro ingenii tenuitate satisfecisse jussioni tuæ.

Sane, id opus, quod auctor ipse continuata dictione uno volumine inclusit, nos utilitati legentium, fastidioque consulentes, quia prolixum valde videbatur, in libros quatuor, commoda distinctione divisimus; ut per hujusmodi veluti metas, lectoris animus a jugi certaminis exercitatione requiesceret, et alacrior ad reliqua perlegenda, intentiorque semper assurgeret. Si quid autem in hac interpretatione vel obscurius fortasse, vel inconcinnius positum prudens lector offenderit, partim id interpretationis necessitati, partim etiam immodicæ celeritati acceptum referat. Nam et materia ea est, eadeoque angustis terminis constricta ut interpreti tutum non fuerit, auctoris vestigia longius deserere : ne, sua potius compilasse, quam aliena transtulisse videretur; et celeritas tanta fuit, ut opus mensium, uno fere mense traduxerim. Neque enim ignorat sancta eruditio tua, quæ celeriter, imo verius præcipitanter effundantur, de re præsertim ardua et augustissima, et qua nulla tractari cautius debet (de Trinitate enim omnis fere sermo est), ea accurate dici ornateque non posse. Fideliter tamen me transtulisse, constanter asseveraverim. Incolumem sanctitatem tuam, ac prolixa ætate tranquillam, et florentem, Christus Deus noster omnipotens servare dignetur, Domne sancte, ac beatissime Pater.

INCIPIT AUCTORIS PROLOGUS.

Quoniam quidem fraternæ dilectionis cura maxima habenda est, cunctaque pro illa agenda atque molienda sunt, ita jubente Domino; nihil vero gratius, nihilque utilius est, quam de Deo et audire et loqui; ex quo fit, ut et qui dant, et qui accipiunt, magna consequantur emolumenta; vitamque inde sempiternam adipiscimur : *Hæc enim, inquit, est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* [1]; quæque scilicet divinitatis, et quæ humanæ dispensationis sunt; tuque a nobis exegisti pro modulo virium nostrarum edoceri, ut sese habeat sanctorum Patrum de processione Spiritus rectissima opinio : de qua scilicet, cum Græci Latinique dissentiant, dissensio etiam, atque utriusque A Ecclesiæ divisio, necessario secuta est. Scire enim cupis, quibus utraque Ecclesia rationibus nititur, atque utra ex his rationabilius sentiat, præterea-que, dicente Domino : *Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quæ in aure audistis, prædicate super tecta* [2]. Apostolo item terribile silentii judicium insinuante, ac dicente : *Testificor vobis hodie, quia mundus sum a sanguine omnium; neque enim dissimulavi nuntiare vobis omnem veritatem atque consilium Dei* [3]; atque hoc ipsum faciendum admonente : *Hæc enim, inquit, admone, et contestare coram Deo* [4]. Etsi de Deo ac divinis rebus loqui illis potius conveniat, qui semper in lege Domini meditantes, purgatiori vita et intelligentia sunt, a quibus nos longissime remoti sumus, plurimis

[1] Joan. XVII, 3. [2] Matth. X, 27. [3] Act. XX, 26. 27 [4] Tit. II, 15.

Digitized by Google

tamen rationibus me ad scribendum hortantibus atque impellentibus, aggrediar, facultate, qua potero, quæ a sanctis Patribus de hac re scripta sunt, Christo duce, moderate atque simpliciter, servato compendio, tibi exponere : plurimis scilicet omissis (nam longissimum esset, omnia prosequi), paucisque solummodo positis, quibus constare possit quænam illis de hac re fuerit opinio : ut ex hac moderatione nostra, et tu, quod ab amico requisisti, consequaris ; et ipse, dum illorum prolixitate non terreor, brevitatemque temporis non pertimesco, meliore jam animo sim, illi me vindictæ subdendum non esse, quæ illi intentatur, qui talentum abscondit.

Non igitur tacebo, cum præcipue de veritate fidei mihi sermo futurus sit, neque ambigam, quin per te ad alios quoque manaturæ sint litteræ nostræ, quos alloqui ipsi non possumus, et eorum obtestari de veritate fidei ; his autem licebit illos alloqui juxta edictum ; atque ita, dum multiplicabitur verbi ministerium, mihi ipsi fidelis servi merces excompensabitur. Quanquam vero pauca de multis appositurus sim, si quis tamen jurgio et contentione sepositis, ipsam, per seipsam, veritatem rei, ex his, quæ firma et rata sunt indagare pergat, longe brevioribus, atque ipsis tantum fidei principiis hanc illustrari posse comperiet : eoque facilius, quo Deum talibus auxiliari certum est, qui cum pietate quærunt : *Cooperator*, inquit, ***Deus est omni quærenti bonum*** [5]. Isque qui Scripturas hortatur *scrutari* [6], seque daturum *petentibus pulsantibusque* [7] aperturum pollicitus est, non permittet hujusmodi longius a veritate aberrare.

Quoniam igitur dictum est : *Da sapienti occasionem, et sapientior erit* [8] ; qualem te esse scio, quem nihil pro contentione, nihil pro vanitate facere, solamque rerum veritatem sapienter ac prudenter inquirere pro comperto habeo : promptius jam, quod quæritur, explicare aggrediar. Neque sane ignarus sum, complures jam plurimos de hac re scripsisse libros, qui, licet veritas paucioribus indigeret verbis, multis tamen ipsis indiguerunt, ut eam contra illos tuerentur, qui contentionis studio illam lacessere tentabant.

Cæterum, sicut unusquisque fidelium fidei profert confessionem : *Corde enim creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem* [9] : quid prohibet hanc etiam communi fide comprehensam veritatem, sicut a sanctis Patribus accepimus, proferre atque aliis tradere ? nunc quidem amicitiæ implendo munus ; nunc autem docendo, nunc studiosis illius consulendo ; nunc revincendo adversarios ; atque omnino sanctorum hac de veritate doctrinam, quam a Patribus nostris accepimus, quamque illi a majoribus suis per successionem acceperant proponendo, atque omnia honesti et æqui, fraternæ dilectionis causa dispensando, nihilque omnino omittendo diligentiæ. Non itaque gloriæ cupidi scribimus, sed amici votis morem gerentes, eorum quæ prædiximus, gratia, laborem hunc suscepimus. Nec nostra dicimus, sed quæ a sanctis Patribus illorumque successoribus scripta legimus, ea, servato disputationis ordine, hinc inde collecta, breviter strictimque posuimus : hac in re sola, si sic dici oporteat, gloriantes : quod sanctorum de ea re opinionem, largiente Deo, nos et scire, et tueri constanter ostendimus. Neque sane ignoramus plurimos, in quorum manus ista forte pervenerint, quibus odiosa est veritas, hac ipsa nostra constantia et confidentia, ad jaculandum in nos consilia et maledicta provocandos ; contraque penitus agendum nobis est, contrariaque incedendum via, quam si ramusculos inanes captaremus. Nam si quidem humanam gratiam et gloriam aucuparemur, nunquam nos auditorum odiis exponeremus, sed, quæ illis grata fore putaremus, ea loqueremur.

Constat ergo, nos, nisi veritatem rebus omnibus prætulissemus, nunquam in hunc verborum campum descensuros, in quo, laboris plurimum ac difficultatis, humanæ vero gratiæ minimum.

Ipsum itaque sanctum Spiritum, de quo nunc nobis sermo instituitur, primum invocantes, ita demum, quæ proposuimus, aggrediamur. Utemur autem pro documentis ipsis initiis fidei, et quæ ex eis assumpta ac derivata sunt, quantum in Deo divinisque rebus, probationibus uti fas est, his etiam, quæ a catholicis Ecclesiæ magistris dicta sunt.

Et quoniam, quibus maxime rationibus ostendi possit ejusce quæstionis veritas, primum inquiris : deinde, quæ illis objiciantur, exponi, ac deinceps vel objecta refelli, vel quæ ambigua videantur, declarari postulas, eum et nos in sequentibus ordinem per omnia servabimus. Ex quo, si prolixiores fortasse erimus, quam susceptæ brevitatis ratio poscebat, necessitati indulgendum erit. Hinc autem initium sumemus.

[5] Rom. VIII, 28. [6] Joan. V, 39. [7] Luc. XI, 9. [8] Prov. IX, 9. [9] Rom. X, 10.

Digitized by Google

MANUELIS CALECÆ

LIBER PRIMUS

CONTRA GRÆCOS DE PROCESSIONE SANCTI SPIRITUS.

Cum Dominus noster Jesus Christus discipulis dixerit : *Euntes in mundum universum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* [10], num ordo aliquis est in nominibus ac rebus sanctæ Trinitatis ipsius Patris, et Filii, et Spiritus sancti, qui necessario ac semper in seipso idem sit ex ipsis nominibus insinuatus : atque ut se ad invicem habent secundum pronuntiationem ea nomina, ita etiam ad invicem divinæ personæ ordinatæ sint ? Quem ordinem servantes atque honorantes, necessario immota etiam hæc nomina proferre debeamus, nihil ex tradito nominum ordine ac positione immutantes, si velimus nobis ipsis in confessione rectam Trinitatis servare rationem ? An ordo illic nullus est, eaque nomina temere posita sunt : atque in nostra potestate est, ut illa proferre velimus, ita ut nullo servato ordine Patris nomen aliquando præponere, aliquando item postponere liceat, aliquando item Spiritum præferre Filio, quasi etiam divinæ illæ personæ, quæ nobis his nominibus insinuantur, inordinate se ad invicem habeant, atque alias aliter ?

Et quoniam, quæ proponimus, sanctorum dictis ac sententiis astruere ac firmare instituimus, adsit nunc magnus Basilius, nosque quid hic sentiendum sit, doceat. Ait enim in Epistola ad Canonicas, cujus initium est : « Quanto nos mœrore confecerit prius fama subtristior, quæ auribus insonuerat nostris. Spiritus autem sanctus Patri quidem et Filio connumeratur, quia et supra creaturam est : tertius autem ordine locatus est, sicut ex Evangelio docemur, dicente Domino : *Euntes baptizate in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Qui autem illum vel præponit Filio, vel Patre seniorem dicit, hic reluctatur quidem Dei ordinationi, atque a sana fide alienus est, non eum, quem accepit, glorificationis modum servans, sed sibi vocum novitatem ad placendum hominibus excogitans. »

Et paucis interpositis, velati concludens ait : « Itaque fidei abnegatio est ; æque enim impium est illum et ad creaturæ ordinem deducere, et Patri, aut Filio, tempore vel ordine præponere. »

Idem in primo lib. *Quæstionum* (1), cujus initium est : *Siquidem omnes vellent*, cum præ upposuisset, duplicem esse ordinem, naturalem alterum, alterum inventum : atque naturalem quidem, sicut est creaturarum ordo Conditoris ratione instituta, numerique locatio, causarumque ad causalia habitus ; inventum vero atque artificiosum, sicut in artibus, et disciplinis, ac similibus, adjecit : « Horum ergo primo suppresso, Eunomius secundæ speciei ordinem memorat, dicitque : non oportere in Deo dici ordinem, cum ordo secundus ab ordinatore sit. Illud autem vel non vidit, vel sciens prudensque præteriit, esse ordinis speciem, non ex nostra positione constantem, sed ipsa naturali consequentia contingentem : sicut igni, ad eam, quæ ex se manat, lucem. In his enim primum causam dicimus, secundum quod ex eo prodit, non intervallo ista ab invicem disseparantes, sed cogitatione prius causam nobis, quam causale fingentes. Quomodo igitur fas est ibi negare ordinem, ubi secundus et tertius est : non ex nostra positione, sed ex naturaliter insita consequentia ? Cujus ergo rei gratia ordinem in Deo recipi abnuit ? Arbitratur, si efficere atque demonstrare possit primum in Deo nullo modo alio intelligi posse, reliquum jam sibi fore substantiæ ipsius inæqualitatem atque eminentiam ostendere. Nos autem eo quidem ordine, quo causæ, manantibus ex se rebus, præponuntur, Filio Patrem præpositum dici ; mus, naturæ autem differentia negamus. »

Idem in tertio *Quæstionum* : « Sicut enim Filius ordine quidem secundus a Patre, quia ex illo est, et dignitate, quoniam initium et causa illius essentiæ Pater est, et quia per ipsum accessum habemus ad Deum et Patrem, natura vero non jam secundus est, quia Deitas in utroque una, ita scilicet et sanctus Spiritus, etsi Filio subjicitur ordine et dignitate, non tamen alienæ, sed unius ejusdemque naturæ cum Patre et Filio omnino est. »

[10] Marc. XVI, 15.

(1) Ita vocat Caleca libros S. Basilii contra Eunomium ex quorum primo hoc testimonium petitum est.

Digitized by Google

Item in eodem ; « Cum ipse Dominus ordinem A tradiderit baptismi salutaris. »

Idem in epistola ad Eustachium, cujus initium est : *Eos quidem, qui præventi sunt alia fidei confessione*, sic ait : « Oportet autem et eos fugere, qui eam consequentiam, quam nobis tradidit Dominus, immutant, utpote qui aperte contra pietatem pugnant, et Filium quidem præponunt Patri, Filio vero Spiritum sanctum. »

Idem vero in Epistola ad Greg. fratrem, cujus initium est : *Quoniam multi commune substantia :* « Qui vero Spiritum cogitat, ipsumque in se ipso intellexerit, et Filium una cogitatione comprehendit. Qui autem hunc mente suscepit, a Filio Spiritum non divisit, sed consequenter quidem secundum ordinem, conjuncte autem, secundum naturam trium in se ipso personarum fidem juxta identitatem commiste formavit. Et qui Spiritum dixerit solum, eum quoque cujus est Spiritus, ea confessione comprehendit. Et quoniam Christi est Spiritus, atque ex Deo, sicut ait Apostolus, veluti ex catena, qui unam summitatem comprehenderit, alteram simul attraxit, ita et qui Spiritum trahit, per ipsum, et Filium, et Patrem simul trahit. Et Filium qui veraciter acceperit, habebit utraque ex parte, hinc ipsius Patrem, hinc Spiritum sanctum consequentem. Neque enim sectionem aut divisionem cogitare licet, ut aut Filius sine Spiritu intelligatur, aut Spiritus a Filio disseparetur. »

Sanctus quoque Epiphanius in quodam opere suo, quod appellavit *Anchoram* (2), *tertium lumen*, tertiamque a Patre substantiam (3) Spiritum sanctum appellat.

Sed et D. Chrysostomus in quodam sermone suo super illud dictum Abrahæ : *Pone manum tuam super femur meum* [11], ait : Itaque divinarum quidem personarum discretor ordo sanctis cognitus fuit ; qui vero naturas in sancta Trinitate discerneret, omnino rejiciendus.

Theologus quoque Gregorius in secundo sermone suo ad Lumina, de sancta Trinitate sic ait : *Velut in trinis contiguis solibus* una est collatio luminis.

Posito igitur unum esse ac tria Deum, et altero D ex his quidem de essentia et unitate substantiæ concesso, de altero, videlicet de Trinitate hypostaseon, seu personarum, de earum ad invicem ordine, ex his, quæ dicta sunt, videamus.

Quoniam itaque magnus Pater Basilius Eunomium insimulat, ordinem in Deo pie non recipientem, quippe hunc abnegare, irrationabile esse arbitratur atque eum quidem, qui circa traditionem nominum immutat ordinem, novitatis vocum appellat *inventorem*, eumque Dei ordinationi resistere asserit, ipsum Dominum hunc tradidisse ordinem (4) dicens : Qui autem Spiritum Patri præponit, aut Filio, eum a sana doctrina alienum denuntiat quippe novitatem introducentem circa divinarum personarum ordinem ; hanc autem ipsam novitatem atque immutationem ordinis, habere abolitionem divinarum personarum, totiusque fidei abnegationem esse docet, nihilque differre, utrum Spiritum sanctum ad creaturæ ordinem redigas, an ipsum Patri vel Filio in ordine præferas. Tertium enim, inquit, in ordine locatum esse in Evangelio a Domino docemur. Constat profecto ordinem esse in sancta Trinitate, secundum quem B prima quidem persona Pater est, secunda Filius, tertia Spiritus sanctus.

Et quia non solum Patri Filius et Spiritus sanctus, verum et sibi invicem junguntur, id autem de his dicitur, in quibus ordo est, et quæ ex se invicem pendent, nullo medio intercedente, omnino ordinem ad invicem personæ habent.

Sed et is, qui catenæ Trinitatem comparavit, liquet quia medii ad primum, et tertii ad medium ordinem reddidit, quocirca ait : Qui Spiritum cogitat, et Filium una cogitatione comprehendit ; et : Qui Spiritum dixerit solum, eum quoque, cujus est Spiritus, ea confessione comprehendit, et : Qui Filium suscepit, a Filio Spiritum non C divisit. Neque enim licet aut Filium sine Spiritu intelligi, aut Spiritum a Filio disparari. Quæ nequaquam ita se haberent, nisi Filius et Spiritus sanctus ordinem ad invicem haberent, secundum quem alter referretur ad alterum. Nam in his, quæ soluta sunt, et quæ simpliciter absque ulla relatione et ordine se ad invicem habent, non cogimur alterum cogitando, alterum quoque cogitatione complecti. Id quippe illorum solum est, quæ ordinem ad invicem habent, secundum quem necessario etiam simul cogitantur.

Ex quibus constat, quia non Pater solus ad Filium, seu ad Patrem Filius ordinem habet, sed etiam Filius ad Spiritum sanctum. Hoc et B. Athanasius apertissime in epistola ad Serapionem de Spiritu sancto posuit : « Eumdem, inquit, ordinem ac naturam habet Spiritus ad Filium, qualem ad Patrem Filius. »

Magnus quoque Basilius in XVII ad Amphilochium sic ait : « Sicut igitur habet Filius ad Patrem, ita et ad Filium Spiritus, juxta eam quæ nobis in baptismo traditur, verborum connexionem. »

Constat igitur ex his, quæ dicta sunt, in sancta Trinitate personarum divinarum ad invicem esse

[11] Gen. XXIV, 2.

(2) Ἀγκυρωτὸς, *Ancoratus*.
(3) Hoc est personam ; nam in Græco est *hypostasis*.
(4) De hoc ordine multa S. Epiphanius in *Ancorato*.

Digitized by Google

ordinem. Qui enim Filii et Spiritus ad Patrem ordinem reddit, Filii autem et Spiritus ad invicem confundit, ordinis bonum Deo ex dimidio reddit. Bonum enim ordo est, atque ordinatum esse. Quia enim in his, quæ sunt ordo, præclarum quiddam et optimum est, quod et cœlestia simul et terrena continet, omne autem optimum a Deo manat: multo autem magis in Deo, velut in principali causa, bonum illud excellentius inesse intelligendum est. Nam, ut ait D. Dionysius in lib. *De divinis nominibus* : « Quæ in causalibus sunt perfectiones, eas in causis ipsis longe potius ac prius inesse manifestum est. »

Quis vero jam adversus tam eximios Ecclesiæ magistros contendere præsumat, aperte in Deo trium ad se invicem personarum ordinem cientes? Itaque licet quidem absolute ac simpliciter, cum ita tres personas numeramus, tertiamque solam insinuare volumus, aliam præponere, aliam subjicere, ut est illud Apostoli : « Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei et Patris, et communicatio sancti Spiritus [12]; » aut quomodocunque aliter. Porro volentibus divinarum personarum nomina eo ordine pronuntiare, quo æterne ac semper similiter ad invicem habent, et quo Trinitatis perfectio designatur, nulla ratione conceditur. Quocirca magnus Basilius in lib. IV *Quæstionum ait* : « Non tamen quia primo hic sancti Spiritus Apostolus meminit, secundo Filii, tertio Dei et Patris, continuo putandum est, perversum aut immutatum esse ordinem. Ex nostro quippe more initium sumpsit. Quando enim dona suscipimus, primo distribuenti congredimur, deinde mittentem concipimus animo, tum ad ipsum bonorum fontem causamque cogitatione convertimur. »

Quod si ex more nostro initium sumentes, primo meminimus Spiritus, a quo in nos munerum largitas manat; deinde Filii, ac tertio per Filium ad Patrem tendimus, liquet quod illic incipientes, primo Patris, deinde Filii ac tertio Spiritus sancti secundum Trinitatis proprium ac sempiternum ordinem meminimus. Itaque, si quem sacerdos baptizaret, atque ita baptizans pronuntiaret : « Baptizo te in nomine Patris, et Spiritus et Filii, Ecclesia hujusmodi baptizatum (5), quasi baptismo consecratum, nunquam admitteret eo quod non juxta Domini traditionem baptizatus esset, secundum quam nominum ac rerum Trinitas, Patris scilicet, et Filii, et sancti Spiritus, ut se ad invicem habet, tradita est nobis, quam immutare non licet. Quippe eos, qui immutarent sanctus Basilius cavendo monuit, utpote pietatem aperte oppugnantes, et neque in Trinitate baptizantes, neque hanc juxta Domini traditionem confitentes. Apparet id quoque eum ordinem, quo naturæ discernuntur, ut Eunomius volebat, in sancta Trinitate sanctos omnino abnegare : eum vero quo personæ discernuntur, secundum quem causa (6) atque causale cum coæterno et consubstantiali inducitur, et docere, et ut pium, ac religiosum, amplecti ac suscipere, neque idem contra idem asserere atque denegare.

Præter hæc autem, quæ dicta sunt, nequaquam esset Trinitas Deus, nisi tria invicem connecterentur, ac secundum ordinem suum unirentur : sed tria simpliciter ac temere (quippe sublata unitate, quam ordo in multis efficit) inordinata essent, ac plurima, imo potius nihil. Neque enim vel tria, vel quatuor esse ullo modo possent, nisi Trinitas, vel quaternitas animo ante conciperetur. Quoniam igitur trium unam connexionem confitemur, sicut unam etiam essentiam, primoque loco Pater est causa, necesse est esse et tertium. Sublato quippe tertio, nec primum erit. In plurimis enim ubi primum est, necessario, quæ post primum sunt, connexionis serie ad primum referuntur. Atque hoc maxime in sancta Trinitate, ubi trium unam fatemur connexionem,

Rursum, quoniam tertium a Patre Spiritum sanctum doctores prædicant, profecto tertius non esset primo sublato. Tertium enim idcirco dicimus, quia refertur ad primum. Et hoc itidem non ita esset, nisi et primum ad secundum haberet ordinem. Alias quippe neque trium connexio esset, neque unitas : sed tria, ut diximus, simpliciter, ac temere inordinate se habentia, atque ab invicem disparata. Sed hoc his quæ a magistris Ecclesiæ dicuntur, communique confessioni fidei contrarium omnino est. Primum enim, et secundum, et tertium fatemur, unamque connexionem sanctæ Trinitatis, eaque sibi invicem conjungi et connecti serie, supra jam dictum est. Hæc autem aperte ordinem commendant. Liquet igitur ex his, quæ dicta sunt, quandoquidem ordo discreta significat, qui consubstantialis ordinem esse dicunt, eos in divinis peccare. Ita enim unitatem reddent potius, quam ordinem. Nam personæ tres, in quantum sunt invicem consubstantiales, juxta ejusdem substantiæ rationem unum sunt. Porro unius ad se ipsum, secundum rem, ordinem esse, impossibile est.

Præterea, et a Patre esse, ambobus commune cum sit, unionis potius, quam discretionis ad invicem causa est, nisi aliud aliquid adjiciatur. Quippe et omnes homines eo ipso quidem, quod ex Adam originem trahunt, invicem uniti sunt, certis vero rationibus et proprietatibus ab se distinguuntur. Itaque utrumque ex Patre esse dicere, satis non est ad exprimendum eum quem habent ad invicem, ordinem. Sed enim hyposta-

[12] II Cor. XIII, 13.

(5) Observa hanc opinionem Calecæ de forma baptismi.

(6) More Græcorum Patrum ac scriptorum *causam* pro *principio* usurpat.

Digitized by Google

seon seu personarum ad se invicem juxta incommistam, atque inconfusam rationem, ordinem esse dicere, irrationabile omnino est. Esse enim incommistas ad invicem, servantes sibi suarum proprietatum terminos, necesse est : neque enim alias ordo servaretur ; non tamen ideo necesse est, incommistarum, in quantum incommista sunt, ordinem ad invicem servantes, nisi etiam habitus ad invicem quidam illis inesse videatur. Ex quo sane ordine ad invicem et habitu, suarum etiam proprietatum termini confundi miscerique non possunt. Quo etiam remoto, incommistum illud secundum se, inordinationis potius, quam ordinis fieret causa. Quærendum igitur in personis divinis, quænam sit ordinis earum ad invicem causa, quæ item incommistionis secundum proprietates suas. Alias enim, præterquam quod nihil conficitur, imperitiæ quoque evidens argumentum est, causale quasi causam ponere. Igitur oportere quidem necessario ordinem in divinis personis immobilem fateri, neque esse in nostra potestate, ut libuerit, traditum immutare ordinem, eosque, qui immutant, ut quo aperte oppugnant pietatem, vitandos esse, satis ex superioribus ostensum est.

Quoniam vero unitatem ac Trinitatem Deum confitemur, ac juxta unitatem quidem neque ordo, neque processus, neque personarum numerus inspicitur : una enim res essentia est omnino indiscreta, uniusque ad seipsum secundum rem ordo aut discretio non est : reliquum est, ut ordinem numerumque personarum juxta processus suos fateamur.

Duo omnino processus in Deo nobis traditi sunt, alter, secundum nativitatem, alter, juxta processionem. Deum quippe ex Deo nasci, Deumque item ex Deo procedere, divinis Litteris docemur. Atque Filii quidem a Patre immediatum processum, sanctus Basilius, in lib. *Adversus Eunomium*, ita commendat : « Initium quidem Patris nullumque horum medium. » Rursumque in eodem : « Ut enim stulta est interrogatio in eo, qui sine principio atque ingenitus est, superius aliquid quærere : et hic in eo, qui sempiterne cum Patre est, nullumque habet medium inter se et genitorem. »

Idem rursus in ea, quam supra memoravimus ad Canonicas Epistola : « Si enim Deo superior est Spiritus, non jam ex Deo est, si autem ex Deo est, quomodo antiquior est illo, ex quo est ? At ne Unigenito quidem prior est, nullum enim inter Patrem ac Filium medium est. »

Gregorius etiam Nyssenus in 1 adversus Eunomium libro, sic ait : « Pater quidem sine principio atque ingenitus intelligitur. Ex ipso autem, juxta contigui rationem, inseparabiliter unigenitus Filius cum Patre simul intelligitur. »

Sanctus item Cyrillus, in 1 *Thesaurorum* ait : « Gignit Filium Pater nullo medio. »

Idem super Evangelio Joannis, cum id verbum exponeret : *Hoc erat in principio apud Deum*, ita ait : « Esse autem cum Filio Patrem intelligimus, propter substantiæ incommutabilitatem : atque ideo, quod omnino contiguus sit, nullo medio, ei, quod ex se naturaliter processit. »

Magnus idem Basilius, in epist. ad Gregorium fratrem de differentia essentiæ atque substantiæ (7), ait : « Filius autem solus, qui unigenitus de ingenito effulsit lumine, nullam juxta proprietatem personarum communionem habet ad Patrem, vel ad Spiritum sanctum. » Gregorius item Nyssenus super Oratione Dominica, in eo tractatu, qui incipit : *Umbram continens futurorum lex;* « Unigenitus, inquit, Filius ex Patre a S. Scriptura nominatur; atque hactenus ejus proprietas fertur. »

Sanctus quoque Anastasius Antiochiæ episcopus in lib. suo *De dogmatibus* (8), cujus initium est : *Salubris fidei nostræ rationem*, ait : « Spiritus, ut dixi, dicitur Deus, et sanctus Deus. Hæc autem ambo composita nomina ei congruunt, qui proprie Spiritus sanctus appellatur, sicut et Patris vocabulum causæ, et Filii, ei qui ex causa nullo medio prodit, accommodatur. »

Ita igitur Filii ex Patre processum, nativitatem scilicet immediatam discimus, secundum quam et unigenitus, et solus de solo dicitur, personalemque suam ac substantialem proprietatem hinc accipit, quod et genitus est, et a Patre Spirituque distinguitur. Quippe hanc ejus propriam agnitionem nobis magistri tradiderunt, quod solus ipse unigenitus de ingenito lumine prodeat. Dictum est enim veritatis terminum et rationem hactenus illi proprietatem sistere, ut scilicet immediate, et continenter, ac genite ex Patre sit, ulterius autem nullatenus progredi. Quippe cum et Spiritus ex Patre quidem sit, nec tamen hactenus processus illius proprietas atque agnitio subsistat.

Dictum est autem, et Filii vocabulum ei proprie congruere, qui sit ex Patre, nullo interjecto medio. Quanquam præter hæc, et Patris, et Filii nomen habitum ad invicem ac relationem individuam reddit. Aliud enim causam, aliud vero causale commendat. Atque ista quidem ita se habent de Filio.

Sancti vero Spiritus processum a Patre per Filium esse didicimus, ex quo videlicet constat, quia non sine medio ex Patre prodit. Ait enim Gregorius Nyssenus in libro quem ad Ablavium scripsit (9), cujus initium est : *Justum quidem fuerat vos, qui omni virtute polletis, pugnare*, sic ait : « Immutabilitatem naturæ confitentes, causæ ad causale differentiam non abnegamus ; in

(7) Græce est ὑποστάσεως. Quod potius retinendum vel *personæ* vocabulum adhibendum ut vitetur æquivocatio.

(8) Ex orat. 1 ex illis quinque de rectis fidei dogmatibus quæ exstant tom. I.

(9) Vide Bell. l. II *De Christo*, c. 25, ubi hoc testimonium profert et explicat. Et Gennadium pro concilio Florentino, sect. 3.

Digitized by Google

quo solo alterum ab altero distingui intelligimus, qui, alterum quidem, causam esse, alterum vero, ex causa credimus. Atque ejus quod ex causa est, aliam rursus differentiam agnoscimus. Aliud enim est, quod ex primo continenter manat; aliud, quod per hoc ipsum ex primo prodit, ita ut Unigeniti nomen absque ulla ambiguitate Filio maneat, et ex Patre Spiritum esse, dubitandum non sit; cum et Filii mediatio, ut ita dicam, et sibi unigeniti honorem servet, et Spiritum naturali ad Patrem habitu non excludat. »

Quoniam igitur theologia nostra duplex est, unita scilicet, atque discreta. At illa quidem secundum unius essentiæ unitatem, hæc autem juxta personalem processuum distinctionem. Unum quidem Deum incommutabilem in seipso, atque indiscretum secundum essentiam aut naturam confessus, unius enim ad seipsum, nulla ut dictum est, secundum rem discretio esse potest; cum deinceps, ut sese ad invicem habeant personæ *divinæ* ratione processus enucleare vellet; in causam, et causale [*causatum*] primo discrevit. Causam Patrem, causale vero communi appellatione Filium ac Spiritum vocans, quæ etiam, ex causa, appellat, aitque solum juxta causam et causale divinas distingui personas.

Deinde, cum causalia hæc, Filium et Spiritum sanctum causæ, causalique ratione communiter a Patre discernerent, quippe cum causalia sibi invicem communicent, hæc rursus ab invicem distinguit varietate processus, atque ita ferme ait : « Etsi enim ambo a Patre cum sint, eo invicem communicent, quod causalia sunt; inde tamen differenter esse habent. Quocirca aliam rursus horum differentiam agnoscimus. » Denique horum alterum, videlicet Filius ex primo, id est, ex Patre *continenter* est; alterum, videlicet Spiritus, per hoc ipsum, quod ex primo continenter est, id est, per Filium, qui ex Patre, nullo interjecto medio, esse habet. Primum quidem, utpote causam, Patrem nominans, quod autem contigue vel continenter, pro eo, quod est immediate, posuit; Spiritum vero, ex Patre per medium Filium. Ut Pater quidem, qui ex nullo est, eo ipso a Filio discernatur, et Spiritu, quod Pater ipse atque initium sit. Filius autem ex illo immediate genitus, eo ipso discernatur; a Patre quidem, quod nascendo ex illo prodiit; a Spiritu vero, quod ipse quidem immediate et incontinenter ex primo; Spiritus vero per se ex primo manavit. Sanctus autem Spiritus a Patre quidem distinguatur, quia ex ipso est; a Filio autem, quia non immediate ex primo est, ut Filius, sed per illum, qui continenter esset ex primo.

Unde et merito aliam dixit esse differentiam. Quod enim immediate ex primo est, quodque per medium ex primo, processus ratione differunt : quamvis causæ causalisque ratione, processus differentia generaliter nequaquam differt.

At, ne forte quispiam ob hoc Filii medium, confusionem aliquam personalium proprietatum consequi arbitraretur, putaretque Filium naturali ad Patrem habitu alienum esse, non ait (10); sed hæc potius Filii mediatio, personarumque secundum processuum differentiam discretio, inconfusas proprietates servat, alias servari non valentes. Hoc enim ordine posito, etiam Unigeniti honor indubitanter manet in Filio. Solus enim ex solo est, atque ejus substantiæ proprietas hactenus fertur; Spiritusque per Filium connectitur Patri, quemadmodum et in omnibus, in quibus est series, extrema primis per media junguntur; ideoque subjungit : Cum Filii mediatio, et sibi ipsi Unigeniti servet honorem, et Spiritum naturali ad Patrem habitu non excludat. Atque ista quidem Nyssenus Gregorius.

Quæ vero secundo in Nicæa convenit sancta synodus universalis ait : « Credo in Spiritum sanctum ex Patre per Filium prodeuntem, ipsumque Deum esse agnitum. »

Id ipsum (11) et sanctus Tarasius, Constantinopolitanus episcopus, qui ejusdem synodi pars magna fuit, in epistola, quam ad episcopos et sacerdotes Antiochiæ, Alexandriæ, ac sanctæ civitatis scripsit, cujus initium est : Plurimis atque eximiis dispensationibus hominum vitam Deus ac Dominus noster disponens, ac dirigens, quæ e. suscepta et laudata est, ac per omnia, rite se habere, ex rescriptis eorum comprobata, post plurima ait : « Et in Spiritum sanctum, qui ex Patre per Filium procedit, ipseque Deus esse cognoscitur. »

Sanctus Sophronius, Hierosolymitanus episcopus, Expositione fidei suæ ait : « Credo in Spiritum sanctum, ex Patre et Deo sempiterne procedentem, qui et ipse lumen agnoscitur, et vere Patri ac Filio coæternus est. »

Magnus item Athanasius, in eo libro qui inscribitur *Reprehensio simulationis Meletii et Eusebii*, cujus initium est : *Homo ad similitudinem Dei factus est*, ita ait : « Esset autem impossibile, in Trinitatis majestate Spiritum glorificari, si non ex Deo per Filium procederet, sed ex Deo factus et creatus esset, ut hæretici dicunt. »

Sanctus quoque Basilius, quodam capitulo, cujus inscriptio est : *Cur et Spiritus Filii non Filius est*, ait : « Non quia non sit ex Deo per Filium, sed ne Trinitas existimetur multitudo infinita, ac, sicut in hominibus contingit, filios eam ex filiis arbitremur. »

Item alio in loco, qui inscribitur : *Nisi quispiam Spiritum ex Deo esse dicit, ne Verbum quidem* : « Quonam, inquit, pacto separentur inseparabilia,

(10) Aliquid videtur deesse.

(11) Gennad. sect. 3.

Digitized by Google

Verbum scilicet ex Deo, et Spiritus ex Deo per Filium. »

Gregorius præterea Theologus virginitatis laudes versu heroico scribens, ita canit. :

Spiritus æterno manat de lumine lumen
Per sobolem, unusquisque tribus splendor deitatis.

Sanctus etiam Maximus, cum exponeret, quid sibi velit apud prophetam Zachariam candelabrum aureum, et quæ super illo erat, lampas ac lucernæ, ait (12) : « Spiritus sanctus sicuti naturaliter per essentiam Dei et Patris est, ita etiam Filii, secundum essentiam, veluti ex Patre essentialiter per Filium genitum ineffabiliter prodiens. »

Joannes item Damascenus (13) in tertio decimo ipsius *Theologiæ* capitulo, cujus initium est : *Deus incomprehensibilis est*, ita de Patre ait : « Ipse quidem est mens Verbi, abyssus, Verbi genitor, ac per Verbum splendifici Spiritus productor. » Idem, in eodem : « Spiritus sancti paterna vis insinuativa arcani Deitatis, ex Patre est per Filium prodiens. » Ita igitur plurimorum testimoniis docemur, Spiritum sanctum ex Patre per Filium procedere; hoc est ex Patre *non* sine medio.

Quoniam ergo secundum processus variam rationem, personarum quoque varietas designatur; quippe Filii processus immediate Filium tradit ex Patre subsistere, atque immediate nativitatis ratione ex ipso habere substantiam; Spiritus autem processus per Filium ipsum esse commendat, ex Patre enim per Filium procedere supra monstratum est; processus autem vocabulum sancti Spiritus personæ proprium est, sicut etiam Nativitatis proprium Filii (gigni enim ac procedere, amborum personas insinuat), constat Spiritum sanctum ex Patre per Filium habere substantiam. Et illud simul constat, quod et immediate, et mediate, et continenter, et per eum qui continenter est, ex Patre esse, differentes divinarum personarum processus insinuat, nascique, ac per Filium procedere, substantialia Filii ac Spiritus cum sint, personarum ipsarum, Filii scilicet ac Spiritus proprietates sunt, quibus ad invicem, atque ad Patrem discernuntur. Quocirca genitus alius, procedens alius appellatur; sicut etiam quisque ex substantiali termino sui esse nominatur, atque hoc ipso a reliquis distinguitur. Quippe unice ex Patre progredi, propriam Filii agnitionem esse, Basilius astruit : atque hoc a Patre discerni et a Spiritu, cum scilicet per hanc proprietatem suam, nullam ad Patrem atque ad sanctum Spiritum communionem habeat, et quæ in hanc sententiam prædicta sunt. Spiritus autem a Patre quidem, veluti a *causa causale* distinguitur; a Filio autem, per causam quam habet a Patre, per ipsum procedens : hac scilicet processus differentia, quod ille immediate atque continenter ex primo, hic autem ex primo quidem, sed per illum ipsum continenter manantem procedit.

Præterea magnus Basilius in ea quam prædiximus ad Gregorium fratrem, epistola, manifestius de ipso ita loquitur : « Spiritus, inquit iste, hoc habet indicium et signum proprietatis suæ, quod post Filium, et cum Filio nascitur, atque ex Patre subsistit. »

Quem igitur plurimis in locis SS. Patres tertium tradunt, id est, a Patre tertium, a Filio secundum, juxta personalem ordinem : cum hic iste post Filium, et quem ex primo Nyssenus Gregorius manare dixit, iste apertius : *ex Patre*, ait. Quoniam vero ea particula, qua dicimus, *per*, nullum illic temporis intervallum introducit, quippe temporales morulæ nullum in æterna vita locum habent, quodque temporis ratione prius dicitur, inde penitus eliminatum est, idcirco quod per Filium dicitur, ob id dici potest, qui simul et cum Filio est; tamen ob personarum discretionem ex processu ipso apparentium, quem satis *per* particula commendat, dum neque simul tollit, et personarum ordinem cum processu sancti Spiritus insinuat, alias indicari difficile valentem, a theologia commodissime ea particula assumpta est.

Itaque quod Nyssenus ipsum ait ex primo esse per eum qui continenter manaret ex primo, hoc et magnus Basilius itidem fatetur; quia enim ex Patre, atque post Filium est, aliter ita esse non posset, nisi ex primo per medium procederet. Sin autem ex Patre per Filium procedit, liquet profecto, eum personali serie tertium a Patre esse. Id autem est esse post Filium, ut doctor inquit.

Hoc ipsum Nyssenus idem lucidius expressit in 1 *Quæst. adversus Eunomium* libro : « Spiritus, inquiens, Patri, ex eo quod increatus est, jungitur, atque ab eo rursus, quia Pater, ut ille, non est, disparatur, conjunctione vero, quæ illi cum Filio ratione increati est; atque ex eo quod substantiæ causam unam ex Deo omnium habet, ea rursum proprietate distinguitur, quod neque unice ex Patre subsistit, et quod per ipsum Filium prodiit. Rursus etiam, cum per Unigenitum creatura subsistat, ne commune aliquid ad hanc Spiritus sanctus habere putetur, quia et ipse per Filium prodiit, ita stabili atque incommutabili ratione Spiritus sanctus a creatura discernitur. » Si igitur id solum, quod unice Filius ex ingenito lumine est, propria illius cognitio est, qua a Patre Spiritusque distinguitur, id autem est ex Patre sine ullo medio esse, Spiritus autem sanctus a Filio ea proprietate discernitur, quod per Filium ipsum sit atque procedit, constat profecto Spiritum sanctum ex Patre sine medio non esse. Id quippe est esse unice ex Patre, quod Filii personæ proprium est. In eo enim quod neque unice ex Patre, sed per Filium

(12) Citat Bellarminus lib. II *De Christo*, c. 25, sub finem; Gennad. sect. 5.

(13) In edit. Billii est c. 15, l. I *Fidei orthod.*; citat etiam Gennad. sect. 3.

Digitized by Google

sit, propriam Spiritus agnitionem doctor esse ait.

Verum quia utrumque, et Spiritus scilicet, et creatura, esse per Filium dicitur, quomodo intelligendum sit, adjecto differenti processuum modo definivit. Sanctum enim Spiritum sine tempore stabilem atque incommutabilem, quia per Filium naturaliter, et essentialiter, et juxta insignem Athanasium, ex Deo procedendo, consubstantialis est Patri ac Filio, creaturæque pariter conditor cum Patre ac Filio, utpote unus creator, creatura vero temporalis, commutabilis atque variabilis est; per Filium enim fictionis conditionisque ratione producta est, longissime a substantia Patris, et Filii et sancti Spiritus remota. « Ut enim, inquit Damascenus; creatura postmodum non ex creatoris substantia est facta, » nullus itaque B mente ac ratione præditus, commune aliquid ad hanc habere arbitrabitur Spiritum sanctum : ex eo, quod dicitur, ipsum atque creaturam prodiisse per Filium : nisi quantum creata ad creatorem, et facta ad factorem communia sunt : « Stabili enim, inquit, atque incommutabili ratione Spiritus a creatura discernitur. » Nunc autem arbitrandum est id, quod dicitur, prodiisse, vel manasse, æternam ante omnia sæcula substantiam sancti Spiritus non significare. Primum enim cum docere institueret, quo pacto Deus Trinitas in seipsa personaliter ante sæcula distingueretur, non quomodo se haberet ad creaturam, hoc dixit. Atque utinam sic, ut hic, quod dicitur prodiisse in creatura, C subsistentiam ex Deo, creaturæque essentiam aperte significat : ita et in Spiritu sancto, cum dicitur, ejus ante omnia sæcula processum commendat : atque eo magis, quo etiam æterne per Filium et esse, et prodire, ac procedere a theologis asseritur. Deinde magistros item audire fas est, ut hoc, quod dicitur, prodisse, æternos processus Filii Spiritusque commendat, quod in sequentibus probabitur.

Gregorius Theologus, in sermone *De Spiritu sancto* (14) sic ait : « Emanationis, habitusque ad invicem differentia, appellationis quoque illorum differentiam fecit. » Hic emanationem idem intelligi voluit, quod processum. Processiones autem D differentes sunt nativitas atque processus. Recte ergo dictum est differentes processiones personarum id effecisse, ut aliud genitum, aliud procedens esset, et dicatur. Liquet igitur ex his quæ dicta sunt, idem esse, cum dicimus Filium esse et unigenitum, et sine ullo medio ex Patre, genitumque esse, seu personam ex persona gigni; idemque esse, cum dicimus, Spiritum esse, et procedere : atque ex primo per medium esse et ex Patre per Filium procedere : neque sine medio, neque unice esse, neque continenter ex primo. Hæc enim contra eumdem dicta convertuntur. Quæ enim persona in sancta Trinitate Filius est, hæc sine medio et continenter ex primo est. Et, quæ genita, hæc unigenita est. Rursum, quæ procedit, hæc Spiritus est, et quæ mediate, hæc non continenter; quæ autem non continenter, hæc non genita, sed procedens est. Porro quæ per Filium procedit ex Patre, ea non Filius est. Hæc namque Nativitatis definitio est, ex primo immediate prodire, processionis autem, ex primo per medium.

Et quoniam divinarum personarum subsistentiæ æternæ atque immutabiles sunt; semper enim erat Trinitas Deus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, definitiones etiam personalium substantiarum [hypostaseon], ipsæ substantiales [hypostaticæ] earum proprietates prorsus æternæ atque incommutabiles sunt. Et illud idem constat, quia, si tollantur processiones, proprietates etiam ac personæ simul esse desinent. Nam, si nascendi quidem, aut geniti ex primo esse absque medio, ratio ac definitio est : procedendi vero, seu procedentis, per Filium esse : omnino autem verum est, sublatis definitionibus rerum quibus illæ subsistunt, et illas simul auferri. Nam qui rationale homini tulerit, esse simul hominem abstulit.

Et hinc liquido constat, sublatis geniti ac procedentis rationibus, hujusmodi ablatione, nativitatem ac processionem tolli, simulque etiam, Trinitatem Deum esse. Ex quibus hoc etiam conficitur, ut qui ex Patre solo procedere Spiritum sanctum asseverat, necessario illum ex Patre esse sine medio confiteatur. Porro hujusmodi confessione proprietatem substantiæ illius, ac personam illum esse in sancta Trinitate una tollet. Atque hinc neque tertium a Patre secundum sanæ fidei rationem ac traditionem SS. Patrum confitebitur. Ita nihil prohibebit etiam Filium esse confiteri Spiritum sanctum, sine medio ex Patre procedentem. Filii quippe appellatio secundum theologos ei proprie congruit, qui sine medio ex Patre est. Ex quo sequitur, ut quod illinc sine medio est, Filius sit. Proprietatem enim Filii eam esse deprehendimus, ex Patre esse sine medio, quod eum etiam genitum facit : sicque personalium proprietatum confusio erit, et aut duo Filii ex Patre erunt ambo sine medio, atque ideo neuter primogenitus, aut duo Spiritus sancti. Quæ enim urgeat necessitas et distributio, si sint ambo ex Patre sine medio, aliam personam esse Filium, aliam Spiritum sanctum, ac non potius vel duos filios esse in sancta Trinitate, vel duos spiritus?

Præterea neque habitus [habitudo] ullus Filii ac Spiritus ad invicem esse diceretur, neque haberemus qua proprietate, seu confessione, Filium a Spiritu distingueremus. Ex quibus sequeretur necessario, ut ne Trinitatem quidem confiteremur esse Deum, sed tria simpliciter, ac solute seorsum singula. Quippe sublato ordine, primum, ac secun-

(14) Est oratio 3 *de Theologia*.

Digitized by Google

dum et tertium non diceremus : sed unumquodque primum, essetque convenientius ac magis proprium *dualitatem* Deum dicere, Patrem scilicet ac Filium, vel Patrem et Spiritum : eoque Pater causa illorum sine medio, eademque ratione esset, ordinemque solum causæ ac causalia simpliciter haberet.

Esset præterea indifferens numerare Patrem, et Filium, et Spiritum, sive Patrem, et Spiritum, et Filium : imo, sicut Spiritus Filii dicitur Spiritus, et imago, naturalisque et viva virtus, et operatio, et quæ in sequentibus dicentur : ita etiam Filius, Spiritus Filius æquabiliter atque indifferenter secundum hæc omnia a sacris Litteris sanctisque Patribus diceretur. Nam si similiter se ad invicem haberent, æque scilicet ex Patre sine medio subsistentes, sibique invicem consubstantiales et nomina profecto simili ratione ex altero ad alterum converterent. Quæ enim consubstantialia sunt, ac sibi coæqualia, convertuntur ad invicem. At hoc minime hactenus inventum, imo omnino interdictum est. Namque Gregorius Nyssenus super oratione Dominica, sic ait : « Filius autem sancti Spiritus neque est neque dicitur, » neque convertitur habitualis hæc, ut ita dicam, consequentia.

Præterea absurdum est, ex solo Patre putare esse Spiritum sanctum, ac eumdem per Filium procedere. Hæc enim apertissime sibi invicem contraria sunt, ac se invicem destruunt. Nam quod dicitur per Filium, mediante Filio, esse dicitur : quod autem ex solo, sine medio Spiritum ex Patre procedere significat. Sed ista postea videbimus.

Illud modo ex his, quæ supra diximus, ostensum est, quod hi, qui propter pronuntiationem nominum, suæque mentis præsumptionem, id quod dictum est, per Filium procedere Spiritum sanctum, non proprie ac substantialiter dictum exponunt, solisque verbis divinarum ad se invicem personarum ordinem esse asserunt, peccant. Aiunt enim : « Quoniam prima persona, Pater scilicet, et Pater et productor dicitur, et Filius quidem ad Patrem secundum ea quæ ad aliquid dicuntur, convenienter redditur; Filium enim dicentes, et Patrem una intelligimus. Spiritus autem, etsi a Patre esse dicitur, ad productorem tamen proprie, ad Patrem autem improprie refertur, cum Pater etiam productor sit, et intelligatur. Est enim idem, et Pater, et productor. »

His autem ita positis, ita inferunt : « Itaque quandoquidem Spiritum ex Patre dicimus, quoniam Patrem dicentes, et Filium una intelligimus, idcirco dicitur Spiritus per medium Filium, atque per Filium ex Patre procedere. Cum autem rursus primum productorem dicimus, eadem ratione, quoniam productorem dicentes, una etiam id, quod producit, cogitamus : si quando Filius ex productore dicatur, tunc Filius per medium Spiritum, seu productum ex productore esse proprie dicetur, quippe producti nomen propter productorem intelligitur primum, atque consequenter Filium ex productore per productum nasci. Nihil enim prohibet, inquiunt, etiam hoc dici ; sine medio scilicet Spiritum ex Patre, quasi ex productore procedere, Filium vero ex productore, qui et Pater est, per Spiritum nasci. »

Sed liquet profecto, eos, qui Spiritus per Filium processionem ita pervertunt, Trinitatis ordinem tollere, confusionemque proprietatum personalium, sublatis item personis, introducere. Liquet simul eos sanctis Patribus, Ecclesiæ magistris, repugnare, dum sine medio Spiritum ex Patre esse volunt, Spiritumque Filio præponunt, nihilque prohibere dicunt, etiam Filium ex productore per productum nasci ; ex quo Filium secundum ordinem tertium a Patre confitentur, putantes se propter pronuntiationem nominum, eorumque intelligentiæ subtilitatem, ut voluerint, divinum etiam, et æternum, atque immobilem mutare ordinem posse, quod neque in creaturis fieri possibile est. Neque enim in his, si causale causæ prætulerimus in ordine, ac, de calore disserentes, ignis primo mentionem fecerimus, jam etiam continuo calor ignis causa erit, aut solis radius; neque dictionis nostræ gratia res etiam suum ordinem immutant. Sed ita isti nimium inepti et garruli ratiocinatores sentiant.

At vero sancti Patres ordinis istam novitatem, ipsius substantiæ privationem, totius fidei negationem esse aiunt, Eunomiumque causantur, quod ordinem in Deo non suscipiat ; eumque, qui immutat substantiam, Dei ordinationi refragari definiunt, ipsum Dominum tradidisse ordinem in salutaris baptismi traditione asserentes, secundum quem alia ex personis prima, alia secunda, alia tertia personali ordine est : nihilque differre aiunt, utrum quis Spiritum sanctum ad creaturam deducat, an illum Filio, vel Patri præferat, non solum temporis ratione, sed ordinis. Quocirca rite magister (15) eos fugiendos ait, qui et ordinem, quem tradidit nobis Dominus, immutant, ut qui manifeste veritati reluctantur, et Filium præferunt Patri, vel Filio præponunt Spiritum sanctum.

Quanquam juxta superiorem ratiocinationem, quoniam per Filium omnia facta Scripturæ sanctæ inducti auctoritate credimus : Filium vero cum dicimus, Patrem quoque una intelligimus, nihil prohibebit dicere, a Filio per Patrem creaturas manavisse, ut necessario jam et Pater Filii et Spiritus medius sit. Et quoniam a Filio Paracletus mitti perhibetur : Filii autem mentionem facientes, mente simul et Patrem comprehendimus; eadem ratione et per Patrem mitti Spiritus dicetur. Atque idem ferme erit, ac si quis architecti cujuslibet filium ex architecto per domum diceret natum, quia architectus ad domum refertur. Nam simul atque architectum cogitaveris, et domus simul occurrit.

(15) S. Basilius

Digitized by Google

Id autem illorum absurditatem in primis arguit, quod theologi secundum ea quæ supra exposuimus, aliquando ex Deo per Verbum, aliquando per Filium ex Deo Spiritum esse aiunt. Nam si hujusmodi ratiocinationem veram esse arbitrarentur, cum dixissent, per Verbum, nunquam ex Deo dicerent, sed per Verbum, ex mente. Verbum quippe, juxta rationem nominis, non ad Deum, sed ad mentem refertur. Per Filium autem cum dicerent, nunquam adjecissent : Ex Deo per Filium, sed per creaturam. Hujus quippe Deus, Deus est ; imo vero neque id quidpiam prohiberet dici Filium ex Deo per creaturas nasci. Deus enim ad creaturas refertur. Idem autem Deus, et Pater Filii esse intelligitur. Sed hujusmodi nugas atque ineptias absit ut doctoribus sacris unquam in mentem venisse putemus, ne magis sophistas illos quam magistros pietatis ostendamus, alia per alia dicentes, atque ex ea parte nostram intelligentiam obnubilantes, quos oportebat obscura elucidandi magistros esse, ut revera sunt. Neque sane nobis expedit, quæ ab illis aperte et utiliter dicta sunt, perverse accipere: ex quo et illis irrogamus injurias, et nobis ipsis dispendium salutis acquirimus.

Certe lucidius promendæ veritatis magistri aliis cum essent, dixissent utique, si ita veraciter esse putavissent, Spiritum ex Patre per Filium dici tantummodo, non tamen esse ac procedere. Quoniam vero id non dixerunt, expositionem hujusmodi omnino tenuisse comprobantur. Nempe et Damascenus de Patre ait (16): « Ipse quidem est mens verbi abyssus, verbi genitor, et per verbum Spiritus productor. » Dicere igitur secundum istos debuerat, verbi commentator, tacito *genitoris* nomine. Verbum enim ad mentem refertur, non ad genitorem. Oportebat item, eum productorem Spiritus per se solum dicere, suppresso, quod ait, « Per verbum. » Spiritus quippe ad productorem refertur. Nunc vero, quando productorem per verbum, ait : Verbum autem neque ad patrem, neque ad productorem relativum est, solamque refertur ad mentem ; omnem profecto hujusmodi curiositatem ut maxime ridendam ac perniciosam resecat.

Præterea vero, et quod dicitur, proprie, et non proprie, et quod secundum se et accidens in divinis personis habebit locum. Proprie enim quod dicuntur et secundum se, ad accidens opponitur. Insuper, et quod a Patre non proprie Spiritum esse asserunt, a Patre utique non discerneretur. Sed ista, ut diximus, intelligentiæ theologorum omnino adversantur, qui monumentis suis divinas personas discreverunt. Quod ergo jam dictum est, constat ex his, quæ prædiximus ; qui ordinem tollit, eum ipsum quoque personarum processum, ac per consequens, personas etiam ipsas sustulisse. Nam secundum processus sui rationem, alia quidem ine medio procedit ex Patre, alia vero per medium Filium ex Patre esse habet, liquet profecto, sublatis substantialibus [hypostaticis] processibus, personas quoque simul auferendas, neque jam ordinem ullum, neque Trinitatem nobis reliquam esse. Quocirca rite dictum est ordinis ejusce novitatem ipsius esse substantiæ abolitionem, totiusque fidei abnegationem.

Neque vero ista solum, quæ diximus, ordinem in sancta Trinitate commendant, personarumque processum, per quem Filius quidem sine medio ex primo est; Spiritus autem sanctus ex primo per medium, sed ex aliis plurimis, quæ a magistris dicta sunt, discimus et Filii mediationem, et sancti Spiritus naturalem essentialemque processum.

Magnus quippe Athanasius in III *Contra Arianos* libro, cujus initium est : *Qui Arii sectantur insaniam, ut intelligi datur, decreverunt semel apostatæ fieri, transgressoresque veritatis*, ita ait : « Non spiritus Verbum conjungit Patri, sed hoc a Verbo potius accipit Spiritus. » Et post pauca : « Quia enim Verbum in Patre est, Spiritus autem ex Verbo datur, ideo nos vult accipere Spiritum, ut, cum illum acceperimus, tunc habentes Verbi Spiritum, quod est in Patre, et nos unum fieri in Verbo propter Spiritum, ac per ipsum in Patre videamur. »

Idem in epistola ad Serapionem de sancto Spiritu, quæ incipit : *Litteræ sacri in nos affectus tui mihi in eremo redditæ sunt*, ita ait : « Ignorant, quoniam ut qui dividunt a Patre Filium, unum esse Deum tollunt : ita, quod a Verbo dirimunt Spiritum, non jam unam in Trinitate Deitatem servant. »

Idem rursus in alia de sancto Spiritu ad eumdem epistola, cujus initium est : *Fortasse miraberis :* « Non enim, inquit, extra Verbum est Spiritus, sed in Verbo cum sit, in Deo per ipsum est. » Et post pauca : « Cum autem Spiritus in Verbo sit, liquet profecto, in Deo per Verbum esse Spiritum. »

Sanctus autem Basilius in quodam capitulo, cujus inscriptio est : *Conglorificari cum Deo Spiritum*, ait : « Quod autem in eisdem divinis operibus Trinitas glorificatur, unius divinitatis testimonium certum est, quod neque sine Filio Pater operatur, neque sine Spiritu Filius. »

Idem in alio capitulo, quod inscribitur : *Quod ex divina natura Trinitatis unitas insinuatur*, ait : « Nunquam fuit Pater sine Filio, neque sine Spiritu Filius. »

Idem in cap. 16, ad Amphilochium : « Ut igitur se habet ad Patrem Filius, ita et ad Filium Spiritus, juxta verborum connexionem, nobis in baptismo traditam. Quod si Spiritus Filio serie connectitur, Patri autem Filius, et Spiritus, Patri scilicet. »

Idem ubi supra : « Unus autem et Spiritus sanctus uni Patri per unum Filium connectitur. » Et post

(16) *De fide orthod.* c. 5.

Digitized by Google

pauca : « Est igitur iter ad agnitionem Dei ab uno Spiritu per unum Filium, ad unum Patrem, atque e converso naturalis bonitas, naturalisque sanctificatio, ac regia dignitas, ex Patre per Unigenitum ad Spiritum penetrat. Ita et personæ consentiunt, atque unici principatus pium dogma non decidit. »

Damascenus in quarto *Theologicorum* ipsius capitulo : « Deus, inquit, Spiritus sanctus est, mediis ingeniti ac geniti; et per Filium Patri connectitur. » Si igitur per hæc omnia Filii in sancta Trinitate mediatio elucet, quomodo sine medio ex Patre Spiritus est, aut quomodo qui sine medio asseverant Spiritum a Filio non dividunt? Quomodo unam in Trinitate Deitatem se servare confitentur? Quomodo secundum illos extra Verbum Spiritus non est? Quomodo id servare poterunt, quod dicitur : Neque Filium sine Spiritu facere, sicut neque sine Filio Patrem? Quomodo non erit sine Spiritu Filius? Quomodo sanctificatione naturali, et naturali bonitate ex Patre per Unigenitum ad Spiritum sanctum pertingere, personas juxta traditum ordinem confitebuntur, qui Spiritum ex Patre solo esse dicunt? Unicuique principatus pium dogma, quomodo non illis decidet? Quænam vero necessitas, nunquam vel fuisse, vel fore sine Spiritu Filium? Nam si sunt ambo ex Patre sine medio, non ista magis de Spiritu ad Filium, quam de Filio ad Spiritum dicentur. Si enim ista propter consubstantialitatem dicerentur, omnino illorum ad se invicem conversio fieret, quippe hujusmodi convertuntur : sed constat profecto, propter ordinem atque habitum ad invicem ista dicta esse, secundum quem personæ divinæ substantiam sempiterne habent, juxta processus differentiam, qui etiam immobilis est; quia et substantia immobilis est. Ideirco etiam dictum est : Filius autem sanctus Spiritus neque est, neque dicitur, neque convertitur habitualis ista consequentia.

Certe magnus quoque Athanasius, in tomo quem ad Antiochenos scripsit : Oportet, inquit, et eos anathematizare, qui asserunt Spiritum sanctum a Christi essentia divisum esse. » Qualiter igitur et qui Spiritum creaturam esse sentiunt, et qui illum utcunque alias dividunt, huic sententiæ obnoxii sunt. Sed dicendum potius, juxta Basilium, nullo modo fas esse vel sectionem ullam vel divisionem cogitare : quasi vel Filius sine Patre intelligatur, vel a Filio Spiritus disseparetur; neque decere penitus, ut aut Pater sine Filio, aut sine Spiritu Filius unquam fuerit, juxta theologum Gregorium in sermone de Pentecoste. Nisi enim, ut dictum est, personalis ordinis ratio cogeret, secundum quem, ut se ad invicem habent distributione processuum constat, nihil prohiberet etiam sine Spiritu intelligi Filium. Nam juxta unitatem essentiæ, neque habitus, neque discretio personarum est. Aut igitur una persona esset Filius et Spiritus, aut nullatenus ad invicem se haberent. Quæ enim nihil ad se invicem habent, nihil necesse est, dum alterum intelligitur, et reliquum simul intelligi.

Cæterum, sicut cum Patrem cogitamus, et Filius necessario subsequitur, cum hic ex eo substantiam ceperit, ille dederit, atque hinc simul et causa et causale intelligitur : ita etiam, dum cogitatur Filius, quoniam simul et Spiritum cogitare necessario cogimur, omnino ordinis atque ad invicem habitus ratio causa est, per quam ex Patre per Filium esse Spiritus habet : et secundum quam ex primo per medium et esse, et procedere a theologis asseritur, atque ad invicem et discernuntur, et referuntur.

Verum enimvero ipsa quoque a sanctis Patribus de sancta Trinitate nobis tradita exempla, vel similitudines, prædictum divinarum personarum ordinem consubstantialitatemque commendant. Denique et Gregorius eximius in suis theologicis sermonibus ait : « Oculum et fontem, fluviumque animadvertimus, » oculum quidem, in imagine Patris accipiens, fontem autem, Filii; fluvium vero sancto Spiritui assignans. Sicut igitur in tribus his ordo inspicitur, secundum quem aliquid sine medio ex primo per medium, ac per fontem fluvius, non quasi per instrumentum prodiens, per ipsum substantiam habet, et una quidem res eademque substantia illis inest; aqua enim sunt, ordine vero substantiæ ab invicem differunt : parili modo, præsupposita una in sancta Trinitate essentia, tertia persona ex prima, per mediam naturaliter atque essentialiter substantiam habet : unde et per illam procedere dicitur.

Hoc et Joannes Damascenus, de Spiritu concinens, ait (16) : « Tu namque fluvius Deitatis ex Patre per Filium procedens. » Idem etiam Theologus : « Solem, inquit, animadverti, radium et lucem. » Sicut ergo lux ex sole per medium substantiam habet, naturaliter scilicet atque essentialiter. Consubstantialis enim est radio, sine quo lux profecto non esset : ita et de sancto Spiritu dicendum, qui ex Patre per Filium procedere a theologis conceditur.

His consentientia et Damascenus in suis theologicis capitulis loquitur dicens (17) : « Spiritus per Filium tanquam ex sole radius : per radium vero nobis fulgor traditur. » Prorsus vero nunquam per Patris radium, Filium videlicet, fulgor Spiritus daretur, nisi per ipsum naturaliter haberet esse; alias quippe per instrumentum esset.

Idem præterea Theologus : « Individua, si breviter dicendum sit, in dividuis deitas est, ac velut in tribus solibus contiguis, una est lucis contempera-

(16) Gennad. sect. 3 hoc Theophani attribuit.

(17) Gennad. sect. 3 citat capitul. 38 theolog. Damasceni.

Digitized by Google

tio. » Si igitur se invicem continere hoc est, tertium ex primo per medium esse; aliter quippe non esset Trinitas Deus, neque individua Deitas; una enim est luminis contemperatio liquet profecto : una cum consubstantialitate etiam personarum servari *ordinem*, secundum quem tertia est ex prima per mediam.

Nyssenus etiam in libro *De sancto Spiritu contra Macedonianos*, incommutabilem personarum divinarum secundum essentiam ordinemque illarum ad invicem tradens, eosque insimulans, qui propter personalem ordinem, filiique mediationem, imminutionem introducere auderent, addidit : « Veluti si quis in tribus luminibus divisam intuens flammam; causam vero tertii luminis primam flammam esse supponamus; quæ ex distributione per medium supremum intenderit. Deinde, in prima flamma calorem abundare parat; in sequenti vero decrescere, eamque immutationem in minus vergere; tertiam ne ignem quidem jam dici, etiamsi similiter ardeat, et luceat, et cuncta quæ sunt ignis operetur. »

Et ex hoc igitur exemplo liquet, tertium ex primo per medium essentialiter esse habere. Ex distributione enim medii supremum incendi dictum est; atque una quidem flammæ substantia est; non tamen, quod secundum substantiam est in ullo trium minus inspicitur.

Summus etiam Chrysostomus in psalmo XCIII : « Fontem quidem appellat Patrem, flumen autem Filium, aquam vero fluminis Spiritum sanctum, » testimonium assumens Domini, qui ait : *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum* [13]. Quod exponens Evangelista, *Hoc autem*, inquit, *dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum* [14]. Sicut ergo aqua fontis per fluvium natura *inter manans*, per ipsum substantiam habet, atque cum ordine una et eadem aquæ substantia, quantum *in humanis* fragilibusque rebus possibile est, *apparere* cernitur, ita et de Filio ac sancto Spiritu dicendum.

Alii autem sanctorum Patrum ignem, flammam et *lucem*, in imagine Trinitatis assumpserunt, ex quibus eadem colligere licet. Beatus item Cyrillus, in *Thesauris* suis, radicem, ramum fructumque pro similitudine sumpsit; atque Patrem rosam, florem Filium, odorisque fragrantiam Spiritum sanctum appellavit; Filiique Spiritum ita esse dixit, quasi vaporem ex aqua, ac veluti qualitatem ejus. Sicut igitur fructus ex radice per ramum naturaliter prodiens, substantiam ex radice per ramum accipit, non ex radice, sine medio; sublata vero rami mediatione, fructus constare non poterit, atque una et naturalis qualitas et ordo elucet; itidem et de sancto Spiritu dicendum, in quantum exempli permittit infirmitas.

Beatus idem Cyrillus in *Thesauris* ait : « Christus Judæos alloquens, *Si autem*, inquit, *in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei* [15]. Digitum hoc in loco Spiritum sanctum ait, quodammodo divina essentia exortum, atque ex ea naturaliter pendentem, sicut et digitus ex humana pendet manu. Brachium quippe Dei, et dexteram, Filium sacræ Litteræ appellant, ut est illud : *Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus* [16]. Ac rursum : *Domine, excelsum est brachium tuum, et nescierunt : scientes autem confundentur* [17]. Sicut ergo brachium naturaliter toti corpori coaptatum est, cuncta operans, quæque menti visa fuerint, ungit autem, consuete digito ad hoc utens; ita et Verbum Dei ex ipso, et in ipso naturaliter atque essentialiter coaptatum, ut ita dixerim, atque exortum cogitamus : in Filio autem naturaliter item, et essentialiter penetrantem a Patre Spiritum sanctum, per quem omnia inungens sanctificat. Non igitur alienus ac remotus a divina essentia videtur Spiritus sanctus, sed in ipsa, atque ex ipsa naturaliter est : sicut neque a corpore digitus ipsi manui ingenitus atque una exortus. Et manus rursum in corpore non alterius, quam ipsius substantiæ exsistens. »

Hoc in loco per Scripturæ imaginem Ecclesiæ magister ostendit, et personarum ordinem, quo ex invicem pendent, puta manus corpori, digitus autem manui vel brachio cohærent : secundum quem ordinem etiam tertius ex primo per medium est, quemadmodum et digitus, naturali ad se connexione, et substantia, ac virtute pertingente per brachium. Sicut et magnus ait Basilius, naturalem bonitatem regiamque dignitatem ex Patre per Unigenitum ad Spiritum pertingere. Neque hoc solum, sed et omnia ex Patre per Filium in sancto Spiritu et producta esse, et constare, theologia docuit. Ipsum ergo personarum ordinem doctor ostendit, earumque consubstantiale hinc necessario insinuavit. Una enim est corporis, et brachii, et digiti naturalis essentialisque substantia : quamvis neque manus sit digitus, neque digitus manus, quia neque manus per digitum corpori coaptata est. Quocirca ostenso etiam per hanc imaginem personarum ad se invicem ordine, consubstantiale protinus addidit : Non igitur, inquit, alienus neque remotus a divina essentia est Spiritus sanctus. »

Certe et beatus Augustinus, quem summum et excellentissimum doctorem universales synodi prædicaverunt, sicut ex gestis synodalibus constat, humanam mentem pro Patre in imagine sumit; Verbum autem, quod insitum atque intimum dicitur, pro Filio; qui et apud Joannem evangelistam Dei Verbum dictus est : Patrisque definitio, et Verbum, et germen et voluntas et signaculum a Gregorio Theologo appellatus est secundum quam maxime imaginem in homine Dei imago servetur.

[13] Joan. IV, 13. [14] Joan. VII, 39. [15] Luc. II, 19, 20. [16] Psal. XCVII, 1. [17] Psal. XLIII, 4.

Digitized by Google

Voluntatem vero quæ naturaliter omnibus rationalibus et intellectualibus inest, divino Spiritui assignat, partim quidem ex divinis Litteris, exempli hujus occasiones sumens, partim, quia intellectualis, et rationalis, ac volens Deus et dicitur et est. Neque enim ratione et voluntate prædita unquam protulisset, nisi hæc prius in se longe excellentissime haberet.

Quemadmodum vero Patris definitio, et Verbum insitum, essentiale ac substantiale est : ita et hujusmodi voluntas est, secundum quam Deus seipsum vult, sicut et secundum Verbum suum, seipsum intelligit. Nullum enim est in Deo accidens. Verbum igitur sine medio ex mente : voluntas autem ex mente per Verbum est. Impossibile est enim quemlibet quodlibet aut quomodolibet velle, nisi prius cogitaverit quid velit. Itaque voluntas per verbum et ex verbo procedit. Ideo et bruta animalia, quia verbo et ratione carent, neque volunt, neque velle dicuntur, sed naturali motu irrationabiliter ferri. Quoniam igitur verbum ad mentem refertur, voluntasque necessario ex mente per verbum prodit, quod propositum erat, hinc etiam ostensum est.

Atque exempla quidem, quæ sancti assumunt hujusmodi sunt. Sicut autem fluvius (18) non est sine medio ex oculo, neque lux esse aliter posset, nisi ex sole per radium, neque viva aqua ex fonte sine medio, sed per fluvium manat, neque fructus ex radice sine rami medio. Hoc enim rerum ordinem ac substantiæ processum confundit et perimit. In his, et in cæteris quæ proposuimus, exemplis eadem profecto ratione et sanctus Spiritus rationabiliter ex Patre sine medio non dicitur. Tertius enim a Patre secundum personalem ordinem ponitur, atque per Filium esse ac procedere a theologis asseveratur. Dicere autem ex Patre sine medio esse Spiritum sanctum eorum est, qui unam lucis contemperantiam dividunt; quodque dicitur, tres personas se invicem continere, catenæque Trinitatem assimilari, ac cætera hujusmodi exempla : quæ quadam rectitudine ordinem in sancta Trinitate intelligi volunt, neque enim aliter constaret; omnino negant omnia, atque a Filio Spiritum juxta trianguli positionem dirimunt cujus latera in base a se disterminantur. Sed hoc prædictum pervertit ordinem; et quæ de hoc a sanctis Patribus dicuntur, aufert omnia. Ita enim cogitare licebit, sectionem ac divisionem Filii et Spiritus, ac Filium cogitare sine Spiritu ; et cum Filium dicemus, neque invicem contineri : et contraria omnino sequentur omnia his quæ a sanctis dicta sunt; sed id sane ineptum, insulsum atque impium.

Ne tamen id quempiam conturbet, nullus, quæ in materia contingunt, Deo tribuit. Localia quippe temporaliaque intervalla, et quæ fluxui ac mortalitati sunt obnoxia, materiæ relinquimus. Si quid autem perfectionis, atque ad Creatorem similitudinis in eis est, id Deo longe dignius ascribimus. Hinc enim consubstantiale divinarum personarum, ordinemque ad invicem earum clam tollimus, sicut in fonte, et fluvio, et viva aqua habet. Hinc ordinis immobile, nullatenus personalibus proprietatibus motis; neque enim fontis oculus, fons dicitur; neque fons, fluvius. Neque rursus sol, radius vocatur ; neque radius ea quæ per hunc manat atque diffunditur lux, cum et ipse certe sit lux. Servandi tamen ordinis causa, singula singulis nomina distributa et separata sunt. Sicut neque Pater Filius est, neque Filius Pater, neque Spiritus sanctus Pater aut Filius.

Atque aliunde quidem personarum unio insinuatur. Basilius quippe eximius iridis exemplo usus est. In qua, cum unitio discretioque colorum suaviter et modice appareat, non tamen processus ulla in his ratio inspicitur. Aliunde autem processus cum ordine differentia colligitur, vel plura esse ex uno, alia esse ex alio, in unam aliquam veritatis similitudinem phantasia coHigente. Oportet enim nos, quandiu in umbris et ænigmatibus vivimus, his rebus, quæ nobis notiores sunt, veluti quibusdam adminiculis ad Deum niti : credentes quidem principaliter ac necessario, his quæ inde manant, sententiis; consolationem vero etiam ex his quæ videntur, quantum licet, capientes, quantumque creaturæ in se ipsis creatorem exiliter insinuare possunt: visibiliaque invisibilem vehicula quædam ad primam veritatem exhibentia.

Unde et Gregorius Theologus ait : « Nihil est quod mihi animam sistat inspicienti in exemplis id, quod imaginari et conspicari pergo, » nisi quis unum aliquid sumens præ gratitudine projiciat reliqua. Si enim propter illa, quæ materiam atque universaliter creata sequuntur : neque essentiæ identitatem, neque ordinem, ex his quæ dicta sunt, exemplis in Deo æquabili proportione sumemus: nequaquam dicere quispiam poterit, nihil hæc nobis exempla prodesse, quasi frustra a sanctis fuerint ac sine certa ratione suscepta.

Sic igitur divinæ Trinitatis ordine, Filique medio, multipliciter a sanctissimæ Ecclesiæ magistris roborato, constat, quia, si qui sanctorum usquam dixere geminum radium, ac gemina lumina Patris, Filium, ac Spiritum : ramumque duplicem, ac secunda Patris, id quod a Gregorio Theologo quidam versibus dictum referunt, non adversantur his quæ dicta sunt, neque sibi ipsis, neque invicem contraria sunt. Neque enim illi divinarum personarum ad invicem ordinem, earumque processum tradere instituebant, cum ista dicerent, sed simpliciter tres tantum esse personas, causaliaque a Patre esse Filium et Spiritum sanctum, causamque unde cuncta manarint. Per hæc enim indicant omnia ad Patrem referri. Namque sub *causalis* definitio-

(18) Ita habet ms.

Digitized by Google

nem, utraque deducunt juxta priorem discretionem.

Quod et Nyssenus fecit Gregorius, unum Deum in causam et causale discernens, sive in causam, et quod ex causa. Deinde subjiciens, ejusque, quod ex causa est, aliam rursus differentiam intelligentia assequimur. Alterum enim continenter; alterum vero per eum ipsum qui continenter, atque alterum genitum, procedens alterum, et si quid hujusmodi perfecte discernentibus dictum est. Juxta quam sane rationem, et qui secunda Patris dixit Filium, et Spiritum sanctum id solum significare voluit, a Patre ista causalia esse, utraque sub causalis includens definitione. Nam juxta quod causalia sunt, secunda etiam causæ juxta personalem ordinem communiter dici possunt.

Sed enim hic ipse in aliis ista perfectius distinguens, ait emanationis habitusque ad invicem differentiam, appellationem quoque fecisse differentem. Rursumque in versibus ait : « Unum esse Deum ex Patre per Filium in sanctum Spiritum, manente Deitate perfecta in tribus perfectis. » Ne id quidem, quod ait Damascenus (19), Spiritum sanctum medium esse ingeniti et geniti, prædicto reluctatur ordini. Neque enim per hoc ille personarum ordinem substantialemque processum tradere intendit.

Cæterum cum hæretici consubstantialem Patri Filium vix confiterentur, Spiritum autem sanctum hoc honore ac dignitate penitus non dignarentur, sancti Patres hunc Deum verum ex Deo vero esse, atque ex Deo secundum Scripturas procedere scientes, non secundum nativitatis progressum, sed secundum processum : Est, aiebant, quidam etiam alius substantiæ modus, processus scilicet, secundum quem alia persona ex Deo prodit; et hic est, quo procedit Spiritus sanctus ejusdem essentiæ cum Patre et Filio; qui, neque ingenitus, neque sine causa [principio] : non enim Pater est; neque rursum genitus, quia nec Filius, juxta scilicet nativitatis processionem. Idcirco medium ingeniti et geniti Spiritum sanctum doctor (20) hic dixit. Ubicunque enim tribus terminis positis, tertius ab utroque reliquorum denegatur, secundum dialecticæ consuetudinem medius in aliorum negatione esse cernitur. Si enim Spiritum a Patre secundum esse putavisset (21), nunquam ipsum ibidem per Filium Patri conjungi dixisset. Hoc enim quorumdam malignitatem arguit, magistrumque sibi ipsi atque aliis consentire evidenter ostendit. Ne hoc quidem unquam dixisset, Spiritum sanctum ex Patre per Filium procedere, Patremque productorem Spiritus per Verbum esse. Hæc enim apertissime sibi invicem contraria sunt.

Si quis tamen processum per Filium Spiritus, A consubstantiale significare velle asseveret, primum quidem secundum consubstantiale nullus in Deo personarum ordo est. Nam ea ratione, qua consubstantiales sunt, una res est divina essentia individua omnino et indiscreta. Consubstantiale autem, nullam prorsus discretionem introducit. Juxta vero processus rationem, atque eum qui inde sequitur, ordinem, personarum numerus invectus et admissus est. Itaque qui consubstantialis ratione dictum putat, ex Patre per Filium Spiritum procedere, unicam illam essentiam, causam discretionis ponit, quod proprie Arianorum est; atque omissa discretione personali, tres essentias ab invicem divisas necesario fatebitur, ac præter B omnem rationem causale quasi causam ponet. Quippe hujusmodi processio naturalis atque essentialis cum sit, quæ producuntur consubstantialia sibi invicem ostendit.

Deinde, etsi consubstantiale signari his verbis veraciter dicitur, principaliter tamen personarum ordo commendatur. *Per*, enim, particula, ut ait Basilius ad Amphilochium scribens, personas primo discernit. Consequenter autem etiam consubstantiale introducit. Sicut enim Filius, quia ex Patre est, idcirco etiam illi consubstantialis est : ita et in sancto Spiritu, dum ex Patre per Filium naturaliter atque essentialiter a theologis asseritur, primo, hæc per Filium processio ejusque discretio insinuatur; deinde etiam consubstantialitatis apparet ratio. Naturalis quippe et essentialis C ista processio esse pro confesso habetur. Unde et magnus Basilius in lib. *Contra Sabellium, et Anomœos*, cujus initium est : *Adversatur gentilitati Judaismus*, « Patrem et Filium, inquit, confitemur, naturæ autem identitate quoniam ex Patre Filius est; itidem igitur et in Filio et sancto Spiritu dicendum. » Qui enim æquali causa prodiit, hoc est naturaliter atque essentialiter, constat, quia ejusdem etiam naturæ cum producente, et cum eo, per quem procedit, est.

Quanquam etiam juxta proposita exempla, si quis ea etiam consubstantiale tantummodo indicare arbitratur cum consequente processuum ordine, D consubstantialitatis quoque rationem introducit. Nam, cum unitatem in Trinitate, et Trinitatem in unitate credere summa fidei nostræ sit, hæc per omnia, quæ a magistris dicta sunt, simul inferuntur, ac se invicem tenent, ut, qui alterum confessi fuerint, et reliquum etiam confiteantur. Et sic principaliter ordo, consequenter autem consubstantialitas, ut dictum est, in personis lucide apparet.

Constat autem ex his quæ dicta sunt, eos qui per Filium procedere ita intelligi volunt, exemplis suis utentes, ut lux per vitrum, aut aerem, vel,

(19) Damasc. l. II *Fide orthod.* c. 18.
(20) Damascenus.
(21) Hoc est, esse existimasset secundum.

Digitized by Google

sicut aqua per canalem, aut homo per januam, A contraria omnino fidei confessioni ac sanctis Patribus sentire. Illi enim per Filium essentialiter procedere affirmant. Isti autem, essentialiter quod dicitur, et naturaliter, per ea quæ afferunt, tollunt. Neque enim naturaliter atque essentialiter, vel aqua per canalem prodit, vel homo per januam, vel per aerem, aut vitrum etiam lux. Quinimo neque ordinem ista divinarum personarum subinsinuant, neque processum. Sunt enim alterius omnino substantiæ, qui in exemplis assumuntur, nullusque in eis processus naturalis inspicitur.

Quocirca neque lux per aerem proprie, sed in aere dicenda est. Sanctus autem Spiritus et in Filio est, et per Filium prodit. Non igitur istiusmodi B exempla, vel divinarum personarum ordinem, vel consubstantialitatem indicant. Imo, si quidem eis fidem habere voluerimus, ministrationis officium Filio attribuemus, sic, ut etiam proportionis ratione ministri impleat munus. Verum hoc et ineptum est, et impium. Ea igitur, quandoquidem in ipsis nulla unitatis ratio, nullus ordo est, ut noxia, nihilque ad id quod proposuimus, accommodata rejiciantur : idque ideo maxime, quoniam eis nullus sanctorum usus est. Et illud autem simul apparet, Spiritum sanctum, non quia per Filium datur et mittitur, ideo etiam per Filium procedere asseverari. Dari enim, quod dicitur, temporale est; procedere autem, æternum. Neque possibile est, quod temporale sit, id ejus, quod C supra tempus est, causam esse. Itaque secundum substantialem processum suum ex Patre per Filium procedere sanctus Spiritus asseritur; substantia quippe, sicut et processio, æterna est.

Illud autem una insinuatur, illum a Filio idcirco dari et mitti, quia, secundum substantialem processum suum, etiam per ipsum est. Ut enim contra Arium scribens magnus Athanasius inquit : « A quo dari oportebat Spiritum nisi ab ipso, cujus est? Alias quippe minister esset Filius, si quod non per se naturaliter procederet, dare diceretur. » Simul etiam fateri cogeremur, Filio et Spiritui sancto temporaliter aliquid accidere : illi scilicet, dare, huic dari.

Porro id, quo posito, ineptia simul et mendacium sequitur, ineptum sit et mendax necesse est. Ex quo liquet non esse geminum processum Spiritus; temporalem alterum alterum, sine tempore. Primum quidem, quia nullus sanctorum Patrum hoc dixit; deinde, quia, si id concedatur, inepta et indigna plurima emergent. Sed unicus sane processus atque æternus est, secundam quem ex Patre per Filium sanctus procedit Spiritus. Creaturis autem quæ aptæ ac dignæ fuerint, ad hujusmodi processus capiendam notionem atque illustrationem, prodire, ac lucere, et profundi, ac dari per Filium dicitur, atque tunc, quod in seipso æternum est, illis temporaliter contingit. Unus enim omnino ac semper hic processus est. Deo enim nihil unquam novum accidit per summam illius simplicitatem atque perfectionem. Creaturis vero, idem temporalis et apparet, et dicitur; non, quod illi tempus adjiciatur, sed illis potius, quæ secundum tempus agnoscunt, atque suscipiunt.

Itaque secundum id quidem, quod dicitur : « Ex quo, » unicus est; secundum autem, quod dicitur : « In quod, » geminus est hujusmodi processus. Unice enim ac singulariter procedit ex Patre per Filium procedens velut ex uno principio, secundum unicum illum ac simplicem processum suum procedere dicatur; adjecta tamen creatura, ad quam sanctificandam procedere dicitur, tunc is qui ex Patre per Filium procedit, ex Patre, etiam per Filium mitti atque donari intelligitur. Atque ille totus ex Patre per Filium sancti Spiritus processus ad creaturam, missio vocatur, quæ in tempore fit propter creaturam, quæ temporali sui participatione fruitur, temporali illo spatio non Deo, sed nobis applicato. Et est unus quidem, sed ratione differens. Neque enim, quia temporaliter accipimus nos, ideo temporale aliquid in Deo dicere debemus, imbecillitatem conditionis nostræ illi applicantes. Neque, si quis hactenus cæcus, nunc primum respicere ac solis radiis cœpit frui : ideo etiam vel ex sole radius, vel ex radio lux nunc manare cœpit. Constat quippe et antequam cæcus aspiceret, soli et radium et lucem similiter adfuisse, radiumque similiter perstrinxisse fulgore oculos.

Quocirca etiam mirabilium patrator Gregorius, in libro, cujus initium est : *Inimicissimi atque alieni ab apostolica confessione*, processionem hanc emissionem sempiternam appellavit. Atqui huic nunquam esset temporalis æternitas. Ait denique : « Ingenitus quidem Pater cum sit, genitus autem ex Patre Filius, sanctusque Spiritus ex Patris essentia sempiterne per Filium emissus. »

Sed et theologus Gregorius, in libro quem ad Heronem philosophum scripsit, emissionem sancti Spiritus propriam dixit; temporale autem nunquam esse poterit sancti Spiritus proprium. Certe D enim si, quoniam a Filio datur et mittitur, idcirco etiam per eum procedere dicitur, nostri igitur causa substantiam habet, secundum quam ex Patre per Filium est. Sed et quem introducunt temporalem, sequitur ut et ipse propter nos substantiam habeat. Quod si datur, erat utique, quando non erat; rursumque cum fuerit, esse desistet. Sed hæc impia sunt. Non ergo, quod proponitur, verum est. Præterea et eximius Basilius in lib. IV *Quæstionum* ait : « Non in tempore, quod prodiit ex Deo, prodit, etsi in tempore efficax illius actio reddatur, » mentionem scilicet de sancto Spiritu faciens.

Quoniam igitur Spiritus sanctus ex Patre per

Digitized by Google

Filium naturaliter, et essentialiter, et æterne procedere a theologis asseritur, quod autem procedere dicitur, processus ratione illum habere substantiam indicat, sicut etiam gigni, Filium nativitatis ratione subsistere; omne autem, quod per aliquod essentialiter substantiam habet, ex illo etiam est: constat profecto, Spiritum sanctum ex Filio esse atque procedere. Aut enim quod dicitur, *per*, nihil in sancti Spiritus processione commendat, aut commendat quidem, sed imperfectum aliquid, aut instrumenti implet vicem, aut, sicut per locum, aut tempus, aut certe per Filium naturaliter, et processus ratione, atque essentialiter procedere Spiritum sanctum secundum proprium modum substantiæ commendat. Sed cum cætera in sancta, atque supersubstantiali, et simplici Trinitate nusquam locum habeant, omnino necessario relinquitur, ut dicamus, *per*, a sanctis Patribus non frustra insertum, atque id una commendare, quod ex Patre per Filium substantialiter juxta unam eamdemque processionem procedit Spiritus sanctus. Prorsus enim, *per*, in quibus assumitur, præcedenti causæ concurrit ad eamdem efficientiam, quam illa spectat. Atque hoc late patet singula inspicientibus.

Nam cum fructus ex radice per ramum prodeat, ramus juxta seminalem naturæ rationem, quæ in radice est ad efficientiam processus fructuum cum radice contendit. Atque in prædictis omnibus exemplis, qui ingenium exercere voluerit, idem apparere perspiciet. Sed in his quoque, in quibus ars operatur, serra, verbi gratia, per quam faber gradum ligneum facit, ad illum, non ad alterius generis effectum artifici cooperatur. Neque enim illi ad calefaciendum sive dealbandum cooperabitur, idque per quod trahitur machina, trahenti ad pertractionem oneris cooperabitur.

Ac si quidem serra homo esset, sicut et faber, et idem homo, quemadmodum in Patre et Filio idem est Deus, secaret et ipsa, sicut et faber: quodque per serram fieret, idem esset, quod a serra fieret. Si autem in quibus est natura differens, ea per quæ aliquid fit, cooperantur his qui se primo movent, ac pro modo suo una causa fiunt: vel sicut instrumenta, vel alias quomodolibet juvantia atque conferentia: multo magis in Patre et Filio, ubi perfecta identitas atque incommutabilitas et Filii ad Patrem; et, æqua Deitas secundum eamdem, et unicam sancti Spiritus ex Patre per Filium substantialem processionem, ipse Filius communicabit Patri, non instrumentaliter seu serviliter, sed essentialiter, atque naturaliter, utpote naturalis ei quæ substantialiter insita illi est virtus. Nam si in his quæ minora sunt, per eamdem atque unicam cum Patre vim etiam Filio reddere creditur, in quibus utique substantiæ est infinita varietas, multo magis in sancto Spiritu, qui ejusdem cum Patre et Filio naturæ atque essentiæ est. At id, quod dicitur, per Filium omnia producta esse, et Filium unam cum Patre causam, unumque conditorem commendat. Itaque longe magis, quod dicitur per Filium procedere, ipsum quoque Filium unum cum Patre productorem esse, necessario fateri coget: eoque magis, quo et per Verbum productor Spiritus dicitur. Nam si Pater solus productor esset, ac producere illi substantiale esset, non productor per Verbum dictus fuisset. Quæ enim substantialia personarum sunt, communia cæteris esse non possunt. Exempli causa, si pater per aliquem pater esset, paternitas illius substantiale esse non posset. Sed de his postea dicetur.

Nunc Cyrillus admirabilis auctoritate sua, quod proposuimus, roboret. Is enim in secundo ad Herminm libro, sic ait:

« Sanctum autem Spiritum dices, qui ex Deo Patre per Filium naturaliter profunditur, ac, sicut in figura respirationis oris nostri suam nobis substantiam indicat. »

Si igitur figura respirationis oris nostri pro exemplo sumpta est, quod per Filium Spiritus procedat: os enim Patris Filium sancti Patres esse aiunt; vel etiam propter insufflationis illius significationem, quando insufflans Spiritum sanctum discipulis Dominus dedit: sicut in consequentibus monstrabitur; hoc autem propriam nobis substantiam significat: constat, quia, sive per Filium procedere dixerimus, sive insufflationis figuram susceperimus, ex utroque horum Spiritus substantiam, tam præcipuo doctore tradente docemur. Sin autem ista vero consentientibus initiis fidei, doctoribusque sacris, et omnibus ita attestantibus, verumque omnino comprobatur, quod per aliquod substantiam habeat, id etiam ex ipso esse, liquet profecto, nisi quis omnino impudens esse velit, Spiritum sanctum ex Filio esse: quandoquidem per ipsum substantiam habet, ac per ipsum procedit.

Cæterum nos ex sanctis Patribus apertius docebimus, *per*, et *ex*, in divinis rebus tantumdem valere, qui ista in his indifferenter accipere, ut pium, monuerunt: aliter autem intelligere, hæreticæ malignitatis esse docuerunt. Hi enim præpositionum differentia, differentes etiam naturas in sancta Trinitate subintroducere moliebantur. Ait enim præclarus Basilius in his, quæ ad Amphilochium scripsit: « Non solum in divinis Litteris usus vocum immutantur, sed jam aliæ pro aliarum significatione ponuntur sæpius, atque ex sua in alienam transeunt. Denique in his particulis, *per*, et *ex*, altera alterius sæpe significationem sumit, ut est illud: *Possedi hominem per Deum* [18], quod idem est, ac si dixisset, *ex Deo*. Atque alibi: *Quæcunque mandavit Moyses Israeli per præceptum Domini* [19]. Ac rursum: *Nonne per Deum est horum declaratio?*

[18] Gen. IV, 1. [19] Exod. XL, 23.

Digitized by Google

Per Deum, dixit, pro eo quod est, *ex* Deo. » Et hæc quidem Basilius.

Sanctus autem Cyrillus in quinto ad Hermiam ait : « Quid autem ? Nonne credendum est dicenti : *Ego sum via, veritas et vita* [20] ? qui cum ita aperte, ac singulariter seipsum vitam esse dicat, nonne Patrem ac Deum hoc ipsum munere excludere videbimur, nisi ambos unius esse naturæ dederimus, ac per utrumque in nos æqualiter vitam manare, idque non quasi ex duobus, sed quasi ex uno omnia vivificante Deo. »

Idem in sexto ad Hermiam : « Quodcunque sane a Patre gestum fuerit, id omnino Filii efficientia est : et quodcunque dictum fuerit per Filium perfici, hoc prorsus Pater effecit : omnia enim per ambos æqualiter fiunt. »

Idem in quadam ad Nestorium epistola : « Quia ergo carne sumpta, et Filius hominis est appellatus, fateri necesse est, illum per carnem ex muliere genitum. » Et post pauca : « Verbum, quod ex Deo Patre est, ex sancta Virgine nascitur. » Itemque : « Natus est, secundum nos, ex muliere. » Item in sermone habito coram imperatore Theodosio, cujus initium est : *Humanæ gloriæ supremum fastigium* : Verbum, inquit, quod ex Deo Patre est, manifestatum est in carne. Natum est enim per sanctam Dei Genitricem virginem, forma servi assumpta. »

Sanctus item Joannes Damascenus : « Deum genuisti, mater sancta, incarnatum ex te. » Et rursum : « Per te, mater Virgo sancta, lux est orbi reddita. »

Ac rursum : « Ex te massam meam sumpsit. »

Sanctus Maximus in dialogis adversus Anomœum, « Mundis, inquit, munda sunt omnia. Namque apud nos juxta sacræ Scripturæ intentionem, *per quem*, idem est quod, *ex quo*. Denique dicit B. Paulus : *Fidelis Deus, per quem vocati estis in communionem Filii ejus* [21]. »

Divus autem Chrysostomus super Evangelium Joannis, cum exponeret, quod dicitur : *Omnia per ipsum facta sunt*, ait : « Verbum, *ex quo*, quod veluti solius Patris præcipuum ac singulare asseris, etiam de Filio Paulus loquens posuit : *Ex quo*, inquiens, *omne corpus per nexus et juncturas compactum et connexum crescit in augmentum Dei* [22]. Neque hoc solo contentus, aliunde quoque nobis ora obstruit, istud, *per quem*, quod imminutionis esse dicis, Patri assignans. *Fidelis* enim, inquit, *Deus est per quem vocati estis in communionem Filii ipsius*. Et rursum : *Per voluntatem Dei* [23]. Atque alio in loco. *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* [24]. Neque Filio solum attribuitur *ex quo*, sed et Spiritui sancto. Ait enim ad Joseph Angelus : *Ne timeas accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, ex Spiritu sancto est* [25]. »

Sanctus præterea Cyrillus ad Palladium scribens, per interrogationem ac responsionem, fere in principio libri, quem inscripsit, *De spirituali cultu*, ait : « Variabilis profecto Spiritus non est. Aut, si huic morbo variationis subditur, ad ipsam divinam naturam hæc macula reflectitur, siquidem Dei ac Patris est, quin etiam Filii, cum ex utroque essentialiter, scilicet ex Patre per Filium profundatur Spiritus. »

Neque sane multis verbis agendum est, ut ea exponantur, quæ sunt apertissima. Constat enim ex his, quæ dicta sunt, *per*, et *ex*, in divinis rebus tantumdem valere. Et quoniam Spiritus sanctus ex Patre per Filium procedit, ex Filio etiam procedit. Et illud simul constat, eos qui dicunt, *per*, et *ex*, tunc tantum æquivalere, cum in creatura assumuntur, ut illud : *Per Filium omnia facta sunt*, idem esse, ac si diceretur, ex Filio, in increatis autem negant, non recte arbitrari ; divus enim Cyrillus Spiritum Patris et Filii essentialiter ex utroque, videlicet ex Patre per Filium profundi declaravit. Liquet item, eum identidem putare ex utroque, Patre scilicet, et Filio Spiritum dicere, et ex Patre per Filium, ut dictum est. Sed et Basilius eximius in 5 c. ad Amphilochium particulam, *ex*, Filio congruere ostendens, illud allegat : *Ex meo accipiet* [26], atque illud : *Cognovi virtutem ex me exisse* [27]. Ipsique, cui contradicunt, gratiam et efficientiam increatam arbitrantes, per Filium, atque ex Filio procedere differenter confitentur. Et id præterea constat, eos qui, *per*, tantummodo Filio assignant, *ex*, auferentes, minorem Patre Filium necessario dicturos. Hoc quippe minutionis signum hæreticos sumere, Chrysostomus ait. Non igitur, *per*, sancto Spiritui reddere, ulla necessitas coget. Neque enim dictus est Filius ex Patre per Spiritum nasci, neque Filium ex Spiritu ratio qualiscunque dicere urgebit

Præterea, plurimis in locis opusculorum suorum sancti Patres, ex Filio esse sanctum Spiritum commendant. Ac primum Gregorius Theologus, in lib. *De Spiritu sancto*, a contrario rationem formans : « Quid ergo deest Spiritui, ne Filius sit ? nisi enim aliquid deesset, Filius profecto esset. » Hac autem objectione posita, protinus adjungit : « Non illi quippiam deesse dicimus. Deus quippe nullius egens est ; sed emanationis, ut ita dicam, habitusque ad invicem differentia, differentem illorum appellationem fecit. » Hunc autem Filii ad Spiritum sanctum habitum (22), atque e contra, Nyssenus etiam Gregorius, super oratione Domi-

[20] Joan. XIV, 6. [21] I Cor. I, 9. [22] Coloss. II, 19. [23] I Cor. I, 1. [24] Coloss. II, 16. [25] Matth. I, 20. [26] Joan. XVI, 14. [27] Luc. VIII, 64.

(22) Lege Bellarminum l. II *De Christo*, c. 25.

Digitized by Google

nica affirmat dicens : « Filius autem sancti Spiritus nec est, nec dicitur ; neque conversionem accipit habitus, ista consequentia. »

Quoniam igitur propter materiæ omnimodam amotionem, supremæque illius essentiæ identitatem atque incommutabilitatem, neque secundum majus, aut minus, primumve, aut postremum, neque secundum aliam ullam eminentiam ordo atque habitus in divinis personis a theologis accipitur : neque enim fas est, hujusmodi rebus locum ullum in Deo esse ; solum autem secundum relationem, causamque, et causale suscipitur, quemadmodum in Patre ac Filio, relatio et habitus et traditur, et creditur ; sed et in Patre ac Spiritu similiter, juxta scilicet traditam differentiam processuum, liquet, quia etiam traditus a sanctis Filii ac Spiritus ad invicem habitus, eadem ratione necessario redditur, ut aut Filium Spiritus, aut Spiritum Filii causam fateamur, maxime, quia, ut dictum est, divinas personas in sola causa causalique discerni deprehendimus. Alias enim ad alterutrum Filius ac Spiritus habitualiter non referrentur, neque traditus servaretur habitus. Atqui Filius sanctus Spiritus neque est, neque dicitur ; neque convertit habitus ista consequentia. Neque enim juxta expositum illius substantiæ processum ex Patre per Spiritum nascitur. Quocirca neque Filii causa Spiritus est.

Reliquum est igitur Filium sancti Spiritus fateri causam, quia dictus est ex Patre per Filium procedere, secundum scilicet substantialem illius processum : juxta quem et processus ratione, esse, habet, et ordo ad alterutrum, et habitus, ac per consequens discretio servatur. Unde merito dictum est, non converti habitus istam consequentiam, quandoquidem neque personarum processus ac substantia convertitur. Neque enim Filius ex Patre per Spiritum nascitur. Ex quo sane manifestum est, etiam ex Filio Dei procedere Spiritum sanctum.

Nyssenus præterea Gregorius in primo Quæstionum adversus Eunomium, circa finem, cum præmisisset, sola causæ ratione Patrem Filio præferri, addidit : « Idem et de sancto Spiritu nobis sentiendum. Solo quippe ordine differunt. Ut enim conjungitur Patri Filius, atque ex eo esse habens, substantiæ tamen ratione posterior non est : ita et Unigenito jungitur Spiritus sanctus, sola quippe causæ ratione præcipitur ac præfertur Filius substantiæ Spiritus. »

Deinde, ne quis ex hisce verbis prius atque posterius, localia etiam quædam ac temporalia intervalla Deo accidere arbitraretur, ex quo substantiæ indivisibile, atque identitas, singularitasque tolleretur, secutus adjunxit : « Temporales autem moræ in æterna vita, locum non habent, ut cum causæ ratio præferri dicatur, in nullo tamen sancta Trinitas sibi discors esse possit. »

Et quoniam præcogitari in sancta Trinitate quod dicitur, eorum est, in quibus cogitatio et habitus videlicet secundum personas est ; cogitatio autem et habitus, in quibus discretio est, esse solet ; discretio vero in sola causa, et causali est, atque accipitur ; colligitur jam, præcogitari quod dicitur, solum secundum causam et quod ex causa est, in sancta ac beatissima Trinitate a sanctis Patribus dici.

Hic, si quis rursum priora inferat ut quoniam scilicet Pater, et Pater et productor est, Paterque ad Filium continenter redditur : productor ad id, quod producitur, refertur, cum ex Patre Spiritus dicatur, Filium ante quam Patrem, cogitare compellimur, eo quod Patris nomen ad Filium redditur ; quippe mens nostra, quæ ad invicem relativa sunt, simul cogitare consuevit. Spiritus enim ex Patre, non secundum quod Pater, sed secundum quod productor est, dicitur. Spiritus enim juxta sanctum Maximum, Patrem non habet. Cum vero Spiritus ex productore dicitur, productum Spiritum ante Filium cogitare necessario cogimur, quod productoris nomen ad productum referatur ; per medium autem productorem, et Patrem simul, et Filium animo versare.

Si quis igitur hæc et hujusmodi de eo quod præcogitari dicitur, asserit, per quæ hæc habitum ac discretionem Filii et Spiritus, causamque, et quod ex causa est, una excludere nititur : hic necessario cogetur, aliquando quidem Spiritum ex Patre per Filium procedere fateri, aliquando vero Filium ex productore, per productum gigni. Imo id quidem aperte et dicunt, et scribunt. Nihil enim prohibere juxta ratiocinationem suam Patri etiam Filium præponere. Atque hac ratione, et per invicem et ex invicem erunt. Sed enim hoc et falsum, et blasphemum esse, supra jam declaratum est. Hac enim ratione : non quia Filius ex Patre est, idcirco ex Patre esse dicitur, neque quia Spiritus sanctus ex Patre per Filium procedit, secundum substantialem ejus æternumque processum, ideo ita procedere a theologis asseritur, sed quia dicitur, ideo se ita habet : dictioque nostra rei causa est, ac pro arbitrio dictionis ac phantasiæ nostræ, immobilis æternusque personarum ordo alias aliter habebit, simulque, ne discretio quidem Filii ac Spiritus reddetur. Sed ista sane et inepta simul et perniciosa sunt.

Quocirca etiam rectissime dicitur, ordinis istam novitatem substantiæ ipsius abolitionem esse, totiusque fidei abnegationem : æqualisque impietatis esse, Spiritum sanctum creaturam confiteri, eumque vel Patri aut Filio præponere, non solum tempore, sed ordine. Id quippe aufert, unde est, sublato vero, unde est, et quomodo est, simul auferetur, ac persona esse desinet. Deinde, quid dicturi sunt, cum Pater asseratur secundum causæ rationem ante Filium, mente concipi atque cogitari ? Hic enim ista illorum expositio locum non

Digitized by Google

habet. Ait enim doctor (23) : « Qua ratione Pater ante cogitatur, quam Filius, eadem ratione Filium ante Spiritum sanctum cogitari. » Atqui Pater causæ causalisque ratione ante Filium cogitatur. Præmissum est autem, et Filium ante Spiritum sanctum causæ ratione cogitari ante Spiritum, ea scilicet causa, quam ipse habet ad Spiritum, secundum quam procedit ex Patre per Filium ; non tamen secundum eam quam habet Pater ad Filium. Hoc enim mens humana non capit ; neque cogitari Filium ante Spiritum sanctum fas est, ut doctor ait. Quoniam igitur eadem omnino ratione præcogitatur ante Filium Pater; atque ante Spiritum Filius, constat, quoniam Filius Spiritus sancti causa est.

Sanctus item Athanasius, in lib. I *Contra Arianos*, post multa sic ait : « Dominus deitatem et majestatem suam discipulis ostendens, non jam seipsum minorem, sed majorem et æqualem esse significans, dabat quidem Spiritum sanctum et dicebat : *Ego ipsum mittam, et quæcunque audierit, loquetur* [28]. »

Et paucis interjectis, quonam modo Pater Filio sit major exponens ait : « Majorem se Patrem Dominus dixit, non magnitudine aliqua, vel tempore, sed quia ex ipso Patre natus est. » Sed et Damascenus in capitulo de sancta Trinitate, cujus initium est : *Credimus igitur in unum Deum*, « majorem Patrem Filio, causæ ratione, » ait. Si igitur ut dictum est, Pater Filio causæ ratione major est, sanctusque Athanasius majorem Spiritu Filium dixit, constat profecto, dum majorem dicit, causam illum esse sancti Spiritus significare voluisse. Sin autem et Pater Filio humanitatis assumptæ ratione major a quibusdam dictus est, Spiritus sanctus certe incarnatus non est, ut minor Filio susceptæ carnis gratia dicatur.

Etsi enim magnus Basilius in lib. IV *Contra Eunomium* quod dicitur majus secundum causam (24) in Patre renuere videtur : hujusmodi illic causam sanctus interdicit, quæ secundum tempus, aut magnitudinem, aut aliam quamlibet id genus excellentiam causale præcedat, sitque illo honorabilior, non tamen Patrem Filii esse principium negat ; constatque illum in primo adversus Eunomium, quod majus in Patre secundum causam dicitur, sicut in sancta Trinitate causa intelligenda est, omnino suscipere atque confiteri.

Ait autem et theologus Gregorius, « Volo Patrem majorem dicere, ex quo et æqualibus, ut sint æqualia, ipsumque esse est. Hæc enim omnes dabunt vereorque, ne principium minorum principium faciam, atque hac veluti honorifica prælatione, ipsum contumeliis afficiam. »

[28] Joan. xvi, 13.

Cum itaque pro confesso habeatur, causale ilh consubstantiale esse, ex quo est, profecto non recusabit præclarus doctor Patrem Filio majorem causæ ratione dicere, ad eos præsertim, qui majus quod dicitur pie suscipiunt, neque ex nominibus blasphemiæ occasiones aucupantur. Idcirco et D. Athanasius, cum dixisset Filium Spiritu majorem, etiam *æqualem* addidit, ut omnem aditum blasphemiæ obstrueret. Quoniam igitur major Filio Pater, Filiusque Spiritu causæ ratione dictus est, Filius ergo Spiritus sancti causa est, etsi Filii ac sancti Spiritus omnia ad Patrem refluant, ex quo illis et esse, et æquales esse, est.

Magnus præterea Basilius in lib. III *Quæstionum* (25), cujus initium est : *Vix tandem satiatus*. Illic enim Eunomio Spiritum sanctum natura tertium esse asserente, ipse ordine quidem tertium, et valde confitetur. Instat autem acriter contra id, quod natura tertius dicebatur, et addit : « Quæ enim urget necessitas, quandoquidem ordine ac dignitate tertius est Spiritus, natura quoque tertium fateri ? Dignitate enim secundum a Filio, cum ab ipso esse habeat, et ab ipso accipiat, et annuntiet nobis, atque omnino ex illa causa pendeat, pietatis ratio commendat. Natura autem tertium, neque ex sacris Litteris didicimus, neque ex his quæ dicta sunt, secundum rationem consequentiæ colligi potest. »

Hic apertissime summus vir Spiritum sanctum ex causa Filii pendere, ex ipsoque suspensum esse, atque ab ipso accipere et esse habere, ut pium et maxime religiosum probat. Hoc autem, si quis non esse Basilii contendat, adjectumque exemplaribus dicat, penitus delirat. Quippe in vetustissimis codicibus ita scriptum invenitur. Quos quidem codices pro antiquitate sua, antequam schisma oriretur, conscriptos esse, nullus ambigere omnino possit : quorum oblitterati nonnulli cernuntur : quibusdam hoc illius viri dictum quasi adulteratum suscipere nolentibus, ac ferro contra mutos apices impie utentibus.

Cæterum contextus ipse verborum, ipsaque allocutio, sibi ipsi et auditori congruit mirifice. Ex ipsis quoque istis sancti intentio satis quæ sit apparet. Ait enim eum a Filio secundum, hoc est, a Patre tertium ordinis ratione esse, quod ipsi etiam ex prædictis asseritur. Hoc igitur in loco causam apposuit, cur Spiritus a Filio secundus sit, quod scilicet ab illo esse habeat. Hoc enim enuntiationis species exigit, sicuti cum, verbi gratia, dicimus : Hic rationalem habens naturam, discit, idem enim est, ac si diceretur : Quia rationalem naturam habet, idcirco discit. Discere quippe *causale* est ; rationalem autem naturam, quod dicitur, quasi

(23) Basilius.

(24) Absolute non bene sonat, dicere Patrem Filio majorem ratione principii, quia nil majus in sacrosancta Trinitate, ut habet Symbolum S. Athanasii. Caleca tamen mentem suam satis bene explicat.

(25) I. III contra Eunomium. Vide Bellarminum I. II *De Christo*, c. 25.

Digitized by Google

pro causa sumitur. Nusquam enim est, ubi hujusmodi enuntiationis species non causam atque causale significet, cæterum vel quasi præteriens ponitur, vel quia præter hoc est et hoc. Verum in sancta Trinitate, cum nulla differentia alia nisi sola secundum causam relatio inspiciatur, propter summam simplicitatem : præteriensque quod dicitur et re, et verbo inde omnino auferetur hujusmodi enuntiationis species.

Hinc causam, inde causale secundo nobis loco a causa commendat (26). Secundo enim loco esse propter processum divinarum personarum in sancta Trinitate a theologis asseritur. Spiritus sancti autem ex Patre per Filium processum theologia tradit : per quem scilicet et secundus a Filio, et a Patre tertius dicitur. Horumque causa est ex Patre per Filium processus. Ubique autem causale causa saltem cogitatione præcedit. Atque ubi causale est, causam quoque esse necessario sequitur ; causa sublata, causale quoque protinus tollitur. Sanctus ergo vir, qui tertium a Patre confitetur Spiritum, atque a Filio secundum, juxta personalem ordinem, quique ordinis hujus insolentem novitatem, fidei abnegationem arbitratur, et quæque alia prædixit, qua ratione causale ponens, ut pium, deinde a Filio esse habere subjungens, eam quæ consequitur, causam, quasi alienam denegabit?

Nam, si secundum esse, causale est, hujus autem, quod esse habeat a Filio, et quod absolute per Filium procedat, causa subjicitur, causale vero nunquam sine causa est, quomodo non necessario cum causali causa quoque consequitur? Nam, si neque secundus a Filio est, neque a Patre tertius, nec a Filio quidem esse habebit. Quoniam vero et hic et plurimis aliis in locis, ipsum et secundum esse et tertium sanctus vir ponit, ac ne ipsi quidem contradicentes, quod dicitur secundus esse, cum cæteris non delent, necesse est ut causam quoque, cur secundus sit, quæ profecto est, quod ille esse habet ex Filio, magistrum posuisse fateantur.

Atque, sicut ipse in eisdem ait : « Sicuti Filius ordine quidem secundus a Patre est, quoniam ab ipso est, et dignitate, quoniam initium et causa sibi, ut esset, Pater est ; et ordine quidem, ac dignitate, secundum esse a Patre Filium, ut causale posuit ; causam vero, quod a Patre esset, ipsumque initium haberet et causam ; neque secundus ullo modo esset, nisi esse haberet a Patre ; parilem modum et in sancto Spiritu ponit. Neque enim esset secundus a Filio, hoc est, a Patre tertius, nisi ab illo haberet esse. Itaque vel secundum illum esse ordine, ac tertium una denegent, aut hoc necessario consentientes, et quod esse habeat ex Filio una fateri compelluntur. Nempe enim si ex Patre solo Spiritum sanctum esse credidisset, quid prohibebat dicere : Quia sicut Filius ordine ac dignitate secundus a Patre est, quoniam ab illo esse habet : ita et sanctus Spiritus ordine ac dignitate secundus itidem a Patre est. Hoc enim sibi et multum quidem ad propositum conferre poterat, cum illum ejusdem cum Patre essentiæ, Deumque verum esse commendare institueret.

Nam de Patre quidem nullus unquam hæreticorum fuit, quin æternum Deumque verum senserit. Contra autem de Filio plurimi sæpenumero senserunt. Verum hoc ille non dixit, cum divinarum personarum ad invicem ordinem processumque differentiam probe nosset; imo interdixit etiam, ut ex his quæ jam dicta sunt, evidenter os enditur.

Certe autem, si tertium a Patre esse Spiritum sanctum atque a Filio secundum, et a doctoribus cæteris, et a magno Basilio accepimus : id autem nunquam ita esset, nisi tertius esset ex primo per medium, hoc est, ex Patre per Filium procederet : quomodo id, quod præmisimus, non omni veritate fulcitur? videlicet propter substantialis processus personarum ad invicem apparere ordinem? Quomodo item non idem est, et per Filium procedere, quod dicitur, et a Filio esse habere, juxta sanctum Basilium, quod etiam causam esse posuit, ut a Filio secundus sit?

Quomodo autem et esse et procedere non idem intelligatur, siquidem, quod causam esse constat, ut a Filio Spiritus secundus sit, quod per Filium scilicet procedit, pro hoc ille eum a Filio esse habere dicere maluit? Quomodo item per Filium, et a Filio æquabiliter ponens non aperte significat, *ex*, et *per*, tantumdem in divinis valere? Neque enim quispiam ad tantum furoris et amentiæ prorumperet, ut in hoc loco, *a* et *ex*, particulas ab invicem significationis ratione dirimere tentaret.

Ex his igitur, quod dicitur a Filio esse habere, constat sancti viri textum esse. Quin imo et ex his, quæ calumniatores improbi, in hac clausula contra magistri fidem, et veritatem addunt, manifeste quidem sancti sensus elucet, ipsi vero per omnia malignitatis arguuntur, ut eorumdem sit pro voluntate, et delere et adjicere.

Nam præter id, quod in vetustissimis exemplaribus inferendam [forte intolerandam] protinus malignitatem et positione et forma litterarum postmodum adjectam esse, manifeste apparet, ait in subsequentibus sanctus : « Ut enim Filius ordine quidem secundus a Patre est, quoniam ab ipso est, et dignitate, quoniam initium illi et causa ut sit Pater est, et quia per ipsum accessus et adductio ad Deum et Patrem nobis est, natura vero non jam secundus, divinitas enim in utroque una : ita videlicet et Spiritus sanctus, etsi Filio concedit ordine, et dignitate non jam tamen quasi alienæ naturæ exsistens. » Ubi ergo ait : « Et si

(26) Basilius.

Digitized by Google

concedit Filio ordine aut dignitate, » addiderunt: « Omnino, et concedemus. » Ubi vero ait: «Tradit pietatis ratio?» ipsi cum adjectione legunt et dicunt: « Tradit fortasse pietatis ratio,» ut per hæc tertius esse quod dicitur ordine, et dignitate, omnino auferant, secundumque esse a Filio nullatenus concedant. Quomodo ergo ratio pietatis cum sit secundum esse a Filio Spiritum, id quod dicitur concedere Filio, secundum vero a Filio, tertium a Patre esse est, quem ordinem Dominus in salutaris traditione baptismatis tradidit, ut et hic et alibi vir iste eximius dixit, hanc esse rationem pietatis asseverans, deinde veluti cunctabundus et hæsitans, *fortassis*, adjecit? Quomodo, inquam, qui ordinis istam insolentem novitatem, abnegationem fidei esse definivit, nihil differre asserens, sive hunc utcunque quispiam immutet, sive ad creaturam Spiritum sanctum deducat, eosque fugiendos statuens, qui eam consequentiam, quam tradidit nobis Dominus, immutant, ut qui aperte oppugnent pietatem, ordinis Dominicam traditionem *pietatem* appellans; is repente mutata sententia, ista, quasi improbe dicta confutet: «Si omnino ista et concedemus,» inquiens? At id magni Basilii sapientiæ atque prudentiæ minime omnium convenit.

Sed enim nova illum hic et insueta voce, usum non esse, sed occasionem ex sacris Litteris cepisse, inde constat quod de seipso Dominus ait: *Quæ ego loquor* [30]; et, *Quæ audivi a Patre meo, annuntiavi vobis* [30]. At de sancto Spiritu: *Ille*, inquit, *me glorificabit, quia ex meo accipiet, et annuntiabit vobis* [31].

Porro Ecclesiæ magistri, ista ut acceperant, ita posuerunt. Denique sanctus Athanasius in Epist. ad Serapionem ita ait: « Et Filius quidem: *Quæ*, inquit, *audivi a Patre meo, hæc loquor in mundo* [32]. Spiritus autem ex Filio accipit: *Ex meo enim* inquit, *accipiet et annuntiabit vobis.*

Idem in tertio contra Arianos: «Non Spiritus Verbum conjungit Patri; sed hoc Spiritus a Filio potius accipit.» Ac rursum: «Quæque habet Spiritus, ea a Verbo accepta habet.»

Beatus item Cyrillus, cum illud evangelicum exponeret: *Ille me glorificabit*, «Illud ergo, inquit, irrefragabile omnino erit, omnique maledicto et accusatione vacabit, quod ab Unigenito Spiritus ejus accipere aliquid asscritur. Nam, cum per ipsum naturaliter prodeat, quasi suum proprium cum omnibus, quæ perfecte habet, quæ ejus sunt, accipere dicitur.»

Idem super illud: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt* [33], « Sed Spiritus iste proprius, inquit, est etiam Unigeniti; consubstantialis enim Patri est. Quoniam igitur, inquit, inesse Deo et Patri cernitur, hisqui digni sunt, in Spiritu suo revelari, efficereque etiam per ipsum, quæ voluerit, ob hanc causam dixit, *Quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.*» A Sanctus item Athanasius Antiochenus patriarchal in libro *De rectis Ecclesiæ dogmatibus*, « Spiritus, ait, sanctus, Spiritus veritatis est. Hic autem a Patre quidem procedit, a Filio autem accipit.»

Magnus item Basilius in Regulis ad monachos, sermone, qui incipit, *Dei clementissimi gratia*, « Credimus, inquit, unum solum Spiritum sanctum paracletum, Spiritum sanctum, in quo signati sumus, in nostram redemptionem, Spiritum veritatis, Spiritum adoptionis, in quo clamamus *Abba Pater*, qui dividit, et operatur Christi munera singulis ad utilitatem, prout vult, docens, atque admonens, et suggerens quæcunque audierit a Filio.» Constat igitur, quia quod dicitur: *Ex meo accipiet*, in Filio, doctores sancti susceperunt.

B Cæterum in creaturis quidem, quæ a Deo accipere dicuntur, quoniam per participationem, atque temporaliter, ut meliores evadant, quodlibet acceperint, dicuntur accipere, hoc in eis minus fuisse significat, quod acceperunt. Quanquam et imperfectioribus mortalium, quando ex imperfecto ad perfectum proficiunt, nihil prohibet, postquam nati *esse* acceperint, imo et necessarium est, ut dicantur et audire et accipere peritiam, sive artem, et quæque accepta perficere possunt.

Porro in sancta Trinitate, cum et materia et omnis affectio imperfecta ab ea penitus remotæ sint per summam ejus simplicitatem atque perfectionem, ineptum omnino est, putare, vel Filium C natum prius ignorasse Patris voluntatem, eamque postea, Patre tradente, didicisse, quasi postmodum essentiæ suæ scientia adjecta; vel Spiritum sanctum, Patris ac Filii scientia postea indiguisse, quasi sensim ac paulatim ad perfectionem evaserit.

Si autem Dei quidem Verbum Patris sapientia est, imo unus cum Patre Deus est, sanctusque Spiritus sapientiæ Spiritus cum sit, nihil unquam ab alio audire opus habet; hæc enim ab illa substantia prorsus aliena sunt, discretioque in personis divinis sola causæ causalisque ratione locum habet; liquet, Patrem, cum sine causa sit, idcirco ab alio neque accipere neque audire: Filium vero, cum non a seipso sit, sed initium habeat, Patrem, D non a seipso, sed a Patre, et loqui et audire dici; quippe cum inde et essentiam una, et sapientiam traxerit. Sanctum vero Spiritum cum a Filio et audire, et accipere dicatur, constat profecto, a quo accipit, inde etiam essentiam traxisse procedendo.

Sive igitur non accipit a Filio Spiritus, et Scripturam una atque doctorum voces eademus: neque jam ex ipso naturaliter, atque essentialiter procedere dicetur; sive ex ipso accipit, ut ipse Filius dixit; ita enim id dictum sancti Patres acceperunt; quæ autem accipit, et habet; quippe juxta Athanasii sententiam, « Quæque habet, a Filio

[30] Joan. XIV, 10. [30] Joan. XV, 15. [31] Joan. XVI, 14. [32] Joan. VIII, 26. [33] Joan. XVI, 15.

Digitized by Google

accepta habet; » quæ autem habet, hujus essentia est, atque totus ipse essentiam vere procedens habet, sicut et Filius hanc habet nascens : necessario a Filio accipiens, etiam ab ipso habet esse.

Ac sicuti divus Chrysostomus dictum evangelicum exponens : *Omne judicium dedit Filio*[84] : « Quoniam, inquit, quod ait, *dedit vitam*, et quod dixit, *judicium dedit*, idem est ac si dicat : Judicem illum genuit. » Eodem modo scilicet, et quod dicitur audire, et accipere, secundum differentes personarum processus, id commendat eum habere esse ab eo, a quo accipit. Nam si quod dicitur, *Dedit*, juxta Chrysostomum eum, ex causa esse significat, etiam accipere quod dicitur, idem significabit. Quod enim dat causa, id et causale accipit. Unde et divus Athanasius, ad Serapionem : *Accipiet* pro eo, quod est, *suscipiet*, exposuit dicens : « Atqui si Filii Spiritus est, et a Filio omnia suscipit Spiritus, ut ipse scilicet Dominus ait. » Ubi vero hoc ait Dominus? Illic profecto ubi dixit : *Ex meo accipiet*. Itaque si quod a Patre accipere dicitur Filius, ab eo nasci est, et quod a Filio suscipere Spiritus dicitur, hoc est a Patre per Filium procedere, et quoniam ejus quod annuntiare et suggerere dicitur, accipere causa est, accipere autem et audire a Filio habet, necessario audire et accipere idem in divinis rebus est : ac magno asserente Athanasio, quæcunque habet Spiritus, a Filio accepta habet; per id ergo, quod audit a Filio et accipit, totus ex toto esse demonstratur. Et quia non aliud est Pater, aliud totum Filius, sed unum est totum Pater, et Filius; una enim est essentia et Patris et Filii, quasi ab uno Spiritus accipit, servata semper differentia gignentis et geniti. Quocirca etiam a Filio habere esse dicitur, ac per Filium procedere.

Si igitur juxta Salvatoris sententiam ab ipso Spiritus audit et accipit, porro ab ipso audire et accipere quod dicitur, ab eo esse habere significat, secundum communes sanctiones fidei, sanctorumque Patrum expositiones. Qua ratione magnus Basilius, eum, qui esse ab illo habet, et ab ipso accipit, et annuntiat nobis, ac penitus ex illa causa pendet, quasi alienum denegabit? Illud enim ex sacris Litteris accepit; hoc autem quasi consequens et æquivalens, posuit, veluti conclusionem initia necessario sequentem. Quis autem dicat, nova illum, et asperiore, atque insueta usum voce, cum ipsa sacra eloquia, et divus ipse Pater cum doctoribus reliquis, fidesque atque omnia penitus reclament?

Ex quibus sane manifestum est, dictum illud, sicut supra expositum est, magni patris esse Basilii, ex quo sibi ipsi et doctoribus cæteris consonet. In quibus autem exemplaribus non ita invenitur, astum esse apertæ malignitatis, eorum scilicet, qui tuendæ opinionis suæ causa, quæ maxime contra se erant abstulerunt, et magistros nostros injuriis contumeliisque affecerunt, partim addendo, partim detrahendo illorum dictis atque sententiis.

At, si dicat quispiam, Basilium sanctum in eodem contra Eunomium opere, aperte Trinitatis ordinem, tertiumque a Patre Spiritum sanctum denegare; cum ipsum Eunomium arguens dixit : « Quinam vero sancti, et in quibus libris ejus doctrinæ auctores fuerint, dicere non potest, » ipse Eunomius scilicet; ipse enim de sancto Spiritu dicebat, quod, cum a sanctis tertium ipsum esse, et ordine et dignitate, accepisset, tertium etiam natura esse crederet. Si quis igitur hoc inferat, constat quidem ex his quæ dicta sunt, magnum Basilium ordinem in sancta Trinitate confiteri, tertiumque a Patre esse Spiritum sanctum. Hic vero Eunomium insimulat, vel quia ordo iste necdum ita fuerat a sanctis declaratus, et simpliciter, more suo, mentientem per hæc, arguit, non habentem, unde id posset asserere manifestius. Imo necdum id ita aperte positum fuerat, neque de hac ratione ordinis quispiam priorum ita disseruerat. Ante enim ea tempora quibus Athanasius Basiliusque floruerunt, et quique per eam ætatem fuerunt Ecclesiæ magistri, nullos fuisse publice doctores legimus : sive quod magis proprium, ac verum est, quasi derogantem sanctis, atque ipsi veritati calumnias struentem, cum eos tradidisse asserat, Spiritum sanctum tertium esse et ordine, et dignitate, quosdam scilicet substantiæ gradus distinguendo; atque ideo se credidisse, illum natura quoque esse tertium; Basilius enim, quod ex prædictis patet, ordine quidem ac dignitate, tertium fateri, ut pium, amplectitur; tertium vero et dignitate et ordine secundum naturam, nusquam suscipere perspicitur.

Duplicem enim ordinis speciem in superioribus tradidit, alteram ex his probans, alteram, ut supra declaratum est, improbans. Nam adversus id quidem, quod tertius ordine et dignitate dicitur : juxta quem ordinem essentiarum differentiæ, et prius ac posterius, et honorabilius inferri videbatur, tota vigilat intentione? Ad id vero, quod tertius ordine et dignitate dicitur, secundum quem ordinem causa et causale, initium, et quod ex initio est, et simul, et coæternitas conspiciuntur, sicut igni, ad lucem, quæ ex ipso manat, naturaliter convenit, ut ipse dicit; vel, sicut lux, et radius, et sol ad se invicem habent; ad hunc igitur ordinem nequaquam reluctatur, nisi quis eum sui oblitum putet, ac seipsum destruere.

Simul et hoc ex superioribus apparet, eos qui ita exponunt, quod dictum est : *Ex meo accipiet*, pro eo, quod est, *Ex Patre meo*, non recte arbitrari. Summi enim Patrum, hoc, ut supra ostensum est, in Filio acceperunt, quasi diceretur, *Ex meo*,

[84] Joan. v, 22.

Digitized by Google

ex mea re, hoc est, totum ex tota mea plenitudine accipiet.

Præterea si esset hæc vera intelligentia, nequaquam sine additamento diceretur. Nunquam enim possessiva pronomina masculini, vel feminini generis, sine articuli adjectione Græcæ linguæ proprietate proferuntur. Dicimus enim ὁ ἐμὸς πατὴρ, καὶ ἡ ἐμὴ οἰκία, ἡ πόλις, i.l, est, *Hic meus Pater*, et *hæc mea domus*, aut *civitas*. Ita quippe Græcæ, ut diximus, linguæ consuetudo, qua hoc Evangelium scriptum est, proferre consuevit : alias enim vitiosa esset pronuntiatio. Cum vero sine adjectione dicitur, neutrum esse, et rem significare intelligitur. Exempli causa : Εἴ τι καὶ τοῦμόν ἐστι παρὰ σοὶ, id est : *Si quid meum est apud te*, quod per se rem intelligi dat. Ad hæc autem : *Ex meo accipit*, sive *Accipiet*, præcedentia commendat. Ait enim : *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt. Ideo dixi vobis, quia ex meo accipit.* Si enim Spiritus a Filio accipit, Patris autem omnia et Filio communia sunt; manifestum est ex his, insinuari Filium, unum cum Patre Deum esse; Spiritum autem verum Deum ex Patris et Filii essentia denuntiari : quæ sane superni eloquii vis est.

Porro dicere : « Omnia, quæ habet Pater, mea sunt; ideo dixi : quia ex meo Patre accipiet, » aut nihil significat, aut nihil ad propositum sibi, quippe suscepta ad structuram causa, nihil de Filii dignitate concludit, nisi in quantum dictum est : *Omnia, quæ habet Pater mea sunt*, quod etiam sine eo, quod sequitur, solum per se ipsum dici poterat.

Cæterum, si quis divum Chrysostomum objiciat, in quodam sermone suo id exponentem, quod dicitur : *Ex meo accipiet :* videlicet *ex mea carne*, atque *ex meo corpore*, veluti ex cisterna quadam inde hauriens. Impletum enim fuisse Jesum secundum hominem omnibus gratiis Spiritus, ab illo sibi insitis et in se reconditis, atque ita cæteris distribuisse, ut interim summi hujus viri fuisse hunc sermonem concedamus; valde enim suspectus est, eo quod reliquis sermonibus illius minime similis sit, neque sensu, neque dicendi modo. Erat enim magis proprium dicere Spiritum ex seipso ista accipere, cum ipse magis hujusmodi munerum sit fons, quam Domini corpus in quantum corpus : expressiusque diceretur et verius, Filium a Spiritu accipere, et dare nobis, cum et ipse ista det : atque eo magis, quo et ipse Spiritum dat, non ille Filium.

Posito tamen, hunc sermonem esse Chrysostomi, hic ista docebimus, neque superioribus contraria esse, neque traditam a sanctis Patribus expositionem, hoc posito, nutare. Neque ista sibi adeo contraria, ut uno posito, reliquum inconstans sit. Neque enim, etsi, ut homo, Filius mittitur, pluri-

A misque doctorum id videtur : non ideo, qui hunc, ut Deum mitti dixerit, continuo blasphemus erit : « Missus enim est, ait theologus Gregorius, sed quasi homo, sin autem etiam ut Deus, quid hoc? » Et hoc profecto, quasi verum, approbavit?

Neque magnus Basilius cum dixisset, Filium ordine ac dignitate a Patre secundum esse, quia initium et causa illi, ut esset, Pater fuit, continuo scipsum destruxit, adjiciens : « Et quoniam per ipsum accessus et adductio ad Deum et Patrem nobis est. » Utrumque enim verum est, si quis ista distinguere velit, et juxta variam intelligentiam accipere.

Ita et Chrysostomus dixisse putandus est, cum hæretici ex eo, quod dicitur Spiritum sanctum a B Filio accipere, Spiritus substantiam vellent imminuere : sanctus illorum ora obstruere volens, hoc in loco accipere quod dicitur, secundum hominem accepit; ubi autem adversus illos ei pugna non erat, traditam expositionem cum reliquis roborat. Dicens enim in Joannis Evangelio : *Ex meo accipiet*, hoc est, ex mea scientia, ostendit se quod dicitur, ex meo accipiet, vel accipit, *ex Filio*, intellexisse. Ipse quippe est Dei sapientia, neque est aliud essentia ejus, præter scientiam ipsius. Aliter quippe compositus erit, cum in alio essentia, in alio scientia inspiciatur. Et essentia quidem carere intelligentia, scientia vero sine substantia esse credetur. Enimvero dare et accipere quod dicitur, causam C causaleque signare monstravit. Hoc autem expositionem, quam prædiximus, roborat.

Quemadmodum igitur his, qui majus in Patre pie causæ ratione suscipiunt, dicere id quoque non nisi pium est, juxta sanctorum scilicet doctrinam : ita et in Filio dicendum secundum Athanasium quod scilicet Spiritu sit major : ita ergo nihil prohibebit, etiam ipsius Chrysostomi traditam expositionem, veram, ac necessariam existimare : maxime cum hodie nulla nos hæreticorum contradictio perturbet.

Si igitur neque doctoribus reliquis, neque sibi ipsi contrarius est, quomodo prædictam expositionem illi contrariam dicemus; si et illo modo alia ratione dici potest, nulla præsertim contradictione D perurgente? Colligi autem et hoc ex prædictis potest, quia majus (27), quod Filio secundum causam Athanasius reddidit, hoc magnus Basilius in Spiritu posuit, asserens illum Filio concedere et ordine et dignitate. Nam si Spiritus concedit Filio, et ordine et dignitate, constat Filium majorem esse ordine ac dignitate. Hoc autem etiam ad Amphilochium scribens, indicavit dicens : Sicut ergo Spiritus sanctus, ejus ex quo processit magnitudinem insinuat, Filii scilicet, de ipso enim sibi sermo erat; etsi igitur eum Filio concedere dixit, unam tamen utriusque naturam confitetur, quoniam deitas in

(27) Hæc quæ de majore et minore hic et supra sæpius Calecas repetit, pie et commode accipienda sunt, ut et illa de prioritate : nam simpliciter nihil majus aut minus est in SS Trinitatis mysterio.

Digitized by Google

utroque una. Ac veluti cum Pater Filio major, causæ ratione dicitur: non ideo tamen Filius Patre minor est. Ita, et cum Filius major Spiritu sancto asseratur, non tamen Filio minor Spiritus sanctus intelligitur. Una quippe trium essentia est. Porro cum hujusmodi secundum personalem ordinem dicuntur, sola causa atque causali personarum discretio redditur. Nihil enim aliud concedere, vel secundum esse significat, nisi aliam ante se esse personam, quæ ante mente concipiatur, quam ipse.

Porro, qui ita Basilii dictum accipiunt, ut quod ille ait Spiritum a Filio esse habere, ab ipso dari, habere significare putent, esse pro eo, quod est dari, accipientes: contra omnino sentiunt, quam se habet doctoris intentio. Ille enim consubstantialem Patri Filium cum ostendisset, etiam Spiritum sanctum consubstantialem Filio, ac per ipsum, Patri concludere intendit. Cæterum dari a Filio, contrarium concludit, nisi quod datur per eum, per quem datur naturaliter, et essentialiter procedere præsupponatur, quando etiam dari, in divinis idem est, quod procedere. Quoniam igitur Eunomius creationem Filii Spiritum sanctum esse blasphemabat, dari autem solum quod dicitur, ad hanc illi blasphemiam opitulabatur: sanctus profecto vir, atque doctissimus, nunquam adeo imbecilliter, ac pro inimicis etiam egisset; imo si omnino putavisset, hujusmodi expositionem ex verbis suis capi posse, vel id nunquam penitus dixisset, aut cum adjectione ac præfinitione, juxta doctorum consuetudinem dixisset; atque omnino, ut fuit diligentissimus, in hac re in primis maximam diligentiæ curam habuisset, ne contra quam proposuisset, efficeret.

Ex quo item constat, idcirco dici a Filio dari Spiritum sanctum, quoniam ab ipso esse habet. Alias enim ministri fungeretur officio, quod non per ipsum naturaliter procederet, præbens. Liquet etiam, quod dicitur, ab eo esse habere, substantiam Spiritus per Filium significare.

Præterea, magnus ipse Basilius, in lib. IV *Quæstionum*, ait: « Neque enim minus aliquid eramus habituri ad agnoscendum, quod Spiritus ex Deo sit, Spiritum oris ejus ipsum esse audientes; » sed hoc sufficere poterat per se ad indicandum, substantiam ejus ex Deo esse. Si igitur Spiritum ex Deo esse, idem est, quod Spiritum oris ejus dici; os autem Patris Filius a magistris Ecclesiæ dicitur; idem ergo est, Spiritum ex Deo esse, dicere, et ipsum Filii Spiritum dicere. At illud sancti Spiritus ex Deo substantiam significat. Itaque et quod Filii Spiritus dicitur, eamdem itidem substantiam Spiritus et per Filium et a Filio designat. Sufficere itaque ait et hoc ad insinuandam substantiam Spiritus. Unde constat etiam, quia non alias Filii diceretur Spiritus, nisi per ipsum, et ex ipso substantiam haberet.

Quoniam igitur in Deo, et materia, et cuncta quæ sunt ex materia, penitus locum non habent, et neque secundum excellentiam atque defectum, neque ut possessio, sive factura, sive pars, sive membrum, neque quomodolibet aliter potest hoc hujus, aut hujus dici, secundum hujusmodi proprietatem; constat profecto, quia cum hoc hujus, aut hujus a theologis dicitur, causa insinuatur; aliter enim esse possibile non est.

Ex quo et illud una insinuatur, Spiritum ad Filium relative dici, si hæc ad invicem discernere, secundum causæ causalisque relationem velimus: siquidem juxta Gregorium Nyssenum: « In hoc solum, alterum ab altero distingui deprehendimus quod ille causa, iste ex causa sit. » Quod rursus ita divisit, ut alium diceret esse continenter ex primo; alium per eum, qui continenter esset ex primo, manare. Sed jam libri hujus continenda longitudo est, ut ad ea quæ restant, lectoris intentio interim a labore reparata, alacrior atque vigilantior assurgat.

LIBER SECUNDUS.

Jesu, nobis præi, et dux esto. Te enim duce, non errabimus.

In sacris Litteris Spiritus sanctus Dei spiraculum dicitur: *Spiraculum*, enim, *omnipotentis*, ait beatus Job, *edocet me*[1]. A spirando enim utrumque, et *spiritus* scilicet, et *spiraculum* denominatur. Nam et magnus Athanasius, in libro qui inscribitur: *Reprehensio simulationis Meletii et Eusebii* dixit: « Non nativitati sancti Spiritus processio assimiletur, sed spiraculo, quod spiraculum quasi ex ore prodeat. » Idemque in libro ad Serapionem *De Spiritu sancto*: « Spiritus iste, inquit, spiraculum Filii est. » Si igitur Spiritus quidem Filii est, et dicitur Spiritus, spiraculum autem, et Spiritus idem est; spiraculum vere spirantis est; manifestum est, Spiritum sanctum ad Filium, quasi ad inspirantem referri. Nam si spiraculum ipsius est, constat, quia ab eo inspiratur, ipseque inspirans

[1] Job XXXIII, 4.

Digitized by Google

est. Spiraculum quippe, ut diximus, a spirando denominatum est.

Quoniam vero spiraculum Dei dicitur Spiritus sanctus, unus autem Deus est Pater et Filius; quippe dum una essentia sit, servata solum personali differentia, qua alius gignit, et alius gignitur, totusque ex toto Spiritus sanctus asseritur : neque aliud est totus Pater, aliud totus Filius, neque dissonum, constat quia Pater et Filius unus est spirans sanctum Spiritum, quorum ille spiraculum est. Unde et productor per Verbum dictus est.

Sanctus quoque Epiphanius in eo libro, quem inscripsit *Anchoram* [*Ancoratum*], sic ait : « Pater erat semper, et Filius erat semper, et Spiritus sanctus semper ex Patre spirat et Filio. » Verum enimvero, ut germen, et Filius idem est, et Spiritus, et quod spiratur. Atqui productor per se ad productum dicitur; ergo et ad Spiritum dicetur. Itaque, cujus est Spiritus et ab eo inspiratur, et ad illum relative dicitur. Ex quibus item constat, quoniam Spiritus relative Filii Spiritus dicitur. Quocirca et hoc ad insinuandam ejus substantiam sufficere, magnus inquit Basilius. Nisi enim ita esset, cum Spiritum dicimus, in unam sanctæ Trinitatis personam cogitatio non recurreret, sed in unum Deum. Et Deus enim absolute Spiritus dicitur, atque ita neque Trinitas esset Deus, neque nos propriis eam nominibus confiteremur, neque in cogitationem trium personarum adduecremur.

Attestatur autem his et sanctus Augustinus in libro v *De Trinitate*, ita dicens : « Spiritus vero sanctus secundum id, quod scriptum est, quoniam Deus Spiritus est, potest quidem universaliter dici, quia et Pater Spiritus, et Filius Spiritus. Itaque et Pater sanctus, et Filius sanctus, et Spiritus sanctus, quoniam unus Deus : et utique Deus sanctus est, et Deus Spiritus est, et potest appellari Trinitas, et Spiritus sanctus. Sed tamen ille Spiritus sanctus qui non Trinitas, sed in Trinitate intelligitur, in eo, quod proprie dicitur Spiritus sanctus, relative dicitur, cum ad Patrem et ad Filium refertur; quia Spiritus sanctus, et Patris et Filii Spiritus est. »

Theologus item Gregorius ait : « Emanationis ad alterutrum habitus differentiam; differentiam etiam illorum appellationem effecisse; ut scilicet, alius quidem Filius, alius Spiritus sanctus diceretur. »

Sed et Gregorius Nyssenus ait : « Filius autem sanctus Spiritus neque est, neque dicitur, neque convertitur habitus ista consequentia. » Ubi vero habitus est, et relationem profecto esse constat.

Quod si quis contendat, ac Spiritus nomen inter ea, quæ dicuntur, *ad aliquid*, ponere omnino renuat, primum quidem, præter omnem rationem, Patrumque sententias sentire se noverit. Deinde nobis non de nomine, sed de re maxime sermonem esse audiet. Ipsa igitur persona Spiritus, sive productum, sive spiritus, sive procedens, sive aliquid aliud dicatur, Trinitatis tertia persona Patris et Filii esse dicitur, et ad Patrem et Filium refertur. In divinis autem personis, quod esse alicujus dicitur, aut ex illo est, aut causa est ejus, cujus esse dicitur. Nulla enim alia illic differentia est, præter relationem quæ secundum causam causale est. Aliter enim non esset Trinitas Deus.

Quod autem a quibusdam infertur, ut dicant : « Quia et janua domus dicitur, et Deus, Deus noster, sed nèque janua ex domo, neque ex nobis Deus, penitus absurdum et fœdum est. » Primum enim in divinis personis solum dignitas servari dicitur, ut, quod alicujus dicitur, aut ex illo sit, aut causa ejus esse, cujus dicitur, intelligatur : quandoquidem illic nulla est alia differentia. Neque enim ut membrum, aut pars, aut instrumentum, aut possessio, aut quomodolibet aliter, ut in creaturis fit, hoc hujus dicitur. Deinde dicitur quidem Deus, Deus Abraham, et Isaac, et omnium, sed justorum quidem, ut mansio et sors. Hæreditas enim sanctorum Deus est; creaturarum vero, cæterorumque simpliciter, ut creator, et Dominus, suorumque providentiam gerens.

Ex quo liquet, ne in hoc quidem deesse ordinem secundum ea quæ dicuntur *Ad aliquid*. Animadvertitur is ordo secundum id quod perficit et quod perficitur, quodque regit et quod regitur. Ideoque neque Spiritus secundum personalem proprietatem suam, creaturæ Spiritus dicitur, sed secundum quod Deus unus est cum Patre et Filio, sanctificans, atque inspirans, aut aliter eos qui digni sunt, meliores efficiens, atque eos visitans.

Præterea, quoniam productor cum sit eorum quæ *Ad aliquid* dicuntur, ad solumque dicatur Spiritum, constat et Spiritum ex his quæ *Ad aliquid* dicuntur esse, atque ad solum referri productorem. Nam si quid, secundum quod ejusmodi est, ad aliud aliquid dicitur, constat, quia et illud ad primum, quasi ad aliquid dicitur. Si enim homo, secundum quod Dominus, ad alium aliquem dicitur, et ille ut servus ad eum referetur, quod servus et dominus ad alterutrum semper relativa sint, hoc ipsum et in omnibus, quæ quasi *Ad aliquid* se ad invicem habent. Cujus ergo Spiritus, Spiritus est, ille productor est, Spiritusque ad eum cujus est Spiritus, quasi ad productorem refertur. Spiritus autem Filii Spiritus dicitur; Filius ergo productor sancti Spiritus est, et spirans ipsum est. Ideoque processus illius spiraculo assimilatur, et a spirando denominatus est, et spiraculum Filii appellatus est. Ac juxta sanctum Epiphanium, Spiritus ex Patre spirat et Filio.

Præterea Basilius in libris contra Eunomium et Arium : « Spiritus, inquit, ad Patrem proprietatem intelligo, quia procedit ex Patre. Ad Filium autem,

Digitized by Google

quoniam audio : *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* [2]. »

Quoniam igitur non magis proprius Patris, quam Filii est Spiritus sanctus, quia est eadem substantia Patris et Filii, Spiritus autem proprietatem ad Patrem vir sanctus intelligit, quia procedit ex Patre, necessario et ad Filium proprietas eadem ratione intelligenda est. Itaque quod dicitur Spiritus Christi, et Spiritus Filii, ex eo ipsum esse commendat ; maxime cum vir sanctus præmiserit dicens, ad ostendendum illius substantiam, ex Deo esse, id sufficere, quod dicitur : *Spiritus oris illius* [3]. Sed et in capitulis quoque ad Amphilochium ait : « Neque hinc solum naturæ communio ostenditur, sed quia etiam ex Deo esse dicitur, non quasi per omnia ex Deo prodiens, sed quasi Spiritus oris illius ; hinc quidem insinuata proprietate, substantiæ vero modo ineffabili servato. Et Spiritus autem, inquit, Filii dicitur, quasi proprius filii per naturam. »

Ex his autem constat, quia magnus Basilius proprietatem in divinis personis dicere vult, velut causæ causalisque consortium. Quod enim dicit, tale est : Cum audimus Spiritum sanctum et Spiritum oris Dei, intelligimus ipsum naturaliter ex Deo esse. Hoc est enim proprietas ; modum vero, quo ex Deo est, hoc est procedere ipsum ignoramus. Etsi enim alium quidem gigni, alium vero procedere, atque alium quidem sine medio ex primo, alium vero per eum, qui sine medio ex primo est, substantiam habere credimus, nihilominus tamen modum ignoramus. Hoc ergo cognito, quia est ex Deo naturaliter, consequenter quomodo sit quæritur.

Itaque proprietas hæc principaliter quidem causam et *causale* significat. Deinde, consequenter, consubstantiale etiam. Atque hujus indicium est : primum quidem, quia consubstantiale nullam indicat discretionem. Proprietas vero differentiam discretionemque commendat. Deinde, quod consubstantialia quidem invicem, secundum eamdem verborum rationem, absque ulla adjectione convertuntur ; Pater quippe consubstantialis est Filio, et Filius consubstantialis est Patri. Quod sane consubstantiale hic etiam discretionem præsupponit, ex nominibus Patris ac Filii satis apparentem. Propria vero non simpliciter, sed cum adjectione ; neque enim dicere possumus, Pater proprius Filio et Filius proprius Patri, sed ita proprie reddemus : Filius quidem proprius est Patri Filius ; Pater autem proprius est Filio Pater. Illo enim modo indiscrete, et sine relatione ad invicem reddetur. Sic autem proprietatem Filii ad Patrem secundum quam ex illo genitus, Patrisque ad Filium, secundum quam ipsius Pater est, reddimus.

Oportebat igitur similiter converti proprietatem, sicut consubstantiale est : siquidem proprietas consubstantiale ipsum principaliter significaret. Nunc vero hujusmodi proprietatem consubstantiale sequitur. Sicut et Filius, nomen secundum se quidem processum alicujus ex aliquo significat, in eadem specie, consequenter vero consubstantiale etiam. Quod enim ita processit, necessario etiam consubstantiale est. Non igitur Spiritus sanctus proprius Filii secundum naturam diceretur, nisi per ipsum procedens naturaliter, per ipsum etiam substantiam haberet. Quod enim ex aliquo, aut per aliquod secundum æquivocum processum prodit, unaque ex illo esse monstratur, a quo et proprietas maxime elucet, et consubstantiale consequenter, ejusdemque speciei demonstratur.

Idcirco magnus quoque Basilius hinc proprietatem insinuari dixit, quia ex Deo esse dicitur. Quod autem ex Deo esse dicitur, causam ostendit, qua præcedente consubstantiale etiam secundum hujusmodi proprietatem in divinis personis sequitur. Quoniam igitur Spiritus sanctus secundum naturam proprius est Filio, constat quia ad illum veluti ad causam refertur. Unde etiam consubstantialis illi est.

Magnus item Basilius in Expositione XXXII psalmi ait : « Sicut igitur creator Verbum firmavit cœlos, ita et Spiritus, qui ex Deo est, qui a Patre procedit, hoc est, qui ex ore ejus, ne quid eum exteriorum esse, neque creaturarum, arbitreris : sed ut quod ex Deo habeat substantiam, glorifices. Omnes enim in eo virtutes simul contulit. »

Et post pauca : « Hoc quidem in loco Spiritus oris ejus dici, ut intelligatur Salvator, sanctissimusque ejus Spiritus. Ubi autem invenietur? Apostolo scilicet dicente de Filio : *Ferens omnia Verbo virtutis suæ* [4]. Virtutem et Verbum Filii Spiritum sanctum posuit. » Ac rursum : *Quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui* [5]. Ex quo etiam constat, stultum et irrationabilem fuisse quorumdam malignitatem, qui ex hoc Apostoli dicto *Jesus*, deleverunt, ne de Filio Dei hoc intelligatur. Ex eo enim, quod illatum est, *illustratione*, arguuntur. Futura enim apparitio Domini Jesu creditur, simulque in vetustissimis exemplaribus integritas apostolicæ sententiæ ostenditur. Hoc tamen in loco sanctus vir os Dei Filium esse ait ; dixerat enim superius Spiritum ex Dei ore esse, quod idem significare dixit : *Qui a Patre procedit.*

Sanctus autem Athanasius Antiochenus episcopus, in eo libro, quem prædiximus, « Verbum, inquit, sine Spiritu non est, sicut neque sine Verbo mens. Mentem vero esse Patrem Verbi dicimus. Mens, in qua Verbum, cum qua Spiritus, sanctum Spiritum oris Dei dicens, os enim Patris Filius. »

Si igitur Spiritus quidem ex ore Dei est, hoc autem idem est, quod *qui a Patre procedit;* os

[2] Rom. VIII, 9. [3] Psal. XXXII, 6. [4] Hebr. I, 3. [5] II Thess. II, 8.

Digitized by Google

autem Patris Filius est; et quod dicitur ex Patre procedere, illius substantiam significat : cur non id quoque, quod dicitur Filii Spiritus, et Spiritus oris ejus, indifferenter illius substantiam significet, secundum quam ex Patre per Filium procedit, ac per ipsum, et ab ipso esse habet?

Magnus item Basilius in lib. IV *Contra Eunomium*, quasi ex contrario proponens : « Sed dicis, inquit : Si Dei quidem imago Filius est, Verbum autem Filii Spiritus, cur non Filius Filii Spiritus dictus est? » In has igitur ineptias ipsum impellente Eunomio, nisi ex Filio esse Spiritum sanctum crederet, Basilius facillime illi obviasset dicens : Quomodo esset Spiritus Filius Filii, qui non quomodolibet ex Filio, sive per Filium procederet? Ita enim se controversiæ hujus molestia eximeret. Verum id quidem non dixit, sed subjiciens quod proposuerat, solvit : « Nos autem et de hoc ad nos ipsos, quantum possibile est, respondemus. Nam ad te quidem etiam facere satis esset, eadem interrogatiuncula tibi quoque imminente. Dicimus igitur, quoniam dicere Filium ex Filio, divinitatis Trinitatem in suspicionem multitudinis adduceret, audentibus hominibus. In promptu enim erat, suspicari quoniam si Filius ex Filio natus esset, et ex eo rursus alium nasci, atque rursus alium, ac deinceps in multitudinem crescere. Hujus ergo rei gratia, ex Deo quidem esse Spiritum Apostolus aperte prædicavit dicens : *Quoniam Spiritum Dei accepimus* [6], eumque per Filium manasse, manifestum fecit Filius, Spiritum ipsum appellans sicut et Dei et Christi mentem nominans, sicut et Dei Spiritum. Filii autem Filium appellare caute declinavit. »

Itaque magnus Basilius Filii quidem Filium esse Spiritum negat, ex Filio autem sive per Filium prodire asseverat. Quod autem manare naturaliter *procedere* significet, ex eo quidem manifestum est, quod eo verbo etiam in nativitate Filii theologi utuntur. Sanctus enim Cyrillus, in libro, quem ad Valerianum episcopum scripsit, « Sanctus, inquit, per naturam cum sit, quemadmodum et Pater, is qui ex eo manavit unigenitus Filius a Patre, sanctificatus dicitur secundum quod apparuit homo. »

Sed et ipse quoque Basilius in libro *De Spiritu sancto*, « Spiritus, inquit, nihil sibi quæsitum habet, sed æterne cuncta habet, ut Spiritus Dei, atque ex illo manans. » *Manare*, posuit pro eo, quod est, *esse*. Patet autem ex præcedentibus : « Filii enim, inquit, Spiritum ipsum nominavit, quemadmodum et Dei, eodem modo esse Spiritum Filii Spiritum, quo etiam est Dei et Patris. »

Idem rursus in eisdem, capitulo, quod inscribitur : *Cur non et Spiritus Filii Filius*, inquit : « Non ideo, quia non ex Deo per Filium sit, sed ne Trinitatis existimetur infinita multitudo filios ex filiis, ut fit in hominibus, habere credita. » Cum dixisset igitur : « Non ideo, quia non ex Deo per Filium sit, » ostendit, quia ex Deo per Filium est, duabus negationibus pro una affirmatione utens. Quem igitur esse per Filium dixit, hunc etiam per Filium manare iudicavit, *esse*, ac, *manare in substantia*, indifferenter ponens.

Nam si, ut quidam putant, *manare*, manifestationem, qua mundo manifestatus est, signat, quoniam secundum hanc magis Filium Spiritus manifestat, *Ille enim*, inquit, *me clarificabit* [7]; erit ergo et Filius Verbum sancti Spiritus. At id Gregorius Nyssenus negavit dicens : « Filius autem sanctus Spiritus neque est, neque dicitur, neque convertitur habitus ista consequentia. » Nempe autem sitne, vel non sit Filius Spiritus sancti manifestatio nihil potest ostendere; nisi *manare*, substantiam simpliciter significet, sicut esse etiam, secundum quam scilicet substantiam per Filium esse a theologis asseritur.

Et his vero illud conficitur, et Spiritum sanctum non esse Filium, quippe emanationis differentia, hoc est, modus differens processus illorum substantiæ, secundum theologum Gregorium, hunc Filium, illum Spiritum sanctum appellari fecit. Hic enim ex Patre sine medio, ille autem, per Filium esse perhibetur.

Liquet autem et hoc, quod magnus Basilius cum jure suo confutare objecta valuisset dicens : « Qui igitur neque ex Filio, neque per Filium substantiam habet, Filii Filius existimari credique non posset; » quoniam ea potius sententia sua erat, ex Patre per Filium atque a Filio esse Spiritum sanctum, ei ut certissimæ ac veracissimæ acquievit; maxime cum dixerit, ita esse Filii Spiritum sanctum, sicut et Patris. Atqui Patris est, secundum quod ex eo est. Et Filii igitur eadem ratione est, quoniam scilicet ab illo esse habet, ac per eum procedit.

Idem præterea Basilius, adversus Eunomium pugnans, asserentem ex solo Filio Spiritum sanctum, esse quasi creaturam, sicuti et Filium ex solo Patre, et ipsum quasi creaturam : arguere quidem illum, quod non sit a Filio, sicut creatura interim omittit, tertio id reservans libro : « De hoc, inquit, cum plus otii fuerit, dicemus. » Circa finem autem secundi libri contra Eunomium, in illum invehens : « Illud autem, inquit, cui ex omnibus obscurum esse possit, nullam efficientiam Filii a Patre dirimi : nihilque esse in omnibus, quod insit Filio quod a Patre alienum sit? *Omnia* enim, ait, *mea, tua sunt; et tua, mea sunt* [8]. Quomodo igitur Spiritus causam soli Filio assignat, ipsiusque naturæ prædicatum, hujus accipit creationem? Siquidem ergo duo principia subintroducens sibi invicem contraria, hæc ait, cum Manichæo et Marcione conteretur. Sin vero ex uno quæ sunt, suspendit omnia, quod

[6] Rom. VIII, 15. [7] Joan. XVI, 14. [8] Joan. XVII, 10.

Digitized by Google

dicitur a Filio factus esse, ad primam causam relationem habet. Itaque etsi omnia per Filium in esse producta credimus, omnium tamen Deum causam esse non tollimus. »

In his vir sanctus Eunomium exagitat, quod interim a Patre non dixerit esse Spiritum sanctum. Sin vero hunc non a Filio esse crederet, Basilius facilius ejus objectioni obviasset dicens : « Quoniam quidem a Filio nulla ratione, esse, habet, quomodo secundum te ex solo Filio est? » Cæterum id quidem non dixit, sed cum a Filio esse, cum pro concesso posuisset, Eunomium arguit, quod a Patre illum esse deneget. Ac deinceps, se contra eum armans, ait : « Quomodo ergo non apertum periculum est, a Patre Spiritum dividere, id est, eum non esse a Deo et Patre, contendere, cum utrumque nobis Apostolus conjuncte tradat, et nunc quidem, Christi Spiritum dicat, nunc autem Dei, ita scribens : *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*[9]. Ac rursum : *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est*[10]. »

Ubi notandum, quia Eunomium insimulans, quod non etiam a Patre Spiritum diceret, sed divideret a Deo Spiritum, ipse quod conjunctus sit, testimonium ex Apostolo producens, Deo et Christo conjunctim Spiritum commendat, hoc est, ex utrisque esse. Nam, si a Deo dividi, id est non esse a Deo, conjungi Deo et Christo, constat quod ab ipsis esse significat. Ejus autem rei indicium est, quod cum dixisset Spiritum, nunc quidem Christi dici, nunc autem Dei, cum testimonio firmare vellet, quomodo sit Dei : *Nos autem*, inquit, *non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est* : quasi tantumdem valeat dicere, Spiritum Dei, et Spiritum qui ex Deo est.

Cum igitur exposuisset testimonium quod conjuncte dicatur Spiritus sanctus, et Spiritus Dei, et Spiritus Christi, Apostolumque introduxisset testem, etiam ex Evangelio testimonium ad hoc asserendum, assumere voluit; ac deinceps ait : « Cum autem hunc Dominus Spiritum veritatis dicat, ipse quippe est veritas, et qui a Patre procedit. » Hic idem rursus existimat Spiritum veritatis dici, atque a Patre procedere ; pollicitus enim, testimonium se dicturum, quod conjuncte Spiritus Dei et Christi diceretur : Christi quidem esse, ex eo, quod Spiritus veritatis dictus est; ostendit autem Dei esse, quia procedit a Patre ; quoniam igitur, quod dicitur, Spiritus Dei, et Spiritus qui ex Deo est, et qui a Patre procedit, causam significat, quodque Spiritus Christi, et Spiritus Filii, et Spiritus veritatis est, et dicitur, causam similiter ostendit. Hæc enim, ut magister (28) docuit, eamdem habent vim ; ideo etiam dixit Spiritum sanctum a Filio esse habere, atque omnino ex illa pendere causa, idque rationem pietatis tradere : concordatque sibi sanctus vir in hoc, atque in aliis plerisque locis. Ex quibus constat, Spiritum sanctum relative Filii Spiritum dici, et Spiritum Christi, et Spiritum veritatis.

Nyssenus quoque Gregorius super oratione Dominica, « Unigenitus, inquit, Filius a sacra Scriptura nominatur, atque hactenus illius proprietas traditur. Sanctus autem Spiritus ex Patre dicitur, atque ex Filio esse vero testimonio asseritur. » Si quis autem, *ex*, præpositionem hoc in loco a quibusdam adjectam asseveret, primum quidem in vetustissimis exemplaribus ita haberi invenitur, vel saltem locus notatur; unde quorumdam nimis insipientium hominum temeritate particula illa deleta perspicitur.

Deinde, nihil sibi insolitum dixit vir iste. Quod enim alibi ait : « Aliud quidem continenter ex primo, aliud vero per id, quod esse continenter ex primo, » hoc ait et hic universaliter; quippe verum est quod essentialiter per aliquod procedat, et per ipsum sit ac per ipsum processus proprii substantialem hab at modum, id etiam ex ipso esse. Imo consona Basilio dixit : Ille quippe, ut ex prædictis constat, quod sanctus Spiritus Filii Spiritus dicitur, in substantia illius intellexit. Quod enim Spiritus Filii, et Spiritus oris ejus dicitur, idem esse ait, ac si diceretur, ex Patre procedere ; atque ex eo, quod dicitur Spiritus Filii, hujusmodi ad eum proprietatem designari definivit, qualem ad Patrem ex Patre, quod dicitur, procedere commendat ; sufficereque ait, quod dicitur Spiritus Filii, et Spiritus oris ejus ad insinuandum substantiam ipsius ; neque minus aliquid significare, cum Filii Spiritus dicitur, quam cum ex Deo esse illum audimus. Ille igitur hoc ita exposuit. Pari autem intelligentia id dictum et Nyssenus accepit. « Quia enim, inquit, Apostolus eum Filii Spiritum, sicut et Dei nominavit, secundum eumdem morem est Spiritus Filii, secundum quem et Dei et Patris. Verum Dei, et Patris Spiritus dicitur, quasi ex ipso exsistens. Igitur et Filii Spiritum, ut qui ex ipso sit, et ab ipso esse habeat, accepit. Non ergo nova neque insueta voce et intelligentia beatus iste usus est : sed ex divinis Litteris occasione sumpta, consentanea magno Patri Basilio locutus est.

Sanctus quoque Cyrillus, super illud evangelicum : *Alium Paracletum dabit vobis*[11], ait : « Alium quidem Paracletum Spiritum vocat ; una quippe in utrisque substantiæ ratio, non extra ipsum ponens, sed alteritatis verbum in eo solo dans, quod Spiritus ipse propria substantia esset, atque subsisteret. Neque enim Filius Spiritus est, sed cum vere proprieque sit, atque subsistat, hoc, quod est in fide suscipiemus; Spiritus enim est Patris, et

[9] Rom. VIII, 9. [10] I Cor. II, 12. [11] Joan. XIV, 16.

(28) S. Basilius.

Digitized by Google

Filii. « Hic notandum, quod ad ostendendum, Spiritum sanctum substantialiter esse, atque subsistere hoc, quod est, hoc est a Filio discretum esse, adjunxit : « Spiritus enim est et Patris, et Filii. » Itaque cum dicitur Spiritus Filii, discretionem quamdam oportet intelligere, non consubstantialitatem, ut quidam dixerunt ; etsi, quam maxime, ut dictum est, inde consubstantialitas sequitur. Sicuti et a Patre quidem discernitur Spiritus, quia ipsius est Spiritus, utpote ab ipso prodiens ; ipso autem hoc, quod illius est Spiritus, procedit ab illo, consubstantialisque illi est, et Filius a Patre distingaitur, secundum quod Filius est, ac discretio quædam signatur ex nomine ; eo autem ipso, quod Filius est, omnino etiam consubstantialis est.

Et quoniam in divinis personis discretio relationem secundum causam causaleque significat, quod autem dicitur Filii Spiritus, discretionem indicat, constat, quia cum dicimus Spiritum Filii, relationem secundum causam, atque causale signamus. Enimvero id dicere non possumus, referri quidem Spiritum sanctum ad Patrem et ad Filium, idem esse, quod proprietates habere Spiritum sanctum, ut ad ipsos differenter referatur ; aut Spiritum differentem quempiam esse, ac duplicem ; aut Filium, non secundum essentiam, unum esse cum Patre, quæ identitatem Filii ad Patrem tollunt, unumque ac simplicem Spiritus processum, secundum quem ad Patrem et Filium refertur, ex Patre per Filium procedens, una auferunt.

Deinde, etsi Filius ad Patrem et ad Spiritum refertur, et Pater itidem ad Filium et Spiritum : sed omnino hæreticum est, etiam de Spiritu sancto istud putare, ut ipse quoque, gemina relatione scilicet ad Patrem Filiumque referatur. Spiritus enim secundum unam ac solam personalem proprietatem suam, ac secundum quod Spiritus, ad Patrem refertur et Filium : Pater autem et Filius ad invicem quidem et ipsi personalibus proprietatibus referuntur. Ad Spiritum vero, non his, verum alia relatione, quam generationis ac nativitatis, productionis [spirationis] scilicet, secundum quam, unum sunt Pater et Filius ; etsi suis ad invicem differentiis discreti. Nam, secundum quod ille Pater, hic Filius est, ad invicem solum dicuntur. Itaque illic quidem fas est, secundum unum scilicet, ac solum ipsius personalem processum, Spiritum sanctum ad Patrem, ac Filium referre ; in Patre verò, ad Spiritum et Filium : ac rursus, in Filio ad Patrem et Spiritum sanctum, omnino impossibile est ; nempe enim, etsi Patris persona, una cum sit ac simplex, ad Filium ac Spiritum refertur, dicere possumus, quoniam Pater quidem ad differentes personas Spiritum ac Filium refertur, secundum quod sunt personæ differentes, ideo et refertur differenter (29) ; Spiritus autem sanctus, etsi ad personas differentes refertur, sed non secundum quod invicem differentes sunt, refertur ; neque enim ad Patrem, secundum quod Pater est : esset enim Spiritus Filius ; neque ad Filium, secundum quod Filius est : ad Filium enim sic Pater refertur solus. Itaque quoniam unum aliquod ac simplex est, in Patre ac Filio, ad quod refertur Spiritus, merito, et unica relatione ad eos referri dicendus est.

Insuper quoniam idem et unus Spiritus sanctus indifferenter, et sine aliqua adjectionis varietate, Patris ac Filii Spiritus dicitur, necesse est, secundum eumdem modum, etiam amborum sit : sin alias, Filii ad Patrem inæqualitas sequitur, similitudinisque incommutabile hinc tollitur. Sicut enim sapientia, bonitas, justitia, conditionisque ratio, Patri Filioque distributa, eis itidem, et sine varietate redduntur, ideoque una essentia, et una virtus, et unus Deus est : ita et in Spiritu sancto, æqualitatis ratio necessario habenda est. Alias quippe, sicut in illis, cum non similiter Patri redduntur et Filio : diminutio, varietasque essentiæ Filii ad Patrem, sequitur, ut dictum est, secundum Arianorum propositionem : profecto et in sancto Spiritu cum ambobus similiter, ac sine ulla varietate reddatur, si a nobis dissimiliter ac varie redditur, idem necessario sequitur, multoque hic amplius, quoniam et de consubstantialitate Spiritus ipsis sermo est.

Id et magistri Ecclesiæ senserunt. Ait quippe Cyrillus beatissimus, cum illud exponeret : *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis :* « Dei enim et Patris naturalium bonorum essentialiter socius consorsque, cum sic eodem modo habet Spiritum, quo habere eum Pater intelligitur, non inductum, neque extrinsecus injectum, id quippe sentire, summæ vesaniæ est ; sed, sicuti unusquisque nostrum proprium sibi continet spiritum, atque ex intimis visceribus ad exteriora profundit. Propter hoc ipsum denique insufflavit corporaliter Christus, ostendens, quoniam sicut ex humano ore procedit corporaliter spiritus, ita et in divina substantia, qui ex ipsa est Spiritus deifice digneque profunditur. »

Idem rursus cum illud evangelicum exponeret : *Et Deus erat Verbum,* « Non ergo, inquit, minor est, qui eamdem habet efficientiam quam perfectus Pater, genitorisque Spiritum habet proprium naturæ bonum vivumque, et sibi substantialiter insitum, quemadmodum videlicet et Pater. »

Hic, si rursus quis duos processus sancti Spiritus ponens, unum intemporalem [ἄχρονον] ac substantialem, temporalem alterum nec substantialem, Patri quidem ambos assignet, Filio vero secundum ac temporalem, secundum quem et mitti dicitur ab ipso, et dari, et infundi, et si quid aliud hujusmodi de tanta re dici convenientius potest. Primo

(29) Leg. Greg. de Valentia, tom. I *Comm. theol*, disc. 2, q. 10, p.

Digitized by Google

quidem id legem ferentis est (30); neque enim id a quoquam sanctorum dictum est, atque una hoc ipsum in primis est, quod minorem Patre Filium ostendit.

Deinde non dicitur tantum : Quia per ipsum mittitur, et datur ; sed, Quia etiam procedit, quod profecto substantialem sancti Spiritus processum signat, qui etiam æternus atque ante sæcula creditur. Sed enim jam supra declaratum est, quæ ineptiæ, quæ indigna hujusmodi homines sequantur. Præter id namque, quod Filio ministri ordinem assignant, etiam accidentia secundum tempus Filio ac Spiritui, imperfectionemque simul assignare cogentur.

Sed ne in has nugas decidamus, dicendum est secundum magnum Basilium quia, quod ex Deo procedit, non procedit in tempore, etiamsi in tempore ejus efficacia appareat; et quia secundum id quidem quod dicitur, *ex quo*, unicus processus, secundum vero id quod dicitur, *in quod*, geminus esse secundum nostrum habitum agnoscitur, et quæque alia supra dicta sunt. Quanquam nunquam a Filio daretur, nisi ab ipso esset. « A quo enim, ait magnus Athanasius, dari oportebat Spiritum, nisi ab eo, cujus est? » Alias quippe minister esset Filius. Et certe, si priorem illum substantialemque processum, secundum quem ab eo procedit, Pater apud seipsum quasi non communem Filio servaret, missionisque tantummodo illum communione dignaretur; ex mensura ergo daret Pater Filio Spiritum, et non, ut Baptista dixit, *non ad mensuram* [12].

Præterea siquidem missio Patri Filioque communis sit, processio vero a Patre solo, non communicante sibi Filio, omnia quidem Filii Patris erunt; non autem omnia Patris et Filii. Non ergo verum erit, quod a veritate ipsa dictum est : *Omnia mea tua sunt, et tua mea sunt* [13]. Et illud : *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt* [14], quod absurdissimum est, sanctorumque sententiis penitus adversum.

Ait enim Cyrillus beatissimus super illud : *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* « Fructus igitur et figura expressa paternæ substantiæ Filius cum sit, omnia, quæ ipsius sunt per naturam, sibi vindicat; idcirco ait : *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt; ideo dixi vobis, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis*, Spiritus scilicet, qui per ipsum atque in ipso est. »

Et idem rursus super illud : *Hoc erat in principio apud Deum*, « Deum, inquit, verum ex Deo Patre vero genitum seipsum Unigenitus ostendens ait : *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt*; omniumque proprietatum quæ Patri insunt naturaliter, hæres Filius est, ut ex ipso secundum naturam exsistens, etiamsi non intelligatur esse Pater; omnia autem perfecte in seipso habens, quæ sunt personæ substantiæ propria atque præcipua. »

Idem super illud : *Sicut tu me misisti in mundum*, « Quoniam, inquit, ex Patre, et in Patre, secundum naturam est Filius, fructus exsistens verus substantiæ ipsius, Patris proprium Spiritum sibi per naturam vindicat. »

Sed et magnus Basilius in lib. *De fide*, cujus initium est : *Dei quidem meminisse jugiter*, « Filius quidem, inquit, ut Filius, naturaliter, quæ Patris sunt possidet; ut autem Unigenitus, omnia habet in seipso collecta. »

Si ergo omnia, quæ habet Pater bona præcipua et propria Patris, et Filius itidem habet, præcipuus autem est Spiritus vivens, et substantialiter insitus, isque proprie Filii naturæ bonum esse a theologis asseritur, quamvis etiam præter Patrem esse solum, omnia quæ Patris sunt Filium habere itidem asseveratur, constat profecto quia et Filii est Spiritus sanctus, sicut et Patris, ac secundum eumdem modum. Alias enim summa illa cum Patre identitate et incommutabilitate Filium excluderemus.

Verum, etsi eamdem substantiam habet et Pater et Filius, sicut in divina illa simplicissimaque natura digne habere intelligitur, eamdem tamen Pater ita habet, ut a nullo accepisse, cum sine causa sit, intelligatur : Filius autem eamdem ita habet, ut a Patre acceperit, ut a causa, Filiique rationem nascendo sibi vindicaverit. Similiter autem et de Spiritu dicendum, quod eamdem cum illis habeat substantiam, a Patre quidem procedens, a Filio autem accipiens causabiliter, hoc est processus ratione : sive ex Patre per Filium secundum suum substantialem processum, secundum quem ex Patre esse per Filium asseritur.

Dicere autem : Si omnia Patris habet Filius, et Filius necessario jam Pater est; hominum est parum considerate loquentium, Salvatorisque delentium vocem, ac personarum ordinem omnino ignorantium. Neque enim jam esset Filius Filius, neque Pater Pater, sed mista omnia et confusa essent, proprietatibus sublatis. Cæterum constat, servatis tantum proprietatibus, quæ personas commendant, reliqua omnia esse communia. Namque hic Patris ac sui mentionem faciens Dominus et omnium, *Omnia enim*, inquit, *quæ habet Pater mea sunt*, his qui Trinitatem et unitatem confitentur, dicendo, Pater, et Filius, intelligendas proprietates dedit, discretionemque personarum; *omnia* autem dicendo, cuncta naturæ bona quæ Pater habet, præterquam esse Patrem intelligi voluit.

Unde magnus quoque Basilius in libro *De fide* : « Omnia quæ Pater est Filius est, Patrem dixi et Filium, has mihi proprietates serva. Manens igitur

[12] Joan. III, 34. [13] Joan. XVII, 10. [14] Joan. XVI 15.

(30) Hoc est, nihil probantis, sed tantum cum auctoritate asseverantis.

Digitized by Google

Filius, Filius omnia est, quæ Pater, juxta ipsius Domini vocem dicentis : *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt.* Re enim vera imaginis sunt omnia, quæ adsunt primitivæ formæ. »

Beatus item Cyrillus in secundo ad Hermiam ait : « Coæternum Patri credimus Filium omniaque æqualiter habentem, præter solum gignere. » Idemque in libro suo *De Trinitate*, « In Filio, inquit, unigenito, per omnia simili Patri et æquali, præter id solum, quod Pater non est. »

Divus item Chrysostomus in homilia 39 super Joannem, super illud : *Ut omnes honorent Filium, sicut honorant et Patrem*, « Num ergo, inquit, et Patrem ipsum appellabimus? Absit. Idcirco enim dixit Filium, ut manentem Filium, ut Patrem, honoremus. Qui autem ipsum dicit Patrem, non jam ut Patrem Filium honorat, sed permiscet et confundit omnia. » Ac post pusillum : « Dedit autem idcirco dictum, ne ingenitum ipsum suspiceris, neque duos Patres esse putes. Omnia enim quæ Pater est, hæc et Filius est, genitus et manens Filius. »

Porro, si quis etiam Spiritum sanctum, ejusdem essentiæ cum Patre et Filio cum sit, et ipsum quasi necessario se producere subinferat, audiet hinc quidem esse nihil quod ipsum seipsum proferat, ipsumque sui ipsius causa sit; hinc vero nullam aliam nobis personam præter tres, in divinis traditam, ut illam producat Spiritus. Itaque cogetur personam aliam, quæ producatur, invenire, quandoquidem, quod producit, et quod producitur, idem esse non potest, simulque sermonis tolletur fundamentum. Præsupponitur quippe, juxta sacri eloquii positionem, Spiritum produci, vel procedere; solumque unde quæritur : et si Pater, et Filius unus productor est, at quod producit, et quod producitur, idem esse non potest. Sic enim necessario ejus, quod dicitur, unde, causa tolletur : hac vero ratione, et quod dicitur ex Patre per Filium prorsus auferetur. Non ergo est putanda instantia, quam et ea, de quibus sermo est, et quæ a disputationibus concessa sunt, tollunt.

Quanquam etiamsi alia persona detur, hoc ipsum et de illa quispiam inquiret, atque ita nusquam sistetur infinitas. Pari enim ratione, aut in infinitum progreditur processuum numerus, aut, si stabit uspiam, cur non hoc magis in Spiritu, tertia videlicet persona Trinitatis, ut et Trinitatis nobis confessio servetur, et hujusmodi vanitas omnino arceatur? Nam præter id, quod hujusmodi ratiocinatores vani, nihil concludunt, etiam quæ nobis de Trinitate sunt tradita, moventur. Posito enim etiam ex solo Patre esse Spiritum, eadem et ad illos nihilominus erit instantia, hæsitatioque manebit. Ut ergo et eis ipsis, et nobis nihil ad disputationem conferens ejusmodi instantia, imo etiam proposita destruens abjiciatur.

Ex his ergo quæ diximus, apparet et ipsum Filii nomen, et multum quidem, ad propositum conferre. Neque enim Pater verus Pater esse diceretur, nisi seipsum penitus communicaret Filio; neque Filius verus esset Filius, nisi Patris omnia haberet in seipso; sed neque esset incommutabilis imago Patris, si illo minor appareret; neque sigillum uniforme esset, quod in se ostendit Patrem juxta magnum Basilium : « Imaginis quippe sunt omnia, quæcunque insunt primitivæ formæ, » ut ipse ait; et sicut Gregorius Theologus in sermonibus de Filio dixit : « Hæc enim imaginis natura est, imitationem esse primi exemplaris, idemque esse potius, quam assimulationem, ne sit in alio similis, in alio dissimilis. » Et adjecit : « Hic autem eo etiam magis, quo vivens *viventis est imago.* » Sed neque Christus vera prosecutus esset de seipso dicens omnia, quæ Pater essent, se habere; habet autem Pater proprium naturæ suæ bonum, Spiritum sanctum. Et quoniam unam eamdemque naturam Filius ex Patre genitus etiam cum Patre habet, quis audeat hac prælitum Filium asserere paternorum bonorum aliis gaudere, aliis privari? Atque hinc omnium, quod dicitur definitionem tollere, cum Dominus Patris omnia se habere dixerit? Præterea dictum est : *Qui videt me, videt et Patrem* [15]. Quod autem dicitur, *videt*, pro eo positum est, quod est, intelligit, ita exponentibus Patribus.

Et hinc itaque constat, quod qui Filium sine Spiritu cogitat, etiam Patrem Spiritu destitutum intelliget. Quia enim Filius Patris est definitio et verbum; et sicut definitio ad definitum, sive definibile, sic se habet Filius ad Patrem juxta theologum Gregorium : omnino, qui definiti definitionem nescit neque ipsum definibile ac definitum sciet. Itaque si quidem Pater Spiritus sancti causa est, et Filius cum eo. Quod si non Filius, neque Pater quidem. Nam quod in incommutabili imagine non cernitur, id neque in primitiva forma inspicietur. Et qui Filium Spiritus sancti causam non inspicit, ne Patrem quidem causam hujusmodi videre poterit. Quod enim ait Christus, veluti brevis quædam Patris et Filii parilitatis et æqui honoris definitio est. Quantæ igitur, et quam periculosæ audaciæ est, cum tanta sit ambobus incommutabilitatis identitatique ratio, Spiritum a Filio auferre, contra Domini Patrumque sententiam, ut hinc etiam imaginis incommutabilitas tollatur essentiæque differentia necessario sequatur? Unde sane constat, Patrem et Filium unam esse sancti Spiritus causam, generandi nascendique proprietate servata.

Joannes item Chrysostomus in 38 super Joannem homilia, interrogantibus Arianis, quomodo ejusdem esset essentia, qui mitteret, et qui mitteretur, respondit dicens : « Rursus ad humana orationem convertis, neque intelligis ista propter nihil aliud dici, nisi ut et causam sciamus, et in Sabellii mor-

[15] Joan. xiv, 9.

Digitized by Google

bum non incidamus. » Constat ex his, quoniam *mitti*, una quidem divinarum personarum discretionem commendat, simul etiam causam et causale indicat : « Propter nihil enim aliud mitti dictus est, *nisi ut* causam sciamus, et in Sabellii morbum non incidamus. » Si autem mittere et mitti, causam et causale significat, a Filio autem mittitur Spiritus sanctus, liquet secundum divum Chrysostomum, quia Filius causa est Spiritus sancti, et quoniam a Patre et Filio mittitur ; Pater ergo et Filius unus mittens, unaque causa sanctus Spiritus est. Itaque non solum per id, quod dicitur procedere, cum Spiritus ex Patre per Filium procedere theologis asseveretur, verum per id quoque quod mitti per Filium Spiritus dicitur, Filius Spiritus sancti causa secundum substantialem, et unicum, et simplicem processum, juxta Ecclesiæ theologos, fideique principia esse invenitur. Et illud una apparet, quod non dare solummodo et *audire* et *accipere*, in divinis, ut supra demonstratum est, causam, et causale, personarumque discretionem, et ab alio esse, et causam esse indicat, sed et *mittere*, et *mitti*, causam itidem et causale significat, mittique ab alio esse demonstrat. Ideo et Pater mitti non dicitur, quoniam ex nullo est ; Filius autem et Spiritus sanctus, quoniam ex causa sunt, secundum sui processus differentiam mitti dicuntur : Filius quidem, a Patre solo, quia et ex solo est ; Spiritus autem sanctus a Patre et Filio, quoniam per ipsum et ab ipso est. Aliter enim si accipiantur ista, locum in sancta Trinitate non habent, ubi substantiæ incommutabilitas atque identitas esse, pro confesso habetur.

Liquet autem ex his, quod in Filio quidem gigni, *mitti* est, in Spiritu vero procedere est. Neque mitti solum, sed quælibet verba, processum simpliciter significantia, Filioque ac Spiritui convenientia, in altero quidem nativitatem, in altero autem processionem commendant, juxta scilicet illorum proprios substantialesque processus. Hæc enim et sancti Patres dicunt.

Sanctus denique Cyrillus, super illud evangelicum : *Qui autem accipit illius testimonium, signavit, quia Deus verax est* [16], « Pater, inquit, Filium ex propria natura protulit, veluti ex lumine splendorem, secundum ineffabilem atque inenarrabilem divinæ nativitatis morem, quod ipse quoque nobis ostendit dicens : *Unigenitus ego ex Patre exivi, et venio* [17]. Exivit quippe ex Patre in propriam substantiam Filius, etsi in ipso semper secundum naturam est, quodque nobis in illo exisse significat, hoc rursum hic *mitti* indicat. »

Idem super illud : *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me* [18], « Sciendum vero, inquit, quod per id, quod missum se iterum dicit, non secundum se esse a Patris dignitate ostendit ; neque enim servilis illa missio intelligenda est, etsi quam maxime servili forma vestitus, hæc de se sine crimine loquatur. Missus est autem ita, sicut verbum ex mente, sicut splendor solis ex ipso. »

Idem super illud : *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus* [19], « Et certe, inquit, non ignorans, quia omnium habet potestatem, et quia a Deo exivit, hoc est, ex Patris essentia natus est. »

Idem super illud : *Credidistis, quia a Deo exivi* [20], « Ex eo, inquit, quod ait : *Exivi a Deo*, hic rursus putabimus dictum, vel, quia natus sum, atque ex illius substantia fluxi secundum processum, ut essem, et intelligerer, fortasse proprie ac substantialiter, non tamen penitus divisim. Est enim in Filio Pater, rursumque secundum naturam in Patre Filius. Sive *exivi*, pro eo quod est, factus sum homo, vestram formam naturamque suscipiens. Quasi enim locus cujuslibet rei est propria natura a qua exit, cum ad aliud quodlibet migrat, et quod non erat efficitur. »

Sanctus item Maximus controversiam Anomœi seu Ariani cum orthodoxo in morem dialogi conscribens, Anomœum interrogantem facit, quidnam sit *gignere, et nasci, et emittere*, atque *producere?* Orthodoxumque ita respondentem introducit : « Pater quidem gignit, hoc est genuit, Filius autem gignitur, id est genitus est ; atque ipse Pater emittit Spiritum, hoc est emisit ; Spiritusque procedit, hoc est processit. »

Consona his et beatus Gregorius Romanus pontifex in homilia super illud evangelicum (31) : *Cum sero esset die illa una Sabbatorum* [21], loquitur dicens : « *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* [22]. « Hoc est, ea vos charitate diligo, cum inter scandala persecutorum mitto, qua me charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit, quamvis *mitti* etiam, juxta divinitatis naturam, aliter possit intelligi. Eo enim ipso a Patre Filius mitti dicitur, quo a Patre generatur. Nam sanctum quoque Spiritum, qui, cum sit coæqualis Patri et Filio, non tamen incarnatus est, idem se Filius mittere perhibet dicens : *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre* [23]. Si enim mitti, tantummodo incarnari deberet intelligi, sanctus procul dubio Spiritus nullo modo diceretur *mitti*, qui nequaquam incarnatus est, sed ejus missio, ipsa processio est, qua de Patre procedit et Filio. Sicut igitur Spiritus mitti dicitur, quia procedit, ita et Filius non incongrue mitti dicitur, qui generatur. »

Quod igitur ex divi Patris Chrysostomi dictis colligitur, hoc etiam sanctorum cæterorum sententiis colligi datur. Mitti quippe hoc in Patre ac Filio significat quod et nasci, et ex Patre esse habere ; etsi juxta Filii humanitatem ista intelligi possint. Porro

[16] Joan. III, 33. [17] Joan. XVI, 28. [18] Joan. VII, 16. [19] Joan. XIII, 3. [20] Joan. XVI, 27. [21] Matth. XX, 3. [22] Joan. XX, 21. [23] Joan. XV, 26.

(31) Hom. 26 super Evang.

Digitized by Google

cum hoc in Spiritu sancto non habeat, ideo quod corpus non assumpserit ut Filius, restat intelligendum de naturali processu sancti Spiritus ex Filio, quod mitti, et exire, et prodire dicitur.

Ex quibus etiam maxime manifestum est, ut diximus, non duos esse sancti Spiritus processus, quod a quibusdam assumitur; hoc enim pluribus arguitur, etsi propter illius temporalem manifestationem, nostrumque profectum, æternum quod est, temporale videatur, ut superius dictum est.

Quod si divus Chrysostomus alio in loco dixit: « Cum vero mitti audieris, noli de divinitate dictum accipere; Deus non mittitur, » dicendum, quod quia plurimi hæreticorum, ex eo quod dicitur mitti, gradus divinitatum introducentes, unamque et unitissimam essentiam et deitatem dividentes, aliam quidem mittere, mitti aliam docebant; ideo præceptor pietatis illud quidem denegat, ne deitatum introducatur multitudo, deorumque consequentium partim superiorum, partim inferiorum, juxta scilicet substantiarum differentias; et ait quia deitas non mittitur, neque Deus, quando secundum Deitatis nomen absolute dicitur, et sine relatione. Per id vero, quod mittere et mitti dicitur, personarum substantiam, causamque et causale confitetur. Dicitque idcirco dici, quia mittitur, ut causam sciamus, et in Sabellii morbum non incidamus, *mitti* sic accipiens, secundum quod persona ex persona substantiam habet, ex ea prodiens, cum una illis sit essentia.

Itaque secundum quod divina persona est, *mitti* ponitur, quia et mitti in divinis, ut dictum est, ab alio esse significat. Alias quippe, et sibi ipsi et Salvatoris sententiis adversaretur apertissime de se dicentis, missurum se Paracletum, Spiritum veritatis: seipsum *veritatem* dicens, illum scilicet Spiritum, quem mittit Pater, et qui a Patre procedit. Ex quibus id etiam apparet, quod qui per donum sine substantia, non personam, secundum quod persona est, mitti a Filio Spiritum sanctum dicunt, non recte opinantur. Qui enim ex Patre procedit, Paracletus est Spiritus veritatis, *quem mittet* quidem, inquit, *Pater in nomine meo*, hoc est, per me. Missurum vero se, ipse quoque pollicetur, qui discipulos doceret, eisque suggereret omnia. Hunc ergo Spiritum quis audeat sine substantia dicere, nisi blasphemare velit?

Magnus quoque Basilius in libro *De sancto Spiritu*, « Spiritus, inquit, sanctus, nihil sibi acquisitum habens est, sed æterne habet omnia, ut Dei Spiritus et ex eo manans, causamque ipsum habens, ut fontem sui. » Ubi notandum, quia Deum causam esse sancti Spiritus ex eo quod fons ejus sit, monet. Ait enim: « Causam ipsum habet, ut fontem sui. » Liquet autem, quia fontis nomen causam significare vult.

Magnus item Athanasius in ea quam scripsit disputatione orthodoxi et Anomœi, ex persona orthodoxi ait: « Spiritum autem ingenitum dico; non enim habet generationis auctorem, sed fontem sui; sicut enim fons extrinsecus non gignit, quam fundit aquam, sed ex seipso inundans habet, ita et Deus fons Spiritus est, ut dictum est, largitor ejus, non illum extrinsecus sumens, sed ex seipso profundens; scriptum quippe est: *Duo enim mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi lacus contritos, qui non poterunt aquam continere* [14]. Et Apostolus dicit: *Qui largitur nobis Spiritum, et operatur in nobis virtutes* [15]. Quod autem aqua viva sit Spiritus, Christus docuit dicens: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ* [16]. » Et hoc in loco magnus Athanasius *fontem* Patrem dixit, Spiritum *aquam*.

Ubi vero enumerat Scripturæ testimonia naturalis communionis, ex eo quod similiter sit Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, ibi Christum fontem Spiritus dicit, aquam vero sanctum Spiritum nominat. Ait denique: « Dicit Salvator iterum: « *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Exponens autem evangelista quid sit aqua viva: *Hoc autem*, inquit, *dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Dicit enim propheta: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi lacus contritos, qui non poterunt aquam continere.* »

Idem rursus in libro *De dispensatione incarnationis Domini*, cujus initium est: *Qui maligne divinas Litteras volunt intelligere*, « Novit enim, inquit, propheta apud Deum Patrem esse Filium fontem sancti Spiritus. » Sed et Chrysostomus in sermone *De sacramento baptismatis*: « Propterea, inquit, ostendit se ipsum Salvator fontem aquæ vivæ, et aquam vitam Spiritum sanctum. » In hymnis quoque psallimus: « Me dereliquerunt fontem viventis aquæ, Barrabamque petiverunt atque dimiserunt. » Constat igitur, quod dictum est, *me dereliquerunt fontem aquæ vivæ*, aliquando personæ Patris convenire, aliquando vero etiam Filii. Viva autem aqua Spiritus sanctus vocatur. Fons itaque Spiritus sancti Pater et Filius est. Ita quippe et a sanctis Patribus exponitur. Et quoniam fons quidem Spiritus Pater est, ut causa ipsius, est autem Filius sancti Spiritus fons, colligitur, quia una causa, unusque fons sancti Spiritus est Pater et Filius. Omnia enim, quæ Pater habet, Filii sunt, et quæ Filii sunt ad Patrem referuntur. Et illud simul constat, quia sicut per naturam una est aqua, et quæ in fonte est et quæ manat ex fonte, ita unum per naturam sunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Sin vero aqua ex fonte manat, profunditur, scatet; manifestum est, quia et Spiritus ex Filio manat, scatet atque profundi-

[14] Jerem. II, 13. [15] Galat. III, 5. [16] Joan. VII, 37, 38.

Digitized by Google

tur. Hæc autem ipsum ex illo esse significant : quippe Filium ex Patre manare, fluere atque profundi, sancti Patres dicentes, substantiam ejus ex Patre significare volunt.

Ait quippe sanctus Cyrillus in quodam capitulo, *De æternitate Filii*, cujus initium est : *Fons sapientiæ Deus vocatur, et est* : « Erat ergo Patri coæternus Filius, ex paterna substantia veluti ex quodam fonte scaturiens. » Aiunt nihilominus et ipsi Patres Spiritum sanctum ex Filio quoque profluere, profundi, manare atque procedere. Nam in gestis primæ in Nicæa synodi, in his quæ dixerunt sancti Patres ad philosophum per episcopum Leontium, quorum verborum initium est: *Est illud autem intelligendum, o amice, jam veritatis philosophe*, sic habetur, « Invenitur Spiritus ex Patre quidem procedens, proprius autem Filii, et ex ipso prôfluens. » Si quis autem ex his Filium Spiritus fontem juxta eum qui a quibusdam introducitur, secundum processum ejus intelligi tantum vult : at eo dato, quæ prædicta sunt, inepta erunt et absurda omnia.

Præterea etsi dederimus, geminum processum esse, utrumque necesse est Filio communem esse cum Patre, ne varietas essentiæ Filii ad Patrem sequatur. Quorum enim est virtus differens, essentia quoque differens est; sicuti quorum æqua virtus est, æqualis et essentia est. Quod si unus processus est, multo magis quod quærebatur, in manibus est. Hoc autem verissimum est, maxime ostenso, hinc quidem eos qui duos processus ponunt absurda plurima sequi necessario, hinc vero quoniam mitti et procedere, et profluere divinarum personarum distinctionem commendat.

Præterea Filius imago Patris dicitur, Spiritus autem Filii. Dixit enim Apostolus : *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* [37]. Cyrillus quoque, super illud evangelicum : *Sicut tu me misisti in mundum* [38], ait : « Quia enim Unigeniti substantiæ imago integerrima Spiritus ejus est, juxta id, quod Paulus scripsit : *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis filii ejus*, omnes, in quibuscunque fuerit, conformes efficit imagini, hoc est, Filio. »

Idem super illud : *Non pro his rogo tantum* [39], ait : « Imago sincera Patris Filius, naturalis vero similitudo Filii, Spiritus ejus. » Idem rursus in *Thesauris* : « Quemadmodum igitur, quoniam imago Patris diligentissima est Filius, qui eum suscipit, et Patrem habet, ita ad parilem figuram analogia recurrente : qui Filii imaginem, hoc est, Spiritum susceperit, per ipsum omnino habet Filium, Patremque, qui in ipso est. »

Magnus autem Basilius in lib. I *Contra Eunomium*, « Imago, inquit, genita, et dicitur Filius, et est sapientia et virtus, et justitia Dei, non quasi habitus, neque quasi aptitudo, sed vivens substantia, et ἔκλαμψις, et splendor gloriæ Dei. deo et toto in seipso ostendit Patrem, ex tota ejus gloria resplendens. »

Idem in sermone *Contra Sabellium et Anomœum* : « Illic autem cum audis imaginem, splendorem gloriæ intellige. »

Joannes quoque Damascenus, in Canone in magnum Basilium ait : « Imago Patris Filius, ac Filii Spiritus. » Ad hæc sanctus quidem Cyrillus in VI *ad Hermiam* ait : « Denique et sanctus David viventem et substantialiter insitam efficientiam ac virtutem Patris Filium noscens orabat dicens : « *Manda, Deus, virtuti tuæ ; confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis* [40]. Paulus item sapientissimum Christum Dei virtutem et Dei sapientiam [41] aperte prædicavit. » Idem in quodam capitulo 11 *Thesaurorum* ait : « Apertissime ostenditur, non alienum esse a Filio Spiritum sanctum, sed in ipso, et ex ipso esse, ac veluti efficacia quædam naturalis omnia implere valens, quæcunque voluerit. » Rursumque in alio capitulo I *Thesaurorum*, « Filius, inquit, viva et essentialis efficacia est, et virtus sapientia Patris. » Sed et magnus Athanasius, in Epist. ad Serapionem, operationem Filii Spiritum nominat, plurimisque in locis doctores sancti naturalem et essentialem Filii virtutem et operationem Spiritum sanctum asseverant.

Ad hæc faciem quidem Patris Filium, Filii vero faciem Spiritum sanctum asserunt. Ait enim divus Cyrillus in V *ad Hermiam* : « Quod enim, inquit, quasi facies Dei, et Patris Filius sit, Psalmista nos facile docere poterit, aliquando quidem dicens: « *Quo ibo a Spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam* [42] ? aliquando rursus veluti ex persona eorum qui crediderant in illum : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* [43]. Signati enim sumus sancto Spiritu ad similitudinem faciei Patris, hoc est Filii. » Idem super illud : *Operamini non cibum, qui perit* [44], « Quoniam, inquit, non dubium est, quin facies Dei, et Patris Filius sit. Est ipse penitus et character in quo signat Deus. » Idem super illud : *Sin autem, propter ipsa opera credite* [45], « Si enim, inquit, implevit quidem cœlos Filius, et terræ ultima, hoc est, infernum, quomodo non stolidissimum omnino est et præter omnem rationem, ambitus illi applicare nomen? Ne illud quidem venit in mentem quod si facies ejus, hoc est Spiritus; facies enim Filii vocatur Spiritus ; implet omnia, nulla ratione ipsum ambitu includi posse. »

Ad hæc magnus Basilius in lib. IV *Contra Eunomium*, genitorem et primam formam Filii Patrem appellavit. Magnus vero ille Gregorius mirabilium patrator Neocæsareæ episcopus, in libro, cujus initium est : *Inimicissimi alienique apostolicæ confessionis*, « Pater, inquit, Domini principium,

[37] Rom. VIII, 29. [38] Joan. XVII, 18. [39] ibid. 20. [40] Psal. LXVII, 29. [41] I Cor. I, 24. [42] Psal. CXXXVIII, 7. [43] Psal. IV, 7. [44] Joan. VI, 27. [45] Joan. XIV, 12.

Digitized by Google

æterne illum genuit ; et prima forma Spiritui Dominus. » Præterea sermo quidem Patris Filius, verbum autem Filii Spiritus in sacra Scriptura dicitur. Ita et magnus Basilius exposuit. Ac proprius quidem Patris Filius, Filii autem proprius Spiritus sanctus a theologis asseritur. Sanctus denique Cyrillus in libro *Ad monachos*, cujus initium est : *Advenerunt quidem, juxta quod consuetum est, in Alexandria*, « Sicut enim, inquit, proprium est hominis, imo et cujusque cæterorum animalium, quod ex eo secundum naturam generatur, ita proprium Dei esse, quod ex illius essentia est, intelligi et dici debet. »

Magnus item Athanasius, in 1 *Contra Arianos* lib. « Quia enim, inquit, Verbum naturaliter proprium est substantiæ Dei, ex ipso quoque et in ipso est. »

Rursum Cyrillus beatissimus illud evangelicum exponens : *De meo accipiet* [36], ait de Spiritu sancto : « Procedens quippe per eum naturaliter, ut proprius ipsius cum omnibus, quæ habet, perfecte accipere dicitur, quæ ejus sunt. »

Si igitur omnes ferme sancti Patres apostolicum illud : *Conformes imaginis Filii ejus*, ita exposuerunt, ut, *conformes Spiritui* dicerent, qui est imago Filii Dei ; imago vero ex quo est, significat ; non enim Filius imago Patris diceretur, nisi ex illo esset : « Cum enim audimus imaginem, splendorem, ut ait magnus Basilius, oportet intelligere ; » splendor vero manifestissime processum substantiæ designat : constat, quia et Spiritus, cum imago Filii dicatur, idcirco dicitur imago ejus, quia ex illo splendoris instar emanat. Unaque illud apparet, quod nisi etiam a Filio Spiritus esset, nequaquam secundum hoc Filius ex Patre splenderet. Ita nec incommutabilis imago esset. At immutabilis est, personali tamen discretione servata. Dictus est autem ex tota gloria illius illustratus. Si ex tota, totus necesse est totius imago sit, ac secundum hoc minime variabilis. Et quoniam Filius totum in se ipso ostendit Patrem ; hoc autem est, quoniam totus ex toto est. Ait autem ipse Basilius ad Amphilochium scribens : « Quia Spiritus sanctus ostendit in seipso Filium, et majestatem ejus, unde prodiit, constat, quia et Spiritus sanctus totus ex toto Filio est. Et quoniam unum totum est Pater et Filius, neque aliud est totum Pater, aliud totum Filius ; patet, quia ex uno toto Patre et Filio Spiritus sanctus est, servata scilicet discretione Patris et Filii. »

Quoniam vero etiam viva virtus, et naturalis atque essentialis efficacia Patris, est Filius, atque hoc omnino, quoniam ex Patre est (virtus quippe in potente atque ex potente est, efficientiaque ex efficiente prodit), constat, quia etiam Spiritus Filii naturalis atque essentialis efficacia, et viva virtus cum dicatur, secundum eumdem modum dicitur, servato tamen processu differenti Filii et Spiritus ; quod hic scilicet immediate et continenter ex primo, ille per eum qui continenter ex primo prodeat. Secundum eamdem autem rationem et facies Filii dicitur Spiritus, et prima forma Spiritus Dominus, sicut et Pater Filii causæ ratione dictus est. Viva enim viventis imago, et figura substantiæ ejus est [37].

Et certe, si sine medio esset Spiritus ex Patre, id est ex solo, nunquam dictus esset Filius quidem imago Patris ; Filii autem imago Spiritus : et Filius quidem operatio, et virtus Patris ; Filii autem operatio et virtus Spiritus. Atque Filius quidem facies Patris ; Filii vero facies Spiritus. Et illud una ex his apparet, Spiritum Patris Filium nec esse, nec dici ; neque imaginem ejus, et quæ alia Filii esse dicuntur. Processus quippe differens, emanationisque differentia, hunc Filium, illum Spiritum vocari fecit. Si quis tamen, quæ sunt hujusmodi, consubstantialitatem signare asserat, audiat, consubstantialia quidem converti : Filius autem sancti Spiritus neque est, neque dicitur, neque convertitur habitus ista consequentia. Sed ne illud quidem usquam lectum est, quod Filius, virtus, et naturalis essentialisque operatio, et imago sit, neque verbum ejus, et quæ alia Filii Spiritus sanctus esse dicitur. Ex quo sane liquet, propter divinarum personarum ad se invicem ordinem, secundum quem, processus, et secundum quem Spiritus sanctus procedit ex Patre per Filium, ista non posse converti, quia neque ex Patre Filius per Spiritum gignitur. Sicut enim Pater Filii virtus non dicitur, neque operatio, nec splendor, et si quid est hujusmodi (hoc enim esset substantiæ ordinem tollere), eadem ratione neque Filius ista esse sancti Spiritus dicitur.

Porro, si quis imaginem hominum ad Deum, juxta proportionis rationem in imagine Patris, hoc est Filio, et imagine Filii, videlicet Spiritu, velit accipere, non magis quod volet, ostendet, quam Filium a Patris essentia allenabit, Spiritumque a Filio alienum neque sibi naturaliter insitum blasphemabit. Fateri enim cogetur, Filium ad Patrem eamdem habere rationem, quam habent singuli hominum ad Deum.

Verum ex prædicto secundum processus personarum ordine, ratio etiam consubstantialitatis apparet ; constat enim, quia quod ex aliquo, vel per aliquem, secundum æquivocum processum prodit, eamdem inde naturam sumit. Atqui proprium Patris Filium esse, ut qui ex substantia illius sit, sancti Patres asseverant. Magnus enim Athanasius ait : « Quoniam Verbum per naturam proprium est essentiæ Dei, ex ipso atque in ipso

[36] Joan. xvi, 14. [37] Hebr. i, 3.

Digitized by Google

est. » Quæ autem de hoc dicuntur, plurima cum sint propter multitudinem, omittimus, per quæ ex ipso esse, ut proprius sit essentiæ illius, astruitur a sanctis Patribus. Atque hinc dignosci potest, Spiritum ideo Filii proprium dici, quia ex essentia ipsius, rursumque eum ideo ex essentia Filii esse asseverari, quia illius substantiæ proprium esse bonum est : procedere enim per Filium naturaliter Spiritum, ut ipsius proprium, beatus Cyrillus dixit, ideoque ab eo accipere dicitur, quod per hujusmodi processum esse Spiritus sanctus acceperit.

Magnus item Athanasius, de eodem, in primo *Contra Arianos* : « Nisi enim, inquit, esset Verbum germen proprium substantiæ Patris, quasi splendor lucis, distaret vero natura Filius a Patre, sufficeret Patrem solum dare. » Hic proprium Patris Verbum ait, ceu splendorem lucis. At splendor ex causa lucis est. Et proprium igitur ex causa esse ostendit.

Sanctus Cyrillus super illud : *Cum autem venerit Paracletus* [38], « Si ergo, inquit, officium ministri Filium implere arbitramini, alienum hoc est, ex Deo et Patre procedentem Spiritum, qui per naturam sanctus est, nobis largientem, non secundum naturam sanctus est Filius, sed participatione sicut et nos. » Hoc exponens, quod ait, *alienum*, ex Deo, inquit, et Patre procedentem; non propterea alienum dicens, quia ex Deo et Patre sit, sed quia non sit ex Filio. Si igitur, quemadmodum proprium est hominis, quod ex ipso secundum naturam natum fuerit, ita et proprium Dei est, quod ex ejus essentia est; dicitur autem Spiritus proprius Filii, quomodo non ideo proprius dicitur, quoniam ex ipso est? Si enim ex ipso non est, ab ipso alienus erit, etsi non sit a Patre alienus.

Et illud autem simul ostenditur, quod, nisi esset ex Filio, ministri officio Filius fungeretur apud Patrem. Hæc enim aperte supra jam dicta sunt. Beatus autem Cyrillus manifestius et aliis in locis hæc ponit. Nam in expositione Joelis prophetæ, « Proprius ejus, inquit, id est Filii, et in ipso, et ex ipso Spiritus est, quemadmodum scilicet etiam ipsi Deo et Patri intelligitur. » Ac rursus in laudibus Theodosii principis, « Baptizantem, inquit, Jesum in igne, non alienum immittentem Spiritum, servi scilicet, ministri officio; sed, ut Deum cum summa potestate, eum qui ex se erat, ac proprii sui. »

Rursus super Joannis Evangelio, « Naturalium enim, inquit, Dei ac Patris bonorum socius et consors Filius essentialiter cum sit, Spiritum habet. » Ac post pauca : « Sicut et quisque nostrum proprium in seipso Spiritum continet, atque ex intimis visceribus ad exteriora profundit. Idcirco enim etiam corporaliter insufflavit eum Jesus. » Idem in quodam cap. 11 *Thesauri* sic ait : « Ostenditur evidenter, non alienum esse a Filio Spiritum, sed in ipso atque ex ipso esse. »

Ac per omnia si quis sanctum Cyrillum observet diligentius, ita eum semper inveniet Spiritum sanctum proprium esse Filii dicere, ut qui ex ipso sit, et quia idem est, Spiritum sanctum Spiritum esse Filii dicere, et proprium ipsius esse; Spiritum autem Filii relative dici, supra monstratum est; sed et magnus Basilius sufficere ait et hoc ad ejus substantiam insinuandam, sicut et quod ex Deo esse dicitur; Spiritusque ad Filium proprietatem, ex eo quod Spiritus Filii dicatur, intelligit, sicut ad Patrem quoque, quoniam procedit ex Patre. Proprietatem enim in divinis personis veluti causæ et causalis communionem accipi vult : qui et ad Amphilochium scribens de sancto Spiritu dixit, non hinc solum naturæ communionem demonstrari, sed quoniam etiam ex Deo esse dicitur, manifestum est, quia et quod dicitur Spiritus proprius Filii, hæc omnia vult; quia enim in divinis personis, quod dicitur hoc hujus, propriumque hoc hujus esse, remota materia omnibusque illam e vestigio sequentibus, neque ut membrum, neque ut possessio, neque secundum ullam excellentiam, atque hujusmodi proprietatem dicitur, solum vero secundum causam et causale; quo solo alterum ab altero distingui ac discerni deprehendimus, constat, quia, et quod dicitur proprium Filii Spiritum esse, secundum hanc solam causæ rationem accipi potest, maxime cum apertissime sancti asseverent, Filium quidem proprium Patris, quoniam ex ipso est; Spiritum vero proprium Filii, ut qui in ipso et per ipsum naturaliter prodeat, atque ex ipso sit; quod significat et Filii ad Patrem, et Spiritus ad Filium consubstantialitatem. Neque enim, quoniam consubstantialis est, ideo etiam ex ipso est, consubstantialis quippe ratione, unum sunt, nullusque ordo, seu habitus, seu processus inspicitur, quia una essentia est, unumque illud secundum se individuum est, sed quoniam ex ipso est, idcirco etiam consubstantialis est : sequitur enim hujusmodi causæ, causalisque proprietatem consubstantialitas, sicut et Filii nomen, secundum se quidem processum alicujus ex aliquo principaliter indicat in eadem specie, consequenter vero consubstantialitatem esse. Nam, quod ita procedit, necessario etiam consubstantiale est.

Itaque id quidem, quod dicitur istud ex isto esse, ut causa accipitur, porro quod ista propter ejusmodi processum æquivocum, consubstantialia sunt, ut causale est; neque enim causam, ut causale ponere oportet, quod quidam irrationabiliter faciunt, dicentes propter consubstantialitatem dici Filium proprium Patris, et Spiritum proprium

[38] Joan. xv, 26.

Digitized by Google

Filii ; et Filium quidem imaginem, vivamque virtutem, et substantialiter insitam operationem Patris; Spiritum vero imaginem Filii, et virtutem, et naturalem operationem, et substantialiter insitam ipsius; hæc enim omnia causam et causale signare a sanctis Patribus ostensum est ; proprium quippe dicunt, quoniam ex ipso est ; et alia quæ supra posuimus.

Attestatur his magnus Basilius in sermone *Contra Sabellium et Anomœum* dicens : «Patrem confitemur, et Filium; naturæ autem identitatem, quoniam ex Patre Filius est.» Et rursus in eodem : «Ut imago quidem varietatem non habet, ut genitus autem, consubstantialitatem servat. » Sanctus autem Cyrillus, super illud : *Cum venerit paracletus*[39] , itaque cum diceret, inquit : *Non spiritum hujus sæculi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est*[40], ostendit, non mundani generis, sed divinæ essentiæ esse Spiritum sanctum.» Idem super illud : *Quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam*[41], ait : « Quod enim ex Patre natus esse Filius dicitur, prorsus etiam invitos coget illi consubstantialem eum fateri.» Et rursus in ii *ad Hermiam :* « Quoniam ex ipsa Dei et Patris essentia ortus est Filius , non aliter quam ille esse intelligatur, quantum ad identitatem naturalem.»

Sanctus vero Maximus cum exponeret, quid sibi velit apud prophetam Zachariam[42], aureum candelabrum, et super eum lampas, ait : « Spiritus sanctus, quemadmodum naturaliter secundum essentiam Dei et Patris est, ita et Filii secundum essentiam est,» quasi ex Patre essentialiter per Filium genitum ineffabiliter prodiens.

Constat igitur ex his Filium Patri consubstantialem esse, quoniam ex ipso est; rursumque secundum eamdem rationem Spiritum Filio consubstantialem esse, quia per ipsum procedit, et in ipso atque ex ipso est. Ista quippe a sanctis Ecclesiæ magistris ita traduntur. Si quis autem ideo proprium Filii Spiritum dicit, quia per ipsum his qui digni sunt, datur, is non satis animadvertit dari quod dicitur, temporale esse ; proprium autem esse Filii Spiritum æternum. Nunquam enim profecto quod temporale est, ejus causa esse posset, quod supra tempus est. Nam, si homini proprium ipsius, in quantum vivit, semper cum eo est, multo id magis in Dei Verbo erit ; atque una minister esset, quod non per ipsum, et ex ipso naturaliter procederet dans. Quanquam si secundum aliquam consubstantialitatis rationem, qualis de duobus aliquibus consubstantialibus est, in quibus alterum per alterum non est, esset Spiritus proprius Filii, atque ex substantia Filii esset utique et Filius sancti Spiritus proprius, et ex substantia Spiritus propter conversionem hujusmodi consubstantialis. At istud neque dictum est ab aliquo sanctorum, neque unquam dicetur ab his qui pie et catholice de Deo suo sentiunt.

Quanquam hujusmodi consubstantialitas non proprie consubstantialitas est, sed ea quæ connectit alterum alteri, utpote per ipsum ex ipso naturaliter atque essentialiter exsistens. Attestaturque huic assertioni Basilius, cum dicit, non quæ germana invicem sint, consubstantialia dici. Ait enim epistola ad Canonicos : « Quoniam igitur lux a principio Pater est, lux autem genita Filius. Lux vero, et lux utraque est, merito hanc consubstantialem dixerint, ut naturæ æquum honorem commendarent. Non enim quæ germana sunt, consubstantialia dicuntur, ut quidam arbitrati sunt ; sed cum et causa et quod ex causa substantiam habet, ejusdem naturæ sunt, consubstantialia dicuntur.

Idem in sermone contra Sabellium et Anomœos de Patre et Filio disserens ait : «Cum autem unam essentiam dico, noli duo ex uno divisa intelligere, sed ex Patre principio Filium subsistere, non Patrem et Filium ex aliqua superiori essentia. Non enim germana dicimus ; sed Patrem confitemur et Filium ; essentiæ vero identitatem, quoniam ex Patre Filius est. »

Hoc igitur in loco hæreticis quibusdam contra consubstantiale Patris et Filii nitentibus, et calumniam inde struentibus ; ut si quidem consubstantialis sit Pater Filio, ejusdemque essentiæ, ambo, pro Patre et Filio, duo inducantur fratres ex una essentia : atque ad has absurditates devolutis, magnus Basilius concedit quidem interim, quæ germana sint, invicem consubstantialia dici : sed tum profecto, cum et causa, et quod ex causa substantiam habet, ejusdem naturæ fuerint. Et addit : « Non enim germana dicimus, sed Patrem confitemur et Filium, quoniam ingenitum quidem lumen Pater est, genitum vero lumen Filius. » Quasi et in his, quæ simpliciter consubstantialia cum sint, et ex uno substantiam habeant, sit quidem proprietas : sicuti et multitudo hominum sibi invicem consubstantiales sunt, cum ex uno patre Adam generationem habeant, non tamen tanta est eis proprietas sicuti cum eorum quæ ejusdem naturæ sunt, aliud est causa, aliud causale ; tunc enim proprie consubstantialia dicuntur.

Sicut igitur Filius ex Patre esse habens consubstantialis illi est, atque ista invicem consubstantialia sunt ; esse enim ex Spiritu Filium, processus ille, secundum quem ex Patre per Filium procedit Spiritus, minime permittit: ita enim cavebimus et duos filios in sancta Trinitate confiteri, et consubstantialitatem maxime reddimus. Et illud simul ostenditur, quod nisi sit ex Filio Spiritus, germana sibi invicem erunt Filius et Spiritus. Dicens enim, Noli duo ex uno divisa intelligere, non enim *germana* dicimus, docuit : quoniam si qua essent, ex eodem solummodo, secundum quod ex eodem essent,

[39] Joan. xv, 26. [40] I Cor. II, 12. [41] Joan. vi, 38. [42] Zach. iv, 2 seqq.

Digitized by Google

germani merito fratresque dicerentur. Itaque cogentur, qui et Filium, et Spiritum, ex solo, et immediate ex Patre ambos dicunt, duos in Trinitate fratres confiteri, duoque ex uno divisa intelligere : ut neque summa consubstantialitatis ratio reddatur, atque una ordo ille personalis ad invicem omnino auferatur; simulque Trinitas non erit Deus. Sed ista sunt absurdissima, et illud itaque absurdum, quod ista necessario sequitur.

Neque vero absurda tantum sunt, sed etiam impossibilia, stantibus initiis fidei, doctorumque sententiis prorsus obsistentibus. Addens autem sanctus vir essentiæ identitatem, quoniam ex Patre Filius sit, ostendit, consubstantialitatem Patri et Filio adesse, propterea quod esset Filius ex Patre. Unde constat in divinis personis consubstantiale in causa et causali conspici : non autem e contra, etiamsi conjungantur invicem, sicuti ante causale causa cogitatur. Non ergo Filius et Spiritus sibi invicem essent consubstantialia, nisi alterum esset ex altero, maxime quia etiam secundum consubstantiale unum cum sint, nulla discretio inspiciatur, nisi præcedat relatio, quæ secundum causam est.

Ex his autem quæ scripta sunt, constat, et eos qui de scriptis Theodoriti contra beatissimum Cyrillum opinionem suam astruere nituntur, sanctorum Patrum intentionem intelligentiamque non assequi. Ille enim de sancto Cyrillo dixit : « Quod si dicat Spiritum esse proprium Filii, quasi ex Filio, vel per Filium substantiam habentem, quasi blasphemum et impium abjiciemus. » Dixit autem Cyrillus, ut ex superioribus patet, proprium Filii Spiritum et in ipso, et ex ipso esse, quemadmodum et in ipso Deo, et in Patre esse intelligitur; et sicut proprium ipsius, per eum procedere naturaliter dixit. Ideo et quæ ejus sunt accipere dicitur, neque serviliter alienum immittere Spiritum, sed eum, qui ex eo propriusque ejus est.

Et alio in loco, profluentem ex Deo Patre per Filium naturaliter Spiritum sanctum veluti in figura respirationis oris nostri, propriam nobis indicare substantiam docuit. Hæc autem aperte contraria sunt; neque erubescunt Theodoritum hæreticum hominem, atque in dogmatibus sancto Cyrillo adversarium in causæ suæ patrocinium contra sanctum virum testem proferre. Quod enim hæreticus homo ille fuerit, atque Ecclesiæ septis repulsus, publica gesta testantur. Sancta enim quinta universalis synodus in cap. 13 ita definivit : « Si quis impii Theodoriti scriptis faverit, quæ contra fidem rectam et Cyrillum, duodecimque illius capitula, quibus ipse eadem, quæ Theodorus ac Nestorius prædicti sensisse deprehenditur, eos illorumque impietatem fovens, neque prædicta impia scripta anathematizaverit, atque una eos qui talia senserunt et sentiunt, et omnes qui scripserunt contra rectam fidem, Cyrillumque beatissimum, contraque ejus duodecim capitula, et in tali impietate mortui sunt, anathema sit. »

Sancta vero et universalis sexta synodus in nono capitulo gestorum suorum ita definivit : « Si quis non anathematizat Theodoriti contra rectam fidem et sanctum Cyrillum scripta, et Epistolam quæ dicitur Iba, et Theodorum Mopsuestenum episcopum, et scripta ejus; et si quis non suscipit opuscula ipsius sancti Cyrilli, et maxime contra Theodorum, et Andream, et Nestorium, eosque qui illis vel uni eorum similia senserunt aut sentiunt, anathema sit. »

Eadem fere et quarta et septima universalis synodus continent. Et mirum sane, quod hujusmodi patrocinium isti ex eis potissimum duodecim Theodoriti capitulis conciscunt, quæ aperte et nominate a sanctis synodis anathemati subjecta sunt. Quæ enim divus Cyrillus contra Nestorium duodecim capitulis conscripsit, eis Theodoritus totidem capitulis contradicere præsumpsit. Atque in nono proprium Filii Spiritum Cyrillo asserente, ille in nono suo dictum illud evomit. Imo, ut apertius viri sancti innotescat intentio, ipsa ejus verba apponamus.

Ex duodecim capitulis contra hæreticum Nestorium a S. Cyrillo scriptis, capitulum nonum.

« Si quis, inquit, unum Dominum Jesum Christum a sancto Spiritu clarificatum esse, virtute sua ipsius, quasi aliena utentem, atque ab ipso accepisse, ut contra immundos spiritus posset operari, divinaque in hominibus signa perficere; ac non magis proprium ipsius Spiritum dicit, per quem divina mortalibus signa monstraverit, anathema sit. »

Declaratio ejusdem capituli in Epheso habita, ab eodem B. Cyrillo, cum eum sacra synodus orasset, ut eis apertius exponeret, quid sibi ista vellent.

« Homo, inquit, factus Dei unigenitus Filius, sic etiam permansit Deus omnia exsistens quæ et Pater, præter solum Patrem esse, propriumque habens ex seipso prodeuntem, atque essentialiter sibi ingenitum Spiritum sanctum, divina patrabat signa. Itaque et homo factus, sic quoque permansit Deus. » Propria igitur virtute per Spiritum « faciebat mirabilia. Qui autem dicunt, eum quasi unum ex nobis hominem sanctum efficientia Spiritus, non ut propria magis, sed ut aliena nec divina utentem, et veluti in parte gratiæ a Spiritu accipientem, ascensum ad cœlos, anathematis merito sententiæ subdentur. » Sed enim ipsius quoque Theodoriti dictum illud arguens ait : « Quoniam vero Nestorius aliena virtute usum esse Christum, sicut etiam sanctorum singuli, dicebat, idcirco proprium Filii dixi. Erat enim, et est istius Spiritus, quemadmodum scilicet et Patris. Atque hoc nobis insinuat Paulus apostolus dicens : *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu : siquidem*

Digitized by Google

Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus [51]. Procedit enim ex Deo et Patre Spiritus sanctus, juxta Salvatoris vocem. Est autem neque alienus a Filio; omnia enim ille cum Patre habet. »

Ex his igitur sancti viri mens diligenter intuenda est, utque ille intellexit proprium esse Filii Spiritum sanctum; quis enim commodior et aptior verborum suorum interpres esse possit, quam ille ipse, qui scripsit? Proprium enim, ut propriam Filii virtutem, dixit Spiritum sanctum, eumque per ipsam operatum : atque ideo essentialiter ipsi innatum fuisse, atque ex eo esse, omniaque habere Filium, quæ habet Pater, præter solum, Patrem esse. Sed et rationem reddens dicti sui, cum diceret, Spiritum sanctum Filii esse, sicut et Patris, neque enim esse ab eo alienum, quia scilicet Patris omnia cum Patre haberet : quippe naturalium Dei et Patris bonorum hæres Filius cum sit, habet et Spiritum, quemadmodum et in ipso Deo et Patre intelligitur, præter solum Patrem esse, ut alio in loco ait, ostendit se magis asseverare, quæ in novo capitulo dixerat, quam abnegare, neque Theodoriti opinionem omnino suscipere, ut maxime perniciosam.

Est ergo indignum sane et iniquissimum, Theodoriti proferre capitula, quæ oblivioni perpetuæ et oblationi tradenda tota synodus sanxit, hisque de beati Cyrilli mente indicare. Potius autem ex his, quæ seipsum exponens, ait, quæque alibi pluribus in locis scripsit, mens ejus colligenda est. Ex quibus profecto manifestum legentibus fit, eum semper proprium, quod dixit, aut non alienum esse a Filio Spiritum, pro eo quod est, ex Filio esse Spiritum, intellexisse; sicut etiam ex superioribus manifeste deprehenditur. Quodque mirabilius est, cum Theodoritus sanctum Cyrillum quibusdam epistolis insimulans, diceret sanctum virum omissis, quæ contra Nestorium dixerat ac scripserat, ipsi Theodorito concordem effectum esse, easque epistolas misisset ad plurimos; illique hanc ejus mutationem mirarentur atque obstupescerent; comperta calumnia, beatus Cyrillus rescribens dixit : « *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa* [52]. Invenio enim meipsum falsæ calumniæ expositum. » Ista, qui Theodoriti patrocinio nituntur, ita proferunt, quasi dicta sint pro affirmanda Theodoriti sententia; quod sanctus vir, mutata sententia, per Filium atque ex Filio esse sanctum Spiritum neget. Hoc autem est hominum contra fidem rerum, contraque sanctorum mentem, improbe nimis mentientium. Ili enim, ut supra declaratum est, cum sancto Cyrillo Spiritum sanctum per Filium substantiam habere asserunt, atque esse ex Filio, quod procedens sermo apertius docebit.

Constat ergo ex superioribus Theodoritum hæreticum fuisse, atque in his maxime quæ contra D. Cyrillum scripsit. Hujusmodi autem scriptis ad astruendam veritatis regulam uti minime convenit. Porro si quis eum postmodum ab Ecclesia susceptum esse (32) pœnitentem dicat, nihil ad rem. Illa enim, unde Theodoriti dicta proferuntur, ab universalibus synodis damnata sunt.

Liquet autem et id quod opinari neque ex Filio, neque per Filium Spiritum sanctum habere substantiam, opinio Nestorii est; cui Theodoritus consors fuit, ut res ipsæ testantur. Et ipse autem Nestorius in symbolo fidei suæ ita pronuntiavit. Quod si hujus causæ aperte non insimulatur, non id tunc erat synodo propositum, neque inde plurimi scandalum patiebantur, cum a plurimis ne agnosceretur quidem, neque idcirco synodus collecta esset. Etsi enim erat peccatum ac mendacium deterius et majus, circa divinitatem, quam circa humanitatis dispensationem, blasphemiæ frena laxare; ratio tamen incarnationem tunc magis urgebat. Periclitabatur enim tunc fides, cum neque Verbum suscepisse carnem, neque Deum hominem factum fuisse plurimi asserent, sacramentumque dispensationis, in quo Christianorum salus est, nomen potius, quam res esse videretur, neque sane opportunum erat, omisso, propter quod convenerant, et propter quod periclitabatur Ecclesia, de his quæ nihil urgebant, verba movere, cum principalis quæstio multo tempore multisque sermonibus, ut enodari posset, indigeret : ne si ab instituto, re infecta, resiliissent, confundere omnia ac miscere viderentur, dumque, quod erat in manibus, corrigere deberent, neque hoc digne facerent, neque illud, quod intempestive molirentur. Necessariis itaque omissis cæteris, hoc unum, quod urgebat, curare perstiterunt.

Nam et sapientiores quique medici cum infirmum gemino morbo laborare animadverterint adversus eum qui perturbat magis, et sectione indiget, etsi in suo genere minor esse videatur, prius armantur. Et judices sæpenumero, reum aliquem nacti plurimis criminibus obnoxium, illud unum, in quo deprehensus fuerit, omissis interim cæteris, illi maxime objiciunt.

Neque sane mirandum, si ea Nestorii opinio a sanctis Patribus tunc vel existimata, vel confutata non fuerit, cum ante illum et Arius, et omnes, qui Filium blasphemabant, in Spiritum sanctum quoque deterius blasphemi fuerint. Quippe et assumptam a Christo cum carne animam ante Verbi incarnationem præexstitisse, cœlitusque illam advenisse, Arius asseverabat. Animarum etenim præexsistentias et ipse credebat, nec tamen hoc illi crimen objectum est, solumque quod Filium creaturam diceret, ab Ecclesia fugatus et ejectus est, cæteræque blaspbemiæ illius in memoria non sunt, neque publice de illo di-

[51] Rom. VIII, 8, 9. [52] Psal. CXIX, 2.

(32) In concilio Chalcedonensi.

Digitized by Google

citur, quod Spiritum sanctum blasphemaverit, cum certe et sancti Spiritus hostis nihilominus fuerit.

Quod si quis opinetur, debuisse tunc synodum etiam hujusmodi blasphemias saltem redarguere, reprehensum tunc generaliter audiet, cum dicerent : Nemini fidem alteram proferre, aut conscribere, seu componere liceat, præter eam, quam sancti Patres tradiderunt, ita de illa statuentes sentiendum, sicuti symbolum continet, secundum videlicet beati Cyrilli expositionem, et secundum epistolas, quas idem vir ad Nestorium scripsit : in quibus aperte confitetur Spiritum sanctum ex Filio, atque per Filium habere substantiam. Sin vero sanctorum opinio est, per Filium Spiritum sanctum naturaliter atque essentialiter et æterne procedere, procedere autem, quod dicitur per processum, significat habere substantiam, sicut et nasci per nativitatem : beatus item Cyrillus per omnem ferme scriptorum suorum textum, naturaliter per Filium procedere, ut proprium ipsius Spiritum, propriamque virtutem suam, atque ex ipso esse, divinis rationibus asserit, et quæque alia prædicta sunt : quomodo non illum hominem arguit synodus, qui Spiritum per Filium substantiam habere negabat, etsi de hujusmodi opinione, propter ea quæ diximus, latius nihil dixerunt ?

Quam igitur absurdum est, per hujusmodi silentium putare sanctam synodum hæretici hominis blasphemiis acquievisse, quod scilicet Spiritus non per Filium substantiam haberet, cum id manifeste contrarium sit, et sanctorum Patrum præcedentium, et beati Cyrilli scriptis, quæ synodus secuta est, et sequenda cæteris statuit. Hoc enim est Ecclesiæ sanctæ calumniam struere.

Præterea stolidissimum omnino est, his, quæ sancti Patres innumeris in locis conscripserunt, non acquiescere, sed eis neglectis ea illos dixisse conjicere, quæ nunquam dixerunt, atque ex his, quæ illi tacuerunt, velle argumenta trahere, quasi disputatione sublata solum silentium, quæ in quæstione sunt, explanare sufficiat, cum certe Scriptura dicat : *Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis* [45] ; atque ita facile de rebus arduis velle concludere. Atqui secundum eam facilitatem, ne pernicosam levitatem dixerim, Spiritum sanctum Deum verum de Deo vero appellabimus, neque Patri et Filio consubstantialem confitebimur, quoniam in Symbolo fidei, non ut de Filio, ita et de Spiritu sancto id notatum est : hic nempe ex his, quæ silentio suppressa sunt, volentibus malignari aperitur aditus. Quæ vero de Spiritu in Symbolo conscripta sunt, Patri Filioque communia inveniuntur.

Quod si sancti Patres ea quorum gratia convenerant, non enuntiaverunt, in secunda scilicet synodo, cordati licet atque sapientissimi, quid mirum si id omiserunt propter quod minime convenerant, cum vix paucis tunc esset cognitum ? ac propterea, neque ecclesiastica causa infirmior esset, neque id ullus argueret. Quanquam dici posset, sanctam synodum alio intentam, ad calumniam hujusmodi fortasse non satis instructam ac paratam advenisse, sive etiam putasse, eliminato de incarnatione Domini, qui emerserat errore, et hunc etiam una projiciendum.

Hanc autem opinionem fuisse Nestorii, ex veteribus liquet, quibus cura fuit ista litteris tradere. Nam ex fidei suæ Symbolo vix constet, si quis pietate contentus, quæ ille dixit, pie velit accipere. Ait enim, « Spiritum sanctum ex Deo esse putamus, non creationis causa, sed ex divina essentia ; et neque Filium putamus, neque per Filium accepisse substantiam. » Dicens ergo ex Dei *essentia esse*, et *neque Filium putamus*, intelligi dat, quia Spiritum hunc et ex Deo esse, et ex illius essentia credit, quod autem, non creationis causa, dicit, et addit, « neque per Filium substantiam cepisse, » rursus intelligendum dedit, quia, non sicut sunt creaturæ ex Deo per Filium, ita et Spiritus sanctus ex Deo per Filium substantiam habet ; hoc autem verum est. Et simul id constat, quia de eo, quod non sit ex Filio Spiritus, nihil hic dixit, sed enim quomodo non Filius esse putaretur, nisi per Filium haberet substantiam, hoc est, per Filium procederet. Itaque, siquidem hic æternam per Filium substantiam processionemque denegat, quomodo non sanctis Patribus aperte refragatur ? Nonne jam necessario cogetur Filium confiteri, etiam Spiritum sanctum ipsum sine medio ex Patre esse credens, secundum scilicet prædictas assertiones Patrum ?

Cum igitur simpliciter, ac pia intelligentia possit accipi, quod dictum est, etsi nos non ea mente dictum fateamur ; atque hæc opinio necdum publica, nec vulgata esset, ac propterea nihil ex eo religio Christiana læderetur, nemoque fere insimularet, verbaque ipsa subtilius disquireret rebus præterea maxime necessariis urgentibus, ne scilicet incarnationis sacramentum verba simpliciter, ac prædicatio inanis videretur : ambagibus omissis ad id, propter quod convenerant, se contulerunt. Liquet autem, quia qui Spiritum non etiam esse dicit ex Filio, Christum non quasi propria virtute, sed velut aliena usum confitebitur. Porro id anathemate multatum est.

Sive igitur, quoniam imago Patris Filius est incommutabilis, omniaque Patris habet, præter id solum, quod Pater non est ; sive, quia Christus propria virtute, non aliena Spiritu sancto utitur, ut et id credatur, quod dicitur : *Verbum caro factum est* [46], necesse est etiam ex Filio esse Spiritum sanctum confiteri. Hoc enim ideirco Nestorius negabat, ut contra dispensationem incarnationis se apertius exsereret. Scriptum est item in Evangelio : *Sciens autem Jesus exisse ex se virtutem* [47]. Ac rursum in

[45] Matth. XII, 37. [46] Joan. I, 14. [47] Luc. VI, 19.

Digitized by Google

eodem : *Quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes* [48]. Languor quoque dæmoniacorum ex his unus erat, quos sanabat Jesus. Ait enim ipse : *Si autem in Spiritu Dei ejicio dæmonia* [49]. Patet igitur, quia manans ex eo virtus, sanctus Spiritus erat.

Hoc autem inde etiam constat, quod Dei quidem est, omnia amare, virtus autem illa sanabat omnia. Necesse est ergo Deum esse Spiritum sanctum, quem etiam sanctus Cyrillus dicit esse proprium Filii, ut virtutem ejus, naturaliter per eum procedentem, atque ideo ne alienam quidem esse.

Inventum est ergo in Evangelio, Spiritum ex Filio procedere, quod isti tot quæstionibus ventilant. Præterea, quod dicitur per Filium procedere, omni nos hujusmodi curiosa inquisitione coercet. *Per* enim, et *ex*, tantumdem valere, doctorum auctoritas docuit, veritatisque ratio sese undique aperit. Verumenimvero, quæ a sanctis Patribus lucidius quoque de hac re scripta sunt, juvat apponere. Sanctus enim Cyrillus quoddam capitulum II *Thesaurorum* libri, ita inscribit : *Quod ex Patris Filiique substantia sanctus Spiritus est.* Quod si hoc vir sanctus proposuerat, quis ambigat, propositum voluisse conficere ? In ipso igitur ita inscripto capitulo ait : « Quoniam igitur Spiritus sanctus cum in nobis fuerit, conformes nos ostendit Deo : procedit autem ex Patre et Filio, constat, quia divinæ substantiæ est, essentialiter in ipsa, et ex ipsa prodiens. » Rursus in eodem : « Proprius est autem omnino Spiritus Filii, neque extrinsecus subsistens. »

In alio iterum : « Legem itaque ferente Christo, Spiritus ipsius ut in ipso, atque ex ipso, naturaliter exsistens legem fert. » Ac rursus in alio : « Nullam igitur novit Paulus naturæ Filii Spiritusque differentiam ; sed, ut ex ipso exsistentem naturaliter, dominationis nomine appellat. » Et iterum in alio : « Necesse est fateri Spiritum ex ipsius essentia Filii esse substantiam. » Et in alio iterum : « Est igitur ex Filii essentia Spiritus. »

Item super Joannem, super illud : *Et Deus erat verbum*, « Non ergo, inquit, minor est, qui eamdem cum perfecto Patre habet operationem genitorisque Spiritum propriæ naturæ habet bonum, vivumque et substantialiter insitum, sicut videlicet et Pater. » Idem super illud : *Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis* [50], « Dei enim, inquit, et Patris naturalium bonorum consors essentialiter exsistens Filius, habet Spiritum secundum eumdem modum, secundum quem et Pater habere intelligitur : non inductitium, neque extrinsecus advenientem. Stultum quippe et insanum est, ita sentire. Sed sicut etiam unusquisque nostrum proprium in se ipso spiritum continet, et ex intimis visceribus ad exteriora profundit. Idcirco enim et corporaliter ipsum insufflavit Christus, ut ostenderet, quia sicut ex humano ore corporaliter procedit spiritus : ita ex divina essentia divina ratione profluit, qui ex ipsa est. »

Idem in VI *ad Hermiam* ait : « Et, si divinæ naturæ accepto Spiritu participes efficimur, quomodo secundus erit a Spiritu Filius, aut quomodo erit Spiritus ipso præstantior, et non magis, ut ipseque, et ab ipso Spiritus ejus totam habens ejus operationem, ipsiusque participationem tribuens ? »

Idem in primo de spirituali cultu, cum exponeret tria facta per Moysen signa, in fine de circumcisione filii Moysi disserens ait : « Quem sane filium intellectualis Sephora, hoc est Ecclesia, quæ ex Madian atque ex gentibus est, circumcidit calculo. Figura est ista sancti Spiritus, propter maximam ejus infractamque potentiam ; quia etiam ex petra ; Christus enim est Spiritus, petra autem Christus, sicut et Paulus et sapientissime dixit [51]. »

Item ad Palladium scribens in primo scilicet de spiritali cultu : « Variabilis, inquit, profecto Spiritus non est ; aut si variationis subjacet morbo, ad ipsam divinam naturam recurrit macula. Siquidem est Dei, et Patris, sed et Filii Spiritus, essentialiter ex utroque, ex Patre scilicet per Filium manans. »

Idem in epistola ad Nestorium tertia, cujus initium est : *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus* [52], « Etsi, inquit, in speciali substantia est Spiritus sanctus, ac secundum seipsum intelligitur, secundum quod Spiritus est, et non Filius, non est tamen ab eo alienus. Spiritus enim veritatis nominatus est, et est Christus veritas, atque ab eo profluit, sicuti et a Patre scilicet. »

Idem super Ioel, cum illud exponeret ; *Effundam de Spiritu meo* [53], « Secundum enim quod Deus est atque ex Deo secundum naturam Filius : natus enim est ex Deo et Patre, proprius ipsius, et in ipso, et ex ipso est Spiritus, » sicut videlicet ex ipso Deo et Patre intelligitur.

Idem in laudibus Theodosii imperatoris ait : « Baptizantem, inquit, igitur in igne et sancto Spiritu ; non alienum baptizatis largientem Spiritum, servi scilicet ac ministri in morem : sed, ut Deum secundum naturam, cum suprema potestate suum proprium, et qui ex ipso est. » Et post pauca : « Peccato absolvens eum, qui sibi cohæret proprio inungit Spiritu, quem immittit ipse quidem, ut ex Deo Patre Verbum, atque ex propria nobis profundit natura. Communem vero, tanquam rem dispensationi carnis adjungens, et ut homo insufflabat corporaliter. Insufflavit enim, et dixit : *Accipite Spiritum sanctum* [54-55]. Et : *Non ad mensuram dat Deus Spiritum*, juxta Joannis vocem [56] ; sed ipse immittit ex seipso, sicuti videlicet et Pater. »

In gestis item primæ in Nicæa synodi, in his quæ dixerunt Patres per episcopum Leontium, ita habetur : « Inventus est Spiritus, procedens quidem

[48] Luc. VI, 19. [49] Matth. XII, 28. [50] Joan. XIV, 16. [51] I Cor. X, 4. [52] Matth. X, 37. [53] Joel. II, 28. [54-55] Joan. XX, 22. [56] Joan III 31.

Digitized by Google

ex Patre, proprius autem Filii, atque ex ipso manans.»

Magnus quoque Athanasius in libro *De dispensatione incarnationis*, cujus initium est : *Qui perverse divinas Scripturas volunt intelligere*, « Ipse, inquit, eum superne misit Deus, et ipse eum inferius ut homo suscepit. Ex ipso igitur in ipsum descendit ex deitate in humanitatem ejus. » Sanctus quoque Chrysostomus, in sermone de humanitate Domini nostri Jesus Christi, cujus initium est : *Vere apparuit nobis gratia Dei*, « Venit, inquit, ad nos Christus, dedit nobis Spiritum ex se manantem, nostrumque suscepit corpus. »

Idem in sermone, qui inscribitur Προφυλακτικὸν quo scilicet adversus hæreses fideles homines præmunire satagit, cujus initium est : *Quoniam ad bonum Deum tendimus*, « Observandus et cavendus nobis boni adversarius diabolus, ait, et ita nos custodiet Spiritus a Christo manans, in diem futuræ redemptionis. »

Simeon quoque Metaphrastes conscribens passionem sancti Dionysii Areopagitæ, ita inchoavit : « Olim quidem figuris et ænigmatibus fidei mysteria involvebantur, et veritatis jubar umbrarum nube tegebatur. Postea vero quam magnum salutis sacramentum nobis comparatum est, et is qui corda nostra singulariter finxit, proprie circa nos benignitatis miseratione sine peccato factus est similis nobis ; aliaque subiit, quæ humanæ infirmitatis sunt, ut ego primum recipiam nobilitatem, ac tandem crucis supplicio affectus est mortemque sustinuit. Et ne singula persequar : multa enim in medio fuerunt ejus dispensationis sacramenta ; finem ejus corporalis inhabitatio suscepit : Spiritusque inchoat gratia, et in cœlos meus Christus fertur, atque ad paternum solium redit, procedentemque ex se Spiritum pro informandis infidelibus gentibus discipulis mittit. »

Sanctus Anastasius Antiochenus patriarcha in libro *De rectis Ecclesiæ dogmatibus*, ait : *Corporis vero proprietatem pro exemplo sumentes divinarum personarum ad invicem, habitum per membrorum proportionem, ac similitudinem commendare instituimus. Hic etenim spiritus oris ejus* [61], *videlicet Dei Spiritus sanctus dicitur, cum os Unigenitus sit; et Spiritus rursum ex ipso procedens, et missus non solum a Patre, sed etiam a Filio.* Et pos. p.uca: *Apostoli enim deprecantes, et ut Domino supplicantes, his qui illius adventu digni essent, Spiritum sanctum, ut ita dixerim, extrinsecus inferebant. Salvator autem noster, ex seipso, veluti ex thesauro quodam, his, qui per vitæ mundiliam idonei et digni erant, idum præbebat.* Idem in eodem libro : *Spiritus sanctus*, inquit, *spiritus oris Dei appellatur. Os enim Patris, Filius.* Rursus in eodem : *Spiritus sanctus veritatis est spiritus : hic a Patre quidem procedit, accipit autem a Filio.*

Magnus item Athanasius, in epistola ad Serapionem : *Unus enim*, inquit, *Filius, cum sit vivens Verbum, unam esse oportet perfectam ac plenam, sanctificantem et illuminantem vitam, quæ operatio ipsius et munus est, quæ ex Patre procedere dicitur; quoniam a Filio, qui ex Patre esse concediiur, emicat, et mittitur, et datur.*

Item in confessione fidei suæ, cujus initium est : *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem*, ait : *Spiritus sanctus ex Patre et Filio est, non factus, non creatus nec genitus, sed procedens.*

Sanctus Epiphanius, in libro suo, quem inscripsit *Anchoram* : *Spiritus*, ait, *incomprehensibilis est, non alienus a Patre et Filio, neque conglutinatio est Patris ac Filii.* Et post pauca : *Spiritus sanctus non Patris frater, sed ex eadem essentia Patris ac Filii. Ipse enim Unigenitus Patris Spiritum dixit, atque ex Patre procedentem : et de meo*, inquit, *accipiet; ne alienum a Patre, vel a Filio existimes.* Et post pauca : *Ex Patre et Filio, tertius appellatione.* Et post multa : *Ambo in homine justo inhabitant, Christus et Spiritus ejus. Si autem Christus ex Patre creditur Deus ex Deo, et Spiritus a Christo, sive ab utroque, ut ait Christus, qui a Patre procedit, et hic de meo accipiet.* Et post pauca : *Sed dicet aliquis : Ergo duos esse filios aicimus? Et quomodo erit Unigenitus? « Tu quis es, qui respondeas Deo* [62]*? » Si enim Filium vocat ex se natum, Spiritum autem sanctum, qui ab utroque est : quæ solum intelliguntur a sanctis, lucida, luciflua, lucidamque efficientium habentia.* Ac post pauca : *Spiritus sanctus spiritus veritatis est, lumen tertium a Patre et Filio.* Et post pauca : *Quemadmodum enim Patrem nemo novit, nisi Filius, neque Filium nisi Pater; ita audeo dicere, neque Spiritum sanctum, nisi Pater et Filius, a quo procedit, et a quo accipit. Et neque Filium, et Patrem nisi Spiritus sanctus, qui veraciter glorificat, qui docet omnia, qui a Patre et Filio est.*

Et aliquibus interpositis : *Itaque et Pater erat semper, et Filius erat semper, et Spiritus sanctus ex Patre spirat et Filio.* Et rursus in eodem : « *Emitte*, ait *David*, *lucem tuam, et veritatem tuam* [63]. » *Ipse est Dominus, qui dixit* : « *In novissimis diebus effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii eorum, et juvenes eorum visiones videbunt* [64].

Et ea quidem, quæ a sanctis dicuntur hujusmodi, ita aperta sunt pauca ex pluribus collecta. Quoniam igitur magnus Basilius, in epistola ad Terentium comitem, ait : *Quam rationem habet commune ad proprium, hanc habet essentia ad substantiam.* Et idem rursus in epistola ad Gregorium fratrem de differentia essentiæ atque substantiæ, inquit : *Communitatis quidem ratio ad essentiam refertur. Substantia vero proprium cujusque signum est.* Damascenus quoque in suis theologicis

[61] Psal. xxxii, 6. [62] Rom. ix, 20. [63] Psal. xlii, 3. [64] Joel ii, 28.

Digitized by Google

capitulis : *Substantia est commune cum proprio, constat, quia, quando conjuncte dicimus essentiam Filii, quoniam Filius nomen ex propriis est, commune cum propriis significamus.* Sed commune cum proprio substantia est. Ita enim Damascenus definit. Itaque quoniam ex essentia Filii dictus est Spiritus, ex substantia ejus dictus est : sicque, quod quærebatur, invenimus.

Quod autem in divinis Scripturis idem sit, quantum ad rem, proprietas atque substantia, sive etiam persona, manifestum est. Gregorius enim Theologus in sermone ad lumina dixit : *Dei autem cum dixero, uno lumine ac tribus illustramini : tribus quidem, secundum proprietates.* Exponensque quid dixerit proprietates, adjungit, *sive substantias, sive personas vocare placet.* Item in laudibus sancti Athanasii, cum dixisset : *Una enim essentia, tresque substantiæ;* cum dicantur quidem a nobis, pie protinus adjunxit : *Aliud enim naturam indicat; aliud trium proprietates.* Illic ergo cum proprietates posuisset, substantias exposuit : hic autem substantias, proprietates. Ex quo sane manifestum est quia proprietatem et substantiam idem intelligi vult, simulque naturam et essentiam in Deo æstimat; unam enim essentiam naturam exposuit. Quoniam igitur commune in Deo essentiæ tres substantiæ sunt, communeque hæc est quæ singulis est et propria essentia; una quippe ex tribus est aliqua persona; quodque cuique est, hoc mirabiliter etiam commune est; unum enim tria, et tria unum sunt; in quibus est deitas, sive ut diligentius dixerim, quæ deitas est juxta theologum Gregorium, manifestum est, quoniam sicut trium essentia substantia est, ita quæque substantiarum essentia et substantia est. Sed tres substantiæ Pater est et Filius et Spiritus sanctus; secundum enim hæc relativa ad invicem proprie accipiuntur.

Itaque verum profecto est quod dicitur, quod quando conjuncte Filii essentiam dicimus, substantiam ejus sive personam significamus; cum commune quidem essentiam dicendo signetur, propria vero substantia per relativum nomen Filii insinuetur : substantia quippe commune cum proprio est dicta. Quod cum ex Filii essentia dicitur Spiritus sanctus, ex ejus substantia dicitur. Idem enim, quantum ad rem, essentia et substantia est.

Damascenus præterea in suis theologicis capitulis, *Deitas*, inquit, *naturam insinuat; Pater autem quod dicitur substantiam, sicuti et humanitas naturam commendat, Petrus vero substantiam.* Quia igitur quemadmodum Pater, ita et Filius similiter substantiam indicat; substantia vero commune cum proprio, sicut ipse definivit; commune autem Deitas vel natura, vel essentia est. Dicitur autem ex Filii essentia esse Spiritum sanctum; manifestum est, quoniam ex substantia ipsius est.

Quoniam vero idem in iisdem ait : *Cum unam substantiarum intelligo, perfectum Deum ipsam esse scio perfectamque essentiam.* Dicitur autem ex Filii essentia esse Spiritus : manifestum est, quia ex substantia ipsius esse dicitur. Et quoniam in eisdem ait : Quia solus Filius genitus est; ex Patris enim essentia sine principio et sine tempore est natus; et solus Spiritus sanctus ex Patris essentia non genitus, sed procedens est : ex Patris autem essentia, pro eo, quod est, ex Patris substantia et iste tradit et omnes consentiunt, quia Spiritus sanctus cum ex Filii essentia a theologis asseritur, et ipsius substantia est : idem enim essentia atque substantia in Deo est secundum rem.

Porro si quis ista aliter accipiens velit aliud quidem in Deo essentiam, aliud substantiam significare, necessario fateri essentiam sine substantia substantiamque sine essentia cogetur. Ad quam absurditatem magnus quoque Basilius in prædicta ad Terentium comitem epistola orationem necessario deduxit. Et quoniam indeterminate theologi de divina Filii nativitate disserentes ipsum aliquando quidem ex Patris essentia, aliquando vero ex illius substantia natum asserunt; aut duos filios natos confitebitur, alium quidem ex essentia, alium vero ex substantia, aut non esse Filii unicam ac simplicem nativitatem dicet. Idem vero et de Spiritu sancto dicetur. Et certe si quidem sunt tres differentes aliudque Patris proprietas, aliud Patris persona, aliud paterna substantia, et aliud Pater, aliudque rursum essentia illius; idemque de reliquis substantiis dicendum : partim quidem Trinitas nobis auferetur, et peribunt omnia quæ de ipsa pie tradita suscepimus : partim compositus erit Deus, ex tam differentibus ad invicem secundum rem constans. Sed enim ista absurda sunt et impia. Et illud igitur absurdum pen'tus et impium, quo posito ista sequuntur.

Quoniam igitur substantia quidem et persona idem est, substantia vero et proprietas æque idem est, substantia autem essentia est, ut ex his quæ supra diximus constat, manifestum est hæc omnia idem in Deo esse secundum rem. Et illud item manifestum est quod, si aliud essentia, aliud substantia a sanctis dicitur; sed tamen secundum rem dixerunt non aliud essentiam, aliud esse substantiam, sed secundum quod una atque eadem res aliter quidem signatur ex nomine essentiæ seu naturæ, aliter ex nomine substantiæ sive personæ. Illud enim communiter et absolute, hoc autem proprie magis, cum eo scilicet quod ad aliquid quodammodo habeat : quia enim absoluta ab his quæ dicuntur ad aliquid, differunt; eorum vero quæ in Deo dicuntur, alia quidem absoluta sunt nomina quæ unum Deum indiscrete significant, alia vero relative habent quæ a nobis Trinitatem commendant, et secundum ea quidem, quæ absoluta et communia sunt, unita Theologia constat, secundum vero ea quæ ad invicem relativa sunt, et secundum ea quæ ad aliquid habent, discreta contexitur theologia;

Digitized by Google

unitio vero atque discretio non idem est; neque enim relativum et absolutum idem secundum hoc dictum est: sequitur non idem esse essentiam atque substantiam. Essentiæ enim nomen quiddam absolutum signat, substantia (33) vero propriam cujusque notam commendat, secundum quam ad aliam refertur personam.

Nam exempli causa, dexter homo ab eo qui simpliciter homo est secundum quod simpliciter et aliquo modo, sive secundum commune et proprium differt, etsi secundum rem idem sit dexter homo; quippe et Petrus homo est et filius Jonæ; neque alterum significat qui eumdem Petrum hominem dicit; alterum vero, cum eumdem filium Jonæ dixerit. Secundum vero, quod simpliciter et aliquo modo dicitur, differentiam tantum indicat; dicendo enim Petrum hominem absoluto et communi nomine subjectum, eumdem vero et Jonæ filium dicendo, proprio et relativo et definito nomine, eumdem et filium esse ex homine Jona qui pater illi fuit, indicat. Per utrumque ergo nomen aliter et aliter idem significatur, relative scilicet et absolute: solum autem simpliciter et aliquo modo differt. Aliud enim essentiam sine habitu significat; aliud eamdem et ad aliquid quodammodo habentem.

Attestatur autem his quæ dicta sunt primum quidem magnus Athanasius, postea vero etiam sanctus Maximus, atque ambo in dialogis suis adversus Anomœum. Anomœo enim dicente aliud essentiam, aliud esse substantiam, sanctus Maximus respondet: *Aliud et aliud non quasi rem*; atque illo inferente: *Num ergo compositio?* Sanctus adjungit: *Aliud et aliud dixi, non quasi rem, sed ut aliud aliquid essentia, aliud significante substantia. Sicut granum tritici dicitur et semen est et fructus; aliud autem quoddam significat semen, aliud fructus.*

Concedens ergo sanctus illic, aliud esse essentiam, aliud substantiam, non tamen geminam deitatem intelligi permittit: propterea scilicet quod non idem itidem significet deitas et substantia, vel essentia et substantia. Licet igitur idem essentiam ac substantiam dicere secundum rem et aliud essentiam, aliud substantiam secundum significativa rerum nomina. Et utrumque tamen verum est. Non enim secundum idem etiam ambo in quantum essentia quidem commune significat, et idem quod erat esse. Substantia vero idem, et ad aliquid quodammodo habens vel gignentis, vel geniti, vel procedentis vel producti ratione.

Dictum est autem a sanctis non idem essentiam esse atque substantiam, propter Sabellium maxime. Illic enim unam personam Deum esse confitens, idem in Deo esse substantiam et essentiam secundum rem, et libenter quidem confitebatur. Hoc enim illi maxime ad id quod moliebatur, conferebat. Substantias vero seu personas relativum esse, A secundum proprietates quæ substantias ostenderent, nolebat: Si quis enim paternam substantiam relativum dicat, necesse est, et ad quod refertur, simul confiteri. Hujusmodi quippe natura est earum rerum quæ ad aliquid dicuntur. Idem vero et in substantia genita et in procedente dicendum est. Hoc autem in Deo posito, necesse est tres substantias, seu tres personas Deum secundum fidei positionem ex processibus, sive relationibus apparentes confiteri, quod erat contrarium Sabellii proposito.

De hoc quod propositum est, et magnus Basilius in exemplari dictatæ ab eo fidei, cujus initium est: *Eos qui prævenit sunt alia fidei confessione*, ait: *Quidam vero ab impietate Afri Sabellii venientes, substantiam [hypostasin] atque essentiam idem esse* B *suspicati, inde occasiones concinnandæ suæ blasphemiæ trahunt, ex eo, quod in fide scriptum sit: Si quis autem ex alia essentia sive substantia Filium esse dixerit, hunc anathematizat catholica et apostolica Ecclesia. Non enim illic idem dixerunt, essentiam atque substantiam. Si enim unam atque eamdem intelligentiam insinuarent voces, quid necesse erat utrasque ponere? Constat vero quoniam aliis quidem ex Patris illum essentia esse negantibus, aliis vero dicentibus, quia neque ex essentia, neque ex substantia esset; ita utraque ut aliena ab ecclesiastica intelligentia interdixerunt. Ubi enim sensum suum expresserunt, ex Patris essentia Filium dixerunt; non jam adjicientes et ex substantia. Ita-* C *que et illud quidem pro abolitione pessimæ intelligentiæ positum est, hoc autem salutare dogma manifestat.*

Hoc in loco magnus Basilius dicentibus Patribus: Si quis vero dixerit, ex alia essentia, seu substantia Filium, hunc anathematizat catholica et apostolica Ecclesia, eos qui hinc conficiebant, idem esse substantiam atque essentiam, culpat et ait: Non enim, quia illic dixerunt, ex alia essentia, sive substantia, inde colligitur idem esse essentiam atque substantiam; sed quorumdam opiniones fallaces ab Ecclesia eliminantes, utrisque istis vocibus usi sunt. Si enim idem ambæ significarent, necesse profecto non erat utrasque ponere. Sed quoniam alii quidem negabant ex Patris essentia Filium D esse, quidam vero neque ex essentia, neque ex substantia Patris illum esse fatebantur, idcirco utraque interdixerunt, pro deletione pessimæ intelligentiæ anathemati subjicientes, si quis ex alia essentia sive substantia Filium dixerit.

Ex quoliquet sanctum concludere, non idem esse essentiam atque substantiam. Quod quidam præter sancti viri intentionem pervertentes, in plurimas absurditates incidunt. Neque enim illos culpat, quod secundum rem idem esse essentiam atque substantiam dixerint; hoc enim verum esse veritas ipsa cum sanctis Patribus loquitur, ipseque in epistola ad Gregorium fratrem attestatur; sed

(33) Accipit substantiam pro hypostasi.

Digitized by Google

quia secundum rationem, sive nominum significationem, idem essentiam et substantiam esse putabant : et non ut ipse ait, essentiam quidem ad commune, ut simpliciter ducebant : substantiam vero, notam propriam in eo, quod aliquo modo ad aliud haberet, definiebant, et ab utroque nominum unam eamdemque capiebant intelligentiam per quam processus, relationesque, simulque tres personas, esse Deum auferebant.

Itaque confitentur quidem Ecclesiæ magistri, idem essentiam et substantiam esse : et iidem rursus negant, non idem esse substantiam atque essentiam dicentes, non secundum idem et ambo, sicut dictum est ; contradictionem enim in eodem nunquam simul veram esse posse. Aliud enim secundum rem, aliud secundum nomen accipitur.

Deinde adjicit, quod ubi suum Patres sensum indicare voluerunt, dixerunt ex Patris essentia Filium, satis esse putaverunt ad insinuandum, Filii substantiam ex Patre esse : ac proxime, veluti si diceretur, eum esse ex paterna substantia. Hoc enim manifestationem habere salutaris dogmatis asseverant. Salutare autem dogma est, ex Patre substantiam habere Filium, nativitatis ratione confiteri : consubstantialem scilicet ei, ex quo est, quod sane dogma indicari dixit ex eo, quod dictum est, *ex Patris essentiâ Filium esse*. Idem ergo est ex Patris essentia, atque ex Patris substantia dicere. Idem ex essentia atque substantia est, secundum rem. Et essentia Patris substantia est Patris.

Quoniam igitur et Spiritus sanctus ex Filii essentia asseritur, liquet etiam, quod ex substantia illius sit : neque enim est vel essentia sine substantia, vel substantia sine essentia. Quamvis et prima synodus in fidei Symbolo sic tradidit: *Credimus et in Filium Dei natum ex Patre, videlicet ex Patris essentia.*

Constat igitur per omnia, quod sive ex Filii essentia Spiritus dicitur, sive ex Filio, sive ex Filii substantia, nihil differt ad ejus substantiam insinuandam. Quemadmodum enim ex eo quod dictum est, Filium esse ex Patris essentia, substantia illius inde esse intelligitur : ita et Spiritus sanctus, quoniam ex Filii essentia a theologis traditur, ex ipso etiam habere substantiam insinuatur, secundum quam ex Patre per Filium procedit, et secundum quam ab ipso habere esse dicitur. Ac sicut indifferenter a theologis, sive ex Patris essentia, sive ex ejus substantia Filius dicitur, ad insinuandam ejus ex illo substantiam : ita et Spiritum ex Filio, sive ex ejus essentia, sive ex substantia dicere indifferenter possumus ad ostendendum, illum ex Filio habere esse ; nisi quis ad omnia impudens esse velit.

Si quis autem et hic per hoc indicari consubstantialitatem dicat, Filius certe de Spiritus essentia non dicitur, neque convertitur habitus ista consequentia.

Porro si sanctum Isaac (34) proferat dicentem : *Ille pater tuus est, et ex natura tua est ;* at id quidem dici fas est, in quibus nullus ordo conspicitur, divisis quidem secundum materiam, unitis autem solummodo termino naturæ mortalis, per quam invicem consubstantiales secundum conversionem ad invicem dicuntur, et secundum quam unusquisque ex proximi natura, veluti ex quodam subjecto, in propria substantia, ac veluti ex toto pars abusive diceretur. Cæterum in sancta Trinitate, cum una sit ac simplicissima essentia, differentiaque solo personarum ab invicem ordine inspiciatur, secundum scilicet substantiales illarum processus, quemadmodum impossibile est Patrem ex Filio et ex Filii essentia dici, et certe cum una sit eademque essentia Patris ac Filii, ita possibile non est Filium ex Spiritus sive de Spiritus substantia unquam dici propter ordinis terminum, secundum quem ex Patre per Filium procedit.

Quemadmodum eadem ratione Filium ex Patre per Spiritum gigni asseverare non possumus. Quocirca rite dictum est : Filius sancti Spiritus neque est, neque dicitur, neque convertitur habitus ista consequentia.

Constat autem ex his quæ dicta sunt, et quod magnus Athanasius idcirco ait : *Ex Patre procedere dicitur, quoniam a Verbo emicat, et mittitur, et datur.* Itaque nisi per Verbum illum Pater emitteret, nequaquam esset ex Patre procedens. Proprietas enim Spiritus, ut diximus, est ex Patre per Filium procedere, sive ex primo per medium esse, perque hujusmodi processum procedens est. Filius enim esset, si ex Patre sine medio procederet. Nam, ex Patre esse sine medio, proprietas Filii est, sicut etiam supra docuimus. Quomodo ergo non esse a Filio dicatur, qui idcirco dicitur ex Patre procedere, quia et a Filio et per Filium est ? Et illud itidem constat, quia *procedere* et *emicare* idem esse arbitratur Athanasius. Idcirco enim ait : *Procedere a Patre dicitur, quoniam a Verbo emicat*, quasi diceret, Ideo procedens est, quia ex Patre per Filium procedit ; nisi enim per Filium, nunquam diceretur ex Patre procedere, sed nasci.

Si enim, ut quidam volunt, emicare quod ait, de temporali, quem illi introducunt, processu intelligi voluit, quam rationem habuisset, simul ita connectere ? Ut enim hunc etiam esse concedamus, temporalis illa processio quid ad eam confert, quæ sine tempore est ? Quanam vero ratione poneret hanc sempiternæ illius processionis esse causam ? Omnes quippe novimus, *quoniam* causalem conjunctionem pro causa accipi. Non enim, quoniam a Filio temporaliter emicat, ideo a Patre sive tempore procedit. Ideo tamen eo verbo usus est, ut emicare, pro eo, quod est *procedere*, diceret ; quoniam Spiritum illuminantem, vitam appellavit, alternatim scilicet conversione dictionis utens : quanquam et magistrorum plurimi *emicare* quod

(34) Isaac Eremitam, cujus exstant opuscula ascetica.

Digitized by Google

dicitur in substantiali personarum processu propriæ substantiæ prætulerunt; sicut est illud, quod canitur : *Unigenitus Filius, qui ex Patre sine tempore effulsit;* sed etiam procedentem ex Patre Spiritum *vitam* esse viventis Verbi dixit. Si autem vita ex vivente, nunquam certe erit sine Spiritu Filius : *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso* [66]. Vita autem Spiritus sanctus est, quem una cum Patris essentia ex Patre nascens trahit. Neque enim est sine vita, qui natus est. Id quippe præter impietatem etiam stolidissimum est, ut ait Chrysostomus, cum illud exponeret : *Dedit vitam*.

Enimvero, quoniam operatio Filii Spiritus sanctus esse dictus est subsistens et substantialiter insita, constat quia per Spiritum operatur. Hoc autem et communis Ecclesiæ opinio est, maxime cum etiam Dominus dixerit : *Si autem ego in digito Dei ejicio dæmonia, ergo pervenit in vos regnum Dei* [66]. Quod alius evangelista exponens ait : *Si autem in Spiritu Dei ejicio dæmonia* [67]. Filius itaque per Spiritum Dei, qui etiam suus est Spiritus, operatur. Illud autem, per quod quisquam operatur, sive quasi movens est, ut rex, per quem civitatis dispensator administrat ac gerit omnia ; sive, quasi speciale et ab arte veniens; ut artifex per artem operatur ; sive per causam naturalis virtutis suæ.

Non ergo virtus operantis causa est, sicuti et mens per verbum operans quasi per vim suam naturalem et efficientiam, causa est verbi, sed non e contra : quippe omnis vis, et actio naturaliter per aliquem prodiens, etiam ex illo est. At operatur quidem per Verbum, quasi per suam naturalem vim. Operatur autem Filius per Spiritum, quasi per naturalem atque insitam substantialiter virtutem suam. Ideo, et magnus Basilius in IV *Quæstionum* ait : *Neque sine Filio facit quippiam Pater, neque sine Spiritu Filius. Filii autem Verbum, Spiritus :* « *Portans, inquit, omnia verbo virtutis suæ,* »

Ex quibus profecto omnibus et ordo ad invicem divinarum personarum, et ut se invicem teneant, unaque cogitentur et intelligantur constitit. Quoniam igitur Spiritus sanctus donum Filii, et operatio ipsius est ; operatio vero ab operante, donumque a mittente effulget, et mittitur, et datur : liquet, quia ex Filio est Spiritus sanctus. Ut enim Filius per quem Pater operatur, ex Patre est ; ita et de sancto Spiritu dicendum, per quem operatur Filius. Neque enim sicut id, quod monet, aut sicut artificialis, atque exemplaris causa, quod *per quem*, dicitur, hic locum habet. Donum autem dixit, vel, quia alternatim, et hoc in loco conversione dictionis usus est. Donum enim ad *dari*, ac *mitti*, quod dicitur, proprium est. Vel quia dari, ac mitti in divinis personis, ut supra declaratum est, ab alio esse significat. Per quem nihilominus causam, et quod ex causa est, intelligi voluit. Nempe enim ab eo nunquam daretur nisi etiam ab eo esset : aliter enim ministri fungeretur vice. A quo autem illum dari oportebat, ut ipse ait Athanasius, nisi ab eo, cujus est ? Hoc autem non ita esset, nisi et ad illum referretur. Relatio autem causam, et causale commendat. Filius ergo causa sancti Spiritus est. Spiritus enim sanctus per Filium non operatur ; causaque illa est, quia Filius ex Patre per Spiritum non gignitur, Spiritus autem ex Patre per Filium procedit. Secundum quam sane rationem, nec Filius *operatio et virtus* Spiritus sancti dictus est.

Porro, si quis ejusdem beatissimi viri dictum in fidei ipsius confessione (35) præexpositum, quo ait : *Spiritus sanctus, ex Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*, ambiguum putat, et quasi adulteratum calumniatur : primum quidem id verum esse, inde manifestum est, quia et theologus Gregorius in Athanasii laudibus ipsius meminit dicens : *Solus ille vel cum paucis admodum, ausus est veritatem in scriptis confiteri ;* et quæ illic addit : quam tunc temporis conscriptam ad Julium Romanum pontificem misit, cum insimularetur non rectæ esse fidei. Deinde, et ex eo constat, ipsius veram esse, quod per omnes Occidentis ecclesias Dominicis semper diebus psallitur, atque adeo celebris est auctor, ut ne a pueris quidem ignoretur ; ex illis quidem temporibus ubique diffusa, atque contra Arianorum hæresin, contraque omnes rectæ fidei adversarios, in cunctis ecclesiis publice cani præcepta.

Aut igitur aliam aliquam confessionem tanti viri proferant, cujus et Theologus meminit, et cui traditio Ecclesiæ attestatur : aut si hoc non possunt, istam cum supra exposito dicto suscipiant. Testantur autem hanc ipsam fidei confessionem sancti viri esse, atque id dictum ita se habere, qui contra Latinos multo ante scripserunt : quam sibi ut adversam, frustra labefactare nituntur. Atque, ut intelligi datur, tunc quidem adhuc servabatur, postmodum vero pertinaciores ad contradicendum facti, omnino illam auferre voluerunt. Et si modo nihilominus curiose inquirentibus raro licet in vetustissimis codicibus ita habere invenitur. Si quis tamen diligentius inspiciat, nihil hic novum dixisse sanctum virum comperiet. Plurimis enim in locis per Filium illum esse ait, et a Filio accipere, et ab ipso scilicet accipere, quod accipit. Id autem est ejus esse, quodque paulo ante dicebat, a Filio effulgere, quocirca quam a Patre procedentem virtutem dixit, Spiritum sanctum a Patre procedentem intelligi

[66] Joan. v, 26. [66] Luc. xi, 20. [67] Matth. xii, 28.

(35) Symbolum Athanasianum. De hoc Symbolo vide eruditam disputationem Nicolai Serarii.

Digitized by Google

voluit : hoc autem ex Patre per Filium esse ac procedere. Porro ista his, quæ in fidei expositione posuit, valde consona sunt.

Apparet simul ex superioribus, quia et *prodire*, et *profundi*, et *profluere*, et *inundare*, et *manare*, et *effulgere*, et quæque similia, eamdem Spiritus sancti substantiam signare, quam ipsam etiam *procedere* significat ; non solum, quia, ut dictum est, duo processus sancti Spiritus non sunt, ut quidam volunt, et idcirco ista omnia, ad substantialem processum ejus reducenda sunt ; cum eos qui geminos istos processus ponunt, multa necessario absurdissima sequantur : verum quia et theologi ex Patre procedere, et profundi, et profluere, et emitti Spiritum sanctum concorditer asserunt, ubi dicere volunt, ipsum ex Patre procedere. Magnus quippe Basilius ait : *Quia non prodit in tempore, quod prodit ex Deo, etiam si in tempore fiat ejus actio, et æterne habet omnia, ut Dei Spiritus, atque ex ipso manans.* Et illud : *Neque enim minus aliquid eramus habituri ad cognoscendum Spiritum ex Deo esse, Spiritum oris ejus illum audientes, sed idoneum et istud nomen erat ipsius ex Deo insinuare substantiam :* verbo *esse*, pro eo, quod est, *procedere* usus est.

Sanctus quoque Maximus : *Emittit*, inquit, *Pater Spiritum, hoc est, emisit.* Et ipse de processu ejus disserens, ut superius constitit, cum sanctorum Patrum auctoritate ostenderemus, *emitti*, ac *mitti*, apud eos, pro eo, quod est, nasci, et procedere solere accipi.

Sanctus item Cyrillus ait : *Prodit autem ex Patre, et Filio ; et constat, quia divina est essentia in ipsa, atque ex ipsa prodiens : ac profunditur a Filio, sicut etiam ex Deo et Patre.* Sed et in sermone suo ad monachos, atque in Expositione divini Symboli, sic ait : *Spiritus profunditur, videlicet procedit, veluti ex fonte, ex Deo et Patre.* Et rursum ad Hermiam : *Num*, inquit, *animadvertisti, quoniam Spiritum quidem veritatis nominavit Paracletum Dominus ?* Ait denique : *Quoniam procedit ex Patre, sua omnia proprie ostendens, quæ Patris sunt.* Ac rursus in eodem : *Intelligisne, quomodo, ut proprium se nobis missurum pollicetur Spiritum, qui procedit ex Patre ? Et Spiritum quidem veritatis vocat : profundi tamen ex ipso Patre definivit.*

Sed et magnus Athanasius, in ea quam scripsit disputatione Orthodoxi et Macedoniani, ait : *Spiritus natura sanctus, natura incorruptibilis, ut Spiritus Dei, et ex ipso manans, sive procedens.*

Quin etiam in Filii ex Patre substantia insinuanda, prædictis verbis usi sunt. Magnus enim Basilius in III *quæstione* ait : *Patris quidem optimi, optimusque Filius, ex lumine autem ingenito lumen effulsit sempiternum, atque ex vera vita vivificans processit fons, atque ex ipsa virtute Dei virtus effulsit.* Sed et verbo *effulsit* in quadam mystica sacrificii oratione in Spiritu sancto usus est, de Filio dicens : *A quo Spiritus sanctus effulsit.* Ac rursus idem in eisdem ait : *Communis præsumptio omnibus simul Christianis inest, quod lumen genitum Filius sit ex ingenito lumine effulgens.*

Sanctus autem Cyrillus in uno capitulorum suorum de æternitate Filii sic ait : *Erat igitur gignenti Patri coæternus Filius, veluti a fonte quodam paternæ substantiæ manans.* Et in alio : *Qui enim a paterna processit essentia, patrem protinus ostendit eum, qui se genuerat.* Et in alio : *Quod ex Patris essentia processit Verbum.* Atque in alio : *Pater produxit ex seipso Filium inseparabiliter atque incunctanter.* Et in alio : *Totum esse Filii ex Patris essentia procedit.* In alio quoque : *Quænam enim passio fieri in sole cernitur, quando gignit lucem ? quænam contingit ignis separatio, quomodo emittit ex se ipso fulgorem ?* Quod si *gignunt ista inseparabiliter, emittuntque impassibiliter, quæ ex iis sunt ; nonne longe dignius et excellentius horum conditor naturæ suæ splendorem emittit?* Psallimus item in canticis *Spiritus confessor, et conformis ex Patre simul effulsit.* Et item : *Tu Dei mater incunctanter facta es ejus, qui ex immortali Patre.*

Si igitur eos, qui binos sancti Spiritus processus ponunt, absurda plurima sequuntur : verbis autem, quibus Filii ex Patre substantiam, ac rursus substantialem Spiritus ex Patre processum sancti significare volentes, ejusdem usi sunt in Filio, atque in Spiritu indiscrete, et absque ulla determinatione : quomodo non et hic per id quod dicitur *profundi*, et *inundare*, et *profluere*, per Filium, atque a Filio dici Spiritum sanctum, necesse sit intelligere ejus ex Filio substantiam, secundum quam ex Patre per Filium procedit : maxime, cum beatus Cyrillus, *profundi*, pro eo, quod est, *procedere*, apertissime tradiderit.

Quia enim duas ex Deo personas procedere, secundum scilicet geminum processum fides tradidit : aliam quidem, secundum nativitatem ; aliam vero, secundum processionem : atque alius quidem Filio, alius vero Spiritui convenit, constat, quandoquidem Filius ex Patre procedere, inundare, et fluere a theologis asseritur : ista, pro eo quod est, nasci, vel gigni intelligenda. Cum vero Spiritus sanctus sive a Patre, sive a Filio profundi, et prodire, et profluere dicitur : hæc, pro eo quod est procedere, accipienda ; verbis istis omnibus processum cujuslibet ex aliquo insinuantibus, et ubique quidem aptari peculiarius valentibus, atque in hoc loco propriam utrique personæ substantiam affatim reddere : alteri quidem nascendi ; alteri vero, procedendi ratione ; cum alia quidem sit continenter ex prima, alia, per eam quæ est continenter ex prima : quippe isti ambobus sunt substantiarum termini.

Verum, quoniam ab omnibus doctoribus Spiritus sanctus ex Filio procedere asseritur, liquet profecto, quia secundum naturam est, vel secundum accidens. Id quippe creaturarum est a Deo non naturaliter procedere. Si igitur, secundum naturam ex Filio procedit Spiritus, hoc autem duobus modis fit : vel secundum nativitatem, vel secundum pro-

Digitized by Google

cessionem ; præter ista enim nullus alius divinis personis secundum naturam processus est ; secundum nativitatem verò, processus in Spiritu esse non potest, ita enim esset Spiritus Filius Filii : manifestum est Spiritus ex Filio processum, ut procedentis esse : simulque constat ex his, *effulgere*, et *profundi*, et *profluere*, quod dicitur, a Filio Spiritum : ipsum ex Patre procedentem, unicum Spiritum sanctum, non donum aliquod sine substantia significare, ut quidam volunt ; sicut enim sive Filius, sive Spiritus effulgere, et profluere ex Patre dicitur, ipsæ personæ divinæ signantur procedentes : ita et Spiritus a Filio profundi, et effulgere cum dicitur, et maxime cum sic conjuncte procedens ex Patre per Filium profundi, ac procedere dicatur, ipsa divina persona Spiritus insinuatur. Procedentem enim ex Patre Spiritum, nemo sine substantia dicere præsumit, nisi quis blasphemare velit.

Illud autem, quod quidam aiunt, sanctos dicere, Spiritum sanctum procedere quidem ex Patre, a Filio autem profundi ; et rursum, procedere quidem ex Patre, ab eo autem effulgere, vel proprium ipsius esse, vel non alienum, et quæ talia : per has conjunctiones connexivas, substantialem Spiritus processum Filio tollentes, Patrique solummodo hunc attribuentes, omnino imbecillum est. Hujusmodi quippe illorum mens est quoniam dicitur quidem Spiritus ex Patre procedere, unde secundum essentiam illi peculiaris est : non tamen est alienus a Filio, Spiritus enim Filii dicitur, juxta quod sibi etiam peculiaris est. Ideo et ab eo profunditur, quemadmodum ex Deo et Patre, hæres enim paternorum bonorum est, et proprius ipsius est, utpote per ipsum naturaliter prodiens, et ex ipso exsistens. Igitur, etsi procedit ex Patre, at neque a Filio alienum oportet æstimare secundum eum quem prædiximus modum. Procedit quippe per Filium. Procedere autem quod dicitur, etiam per Filium consequitur. Aliter enim non diceretur ex Patre procedere.

Attestatur et his magnus Basilius, cum dicit : *Illius quidem ad Patrem proprietatem intelligo quoniam procedit ex Patre ; ad Filium vero, quoniam audivi* : « *Si quis Spiritum Christi non habet, non est ejus* [68]. » Et illud : *Neque enim ullus aliquid eramus habituri ad cognoscendum, Spiritum ex Deo esse, Spiritum oris ejus audientes eum ; sed sufficiebat et hoc nomen ad insinuandum, ipsius ex Deo esse substantiam.*

Porro Patris os Filius est, ut Patres volunt. Prorsus vero, quod sancto Spiritui ad Patrem est, *ex Patre procedere*, Patrisque Spiritum dici : hoc, et ad Filium, ab ipso accipere, et audire, et cætera, quæ Filii Spiritum esse commendant. Nam et a Patre procedere quod dicitur a Patre accipere significat. Itaque dictus est quidem Spiritus Patris, sed et Spiritus veritatis est.

Et mittitur quidem a Patre, mittitur autem et a Filio ; quippe æqualiter, ac sine ulla differentia communia Patri, et Filio sunt quæ singulis a theologia assignantur. Atque profluit quidem a Patre, proprium autem Filii est, ut et ab ipso emanet. Fons enim sancti Spiritus et Filius ab Ecclesiæ magistris asseritur. Et habet quidem substantiæ causam ex primitivo lumine ; effulget vero per unigenitum, quoniam per ipsum est, atque per Filium quod dicitur, et ipse Filius ad Patrem reducuntur.

Et dictus est quidem, a Patre procedere, procedit vero per Filium. Namque ex Patre quod dicitur, juxta Patrum sententiam, etiam per Filium sequitur ; aliter quippe procedens non esset. Itaque connectunt magis Patri, Filium secundum processum, seu processionem sancti Spiritus, quam dividunt hujusmodi conjunctiones.

Eorum autem, qui differentiam essentiæ Patris ac Filii pergunt astruere, divisim ac differenter ista reddere est ; quippe, ita dividentes, essentiæ quoque differentia necessario sequetur. Nempe enim et theologus Gregorius in suis de divinitate sermonibus, in orationis parte, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum invocans, atque subinferens, *alium quidem bene complacere, alium vero cooperari, alium autem inspirare* ; non sane per hujusmodi conjunctiones, sive beneplacitum, sive inspirationem, sive cooperationem personis divisit ; neque enim singula horum singulis personarum magis proprie accommodantur, quam reliquis : verum, omnia conveniunt singulis, imo et tota Trinitas, ut unus Deus inspirat, et sibi bene complacet in bonis, et quodcunque inchoantibus adjutrix est. Atque ubique penitus quæque personis assignantur ut propria, sine ulla varietate conveniant : ubi non opponitur relationis objectio, quemadmodum processio Spiritus, Filii ad Patrem relationi nihil obstat, ut in sequentibus lucidius monstrabitur.

Quod si procedere ipsam dictionem, quæ Græce ἐκπορεύεσθαι dicitur, in Filio inquirunt : primum quidem pluribus supra rationibus ostensum est, quod alia quoque verba hoc ipsum nihilominus significant. Deinde, quia et a sanctis quoque posita est hujusmodi dictio. Sed et ipsum, quod per Filium procedere dicitur, a Patribus commendare sufficit, quod etiam procedit ex Filio. Quamquam quibus non sufficiat, quod ex Filio Spiritus esse sanctus dicitur ? cum sancti hoc plurimis in locis dixerint, cum de personalibus substantiis disserrent : verbumque *esse*, substantivum cum sit, magis etiam cujuspiam ex aliquo substantiam exprimere possit, juxta scilicet proprii processus terminum.

[68] Rom. VIII, 9.

Digitized by Google

Præterea constat ex superioribus, quod dicimus in Filio manere Spiritum, quod quidam his objiciunt, qui etiam ex Filio proferunt, nihil eos juvat. Qui enim et ex Filio Spiritum dicunt, et in Filio longe prius confitentur; namque et sancti, et *in Filio* dicunt; et per ipsum, et ex *ipso esse*, addunt. Neque hoc solum, sed et in Patre, et in Filio Spiritum sanctum manere. Sicut autem in Patre manens, etiam ex ipso est, sic et in Filio manens, etiam ex ipso est. Non enim profecto quispiam blasphemare audebit, ita in Filio manere Spiritum, sicut in quolibet sanctorum, in quibus requiescit quidem, et manet, sed per gratiam, non per naturam.

Præterea vero, quod procedit, in eo, ex quo procedit, prius substiterit necesse est. Neque enim ex illo aliter procederet. In divinis autem personis, simul et in ipso, et per ipsum, et ex ipso est, propter æternitatem, et quod illic tempori nullus locus sit. Sicut ergo Filius in Patre exsistens ex ipso est, et Spiritus sanctus similiter; pari profecto ratione, et de mansione sancti Spiritus in Filio dicendum.

Et est quidem id verum, quod ait divus Dionysius, quod divinæ substantiæ in invicem circumeunt, sed non idcirco confusio est, neque hinc immobilis ordo pervertitur: *Neque necesse Filium in Spiritu cum dicimus, etiam ex Spiritu esse confiteri*, ut Gregorius Nyssenus ait: *Sed, est quidem Filius in Patre, sicut pulchritudo imaginis in primitiva forma in propria imagine.* Idem vero et in Filio, et Spiritu dicendum.

Quoniam igitur ab Orientalis Ecclesiæ magistris, ex Filio esse, ac procedere Spiritum sanctum traditum constitit, licet plurima omissa sint, quæ afferri poterant ad hoc ipsum asseverandum; nunc jam et ab Occidentalis Ecclesiæ doctoribus, ut idem astruere nitamur, admonemur: ut his, qui contradicere nituntur, nulla jam excusatio reliqua sit. Ac primo quidem, quantam illis universales synodi reverentiam auctoritatemque præstiterint, et qua fide illorum dicta suscipi conveniat, insinuandum.

Sancta igitur, atque universalis quinta synodus in gestis suis ita ferme ad verbum, ait: *Sequimur in omnibus sanctos Patres, ac doctores sanctæ Dei Ecclesiæ, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum, Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Cyrillum, Joannem Constantinopolitanum, Leonem, Proclum, et omnia, quæ ab eis de fide recta, et ad condemnationem hæreticorum conscripta sunt, suscipimus.* Imo, et in synodico, quod dicitur, anathemate plectuntur, qui prædictos doctores non suscipiunt, neque omnia quæ ab eis scripta sunt, confitentur. Præcipue vero Augustinum sanctæ universales synodi, ut in earum gestis constat, tertia scilicet, sexta et septima (actione) eminentissimum Ecclesiæ magistrum, ac sanctum prædicarunt.

Sed et de prænominato sancto Anastasio Antiocheno patriarcha, sexta synodus, sic ait: *Suscipimus sanctum Anastasium recta fide respondentem pro tomo sancti, ac venerabilis Papæ Leonis.* Ac rursus: *Sanctum nominat Oriens totus hunc sanctæ memoriæ Anastasium, qui fuit Antiochiæ archiepiscopus, et qui eum non suscipit, Deus anathematizet.*

Sanctus igitur Hilarius, antiquus Pater, atque venerabilis, et dicendi vi, et philosophiæ studiis, et theologiæ sublimitate, et vitæ munditia, et miraculorum ostensione maxime clarus, ita, ut beatus Augustinus de illo dicat: *Mirum sane, si quis Hilarium legens non admiratur cum his qui in Nicæa convenerunt. Pro Unigeniti gloria contra Arium pugnans*, ait in secundo *De Trinitate* libro, quem contra Arium et Sabellium conscripsit: *Credimus sanctam Trinitatem, hoc est Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum omnipotentem, unius essentiæ, unius substantiæ, unius potentiæ, creatorem omnium creaturarum; ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Patrem non ab alio, Filium ex Patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum, ex lumine vero, non tamen duo lumina, sed unum lumen: Spiritum sanctum a Patre, et Filio æqualiter procedentem, consubstantialem et coæternum Patri et Filio, Pater in seipso plenus Deus, Filius plenus Deus ex Patre genitus, Spiritus sanctus plenus ex Patre, et Filio procedens. Non tamen tres deos dicimus, sed unum Deum.* Idem in Commentariis in Apostolum, de Patre ac Filio disserens, ait: *Nihil in sancto Spiritu duplex intelligi, quin Pater et Filius illi esse præbuerint. Unde ambo unum principium sancti Spiritus dicuntur.*

Sanctus item Hieronymus quodam in loco opusculorum suorum, ait: *Spiritus sanctus a Patre ac Filio procedens, per omnia Patri et Filio coæqualis et coæternus est.*

Sanctus quoque Ambrosius Mediolanensis episcopus in libro suo *De Trinitate* ait: *Non quasi ex loco mittitur Spiritus, neque quasi de loco procedit a Filio procedens.* Idem in secundo de sancto Spiritu libro, ait: *Quod ex aliquo est, aut ex essentia quidem, veluti cum Filius ex Patre, vel Spiritus sanctus ex Patre et Filio. Ex potestate autem sicuti ex Deo omnia.*

Sanctus Augustinus autem in lib. IV *de Trinitate* ait: *Nec possumus dicere, quod Spiritus a Filio non procedat. Neque enim frustra idem Spiritus, et Patris, et Filii Spiritus dicitur. Nec video, quid aliud significare voluerit, cum sufflans in faciem discipulorum, ait: « Accipite Spiritum sanctum [49]. » Neque enim flatus ille corporeus cum sensu corporaliter tangendi procedens ex corpore, substantia*

[49] Joan. XX, 21.

Digitized by Google

Spiritus sancti fuit; sed demonstratio, per congruam significationem, non tantum a Patre, sed et a Filio procedere Spiritum sanctum. Quis enim dementissimus dixerit, alium fuisse Spiritum sanctum, quem sufflans dedit, et alium, quem post ascensionem suam misit? Unus enim Spiritus est Spiritus Dei, Spiritus Patris, et Filii Spiritus sancti, qui operatur omnia in omnibus.

Idem in lib. XV *De Trinitate: Et tamen non frustra in hac Trinitate non dicitur Verbum Dei, nisi Filius, nec donum Dei, nisi Spiritus sanctus; nec de quo genitum est Verbum, et de quo procedit principaliter Spiritus, nisi Deus Pater. Ideo autem addidi principaliter, quia et de Filio Spiritus sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi Pater dedit non jam exsistenti, et nondum habenti; sed quidquid unigenito Verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, ut etiam de illo donum commune procederet, et Spiritus sanctus esset amborum.*

Idem in lib. V *De Trinitate: Quemadmodum Filio substantiam præstat sine initio temporis, sine mutabilitate naturæ ex Patre nativitas, ita et Spiritui sancto esse præstat sine principio temporis, sine mutabilitate naturæ, ipsa ex utroque processio.*

Idem super Joan.: *Corporalis illa insufflatio non Spiritus sancti substantia fuit, sed demonstratio per congruam significationem, non tantum a Patre, sed etiam a Filio procedere Spiritum sanctum; quis enim ita demens sit, ut dicat, alium esse Spiritum sanctum, quem insufflans dedit: alium, quem postquam assumptus est, misit?*

Idem ad Petrum quemdam, postulantem rectæ fidei conscribi regulam, quadraginta illam capitulis distinxit; quorum singula, dogma continent salubre, atque ad fidem necessarium. Ait igitur in cap. 8: *Firmissime tene, et nullatenus dubites, ipsum Spiritum sanctum, qui Patris, ac Filii unus Spiritus est, a Patre, et Filio procedere. Ait enim Filius: « Cum venerit Paracletus, Spiritus veritatis, qui a Patre procedit* [70]; » *quo in loco suum esse docuit Spiritum sanctum. Ipse quippe est Veritas. Et ex Filio procedere Spiritum sanctum, et prophetica nobis, et apostolica doctrina commendat. Isaias enim de Filio dicit: « Percutiet terram virga oris sui, et Spiritu labiorum suorum interficiet impium* [71]. » *De quo et Apostolus ait: « Quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui* [72]. » *Quem et ipse unigenitus Filius Dei, oris sui Spiritum esse signanter ostendens, post resurrectionem suam discipulis suis insufflans dixit: « Accipite Spiritum sanctum* [73], » *et Joan. in Apoc., ex ore ipsius Domini Jesu gladium bis acutum procedere dixit* [74]. » Ipse ergo Spiritus ejus, ipse et gladius ex ore ejus procedens.

Idem in lib. *De fide catholica*: *Præsta, inquit, mihi, in hac via, quam, te duce, ambulo, sapientiam, et inspira mihi, et doce me per gratiam tuam, quomodo in te inculpabiliter oporteat credere, ut te Deum, unum, æternum sentiam, et incomprehensibiliter trinum in personis credam, Patrem ingenitum, Filium ex Patre unigenitum, procedentem ex utrisque permanentem, Spiritum sanctum.*

Idem in eodem libro: *Hanc fidem per te, et ex te, et in te confiteor, o beata, et benedicta, et gloriosa Trinitas, o vera, et summa, et æterna unitas, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, Deus, et Dominus Paracletus, charitas, gratia, unio, vera lux, verum lumen ex vero lumine, vera illuminatio, vivens vita, vita ex vivente, vivientium vivificatio, fons, fluvius, rivus, unus ex nullo, unus ab uno, unus ex ambobus. Ab uno omnia, omnia per unum in uno. Ex nullo Pater, ex altero, Patre scilicet, Filius; ex ambobus Spiritus sanctus, hoc est, ex Patre et Filio. Verus genitor, veritas, genitus, amborum charitas, Spiritus sanctus. Unitas una, æqua majestas, æqualis gloria, una eademque essentia.*

Sanctus quoque Leo papa, sub quo Chalcedonense concilium conflatum est; cujus de fide litteras, rectæ fidei columnam universa synodus appellat, in canonicis sanctionibus contra eos qui pecuniæ gratia, munus imponerent, ait: *Gratia, quæ gratis non datur, et accipitur, gratia non est. At Simoniaci non gratis accipiunt; non ergo gratiam, quæ in ecclesiasticis ordinibus maxime operatur, accipiunt. Si autem non accipiunt, non habent, neque gratis, neque cum pecunia dare alicui possunt. Quid igitur dant? Spiritum mendacii scilicet. Quomodo? Id ostendemus. Si enim Spiritus veritatis, Veritate ipsa testante, ex qua procedit, gratis datur; procul dubio spiritus mendacii esse deprehenditur, qui non gratis datur.*

Sanctus item Gregorius Romanus pontifex, in homil. super illud Joan.. *Cum sero esset die illo una Sabbatorum* [75], ait: « *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos:* » *hoc est, ea charitate vos diligo, cum inter scandala persecutorum mitto*, etc. quæ supra notavimus. Idem cum exponeret illud Cantici canticorum, scilicet: *Odor unguentorum tuorum, super omnia aromata* [76], ait: *Unguentum Domini Spiritus sanctus erat, de quo Propheta ad eum dixit: « Unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis præ participibus tuis* [77]. » *Hoc oleo, quando incarnatus est, unctus est: Non enim primum homo factus est, postea Spiritum sanctum accepit: sed, quando de Spiritu sancto incarnatus est, simul et incarnatus, et unctus est. Odor enim unguentorum fragrantia sancti Spiritus est, qui et ab ipso procedit, et in ipso permanet.* Idem in II Morat. *Spiritus sanctus nunquam deseruit humanitatem Christi, cujus ex Deitate procedit.*

Ista quidem a Latinis doctoribus sumpta, pauca de innumerabilibus posuimus: per quæ Græcis

[70] Joan. XV, 26. [71] Isa. XI, 44. [72] II Thess. II, 8. [73] Joan. XX, 21. [74] Apoc. I et XIX. [75] Joan. XX, 19. [76] Cant. IV, 10. [77] Psal. XLIV, 8.

Digitized by Google

consentiunt ; Dei scilicet Spiritu eos, terræ licet, ac maris intercapedine disparatos conjungente, in una catholicæ fidei, pietatisque concordia. Neque enim profecto, benignissimus cum sit, quos Verbum vitæ continere, et humano generi expositores eloquiorum suorum præsse voluit, per quos mortalium misertus errores, ad agnitionem sui errantia corda converteret, vel de veritate dissentire ab invicem, aut fidei dures, Ecclesiæ decretis post beatos apostolos assumi permisisset, qui gubernatorum, ac magistrorum vice præcipitatores, et eversores ecclesiastici gregis futuri essent. Neque tanta concilia errare permisisset, quæ, sic de illis viris statuerunt, ut juberent omnes, qui a Christo Christiani dicerentur, eos revereri in omnibus, nihilque illorum dictis contraire ; neque pastores eos esse, ne ad prærupta, et præcipitia, gregem sibi creditum pertraherent. Sed nec sancti jam essent, nosque cæci cæcos sequeremur, ignorantiæ tenebris cæcati, nec veritatem agnoscentes. Verum, hoc profecto est, oblique in Deum erroris culpam intorquere ; idque, cum Salvator noster usque ad consummationem sæculi nobiscum se fore promiserit, pro quibus redimendis, omnis illi cura fuit, omniaque implevit sacramenta.

Cæterum, si qui beatum Augustinum sententiam illam de sancto Spiritu, non quasi dogma immobile protulisse arbitrantur, neque ita illum sensisse, et aliis persuadere voluisse, quoniam aliquo in loco, scriptorum suorum dixerit (36) : *Solis canonicis Scripturis, divinis scilicet eloquiis, lectores incunctanter ac sine ulla hæsitatione credere, atque assentiri debere ; scriptis vero suis, non tantum honoris impendere, sed, si quidem canonicis Scripturis concordant, suscipere ; se vero si usquam a veritate aberrasset, correctionem atque emendationem non solum non renuere, verum et libenter amplecti ;* qui ergo talia proferunt, etiam Apostolum Paulum Apostolico choro detrudere coguntur ; neque illum veritatis prædicationem scisse fatebuntur.

Beatum item Dionysium veritate excidisse, ex verbis illius occasionem nacti, dicturi sunt. Ille enim ait : *Quoniam non sum dignus vocari apostolus, et nondum arbitror me comprehendisse.* Iste vero in fine libri *De divinis nominibus, veniam petiit si quid omnino vel in parte, a veritate aberravit.* Sin autem, quæ a summis viris, per modestiam et humilitatem dicta sunt, non oportet contra illos, quasi ab illis testimonium sumere ; prorsus et ea quæ a beato Augustino modestissime sunt dicta, contra illum proferre in testimonium, imo contra veritatem, fas non est. Alias enim sanctorum maximas virtutes everteimus, catholicosque doctores arbitrabimur circa fidem naufragasse, aliisque parasse naufragium ; eosdemque, et sanctos simul et nocentes appellabimus, et magistris quidem honorem habebimus ; qui vero illis obaudiunt, hæreticos existimabimus. Sed, ista plane inepta sunt et absurdissima. Nam quod beatus Augustinus in suis de sancto Spiritu sententiis, ne vestigium quidem ambiguitatis ostenderit, ex dictis suis constat : *Non enim possumus*, inquit, *dicere, quod Spiritus sanctus a Filio non procedat.* Et qui aliter sentiunt, eos dementissimos appellat ; *Atque hanc fidem ad Deum*, ait, *aperte confiteri, in qua, ex Filio procedere Spiritum sanctum continetur, et ab ipsis Salvatoris verbis id ostendi asseverat ; additque, ipsam propheticam, atque apostolicam doctrinam, ex Filio procedere Spiritum sanctum, commendare.*

Hæc autem profecto ambigentis non sunt : et Petrum firmissime tenere, ac nullo modo dubitare de processu sancti Spiritus ex Filio admonet. Atque in fine quadraginta capitulorum, quæ ad eum scripsit, quasi concludens, ait : *Singula, quæ illic dicta essent, tantum roboris ad fidem habere, ut qui vel unum ex illis abolere niteretur, quasi manifeste impius communisque pestis execrandus, atque fugiendus esset ; et neque in mensa illi, neque in alio quolibet communicandum, neque salutandum, neque sub tectum vocandum ait.*

Constat igitur, quia, quæ de fide crediderat, ea et scribebat, eisque omnes credere, et obtemperare, et monebat, et orabat, ut quæ essent maxime salubria et vera. Desipuisset enim profecto Augustinus, si, pro incertis rebus, tantam ultionem expetisset.

Quid autem dicturi sunt de doctoribus reliquis ? neque enim omnes ambiguos dicent : Quidam vero, et illum, et cum illo alios plurimos doctorum errasse de sancto Spiritu, nihil mirum esse asseverant : *Homines quippe fuisse, et errare, hominum esse.* Sed ista profecto improborum nimis hominum sunt, et eorum qui doctores una destruere nituntur. Quid enim prohibet eadem ratione, omnes pariter exploderent ? Homines enim fuerunt et ipsi, ac veluti in profundæ noctis versati tenebris. Hoc enim concesso, omnes arbitrabimur circa fidem cunctabundos et dubios hærere, nulloque horum judicio utemur ad sanctarum litterarum intelligentiam. Ne isti quidem, qui hæc dicunt, habebunt, unde sua firmare possint, nutantibus omnibus. Quibus enim rationibus, quos volunt, magistros arguunt, eisdem et ipsi arguentur. Nempe enim non omnium sedebunt judices (*a*), communes quidem Ecclesiæ magistros, ipsi vero, veluti sapientiæ ac scientiæ thesauros penes se conditos habentes, eosque supra humanam naturam fuisse gloriantes, quæ ipsi proferunt, sola obtinere, ac rata esse, ac firmissima dicere audebunt. Atque, ut datur intelligi, eos quidem qui omnium consensu, sapientia, et sanctitate flo-

(36) S. Augustinus in epist. XIX. Hoc dictum hæretici perpetim in ore habent contra Patrum auctoritatem.

(*a*) Deest aliquid.

Digitized by Google

runt, fragilitate conditionis humanæ in errorem lapsos dicent, sibi autem ipsi tantummodo errore decipi non posse, peculiare erit ?

Sed ista, ut superbiæ, stultitiæque plenissima illis relinquantur, quos delectat hujusmodi fatuas iantilesque gloriolas sequi ; maxime cum possibile non sit, eosdem et sanctos consentiente, orbe universo, fuisse, et a fide deviasse, sine qua Deo placere impossibile est, ut ait Apostolus [78]. Nos autem honorem illis ab universalibus conciliis attributum servantes, hosque ut præceptores, et duces Græcos Latinosque sequentes : *In Christo enim Jesu, neque Judæus, neque Græcus est aliquid* [79], quodque a quolibet dictum, veraciter eamdem habet vim, librantes, sibi ipsis, atque invicem de sancto Spiritu, valde concordes aspicimus.

Alii enim ex Filio procedere aiunt Spiritum sanctum ; Alii esse ex Filio, atque ab eo esse habere, et ab ipso naturaliter prodire, et profundi et emicare, et profluere, ac per Filium et ex Filio procedere ; et, si quid ejusmodi intelligentiæ proximum ab eis dicitur, quanquam, etsi qua a magistris obscurius fortassis de hac re dicta videbantur, prudentiæ fuerat, ea ex manifestis dictis interpretari : ne propter nos videantur et sibi ipsis et invicem sacri doctores adversari : id profecto pro certo habentes quod a Deo traditi Ecclesiæ magistri, nunquam diversis inter se dogmatibus dissentire possent : per quorum os unus ille, et divinus Spiritus, de quo sermo est, locutus sit.

His positis, constat ex his quæ communiter et singulariter a sanctis Patribus dicta prænotavimus : quod ipsi sancti viri qui ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum dixerunt, et ex Filio procedere, et ab ipso esse, atque ab eo esse habere, et ex eo naturaliter prodire, et profluere : et, si quid est hujusmodi, præter id quod ex ipsis fidei principiis necessario sic ista concludunlur, ex ipsis Salvatoris vocibus occasiones acceperunt ; ex Patre quidem illum ideo esse asserentes, quod Salvator in Evangeliis dixerit, *Qui a Patre procedit* [80]. Per Filium vero esse, et ex Filio, quia ipsum Dominus, nunc quidem veritatis Spiritum dixerit, nunc autem ipsum discipulis corporaliter ostenderit. Atque nunc quidem ad discipulos ait, *Quia de meo accipiet et annuntiabit vobis* [81]. Nunc vero ad Patrem : *Omnia mea tua sunt, et tua mea sunt* [82].

Atque ex eo, quod mitti quidem Spiritus a Patre et donari, et si quid hujusmodi est, mitti vero, et dari, et a Filio ibidem dicitur, neque seorsim mittit Pater Spiritum sanctum, ac seorsim Filius ; sed ex eo quod a Patre per Filium atque ex Patre, et Filio una datione, una largitione, una missione datur, et mittitur : quemadmodum scilicet una processione ex Patre per Filium procedit, atque ex eo, quod Filius consors sit paternorum omnium naturalium bonorum, Patrisque bona habeat propria, atque præcipua ; ac ex eo, quod non serviliter, ac ministri officio a Filio mittitur, utpote qui est incommutabilis imago Patris. Hæc enim ex prædictis insinuata sint etsi plurima sint. Et illud una apparet, quod quando insufflavit in discipulos Dominus, et dixit eis : *Accipite Spiritum sanctum* [83], qui ex Patre per Filium naturaliter prodit, et per se procedentem dedit eis.

Hoc igitur, ut dictum est ab Ecclesiæ magistris, satis supra declaratum est ; præcipue tamen magnus Basilius suam hac de re opinionem indicans, prædicta confirmat. Nam in quarto contra Eunomium, in uno capitulo quod inscribitur Quod divina natura sit Spiritus : *Spiritus enim*, inquit, *viventi Verbo ad creandum conjunctus, viva virtus est, et natura, divina, ineffabilis ex ineffabili ore prodiens, ineffabiliter per insufflationem in hominem emissa, et secundum formam a Christo corporaliter ostensam, rursus ab ipso per insufflationem restituta. Concurrere quippe oportebat antiquæ novitati præsentem quoque renovationem, et hujusmodi concursionem expressit insufflans, non alius exsistens, quam is qui ab initio insufflaverat ; sed ipse, per quem dedit Deus insufflationem, tunc quidem cum anima, nunc autem in animam.*

Magnus quoque Athanasius, in epist. ad Serapionem de Spiritu sancto, cujus initium est : *Legi nunc quoque scriptam a tua veneratione epistolam*, ait : *Denique mittente Patre Spiritum, Filium illum discipulis insufflans dedit. Omnia enim quæ habet Pater, Filii sunt.*

Sanctus item Cyrillus in IV ad Hermiam, ait : *Simul enim, atque summi Opificis ineffabilibus nutibus natura hominis ad substantiam provecta est, habitu etiam ad Spiritum componebatur. Insufflavit enim in faciem ejus spiraculum vitæ, non aliter, ut reor, animali hoc lucem sanctificationis, proprietatisque ad Deum habituro, nisi participatione Spiritus sancti fuisset ornatus. Itaque et quando unigenitus factus est homo, desertam, ac destitutam antiquo bono, et quod a principio acceperat, inveniens naturam hominis, eam rursus in illud transformare curavit, veluti a fonte, propria scilicet plenitudine illum immittens, ac dicens : « Accipite Spiritum sanctum, » evidentiore insufflatione per carnem Spiritus naturam optime signans.*

Præter ista vero, quæ a sanctis viris dicta sunt, quibus aperte indicatur, Spiritum sanctum per insufflationem discipulis datum : quandoquidem hic magnus Basilius Spiritum Verbo conjunctum ad creandum, quem et vivam virtutem, et divinam dixit naturam a Christo per insufflationem homini fuisse restitutam ; quam etiam corpoream appellavit formam ab ipso demonstratam ; manifestum sane est, quod quando insufflans dixit : *Accipite Spiritum sanctum*, per hoc ipsum, qui ex Patre procederet, Spiritum insinuavit. Hoc enim est

[78] Hebr. XI, 6. [79] Galat. III, 28. [80] Joan. XV, 26. [81] Joan. XVI, 14. [82] Joan. XVII, 10. [83] Joan. XX, 21.

Digitized by Google

Verbo conjunctam fuisse ad creandum, vivam virtutem divinam naturam, Paracletum scilicet.

Quod autem *formam*, aiunt Basilius, Cyrillusque, *adumbrationem per carnem Spiritus naturæ*, hoc Augustinus corporalem insufflationem appellavit. Et quia forma, et adumbratio Spiritus naturæ est, insufflationem illam non esse Spiritus sancti substantiam dixit, sed documentum per propriam et congruam significationem, quod hic Spiritus sanctus etiam ex Filio procederet. Et merito sane, quoniam enim nihil eorum quæ a Domino fiebant, fortuitum erat; et quæ in figura peraguntur relationem aliquam ad ea quæ significant, habent: sicut baptisma, quod per aquam datur, invisibiliter operantem emundationem indicat, emundat quippe aqua, et diluit corporum sordes, mysteriumque Dominici corporis in specie panis et vini traditum, mysticum animæ signat alimentum; et quod in linguis igneis Spiritus sanctus delapsus est, rationem profecto habet ad ea quæ tunc sunt gesta divinitus signa. Ignis quippe Deitatem signat, linguæ, magisterii proprietatem. Ita scilicet, illa insufflatio aliquid significabat. Erat enim argumentum divinæ substantiæ Spiritus; quippe nihil corporeum ita divinum indicat Spiritum, sicut flatus humanus; sicut enim illa insufflatio per os ex intimis, corporeisque visceribus prodit, ita et ipse Spiritus sanctus cujus forma corporalis spiritus est, et ex Patre per Filium substantiam habet. Natura quippe divina dictus est ineffabilis ex ineffabili ore manans. Manare autem, ut supra monstratum est, in substantia Spiritus sanctus accepit.

Sanctus quoque Cyrillus ait: *Sicut et unusquisque nostrum spiritum, qui in seipso est, continet, atque ex intimis visceribus ad exteriora profundit: idcirco denique et corporaliter illum insufflavit: ostendens, quia sicut humanus spiritus ex humano ore procedit, ita et ex divina essentia, quod ex ipsa est, divine profunditur.* Divinam essentiam, Patrem, et Filium nominat, quorum paulo superius memoriam districtius fecit. Ex quibus etiam constat ex Patre et Filio veluti ex uno, procedere ac prodire.

Patet itaque, quod qui per insufflationem sanctam, non esse datum apostolis Spiritum sanctum ex Patre procedentem, sed donum aliquod sine substantia dicunt, a sanctorum Patrum intelligentia discrepant, atque anathemati subjiciuntur. Sancta enim universalis quinta synodus in quodam capitulo ita posuit: *Si quis Theodoro Mopsuestiæ episcopo favet dicenti, alium esse Deum Verbum, et alium Christum, atque cum cæteris innumeris blasphemiis suis dicere audentem, quia post resurrectionem insufflans in discipulos, Dominus, et dicens: « Accipite Spiritum sanctum, » non dedit eis Spiritum sanctum, sed figuraliter tantum insufflavit; his igitur, qui eadem, et his similia unquam senserint, et usque in finem in ea impietate duraverint, anathema sit.*

Ex his, simul ostenditur, non plures Spiritus sanctos oportere confiteri in Deo, ut quidam fingunt; cum Apostolus quidem dixerit, *Unus Spiritus sanctus, in quo omnia* [84]; magnusque Basilius ad Amphilochium, *Unus Deus et Pater, unus unigenitus Filius, et unus, Spiritus sanctus, et ipse singulariter enuntiatus, et per unum Filium Patri conjunctus, et per ipsam implens venerandam ac beatissimam Trinitatem.* Et rursus: *Via, divinæ cognitionis ab uno Spiritu, per unum Filium ad unum Patrem est.* Gregorio item Theologo in libro *ad Heronem philosophum* dicente: *Definias autem et nostram religionem, docens unum quidem nosse Deum ingenitum Patrem; unum autem genitum Filium, unum vero Spiritum procedentem ex Patre, sive prodeuntem.* Præfato item beato Athanasio in præfato libro ita docente: *Spiritum vero sanctum sic dici, non alterum invenies, Spiritus enim ut dixi, Deus dicitur, et sanctus Deus. Ambo vero nomina composita ei, qui proprie appellatur Spiritus sanctus, congruunt: sicut Patris appellatio causæ, Filiique illi qui sine ullo medio ex causa est.*

Itaque licet quidem plures nominare spiritus; alium quidem spiritum adoptionis, alium vero spiritum dilectionis, sapientiæ alium, alium fidei, alium timoris Dei, alium consilii, et fortitudinis, et patientiæ, et continentiæ; quippe operationes Spiritus, Isaias Spiritus vocare consuevit, secundum theologum Gregorium. Omnia enim operari unum, eumdemque Spiritum Apostolus ait, quæ etiam operationes vocat, dicens: *Et divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in nobis* [85].

Divus quoque Chrysostomus in sermone de sancto Spiritu, cujus initium est: *Heri quidem, o amatores Christi, adventus sancti ac venerandi Spiritus a nobis laudabatur: Quia*, inquit, *quod donatur, Spiritus sanctus est. Vocatur et donum Spiritus sanctus a donatore nomen habens; quando vero Spiritus dicitur, non alium intelligere fas est, quam eum qui ex Patre proprie, substantialiter procedit. Sicut enim Filii, et Patris nomen substantiis congruit, ita et Spiritus sancti appellatio uni personæ Trinitatis competit.* Ut enim dictum est, Spiritus, et sanctus composita, ei, qui proprie vocatur Spiritus sanctus, conveniunt.

Attestatur et his magnus Athanasius in Epistola ad Serapionem, cujus initium est: *Litteras sancti amoris tui;* dicit enim: *Dicite, sicubi in Scripturis legistis, Spiritum sanctum simpliciter dici Spiritum sine adjectione vel* Dei, *vel* Patris, *vel* meum, *vel ipsius* Christi *et* Filii *vel* a me, *quod est* a Deo, *vel sine articulo Græcæ locutionis more: ne simpliciter intelligatur Spiritus. Nam si dicatur* πνεῦμα, *sine præcedente articulo, de quolibet spiritu*

[84] Ephes. IV. 6. [85] I Cor. XII, 6.

Digitized by Google

intelligi potest. Sin vero apponatur articulus, ut dicatur τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, *significat Spiritum sanctum, vel Paracletum, vel veritatis Spiritum, id est, Filii, ipso dicente:* « *Ego sum Veritas*[86], » *ne audientes Spiritum simpliciter dici, vel sine præcedente articulo, vel sine adjectione subsequente, Spiritum sanctum dici arbitremini. Itaque cum audierimus Spiritum sanctum, vel cum articulo Spiritum, non de quolibet Spiritu intelligendum : sed de illo, qui procedit ex Patre, Spiritu veritatis, vel quomodolibet cum aliqua ex prædictis adjectionibus proferatur.* Nempe enim, si quoniam a Spiritu datur spiritale donum, Spiritum sanctum quisplam dicat: Filii etiam, ac Patris dona, Filii ac Patres erunt, atque ita nihil prohibebit Trinitatem multiplicare. Imo, cum sit commune donum, et communia munera, horum quoque nihil prohibebit, et Patrem et Filium, et Spiritum sanctum appellare. Sed ista nimium absurda sunt.

Quoniam igitur, *Accipite Spiritum sanctum*[87], dixit Salvator, quod solum Paracletum significat, nequaquam Chrysostomus illi contradicit, non Spiritum sanctum, tunc datum dicens: ex eo, quod cœlesti magistro, sanctisque concordat, Chrysostomo habetur honor. Hunc enim arbitrantur quidam dixisse, donum quoddam sine substantia apostolis datum, quia illud dictum exponens, ait: « *Nonnulli quidem dicunt, illum non Spiritum dedisse, sed idoneos ad percipiendum Spiritum illa insufflatione fecisse. Non autem quispiam peccaverit, si dicat, eos, et tunc potestatem quamdam accepisse spiritualem, et gratiam, ut peccata dimitterent. Ideo et addidit : Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, ostendens quam speciem operationis det.* » Atqui sanctus per hoc non contradicit. Neque enim, ut suam opinionem, sed, ut ab aliis invectam objicit. *Quosdam enim*, ait, *dicere, quia non Spiritum dedit Christus.* Ac deinde illorum corrigens opinionem : *Non autem peccabit quispiam*, inquiet, *et tunc eos potestatem aliquam spiritualem, et gratiam accepisse*, dicens ; quasi dicat: Illis quidem non videtur apostolos tunc Spiritum sanctum accepisse, atque ideo neque illius accepisse gratiam, idoneosque solummodo effectos esse per eam insufflationem ad acciplendum Spiritum sanctum. Consequens enim erat, ut qui eos Spiritum sanctum accepisse tunc negabant : etiam gratiæ perceptionem tollerent, quam sine Spiritu cuiquam possibile non erat advenire.

Deinde et suam sententiam infert: *Non autem peccabit quispiam, eos et tunc gratiam accepisse*, dicens; quasi illorum sententiam corrigens, qui negabant Spiritum sanctum tunc datum fuisse, ostendit apertius opinionem suam esse, quod tunc acceperint Spiritum sanctum. Nam cum gratia Spiritus et ipse una adesse intelligitur : atque hoc inde in primis constat, quod potestatem peccata relaxandi tunc acceperunt per Spiritum sanctum, quod Dei solius est, ut et magnus Basilius in IV *contra Eunom.* ostendit, dicens: *Si igitur peccata dimittere nullius est, nisi solius Dei; dimittit autem peccata per Apostolos Spiritus sanctus, Deus ergo est Spiritus sanctus.* Simul et illud constat, quod, nisi datus esset tunc Spiritus sanctus, Apostoli peccata dimittere non possent: quia vero dimiserunt, liquet, quia dimittendi peccata potestatem una cum Spiritu sancto acceperunt. Non enim hanc haberent, si ille non adesset. Ideo et Chrysostomus aiebat. Neque peccabit, qui dixerit eos et tunc gratiam accepisse spiritalem, ut per hanc in eis Spiritus sanctus habitaret, quem negabant quidam eis tum a Christo datum fuisse.

Idem Sanctus super Joan. Evangelio : *Cur autem*, inquit: « *Rogabo Patrem*[88]? » *Quia, si dixisset,* « *Ego mittam,* » *non similiter profecto credidissent. Nunc enim id maxime agebat, ut sibi crederetur. Illum igitur tunc acceperunt Apostoli, quem dat Christus; dat autem, quem mittit; quem ergo Christus mittit, hunc acceperunt Apostoli. Mittit vero non donum sine substantia, sed ipsum Spiritum.* « *Paracletus enim*, inquit, *quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*[89]. »

Sed ad id quoque commendandum quod Christus Spiritum mittat, adjecit Chrysost.: *Postea enim ipse se mittere ait*, dicens : *Accipite Spiritum sanctum.* Igitur, qui tunc a Christo datus est, eum Chrystost., et ab ipso, et a Patre missum ait. Non ergo vel sibi, vel aliis magistris Ecclesiæ, in his, quæ dixit, contrarius est.

Cæterum ad eos, qui dicunt : *Si tunc Spiritum sanctum acceperunt Apostoli, quid necesse fuit illum die Pentecostes mitti?* dicendum est, quoniam datus est quidem, non autem tota illa sua plenitudine, neque secundum omnem suam operationem; non quod ipse discretus, ac divisus sit, sed propter suscipientium imbecillitatem, qui omnem ejus operationem, et efficientiam tunc profecto capere nequibant. Postea vero quam ad perfectiora profecerant, tunc, jam omnium gratiarum, donorumque cœlestium capaces facti sunt.

Quocirca et Chrysostomus : *Nec peccabit*, inquit, *qui et tunc eos accepisse dixerit spiritalem aliquam gratiam, cum Spiritus tunc ea sola dignos judicaverit.* Nam sacerdotii gratiam tunc solam dedit apostolis inhabitantem, cujus proprium peccata solvere, atque ligare : non tamen doctrinæ etiam, et verbi gratiam, hanc enim in die Pentecostes, per linguas igneas dedit. Sed, ne tunc quidem tota illis copia est data. Neque enim quotidie ad majores, perfectioresque virtutes potestatesque evasissent. Sed et post Pentecosten, narrantibus Petro, et Joanne reliquis apostolis, quanta a Judæis passi essent, eo quod fiducialiter in Christi nomine egissent : *Motu*, inquit, *facto repleti sunt omnes Spiritu sancto, et*

[86] Joan. XIV, 6. [87] Joan. XX, 21. [88] Joan. XIV, 16. [89] Joan. XV, 26.

Digitized by Google

loquerentur verbum Dei cum fiducia [90]. Nempe enim, A si totum in Penteceste habuerant, quonam tunc spiritu impleti sunt? Constat vero quia habebant illum quidem, sed, quia perfecte non habebant, ipso rursus impleti sunt. Semper enim ac jugiter Spiritus datur, et per singula ipsius munera, ipse una ingreditur.

Et in Actibus apostolorum scriptum est : *Imponebant apostoli manus super eum, qui baptizabatur, populum, et descendebat Spiritus sanctus super eos* [91]. Datur enim in adoptione baptizatis, et principatum spiritalem in populi regimine suscipientibus, atque in hac differenter, secundum scilicet munera ad Ecclesiæ perfectionem conferentia.

Ea ergo insufflatio indicium est veræ sancti Spiritus effusionis; atque eo magis, quod et gratia, B in qua datus est, solius Dei est. Deus autem est Spiritus sanctus, sed et documentum est ea insufflatio, per expressam significationem, ex Filio procedere Spiritum sanctum atque ex eo esse.

Ex quibus etiam id constat, quod, qui nihil mirum esse dicunt, si datur a Filio Spiritus, quandoquidem et a quocunque homine, modo sacerdos sit, datur : et sicut ab hominibus cum datur, non etiam ab eis procedit : ita neque a Dei Filio procedit, quamvis ab ipso detur, irrationabiliter, ac dementissime blasphemant. Primum quidem, quoniam eandem proportionem Spiritum sanctum ad Filium habere, quam habet ad homines, putant; deinde, quoniam a quibuslibet hominibus dari non potest, qui ab apostolis datus non est : *Imponebant* C *enim manus*, ait, *super baptizatum populum et descendebat Spiritus sanctus super eos.*

In his autem, quæ a magistris Ecclesiæ dicta sunt, horum etiam concordia notanda est. Sicut enim magnus Athanasius in Epist. ad Serapionem, Spiritum sanctum dixit donum Filii : ita et Augustinus in lib. *De Trinitate*, ipsum dixit Filii donum. Tum, quia a Patre et Filio datur, tum quia ex Patre per Filium procedit, amborumque donum esse, addidit. Ac sicut ille Spiritum sanctum, unam vitam unius vivi Verbi dixit : ita et Augustinus in lib. *De fide* vivam vitam, et vitam ex vivente dixit. Et quemadmodum Cyrillus ad Palladium essentialiter illum ex utroque, id est, ex Patre per Filium dixit; ita et iste ex utrisque procedere, et in utrisque perdurare; atque ex ambobus, id est, ex Patre, et Filio esse. Et ut charitatem Spiritum sanctum Augustinus appellavit : ita et Athanasius ad Serapionem scribens, ait : *Denique Corinthiis, orans in Trinitate orabat, dicens : «Gratia Domini nostri Jesu Christi, et dilectio Dei, et Patris, et communicatio Spiritus sancti cum omnibus vobis* [92].» *Spiritus enim participes, habemus verbi gratiam, atque in ipso Patre charitatem.* Constat igitur, quia Spiritum sanctum in hoc loco appellavit : ita enim Trinitas insinuabitur in qua Apostolum ad Corinthios orasse, ait. Certe et beatus Theodorus Studites de Spiritu sancto canit : *Tu vita, amor, lumen.* Charitas autem, et amor idem valet.

Sed enim Augustinus quidem rursus gratiam vocavit Spiritum sanctum. Concordat autem et huic sanctus Basilius in mysticis sancti sacrificii precibus, ad Patrem illic de Filio loquens : *Qui est imago tuæ bonitatis, sigillum formæ parile in se ipso te Patrem ostendens, sermo vivus, Deus verus, a quo Spiritus sanctus effulsit, adoptionis donum, arrha futuræ hæreditatis.* Idem rursus, in epistola ad Gregorium fratrem de differentia essentiæ, atque substantiæ, ait : *Omne quod in nos ex divina virtute pertingit bonum; omnia in omnibus operantis gratiæ operationem dicimus*, sicut ait Apostolus : *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult* [93].

Porro, si quærere pergimus an ex solo sancto Spiritu bonorum largitio initium sumens, ita dignis adveniat : rursus a Scriptura admonemur, ut credamus largitionis bonorum omnium, quæ in nobis per Spiritum fiunt auctorem, et causam esse unigenitum Jesum. Omnia enim per ipsum facta esse, et in ipso consistere, a sanctis litteris didicimus. In his autem, quam omnia in omnibus operari gratiam dixit, Spiritum sanctum esse vult. *Omnia enim operatur unus, atque idem Spiritus*, Et addit : *Omnia* nobis per ipsum Spiritum geri.

Notandum vero, et quod per medium dicti filius, quod omnia scilicet per Filium sint facta, Filium auctorem, et causam bonorum quæ per Spiritum nobis geruntur, ostendit; simul etiam, quæ ante prædiximus de personarum ordine, ex præsenti quoque dicto roborantur, procedens quippe, ait : quod per Filium quidem omnia, cum non essent, ad esse producta sint. Non enim neque ex hac virtute sine principio, sed quædam virtus est, sine nativitate, sine principio subsistens; quæ causa est eorum quæ sunt omnium causæ, et quæ per Spiritum nobis geruntur. De hoc enim illi sermo institutus erat : sed et voluntatem alio quoque in loco Spiritum sanctum Augustinus appellavit. At vero charitas, et amor, et voluntas tandumdem valent. Quod enim quis amat, hoc et diligit, et vult.

Concordant huic et veteres illi apud nos Eccle- D siæ magistri. Hi enim, et magnus in primis Athanasius in his, quæ contra Arium scripsit, eos qui dicerent posteriores Patre Filium et Spiritum sanctum ratiocinando illam absurditatem induxerunt : veluti si dicerent, sine ratione, et voluntate Deum esse. Et merito; quia enim Deus intelligibilis, ac volens est, secundum communes de hoc intelligentias, Scripturæque sententias, rationabilium vero perfectio, rationem, atque voluntatem habere est, omnis autem perfectio principalius, atque perfectius in Deo sita est : quemadmodum Deus ipse seipsum intelligens, ipse sibi ipsi intelligibilis est; hoc enim est et movere ipsum speculatione sui; se ipsum vero intelligens, et alia intelligit, ut ait

[90] Act. II, 4. [91] Act. XIII, 3. [92] I Cor. XVI, 23. [93] I Cor. XII, 11.

Digitized by Google

Dionysius eximius; atque hinc Verbi, et Filii persona cooritur. Quod enim definibile est ad definitionem relative dicitur: atque ipse est Patris definitio, et Verbum, et sicut definitio ad definitum, sic, habet Filius ad Patrem secundum Theologum Gregorium. Sed et consubstantialis si est. Nullum enim accidens in Deo, sic et ipse se ipsum est diligens, et volens et amans. Ipse quippe sibi est desiderabile, et summum, et bonum, ex se ipso suam producit voluntatem, sive charitatem, sive amorem, quæ Spiritui sancto relative assignant Ecclesiæ magistri. Neque enim alias bis qui negarent Filium et Spiritum sanctum, objicerent quod sine ratione et voluntate Deum fateri cogerentur; nisi Patrem quidem, mentem, Filium, Verbum: Spiritum vero sanctum, voluntatem, relative voluissent dicere.

Et quoniam quantum est, quod diligitur, tanta et dilectio, sive voluntas est; parilis et ipsa Deo est, et exæquans. Est et consubstantialis, quoniam in Deo nullum accidens. Sic igitur et Deus pro confesso habetur Spiritus sanctus consubstantialis Patri et Filio, et coæternus. Nunquam enim fuit sine verbo, et sine voluntate Deus. Ex quo, et quæ prædicta sunt, una apparent, quod Filius scilicet sit ex Patre sine medio, veluti ex mente verbum. Spiritus autem sanctus ex Patre per Filium, sicuti voluntas, et charitas, et amor, ex mente per verbum, et ex Verbo prodit. Impossibile namque est, velle, vel diligere, nisi per verbum, et præcedente verbo. Quocirca etiam merito ex Verbo procedere dicitur.

Quia igitur secundum processum voluntatis, sive charitatis, ex Patre per Verbum procedere Spiritum Augustinus intelligit; idcirco cum dixisset, ipsum, dictante Scriptura, charitatem Patris ac Filii, etiam ex Patre, et Filio procedere concludit. Qua conclusione Græcis quoque doctoribus, ut supra docuimus, maxime consonus est. Hi enim ex Patre per Filium procedere, et ex Patre et Filio esse asserunt: quod, qui negat, alterum ex duobus, vel Patrem sine Verbo, et voluntate, vel duos Filios in sancta Trinitate confitebitur, et ambos sine ullo medio ex Patre esse posse.

Quod si quis Augustinum percontetur, unde causam sumpserit, ut Spiritum sanctum donum, et dilectionem Patris, ac Filii diceret, scripta illius testimoniis divinarum Litterarum roborata (nam sine his, nihil locutus est) in libris de Trinitate pro eo respondebunt, simulque pro magno Athanasio, qui eadem locutus est. Non igitur expedit, dum conclusiones irrationabiliter negare volunt, etiam, quæ a SS. Patribus dicta sunt, charitatem, seu voluntatem, seu aliquid hujusmodi Spiritum sanctum communiter, ac sigillatim confitentibus una negare, adversus sanctos impudenter se efferendo, eosque sibi invicem objiciendo. Qua profe-

A eto contumelia, nihil vel ipsis, vel Deo indignius, vel gravius irrogari potest, quodque majus est, contra illos mentiendo, se ipsos isti a veritate illorum faciunt extorres: ac deinde putant debitum se illis honorem reddere. Neque sane convenit, ne etiam a Filio esse Spiritum sanctum necessario confiteantur, juxta Patrum veracissimam theologiam: dum negare volunt eum a Filio dari, neque mitti, Spiritum sanctum, gratiam sine substantia dicere præsumere, sicut enim dictum est: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret pro eo* [a]: ita et Spiritum sanctum, Scriptura cum doctoribus clamante dari, ac mitti, fatendum est, quoniam dilexit nos: illud præterea mente repetendo, quod quotidie orantes, dicimus: *Veni,* B *Paraclete benigne, et habita in nobis*; et: *Domine, qui sanctum Spiritum tuum hora tertia tuis apostolis misisti, hunc a nobis clemens, ne auferas.* Prorsus vero nunquam ab ipso datus fuisset, nisi et ab ipso esset. Aliter quippe minister esset Filius. Ideo et dictum est: A quo autem dari oportebat, nisi ab eo, cujus est? Et illud item constat, quia neque Verbum daretur, nisi præcedente charitate, secundum quam dilexit nos. Et quia Spiritus sanctus charitas dicitur, principaliter ipsum dedit nobis cum dilexisset nos, maxime quia et voluntas, quia se ipsum et diligit, et vult Spiritus sanctus, appellatus est. Qui enim amicus alicui efficitur, bonam prius voluntatem suam ipsi largitur.

C Scire tamen convenit, quæ communiter atque indiscrete sæpe in Deo dicuntur, relative ac proprie in eo dici. Et dicitur itaque charitas Deus, sicut et mens, et verbum communiter et absolute, sed hoc in loco relative Spiritui redditur. Nam et sapientia dicitur quidem communiter Deus; secundum quem respectum tunc nomen hoc Patri, et Filio, et Spiritui sancto tanquam uni rei indiscrete commune esse intelligi necesse est. Una enim est trium essentia sicut et una sapientia, et una bonitas, et, si quid aliud communiter et absolute, et est, et intelligitur. Sed tamen proprie Filio sapientia redditur, quamvis una ex numero exsistens trium, eademque sit sapientia et quæ genita est, et quæ D genuit, alio tamen respectu eadem non est, secundum scilicet oppositionem gignendi, ac nascendi, quia neque Pater Filius est, neque Filius Pater. Ita dicitur quidem et Spiritus Sapientia, et Mens, verum relative ac secundum propriam processus definitionem hoc nunquam penitus dicetur; similiter et voluntas communiter dicitur Deus, quia et volens est ipsum præceptum, ac potestas Dei. Et ipse quoque Dei Filius voluntas Patris, consiliumque ejus dicitur, secundum respectum differentem, sicuti et sapientia; sapientia nè invitus Pater, Pater esse videatur, quod quidam fidelibus, ac pio objecerunt. Verum, Spiritus sanctus secundum

[a] Joan. III. 16.

Digitized by Google

alium modum voluntas relative dictus est, juxta scilicet definitionem ac proprietatem substantialis processus sui.

Cæterum, si quis velit juxta prædictam rationem et Patrem charitatem dicere, et Filium similiter : et hinc absurde personarum introducet multitudinem, easdemque asseret multipliciter procedere.

Sed Augustinus quidem, qui de hoc subtilissime disserit et maxime in libris *De Trinitate*, ut his qui volunt legere, perspicuum est, unam eamdemque charitatem dicit Spiritum sanctum, Patris et Filii, qua Deus se ipsum diligit, et se invicem Pater, et Filius diligunt, quam etiam connexionem nominat Patris et Filii et unionem, et quæ illic ait : sicut et unum Verbum est, secundum quod Deus se ipsum intelligit. Nos autem cum sanctis Patribus, pro his respondentes dicimus sanctæ Trinitatis ordinem immobilem manere oportere, secundum quem, nec nomina, quæ a processibus substantialibusque modis apparent, commutantur : neque personæ vel præponuntur, vel postponuntur, vel omnino commutantur; sicut enim unus Pater, atque unus Filius, et neque Filius Pater, neque Pater Filius : ita et una voluntas, seu charitas Spiritus sanctus congruere relative scilicet dicetur. Atque idem, neque Pater, neque Filius, neque mens, neque Verbum, secundum personalem ordinem erit aliquando. Et, si una essentia, et una charitas, et unus Deus, cum Patre et Filio, secundum scilicet communia, et absoluta nomina : quemadmodum et Paracletus dictus est quidem, et Filius, sed proprie sancto Spiritui redditur, quamvis non video cur magis ex eo quod Spiritus, vel charitas, vel voluntas, vel aliquid hujusmodi dicitur. Talia absurda sequi nonnulli arbitrantur. Ex eo autem, quod Spiritus idem dicatur, non itidem.

Eadem quippe ratione dicere quispiam posset, et Spiritum spirare alium Spiritum, illumque rursus alium, atque hoc in infinitum tendi ; similiter, et Filium quidem gignere, et qui ex ipso nasceretur aliam itidem personam gignere, et hoc item in infinitum tendi : verum enim ordinem servare opus est, neque ipsius terminos transgredi, sed intra Trinitatem stare, juxta traditam nobis fidei regulam, ne deorum introducamus plebem. Itaque talia præsumere illorum est, qui personarum ordinem, et quæ do sancta Trinitate traduntur, et confessa tenentur, tollunt, confunduntque, ac permiscent omnia. Sed secundi hujus voluminis tandem finis sit.

LIBER TERTIUS.

Et hæc quidem ita se habent. Ut autem quæ superioribus libris sunt dicta, repetentes, quasi in unum conspectum demus omnia : doculmus primo, tertium a Patre esse Spiritum sanctum juxta personalem ordinem. Deinde, propter substantiales divinarum substantiarum processus, nascendi scilicet, ac procedendi, Filium quidem ex Patre esse sine ullo medio ; Spiritum sanctum vero ex Patre per Filium procedere. Dein, juxta prædictum ordinem, Filii mediationem plurimis in locis a sanctis Ecclesiæ doctoribus pro confesso tradi : deinceps omnia exempla, quibus in sancta Trinitate sancti Patres usi sunt, traditum in divinis personis ordinem, secundum substantiales earum processus cum consubstantialitate insinuare, secundum utentium intentionem ; Spiritum deinde sanctum cum ex Patre per Filium procedat, per ipsum substantiam habere. *Per*, et *ex*, in divinis apud sanctos, idem significare. Tum Filium ad Spiritum, Spiritumque itidem ad Filium, secundum habitum, et relationem habere ad alterutrum, a sanctis tradi. Deinde, quemadmodum Pater causæ ratione ante Filium intellegitur ; ita et Filium eadem causæ ratione ante Spiritum intelligi : majorem Spiritu Filium, secundum scilicet personalem ordinem a theologis tradi. Deinde a Filio esse habere Spiritum sanctum, utpote ab ipso audientem, et accipientem. Undecimo deinde loco sufficere, ad indicandum, ex Filio esse Spiritum sanctum, quia sit, et dicatur Filii Spiritus. Spiritum sanctum deinde, Christi Spiritum dici, eadem ratione, qua et Filii Spiritus esse asseveratur : Spiritum sanctum, *spiritum oris* Filii a theologis tradi, et utraque, illum ex Patre, et Filio esse, signare, id est, ex Patre per Filium procedere. Filium quidem Verbum Patris dici, Spiritum vero sanctum Filii itidem Verbum, causæ ratione tradi ; Spiritum sanctum præterea etiam ex Filio esse a summis theologis insinuari ; Filium, eo quod sit incommutabilis imago Patris, omniaque Patris bona essentialiter habeat, eadem ratione, ut verum Patris Filium, Spiritum sanctum habere; qua illum habet Pater : aliter quippe illud incommutabile tolli. Mittere, et mitti, causam et causale in divinis personis significare. Fontem esse sancti Spiritus Filium; Spiritum sanctum imaginem esse Filii, et virtutem ejus naturalem, ac viventem, et essentialem operationem : quemadmodum et Filius hæc omnia Patris est. Ac faciem quidem Patris esse Filium causæ ratione ; primitivam item formam Spiritus Filium ; ac proprium quidem Patris esse Filium, quod ex illo sit ; proprium vero Filii Spiritum, quasi per ipsum naturaliter, essentialiterque prodeuntem, et ex ipso *esse* accipientem, atque ex eo exsistentem. Latinos, Græcosque

Digitized by Google

doctores communiter, et apertissime ex Filio esse, et exsistere, ac procedere Spiritum sanctum divinis rationibus tradere.

Hæc autem omnia pluribus rationibus ostensa sunt ; quæ, cum vera sint, et firmissimis undique rationibus munita, constat profecto, quia producere *quod* dicitur, possibile non est, ut Patris substantiale sit. Neque enim idem Spiritus, tertius simul, et secundus a Patre esse potest, neque continenter et sine medio ex primo, et per eum, qui sit continenter ex primo : neque de solo Patre procedere, et per Filium procedere : neque productor per Verbum, et solus productor esse, et cætera hujusmodi, quæ prædicta sunt. Hæc enim evidentissime sibi contraria sunt ; et idem est, ac si neque ex Patre omnino procedere illum confiteamur ; maxime cum a sanctis declaratum sit, quod nunquam procedere diceretur ex Patre, nisi et a Filio procederet. Namque procedere ex Patre etiam per Filium una complectitur, quippe procedendi definitio est, ex Patre per Filium procedere, secundum quod etiam a Filio discernitur, per proprium sui, differentemque processum.

Porro, sublato quod per Filium procedere asseritur, etiam ex Patre procedere quod dicitur, una tollitur, sublata quippe cujuslibet substantiæ definitione, ejusque substantiali proprietate, definitionis quoque nomen aufertur, substantiaque quam definitionis nomen signat, una tollitur. Quoniam vero veraciter procedit ex Patre Spiritus sanctus, per Filium etiam procedere quod dicitur asseretur. Ita enim sancti Patres procedendi complexam definitionem substantiæ Spiritus explicuerunt, et quæ dicta sunt, vera esse monstrarunt. Atque una, ut dictum est, producere substantiale Patris esse non potest, idque, cum ex superioribus constat, tum etiam ex his, quæ subjicimus ; quia enim unitatem ac Trinitatem Domini fides vera commendat, id quidem essentia, id autem personis, ac præter proprietates, quibus personæ secundum processus rationem distinguuntur : nulla alia est divinarum personarum differentia, solaque divina substantia relinquitur : inspiciendum, juxta fidei concessa principia, quænam sit proprietas Patris, ipsumque speciale proprium, quod præcipue Patris commendat personam, et Patrem facit, ac secundum quod ad coæquales sibi personas Filii Spiritusque distinguitur.

Cum igitur tria communiter de Patre dicantur : quod *ingenitus* sit ; quod *Pater*, quod *spiret*, seu *producat* ; ingenitum quidem, quod causam signat ; et si secundum hoc Pater a Filio Spirituque secernitur, Patris tamen personam non commendat, solumque designatio, et notio ipsius est, jam subsistentem sequens, ut simpliciter proprium. Duplex enim proprium est. Aliud enim est proprium quod substantialem speciem cujusque commendat, atque ab aliis separat : ut verbi gratia, Paulum esse animal ; aliud vero, magistrum fuisse gentium, aut ex tribus Benjamin, discipulumque Gamalielis aut aliquid hujusmodi ; proprium quidem, non tamen quasi substantiale ens ; sed, ut notio simpliciter.

Præterea nihil secundum negationem habet hoc esse aliquid. Negatio quippe rei, quæ sit ablatio, et ejus, quæ non sit, positio est. Negatio autem est quod dicitur ingenitum, et jam subsistentem sequitur, ipsum enim significat, genitum non esse, per quod sine causa esse signatur. Aut igitur substantiale Patris paternitas est, ac gignere est ; sive productio et inspiratio ; et producere, et inspirare ; sive utrumque simul, sive præter hæc, tertium quiddam. Et tertium illud quidem, nemo hactenus dixit ; si quis enim causam dicat, primum quidem nomen ejus causa simpliciter erit : sicuti Filii quidem, Filius nomen ; et sancti Spiritus, Spiritus sanctus : oportebatque pro Patre causam dicere, quod, a Scripturæ sanctæ consuetudine aborret, quæ semper cum de Deo loquitur, Patrem eum vocat.

Præterea, causa universale cum sit, et Patris, et productoris, atque creatoris prædicatum est : siquidem, ut prædicatum solummodo accipiatur sicuti genera, et species, et omnia quæ universaliter contra particularia prædicantur, nulla extra intelligentem animam res est, sed ipsa solummodo intelligentia est : ita nulla erit res Patris substantia, sed solummodo intelligentia ; eritque ex non subsistente subsistens, quod absurdum est. Patris enim supersubstantiale nomen et rem significat, ait divus Dionysius.

Quod si rem aliquam significat causa in Patre substantialem, si quidem aliud quidpiam, præterquam paternitatem, ac productionem significabit ; et perspicuum est, quod aliæ istæ res *paternitas* videlicet, et *causa*, in Patre sint. Itaque et aliud aliquid *causa*, præter Patrem, productoremque signabit : atque ita, compositio in Deo erit differentium intelligibilium rerum : simulque in Deo perfectius, atque imperfectius erit, neque erit alterum, quod alterum.

Quod si idem est causa quod paternitas atque productio, satius est pro causa quod commune est, quæ magis propria sunt substantialia esse, dicere, paternitatem scilicet, seu productionem, quia et de magis propriis substantialibus sermo est, doctoresque *paternitatem* pro *proprietate* dicunt, quoniam et Patrem primum constituunt.

Quod igitur tertium illud quiddam causa substantialis sit, constat ex his, sed tamen neque utrumque simul paternitatem dicere fas est. Aut enim ita ambo erunt substantialia, quasi seorsim utrumque erit Pater secundum hanc rationem duæ substantiæ. Possibile enim non est, duo substantialia cuipiam inesse dicere.

Porro hoc ipsum, non duas esse substantias, idem fere est, ac si homo quispiam duas habeat animas. Non enim dicerentur duo esse homines. Utrumque enim substantiale insitum, quod suum

Digitized by Google

est, faciet, et commendabit; sin vero ita ambo substantialia sunt, ut alterum, solum esse non possit; utrumque imperfectum erit; et, neque Patrem solum dicens quispiam, neque productorem, substantiam perfecte, integreque signabit: ita nec Patris personam discernet a reliquis: et tertium aliud quidpiam dicere necesse erit, quod sit substantiæ nomen. Et fortasse causam dicet aliquis, aliud enim possibile non est. At istud esse impossibile, supra demonstratum est. Sed contrarium usu cernitur; qui enim Patrem dicit solum personam aliquam, veraciter atque perfecte se putat, ac substantiam dicere. Et hi etiam, qui producere Patris substantiale ponunt productorem dicentes, Patrem se significare putant.

Non itaque ita productio, ac paternitas ambo simul substantialia sunt, ut alterum solum esse non possit; reliquum ergo est, vel productorem quidem substantiale esse, paternitatem autem sequi, quasi proprium simpliciter atque agnitionem: aut paternitatem quidem substantiale esse, productionem vero, ut agnitionem sequi. Sed si quidem substantiale productio est, paternitas autem sequens proprium, et substantiam significans; primus ergo, et sine medio productivæ substantiæ processus, producere, vel spirare erit, quasi sine medio substantialem speciem sequens. Unumquodque enim secundum suam subsistentem, substantialemque proprietatem, prius operatur: per primum autem, et sine medio, etiam alia producit. Hinc igitur per producere quod dicitur, erit gignere, genitumque per producens nascetur: et Filius ex Patre per Spiritum erit, neque erit Filius ex Patre sine medio, neque tertius a Patre Spiritus secundum personalem ordinem; Spiritusque conjunget Patri Verbum, plurimaque necessario sequentur absurda.

Quibus, ut prædictum est, et catholica fides et sanctorum Patrum Ecclesiastica doctrina contraria sentit, ac prædicat. Nempe enim juxta hanc rationem productorem ex substantiali, potius vocare conveniet, quam ex eo quod substantiam sequitur; quod a Scripturæ fide, atque a consuetudine omnino alienum est.

Quoniam igitur nihil eorum quæ prædicta sunt, substantiale est, neque ingenitum, neque causa, neque productio et paternitas simul, quasi alterum esse non possit: neque producere tantum quod dicitur, substantiale Patris esse potest: restat, ut paternitatem solam Patris esse substantiale dicamus, quasi commendantem in proprio, et nemini commune esse Patris personam, sive substantiam, productionem vero personam sequi, ut agnitionem simpliciter, ac significationem substantiæ ipsius jam subsistentis. Et consequenter nativitatem quidem Filii personam commendare, processionem vero sancti Spiritus personam: atque istas tres proprietates personales, etiam una substantiales divinarum personarum esse confiteri. Propterea Dominus noster cum Trinitatis mysterium traderet, in nomine Patris, et Filii, et *Spiritus sancti*, discipulos baptizare jussit [1]. Per id quidem, quod dixit, *in nomine*, unam essentiam signans; per id vero, quod secutus adjunxit, *Patris et Filii*, et Spiritus sancti, proprietates indicans, secundum quas divinæ subsistunt personæ, secundum substantias suas, in suis propriis neque communionem ullam admittentibus, essendi modis. Et quoniam ratio quidem paternitatis est generatio secundum essentiam, Filiumque, primo ac sine ullo medio producere; operatur quippe natura in Patre, secundum proprietatem personæ, in qua est; geniti vero ratio est, sine ullo medio ex Patre esse; Spiritus autem, sive procedentis a Patre per *genitum* esse; idcirco Patrem ordine præponens, Filium subjunxit, ut qui sit ex Patre sine ullo medio; tertium vero Spiritum sanctum addidit, ut ex Patre procedentem per Filium.

In singulis enim propria sui ipsius, et substantialis, et constans et substantiva species, secundum quam subsistit prima, et sine medio, ejus operatio est, per quam præcogitatam alia quoque operatur: sicut verbi gratia, in homine, *rationale* substantiale cum sit speciei ejus, secundum quam esse hoc quiddam idem hominem habet, ipsa est prima ejus immediata operatio, per quam et alia operatur quæ constantem ejus speciem sequuntur; ut puta visibile; solis quoque species una cum sit, secundum quam sol subsistit, principium est primæ et immediatæ operationis in sole lucendi, quæ nullam aliam ante se cogitatam operationem in sole habet. Ac per hanc lucendi operationem, quæ ante omnes alias cogitatur, atque sine medio in sole est, illustrare, siccare, calefacere sol ut possit, habet. Rursumque humanus animus cum per intelligentiam prima sibi et immediata sit actio, per hanc præcogitatam etiam sequentem operationem, velle scilicet perficit. Operationes enim ista dicuntur, quoniam et intelligere, et cogitare, et animadvertere, et velle, sicut etiam gignere, operari aliquid est.

Quocirca, quoniam secundum gignendi rationem Patris persona subsistit; per ipsum gignere quod dicitur, etiam productor Pater erit. Ideo et congrue sane productor per Verbum dictus est; Spiritusque ex Patre procedere. Neque hoc solum, sed et per Filium facta esse omnia, accepimus.

Hæc autem prædicta omnia roborant; namque et traditum commendant ordinem, Filiumque necessario prius mente concipi, quam Spiritum, et a Patre tertium secundum personalem ordinem esse Spiritum: atque cum ordine personarum ad invicem, qui ex processibus simul declaratur, essentiæ quoque roboratur identitas, cum tertius primo per medium jungitur, juxta Gregorium Nyssenum, natura-

[1] Matth. xxviii, 19, 20.

Digitized by Google

liquæ bonitate ac dignitate regia ex Patre per Unigenitum ad Spiritum sanctum ex Patre procedere, non tamen ex productore. Nam, secundum paternam proprietatem Patris persona subsistens, secundum hanc primitus, ac sine medio ex se Filium gignit : gignendo autem producit et Spiritum : illum quidem continenter ex primo; hunc autem per eum qui est continenter ex primo. Nisi ergo Pater esset, profecto neque productor esset.

Unde etiam dictum est, idcirco illum ex Patre procedere, quoniam effulget a Filio, et per ipsum est. Nisi enim per Filium esset, neque a Patre esset. Itaque præcogitato quidem Filio propter paternam generationem, secundum quam Patris persona subsistit : per Filium vero procedente Spiritu sancto, proprie admodum Spiritus sanctus ex Patre procedere a theologis asseritur ; ut qui non aliter quam ex Patre per generationem producatur : ob quam profecto causam, et sancti Patres conjunctam procedendi definitionem, ex Patre quod dicitur, pro eo quod est ex Patre per Filium suscipientes, manifestius explicuerunt : hoc ipsum esse ex Patre procedere, divinis rationibus asseverantes. Nisi enim secundum paternitatis definitionem, secundum quam Patris persona subsistit, nativitas Filii, priusquam processio Spiritus cogitaretur, nequaquam ex Patre procedere, sed ex productore diceretur, atque eo magis, ne et Spiritus Filius esse quibusdam fortasse videretur, cum procedere diceretur ex Patre. Congrue igitur innovatio ordinis quem Dominus tradidit, ipsius substantiæ abolitionem habere, fideique totius abnegatio esse dicta est. Abnegant fidem scilicet, qui producere quidem ut substantiale ponentes Patris, ex ipso sine medio procedere Spiritum dicunt.

Attestantur autem his quæ dicta sunt, hinc quidem Scriptura divina ubique, cum de tribus personis loquitur, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum enuntians, quasi ista sufficiant, divinas illas subsistentias substantiasque commendare. Hinc etiam Doctores sancti, cum de substantialibus disserunt, solas has discretionis tradunt causas. Ait enim sanctus Joannes Damascenus: *Unum Deum agnoscimus in solis proprietatibus paternitatis, nativitatis, et processionis, et secundum causam, et causale, perfectionemque substantiæ sive subsistentiæ modum differentiam intelligimus.* Quod si in solis proprietatibus differentiam intelligimus et ipsæ solæ scilicet personas commendant ; si igitur hæc vera sunt, producere prorsus substantiale non est. Conficitur autem, quod qui Patris substantialia, plura quam unum ponunt, paternitatemque et productionem, ingenitamque et causam, veritate excidunt ; pluriniisque absurditatibus tenentur astricti ; dum et substantiam Patris compositam dicere coguntur, traditosque divinarum personarum processus auferre, ac plures, quam sint traditi, inferre, et quæ absurda hoc uno concesso hinc emergere cuivis conspicuum esse potest.

Ex quibus id etiam admirari licet, quomodo, qui Spiritum sanctum ex solo Patre esse volunt, dum sibi ipsis nimium indulgent, substantiale Patris producere ponunt, et quod quæritur, in quo multum laboris ut ostendi posset, primum oportebat assumi, quasi concessum accipiunt ; cum neque communes de Trinitate intelligentiæ permittant ; neque id sacræ Litteræ habeant ; neque ullus sanctorum Patrum dixerit, ab hujusmodi intelligentia adverterint. Sed, cum neque a disputantibus id concedatur, ipsi tamen quasi pro concesso, quod quæritur, præter omnem rationem supponentes, putant se aliquid concludere, plurimaque inepta contra eos qui per Filium atque a Filio esse Spiritum sanctum confitentur, colligunt. Quod si tria solummodo trium personarum substantialia esse necesse est, ne plurima absurda ac indigna sequantur, solisque proprietatibus paternitatis, et nativitatis, ac processionis, subsistentiæ modum differentiamque substantiarum intelligimus, juxta sanctorum Patrum traditionem : liquet, præter prædictas proprietates, nullum aliud substantiale esse, cujuscunque trium in sancta Trinitate personarum ; falsumque esse, quod illi pro concesso ponunt, falsaque omnia, quæque hoc posito concludere, atque arguere se putant : externaque ac putida, quæ contra Latinos, imo vero contra sanctos Patres longissimis tractatibus conscribunt : per quæ concludunt, illi quidem nihil, semper autem in principiis versantur.

Conficitur autem et ex his quæ dicta sunt, quod eorum quæ dicuntur in Deo alia quidem nullam discretionem signant ; sed in tota divinitate indiscrete dicuntur : sive absoluta, secundum se ipsa dicat quispiam, ut sapiens, bonus, vita, veritas, essentia : sive, quæ per excessum negationis dicuntur, ut invisibilis, incomprehensibilis, supersubstantialis: sive quæ habitum ad creaturam indicant, ut creator, rex, omnipotens. Alia vero propria in Trinitate sunt.

Et propriorum alia quidem duobus communiter sunt, propria vero, ad reliquam. Est enim et quiddam tale proprium, ad aliud aliquid, et quod ad aliquod dicitur proprium, non tamen secundum seipsum proprium, quasi commendare hoc aliquid possit ; ut verbi gratia bipedem esse, homini ad equum, et canem, proprium est. Quæ igitur duobus communiter sunt divinis personis propria, hæc tamen ad reliquam propria : ut causale, proprium est Filii et sancti Spiritus ad Patrem : mittere autem, vel dare, vel emanare Spiritum sanctum, commune est Patri et Filio ad Spiritum : similiter autem et ipsorum esse, ac dici Spiritum sanctum. Patris enim et Filii ille Spiritus dicitur ; illi autem hujus non dicuntur, neque Pater, neque Filius, neque Spiritus, sed neque sui ipsius est Spiritus, Spiritus sanctus. Horum autem causale quidem nomine tantum, sed non re, commune habet. Prædicatum enim est solum de utroque dictum ; idcirco etiam non unum, sed duo causalia dicuntur ; si enim

Digitized by Google

esset causale res in Filio, et sancto Spiritu, unum essent causale ambo. Mittere autem, et emanare, atque alia hujusmodi, una res sunt in Patre, ac Filio, utrisque mittentibus, et emanantibus, unus qui mittit, est, et unus fons. Ostensum est enim, Patrem, et Filium, fontem esse sancti Spiritus, atque omnia Patris habere Filium secundum eumdem modum, præter quam, Patrem esse. Ac Patre mittente Spiritum, mittit hunc et Filius una datione, et una largitione, ut ait magnus Basilius. Hæc igitur duarum personarum ad reliquam sunt propria. Alia vero, unius tantum. Atque horum aliud quidem personæ substantiale est, ut paternitas et nativitas, et processio. Aliud autem personam jam subsistentem sequitur, sed non illam statuit; ut, *ingenitum* in Patre, sive etiam *producens* in ipso solo, secundum eos, qui ex solo Patre procedere Spiritum dicunt. Neque igitur, quæ communiter prædicantur, totius deitatis substantialia sunt; nulla enim per illa substantia insinuatur, neque quæ duobus propria ad unum sunt; nulla enim persona est proprie causalis, neque unus est, qui mittit Spiritum sanctum. Pater enim, et Filius simul unus est, qui Spiritum sanctum mittit. Communia enim, quæ rem indicant, singulariter quidem in divinis dicuntur, non tamen una persona secundum illam intelligitur.

Sed neque quod unius quidem solius personæ est, personam autem sequitur, sicut ingenitum in Patre: hoc enim nequaquam sic fit, negatio cum sit, sequaturque substantiam, quam affirmatio insinuat. Aliterque, si genitum non esse ingenitum dicitur, commune erit hoc et Spiritui sancto. Et ipse enim est *ingenitus*; neque enim genitus est; substantialia enim personarum omnino consortium reliquarum non admittunt: sed neque producere substantiale esse monstratum est: paternitatem autem sequi, significativumque solummodo esse paternæ substantiæ.

Ita igitur tres illas proprietates, solas, divinarum personarum substantiales esse dicendum est. Patris quidem paternitatem, atque ipsum gignere, hoc est, se ipsum dare alteri personæ secundum nativitatis processum. Filii vero nativitatem, ipsumque nasci, hoc est, accipere in seipso Patrem juxta nascendi processionem. Sancti autem Spiritus processionem, ipsumque procedere, id est, in semetipso Patrem ac Filium accipere, secundum naturalem essentialemque processum ex Patre per Filium. Istasque non solum substantiales, sed et personales etiam proprie, et maxime, et peculiarissime dicendum, utpote personas commendantes.

Porro, quæ proprium aliquid duarum personarum ad reliquam insinuant, proprietates, seu notiones, seu signa duarum aliquarum personarum vocandæ sunt. Quod si cui placeat et ea personalia dicere, eo quod personis attributa, non tamen communia omnium sunt; liceat dicere id quidem, dum tamen id constat, nullam per illa personam commendari; sola enim substantialia hanc habent vim, et quæ uni substantiali communicant, si quidem esset possibile, necesse esset unam etiam esse personam; alia vero, nullatenus: itaque solis illis tribus proprietatibus divinæ personæ et discernuntur et commendantur; cæteris vero noscuntur solum. Ideoque Damascenus in solis tribus his proprietatibus substantiarum differentiam definivit intelligi, quasi personas commendantibus, non significantibus solum, ut illa est *ingeniti*, quæ Patris agnitio est, sed non illum commendat personaliter; præter enim tres prædictas differentias substantiales, cæteris ut notionibus solis divinæ personæ discernuntur, non tamen ut discretionis causis, sed ut discretionis tantum signis.

Ex quibus constat, quod si quis sanctorum Patrum Patri *ingenitum* reddidit, id non ut substantiale, sed ut agnitionem, et proprium simpliciter attribuit. Si quis autem Patrem genitorem ac productorem appellavit, ut Gregorius Theologus in primo sermone de Filio, genitoris quidem nomen, ut substantiale Patri separavit. Æquale enim est Patrem ac genitorem dicere; quippe et paternitas, et nativitas tantumdem valet. Productoris vero nomen, ut sequens paternam jam subsistentem substantiam, substantiali paternitatis proprio adjecit.

Ac rursus, si quis principium Patrem appellavit, non sane etiam substantiale ejus proprium significavit, sed substantiam illius indicare voluit. Ipse enim ex nullo; Filius autem, et Spiritus sanctus, et omnia Filii, et sancti Spiritus ad eum referuntur. Nam, et qui majorem Filio Patrem causæ ratione dixerunt, non ut substantiale majus illud, sed ut notionem Patris ad Filium tantum reddiderunt; similiter et de eo, quod sine principio dicitur, philosophandum.

Quod igitur divinarum personarum ad invicem habitus cum eorum substantiæ differentia, secundum divinos arcanosque processus appareat, simulque cum ipso relationis habitu, causa, et causale simul introducatur, antea plurimis rationibus constitit. Nunc autem dicendum, quomodo secundum causam, et causale solum, et secundum ipsa prius divinæ personæ discernuntur, atque ipsa discretionis causa sunt; quæ causa, et causale, substantiales proprietates, ipsum Patris supersubstantiale nomen, et rem Filii, et sancti Spiritus commendant.

Præsupposito igitur unitatem in Trinitate, et Trinitatem in unitate esse colendam, secundum fidei positionem, et ab his quæ a sanctis dicta sunt, non discedentes, Damasceno quidem, secundum causam et causale differentiam in divinis personis intelligente; Nysseno autem Gregorio dicente: *Incommutabile naturæ ipsius considerantes, diffe-*

(37) De notionibus divinarum personarum vide D. Thomam 1 q. d. 23, et ibid. Gregorium de Valentia.

Digitized by Google

rentiam secundum causam, et causale, non negamus; in quo solo, alterum ab altero distingui deprehendimus; quod proposuimus, habebimus; quia enim tria illa unum cum sint secundum essentiam, sine causa quidem esse omnia, possibile non est; aliam vero causam se antiquiorem habere, longe impossibilius : restat, ut trium istorum unum, reliquorum causa sit. Procedentia igitur inde possibile non est producendi personæ ratione, esse eadem; seipsum enim aliquid producere, ac sui ipsius causam esse, possibile non est.

Itaque procedentia necesse est personaliter distingui; unita quidem secundum essentiam; nulla enim in ea discretio conceditur: discreta vero, secundum substantias, seu personas; et neque propter unionem personas confundi; neque propter discretionem, essentiam dividi. Perfecta enim illic, et summa unio, atque discretio. Atque unionem quidem unitas essentiæ, ut dictum est, facit; discretionem vero, secundum causam, et causale, fides confitetur. Atque ea est quæ secundum se, neque propter aliud res maxime et unit, et discernit. Discretio scilicet secundum causam, atque causale. Neque enim discretionem magis confusione liberam cogitare possumus; neque consortium duorum aliquorum majus, quam cum alterum ex altero esse habeat. Namque secundum causam, et causale invenitur aliquid secundum æquivocam causam, sibi simile producens in eadem specie: et secundum quidem quod causa, et causale sunt opposita, ad invicem habebunt. Ideo etiam necessario discernentur: secundum autem quod causale, ex causa *esse*, atque essentiam accipit, communicabunt invicem, maxime cum proprie ad invicem per naturam habeant. Filium igitur ex Patre nasci, fides nobis ac religio tradit. Et quoniam secundum id quod gignere et nasci dicitur, oppositio causæ, et causalis, secundum ea quæ ad aliquid dicuntur, inspicitur secundum id quidem, quod aliud dat, aliud inde prodiens essentiam accipit, duæ necessario personæ intelliguntur ejusdem naturæ.

Rursum, dicente Scriptura Deum ex Deo procedere; secundum eamdem rationem oppositio secundum causam, et causale etiam hic intelligitur, secundum quam oppositionem, et discerni illa ab invicem et uniri licet. Ita igitur Filius, et Spiritus sanctus ex Patre cum sint, et uniti, et discreti sunt.

Cæterum quia propter Trinitatis ordinem atque confessionem, non magis convenit ista ad Patrem et discreta et unita esse, quam sint ad invicem Filius et Spiritus sanctus; alias quippe inæqualitas in Trinitate esset, neque ad invicem discernerentur. Si autem non discernerentur, una etiam persona esset; quippe sublata relatione secundum causam, atque causale, sola essentia relinquitur. Constat, quoniam et Filius, et Spiritus sanctus, ad se invicem et uniti et discreti sunt, quemadmodum Filius, et Spiritus ad Patrem uniuntur, et discernuntur secundum scilicet speciem oppositionis causæ, atque causalis.

Necesse est igitur, si discernendi sunt, vel Filium Spiritus sancti esse causam, vel Spiritum Filii. Sed causam quidem esse Filii Spiritum constare non potest; quia tertius a Patre traditus est, juxta personalem ordinem, quia naturalis et essentialis operatio et virtus Filii Spiritus est; quia imago ejus esse dicitur; quoniam Spiritus Filii a theologia traditur : qui profecto sancti Spiritus Filius esse non dicitur. Neque enim convertuntur, propter personalem ordinem, atque id maxime quoniam ex Patre per Filium esse Spiritus traditur, non tamen e contra. Tolleretur autem et id, quod concessum est, Filium esse ex Patre sine medio : sic enim esset Filius ex Patre per Spiritum, et consequenter Spiritus Pater, communicans ei, secundum paternitatis rationem.

Restat itaque Filium causam esse Spiritus sancti, Spiritumque per ipsum, et ab ipso esse. Hac ergo ratione, et unientur ad invicem et discernentur, quod etiam Nyssenus indicavit, dicens in sola secundum causam, et causale differentia divinas personas ad invicem distingui. Neque enim de solo Patre ad Filium, et Spiritum sanctum dixit hæc : ita enim solius ad ea quæ ex ipso sunt, discretionem tradidisset, neque adjecisset : *Ejus quoque, quod ex causa est, aliam rursum differentiam intelligimus.* Hæc autem et his quæ superius diximus, consonant. Ante enim Spiritum sanctum Filium intelligi necesse est; habitumque ad alterutrum habere Filium et Spiritum, majoremque Spiritu Filium causæ ratione dici; atque a Filio, habere esse, ut qui ab ipso accipiat, et quæ alia prædicta sunt.

Si quis autem objiciat, Nyssenum aliam professentem differentiam aperte videri velle non ejusmodi et hic in Filio, et Spiritu, qualem secundum causam, et causale reddidit : scire convenit, illum aliam secundum numerum, non secundum discretionis speciem causæ et causalis dicere; ut discernantur quidem scilicet, non tamen secundum causam, et causale : secundum modum vero alterum cum discernantur, puta, sicut contraria discernuntur ad invicem, vel quæ secundum negationem et affirmationem sunt, vel quæ secundum privationem et habitum; vel secundum aliquid aliud hujusmodi. Constat autem et quia *aliam*, non *alteram* dixit. *Alius* enim quod dicitur, in his quæ sub eadem specie sunt et adducuntur, Græcæ locutionis usus proferre consuevit; *altera* vero et *alteritas*, in his quæ vel specie, vel genere differunt, dicitur; nisi forte abusive dicatur; quod profecto *abusive* nunquam Ecclesiæ magister in divinis posuisset; verum, etsi specie eamdem, in quantum sub eamdem speciem adducitur, causæ et causalis scilicet : quia tamen etiam, quod sine medio ex aliquo, vel quod per aliquod prodit, causale causæ est, per

Digitized by Google

quam prodit, et maxime cum processus æquivocus fuerit, Filii vero sit immediata nativitas, Spiritus autem mediata processio per Filium ejus est, simulque causale utrisque reddidit, et causale insinuans Verbum ex causa esse, subdividens etiam ad invicem, secundum causam et causale, discrevit aliquid quidem continenter ex primo : aliud vero per id quod esset continenter ex primo ; in sola namque causa et causali divinas personas discerni deprehendimus. Et quoniam Pater quidem quod dicitur, gignentem indicat, Filius autem nascentem, sanctus vero Spiritus procedentem, seu inspiratum, causæ ergo et causalis, sive principii, et eorum quæ sunt ex principio nomina sunt sanctæ et supersubstantialis Trinitatis nomina, Patris scilicet, et Filii, et sancti Spiritus. Et quia paternitas, et nativitas, atque processio solæ sunt substantiales proprietates personarum : proprietates vero idem esse, quod substantias, ostensum est secundum theologum Gregorium : substantia vero, sive persona Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum signat. Ita enim Damascenus definivit dicens : *Deitas naturam indicat ; Pater autem quod dicitur, substantiam ; quia etiam substantia commune cum proprio est.* Constat hæc nomina inducere discretionem personalem, ac necessario discreta signare.

Quocirca et hæc sola proprie personalia et substantialia sunt, quæ causæ, causalisque habitum signant, singulaque singulis proprie redduntur, nulla communitatis ratione introducta ; sufficiuntque per se ipsa discretionis commendare rationem. Patris enim super substantiale nomen et res causam indicat Filii, et Filii etiam, et sancti Spiritus similiter. Quorum Filius quidem habitum ad Patrem signat, sanctus autem Spiritus ad productorem, sive spirantem causalis habere rationem traditur, maxime cum dictus sit spiraculum omnipotentis ; Filiique spiraculum esse Spiritus sanctus, spiraculum vero spirantis est ; et Spiritus a *spirando* denominatus est. Et sicut ait magnus Athanasius, Spiritus processio, spiraculo assimilatur. Spiritus autem processio processus est : itaque et inspiratio. Nam et Spiritus procedens dicitur propter processum scilicet, secundum quem ex Patre per Filium procedit.

Constat itaque substantiales proprietates, paternitatem et nativitatem, et processionem, secundum causam, causale, divinas signare personas ; atque ideo substantiales et proprias secundum se, ac proprie dici, solisque his proprietatibus divinarum personarum differentiam intelligi. Et illud item constat, proprietates quidem secundum causam, et causale subsistentes cogitationi processus *ingerere*, rursumque processus causam, et causale, simulque discretionem subinferre. Ista enim per alterutrum colliguntur.

A Nyssenus quippe Gregorius discernens ait : *Aliud enim est continenter ex primo ; aliud per id, quod est continenter ex primo ;* quod enim ante etiam diximus, causam et causale processus hujusmodi commendant ; nisi enim processus in divinis esset, profecto neque discretio, neque numerus personarum esset ; personarum vero numerus secundum causam, et causale divinæ personæ distinguitur.

Simul autem constat, etiam secundum contraria possibile non esse divinas discerni personas ; contraria enim differentes species commendant, ut album et nigrum, et rationale et irrationale, corpusque et incorporale. Deus autem una species est, quæcunque tandem sit, si dici liceat, et una trium essentia et unitas est.

B Neque secundum privationem quidem et habitum, quæ enim imperfecte habent, secundum hanc oppositionem discernuntur, veluti ab aspectu, cæcitas et a cæco videns. Nulla vero privatio in Deo summi boni est ; quippe perfectissimus est ; et substantiarum quælibet perfecta est ; Deusque totus ex toto verus, ac perfectus est secundum fidei positiones, sed neque ut affirmatio et negatio. Nam, secundum hanc oppositionem quæ sunt ab his quæ non sunt, discernuntur, ut a falso verum. Porro in Deo nullus non essendi locus est. Deus enim essentia supersubstantialis est, virtusque omni virtute superior et excellentior, atque incommutabilis veritas. *Deus enim se ipsum negare non potest*, ut ait Paulus [1].

C Præterea non est negatio, quod affirmatio simpliciter. Persona autem una est simpliciter, quod altera ; secundum relationes quidem duæ, simpliciter autem una. Nam secundum essentiam, et esse unitas eis est : *Ego enim et Pater*, inquit, *unum sumus* [2] : et negatio quidem sequitur ea quæ per alia indiscreta sunt ; signum enim discretionis, non autem discretionem facit. Homo enim et aliud quodlibet animal ratione et privatione rationis discernuntur ; cum irrationale, ut species in divisionibus accipiatur. Cæterum non eo quod homo est, et homo non est. Non enim hoc est, equum esse, quod hominem non esse. Quoniam vero in his quæ ad aliquid, quæ in essentia inspiciuntur D secundum scilicet causam et causale, reperitur aliquid simile sibi producens, in eadem specie, secundum univocam causam ; Deus autem unum est essentia ; tria, substantialibus proprietatibus secundum causam et causale ; oppositio secundum causam et causale in his, quæ ad aliquid dicuntur, locum habet in sancta Trinitate. Ideo et secundum solam causam et causale, et a Scriptura sancta, et a sanctis Patribus, divinas personas discerni, traditum est. Patris enim ad Filium tradita discretio, causæ et causalis est ; itidem producti et producentis.

Constat autem ex præmissis, quia *ingeniti, geni-*

[1] 1 Tim. II, 13. [2] Joan. X, 30.

Digitized by Google

tique ratione Pater a Filio non proprie discernitur. Neque eo quod est nasci et non nasci. Hæc enim quasi contradictio sibi invicem opposita sunt. Dictum est autem affirmationem et negationem, nulla possse ratione discernere, sed sequi ea quæ jam per alia discreta sunt, cum sit discretionis signum : sicuti ingenitum quod dicitur, jam subsistentem Patrem affirmativa, id est substantiali proprietate, paternitate scilicet, sequitur. Itaque *ingenitum* et *genitum* Patris, et Filii ad invicem discretionem non facit, sed subsistentes jam, atque discretos substantialibus eorum proprietatibus secundum causam et causale, paternitate ac nativitate discerni significat. Similiter et de eo quod est nasci et non nasci, dicendum.

Constat autem ex his, et eos qui dicunt oportere primum esse Patrem et Filium, deinde alium quidem gignere, longe a decenti confessione sanctæ Trinitatis aberrare. Nulla enim illic est alia discretionis differentia, præter eam quæ secundum causam et causale ex processibus apparet. Hoc ipsum enim, quod alius sit causa, alius causale; hoc est alius quidem sit Pater, alius Filius, personas simul et discretionem signat. Itaque, si quidem processus non esset, ut dictum est profecto, neque numerus personarum esset, consequenter vero nec Trinitas.

Alii etiam sine processibus, qui sunt secundum causam et causale, tria ponunt esse Deum : et ita nihil prohibebit eos, tria cum sint, in Deo confiteri, secundum se sine relatione ad alterutrum, quod cum essentiæ unitatem tollat, Arianorum propositio est.

Non solum ergo non oportet primum esse Patrem, deinde genitorem, verum, ne cogitari id quidem convenit. Nam si ipsum gignere Patris personam signat, quomodo sublato eo ipso gignere, jam erit Pater? Aut enim neque Pater erit, si dicere fas est, aut certe confusio, aut tertium erit aliquid secundum se et absolutum, divisum ab essentia Filii et Spiritus. Id ipsum autem et de sancto Spiritu dicendum. Sed ista sane phantasia hominum eorum est, qui sanctam Trinitatem quasi tres homines ad seipsam habere ponunt, eique indigne applicant, quæ in materia contingunt, eamque nihil insensibilibus præstare sentiunt. Porro hæc opinio de Deo nostro indignissime, ac dementissime præsumitur.

Magnus præterea Dionysius discreta dixit Patris supersubstantiale nomen et rem, et Filii et sancti Spiritus, cum nulla in his conversio, sive omnino communitas introducatur. Basilius item, in epistola ad Gregorium fratrem, de differentia essentiæ, atque substantiæ ait : *Quocirca in essentiæ communitate, notiones quæ in sancta Trinitate conspiciuntur, nullum accidens, nullumque consortium admittere dicimus, per quas proprietas commendatur personarum, quæ in fide traduntur, cum singulæ propriis notionibus discrete intelliguntur.*

A Quoniam igitur accidens, consortiumque non admittere dixit ea per quæ cujusque personarum proprietas commendatur, et per quæ singulæ illarum discrete accipiuntur, de propriis secundum se, substantialibusque notionibus proprie disserit. Itaque possibile non est, in eadem persona, alterius etiam proprietatem inspici. Nulla enim in his communitas, aut conversio inducitur. Hoc etiam secundum quamdam oppositionem contingit, per quam non est unum, quod est alterum, secundum scilicet oppositionis rationem, secundum quam neque ad invicem convertunt.

Quoniam igitur in sola causa et causali divinæ personæ discernuntur, istudque universaliter et diffinite dictum est, et ipsa præterea natura dictante;
B neque enim esse posset sine ordine Trinitas, maxime cum etiam tertius ex primo naturaliter per medium procedere pro confesso habeatur; tria tamen esse sine processu et ordine, possibile est; cumque et fides personarum indicet discretionem, constat profecto, si discernendi sint ad invicem Filius et Spiritus, non alia discretione quam secundum causam et causale necessario discernendos esse, qualem in eodem genere, etiam in Patre ad Filium et Spiritum sanctum deprehendimus : illam quidem generationis, hanc vero processionis ratione, secundum quam, neque Filius Spiritus est, neque Spiritus Filius : quemadmodum, neque Pater Filius est, neque Filius Pater, neque Pater Spiritus sanctus : neque Spiritus Pater est, propter
C necessariam scilicet causæ causalisque oppositionem, nulla in his conversione, sive omni communione subrepente. Nam si nullam communitatem secundum discretionem convertendo intelligere convenit, necesse est duas substantias ad invicem verbo simul accipi, conversionisque servare dignitatem; converti enim in duobus dicitur; neque enim Patrem quidem et Filium, quomodo habent ad invicem, inspicere oportet, Filium vero et Spiritum non oportet. Ita enim conversionis dignitas personis communiter non redderetur.

Quoniam vero communiter reddere necesse est, sed et discretio necessaria est, nisi dicat quispiam secundum causam et causale a Filio Spiritum
D discerni, neque conversionem, neque discretionem eis reddet, peribitque illi Filii supersubstantiale nomen et res, discreto a Filio et sancto Spiritu; nulla quidem conversione, sola vero communitate subintrante; atque ita una persona erit Filius et Spiritus, non ad invicem discreti, sed hoc absurdum est. Neque enim esset Trinitas Deus, confusioque personarum sequeretur; et si quid est hujusmodi. Filius itaque a Spiritu causæ causalisque ratione discernitur. Sed, si hoc est, etiam ex Filio est. Filium enim de Spiritu esse, id prohibet, quod ipse per Filium est. Verum Spiritus profecto Spiritus non esset, proprietate illius, quæ est secundum processus rationem, mota : quomodo enim esset substantia, substantiali ipsius proprietate mota?

Digitized by Google

Quomodo autem esset proprietas, quæ movetur, ac decidit, ut ait theologus Gregorius.

Simul etiam apparet secundum conversionis rationem ipsius magni Dionysii intentio : qui, principali deitate Patrem ad Filium et Spiritum sanctum discernere videtur, ut quidam asserunt. Nam si conversio quidem in duobus terminis inspicitur: dictum est autem, ita divinas personas ad invicem discerni, ut nulla tamen convertio subrepat ; non aliter conversionis ratio servatur, nisi duæ simul personæ ad invicem inspiciantur. Itaque principali deitate Patrem ad solum Filium conferens, ipsum a Filio distinguit. Nam si Pater et Filius, ut se ad invicem habeant, inspiciantur ; Pater quidem Filii fons, Filius vero, non Patris fons est, sicuti neque Pater Filius, neque Filius Pater. Ex Patre enim Filius, non tamen ex Filio Pater : maxime, cum et divina generatio gignendo ad id, quod gignitur, habitum habeat, sed non ad id, quod procedit. Atque hoc indicat etiam, quod sequitur, *cum Filius Pater non sit, neque Pater Filius* ; quod quidem indicat supersubstantialem illam divinam generationem non converti ad invicem, Patrem scilicet, ac Filium. Et quoniam conversionis dignitas discretionis causa communiter personis necessario reddenda est; eadem profecto conversionis ratione dicere possumus, cum non sit Pater Spiritus, neque Spiritus Pater: quoniam ille quidem fons et radix est Filii, ac Spiritus. Quæ enim Filii, ac Spiritus sunt ad illum referuntur. Spiritus autem Patris causa non est. Similiter et in Filio, et Spiritu dicendum. Neque enim Filius Spiritus, neque Spiritus Filius est. *Neque enim convertit*, inquit Nyssenus, *habitus ista consequentia*. Hoc autem secundum aliquam omnino oppositionem contingit; atque ea est quæ causæ causalisque ratione redditur secundum quam dictum est, aliud quidem continenter ex primo, aliud per id, quod est continenter ex primo.

Præterea et Filius fons sancti Spiritus a sanctis Patribus appellatus est : neque hoc solum, verum etiam solus Filius fons esse sancti Spiritus asseritur, sicut in consequentibus monstrabitur : quod etiam plus est, quam requiratur ad id quod proposuimus. Et certe possibile non est juxta eum quem quidam introducunt, secundum sancti Spiritus processum, Filium fontem esse sancti Spiritus. Eos enim, qui ita ponunt, plurima necessario absurda sequi, supra monstratum est. Non igitur ex sola conversionis ratione sancti viri claret intentio ; sed etiam ex eo quod supersubstantialem divinam generationem Patrem appellaverit. Divina enim generatio, ita Patri, sicut genitori congruens, ad nascentem Filium redditur.

Porro, si quis illud etiam ad Spiritum reddere conetur; primum quidem etiam Spiritum Filium esse dicere cogetur. Divina quippe generatio, ut diximus, genitori congruit genitorque ad Filium refertur. Deinde etsi Spiritus a Patre divinæ generationis ratione discernitur : discernitur quidem et ab hoc Pater; non tamen in quantum Spiritus est proprie juxta substantialem proprietatem suam, sed in quantum solummodo ex Patre, atque ita Solum ut causale discernetur a Patre, non tamen secundum proprietatem suam. Sic autem eumdem habebit ad Patrem habitum, quem etiam Filius. Atque ita, non erit, quam quærimus personarum propria discretio secundum quam nulla communitas infertur, et quam accidens, consortiumque non admittere magnus voluit Basilius dicere.

Sed neque, ut quidam id dictum exponunt, Filii ad Spiritum discretionem nobis tradidit. Et certe cum esset pollicitus, omnimodam se divinarum personarum discretionem traditurum : et addidit : *Ita nos divina et unire Verbo, et discernere studemus, sicut divina ipsa et unita, et discreta sunt*. Itaque juxta conversionis rationem, et per id, quod addidit, perfectum discretionis-coujunctæ, ut dictum est, tradidit modum; causæ et causalis scilicet, secundum quem ex Patre per Filium procedere a cæteris doctoribus divinis rationibus monstratur.

Præterea quoniam omnia quæ in Deo dicuntur communiter, et incommutabiliter personis reddunturubi relationis oppositio non obstat, dicitur autem Deus ex Deo esse, inspiciendum si non omnibus personis, per aliquam oppositionem congruit. Quoniam igitur Deus ex Deo, quod dicitur, processum ex aliquo designat : Pater vero non procedit ex aliquo ; neque enim causalis est ; cæterum Deus quidem est, ex Deo autem non est, aliter quippe sine principio non esset : principium sui præcogitatum, habens, quemadmodum et Filius, neque radix et fons Filii, Spiritusque diceretur. Sed Filius, Deus cum sit, ex Deo Patre esse dicitur ; et Spiritus sanctus Deus cum sit, ex Deo itidem Patre prædicatur; attestaturque his etiam fidei positio communisque Ecclesiæ opinio : ita quoniam Deus ex Deo, quod dicitur, Filio et Spiritui sancto convenit; atque hinc causæ causalisque ratione a Patre discernuntur, sub intellectis scilicet differentibus substantiæ processibus, Deus autem est Filius, Deus item, et Spiritus sanctus : necesse est, si fidei principia servare inviolate volumus, aut Filium Deum ex Deo Spiritu esse, aut Spiritum Deum esse ex Deo Filio; non enim magis Deum de Deo ad Patrem utrumque, quam ad invicem convenit dici.

Nam relationis oppositio non hoc prohibet. Etenim paternitas quidem ad nativitatem opponitur, ut gignere, quod dicitur, ad id, quod est nasci, et producere, ad id quod est produci. Nasci vero et procedere, ad invicem non opponentur. Si enim opponuntur et discernuntur, omnino etiam gignere, et producere, ad invicem opponentur: Atque ita erit Pater duæ personæ, compositaque substantia, maximeque juxta eos qui, ut dictum est, producere substantiale ponunt. Aut igitur duæ substantiæ

Digitized by Google

Pater erit, quas scilicet gignere et producere signabit, ut ad duo etiam, et quod nascitur, et quod producitur proprie referri possit, aut quod gignitur, et quod producitur, una persona erit; quippe, et Pater gignens, ac producens, una persona est. Sicut enim neque Pater ad se ipsum, secundum quod gignere et producere dicitur, discernitur : ita, neque quod gignitur, atque producitur, ad ea discernetur, ad quæ gignere ac producere redditur. Nihil itaque prohibet relationis oppositio, Deum ex Deo esse dici, ad invicem Filium et Spiritum. Nisi autem hæc sit, communis essentia relinquitur, secundum quam nulla discretio Filii, et Spiritus inspicitur. Ideo etiam necessario sequitur, Filium, et Spiritum unam personam esse, nulla relativa oppositione obsistente : neutrique horum, ut ad invicem Deus ex Deo dicatur esse, concedetur.

Nam si quis hoc neget, necesse erit ut simul neget vel Deum ex Deo esse Filium, vel Deum atque ex Deo esse Spiritum sanctum aut alium Deum esse Filium, alium Spiritum sanctum. Si enim utrumque Filium et Spiritum sanctum scilicet ad Patrem quidem, Deum ex Deo dici concedet, non autem etiam ad invicem, ex dimidio illis Deum ex Deo esse, reddet. Veluti ad Patrem quidem filium, et Spiritum sanctum ordinem habere ac discerni concedens, non etiam ad invicem ordinem habere, atque discerni concederet, neque ad invicem perfectas esse substantias confiteretur. Sed enim Filius Deus cum sit ex Deo, de sancto Spiritu non est, propter illa quæ sequuntur absurda.

Est igitur Deus ex Deo Filio Spiritus sanctus, quandoquidem etiam per ipsum procedere asseritur : solaque causa et causali divinas discerni personas, pro confesso habetur. Et quoniam secundum id, quod Deus est, non discernitur a Filio Pater; nam si uterque Deus, non tamen duo dii, unus enim Deus est : constat ex Patre et Filio, veluti ex uno Deo, esse Spiritum sanctum : non secundum quod duo, sed secundum quod unum sunt, producendi ratione scilicet servatis proprietatibus gignendi, ac nascendi : Deus vero est et Spiritus sanctus productus, sive procedens secundum suam substantialem proprietatem. Non autem possibile est, idem esse, quod producit, et quod producitur, propter immobilem proprietatem.

Præterea, secundum eamdem rationem, quoniam Deus totus, ex toto in divinis personis a theologis asseritur, Deus enim partem non habet : et non magis quæcunque substantia minus est Deus totus, atque perfectus, quam tota simul sancta Trinitas, secundum fidei positionem; aliter enim ex imperfectis esset Deus, atque ex partibus constaret : quod autem dicitur totus ex toto, à causa esse significat. Quapropter Pater quidem totus est, ex toto autem non est, a nullo enim est. Filius autem totus, ex Patre toto est, et Spiritus totus, ex toto Patre similiter. Necesse est ergo, si initia fidei servare volumus, totus cum sit Filius Deus totusque sit Deus Spiritus sanctus : quoniam, ut diximus, nulla relationis obstat oppositio, aut Filium totum ex Filio toto subsistere; qui enim hoc negat, aut totam unam personam, Filium et Spiritum sanctum confitebitur, aut non totum ex toto esse Filium, neque totum ex toto esse Spiritum sanctum, aut, neque Filium Deum totum esse, neque Spiritum Deum totum, aut aliud totum esse Filium, et aliud totum Spiritum sanctum, sed ista profecto inepta et absurda sunt. Neque enim Trinitas, neque essentiæ unitas ita servaretur.

Enimvero quoniam propter illa quæ dicta sunt, Filius totus ex toto sit Filio. At Filii totum, et Patris totum, unum totum esse secundum essentiam, servata scilicet oppositione gignendi, atque nascendi. Itaque totus ex Patre toto, et Filio, quasi ex uno toto Spiritus est, veluti ex Patre, et Filio, ut ex uno Deo : secundum quidem significationem ejus, quod est totus et Deus : et, si quid aliud eis ad invicem commune est, relatione non obsistente, cum unum sint, secundum rem; secundum vero paternitatem, et nativitatem, substantiis [hypostatibus], ut dictum est, discernantur : quoniam in his quidem oppositio inspicitur : in his autem nominibus, Deus et totus, scilicet unitas. Igitur a Filio secundum causæ causalisque rationem discernitur Spiritus sanctus. Quod si totus ex toto Patre dicitur, sed ex Patre per Filium esse a theologis asseveratur, sic enim Ecclesiæ magistri complexam processionis sancti Spiritus definitionem illius substantiæ explicuerunt, et secundum illos cum ex Patre, dicatur, aut ex Patre toto intelligere convenit, si curæ nobis est juxta illorum traditionem, et simul initia fidei servando, secundum ordinem differentium processuum, atque coorientem ab his causæ causalique discretionem, divinas distinguere personas, maxime cum Patris totum non aliud sit quam totum Filii; unum enim est totum, sicut et illorum una essentia est : ubi scilicet non obstat relationis oppositio. Spiritus autem totus quidem est, ejusdemque essentiæ cum Patre et Filio, totus vero productus, sive procedens est, secundum suam substantialem proprietatem. Non potest autem idem esse quod producit, et quod producitur; nihil est enim quod sui ipsius causa sit : et simul immobilem proprietatem servari necesse est propter immobilem beatissimæ Trinitatis ordinem.

Præterea, omnium nominum quæ Deo assignantur, ea quidem quæ quomodolibet relative in eo dici possunt, personas signant; quædam vero, unum Deum indiscrete, commendant. Prorsus vero, ubi non obsistit relationis oppositio, non reddere qualecunque nomen in Deo dicitur, personam secundum essentiam imminuere est, cui illud nomen aptissime congruum, secundum rei significationem non redditur. Puta, Pater quidem nomen et Filius et Spiritus sanctus, paternitasque, et nativitas, et processio, causaque, et causale, et gignere, et gigni, relati ad invicem dici cum possint, in

Digitized by Google

Trinitate personas indicantia, personis proprie A redduntur. Aut enim personarum substantia, aut ipsarum significativa sunt.. Sapiens autem, et bonus, et justus, et creator, et quæque talia unum aliquid indiscrete Deum signant. Ex his enim nullam cogimur discretionem intelligere in Deo ad seipsum personalem, nisi secundum quædam nomina ad creaturam solum sive potius creaturæ ad Deum; justus enim ad creaturam et creator, et omnipotens dicitur.

Substantialium vero, substantiarumque significativorum nominum; alia quidem personarum singulis unum uni proprie redditur; quæque substantialia ipsorum sunt, sicuti paternitas, et nativitas atque processio, Pater et Filius, et procedens. Alia vero duobus, ut causale, et mitti, et Deum ex Deo esse, Spiritumque et Patris et Filii Spiritum dici. B Mittere quoque et emanare, et profundere Patrem, et Filium Spiritum. Alia vero tribus incommutabiliter redduntur; et unum Deum sine ulla differentia, ut dictum est, signant. Verum producere quidem sancti Spiritus non est; hoc enim relationis vetat oppositio, quod enim producit, ad id quod producitur, oppositum est; quod autem producitur, Spiritus sanctus est; dictumque est esse impossibile, idem esse quod producit, et quod producitur; nihil enim est quod ipsum sui causa sit; et nulla persona seipsam producit, sicut et in hominibus exempli causa, fieri cernimus, namque et apud nos cujuspiam filius, non est ipse seipso, neque sui ipsius dicitur, sed patris: et neque filius pater patris sui est, neque pater filius filii sui, propter oppositionis rationem, secundum causam, et causale, quæ non convertit.

Et certe possibile est eumdem et patrem esse, et filium, sed non secundum idem, sive ad idem. Ad aliud vero, atque aliud, utraque. Sed hoc in Deo locum non habet. Tres enim personas solas Deum esse, fides tradit: quibus proprietates suæ immobiles, et ratæ manent. Non ergo producere, producti Spiritus est, sed Pater producere Spiritum asseritur. Secundum hoc enim a Spiritu, ut causa a causali discernitur.

Quæritur autem, an et Filio producere commune cum Patre sit. Et quoniam Patris ad Filium secun- D dum paternitatem et nativitatem, causæ, causalisque oppositio non prohibet hoc, neque ulla hinc confusio sequitur; nasci enim ad gignere quod dicitur, non ad producere relative opponitur, et Filius ad Patrem, sed non ad productorem, in quantum Filius, refertur; idcirco, nihil cogit, producere quod dicitur, a Filio auferre, sicut cogimur a Filio gignere omnino tollere; non id permittente ipsius ad Patrem oppositione, paternitatis scilicet, et nativitatis; ne, vel una persona Pater, ac Filius sit vel idem simul, Pater et Filius, et neutrum proprie. Quoniam itaque relationis Filii ad Patrem oppositio non cogit a Filio, producere quod dicitur, auferre, commune penitus est Patri, ac Filio, producere.

Cæterum, sicut quæ communia sunt Patri, et Filio puta, *bonus*, *sapiens*, *creator*, etc. cum non æqualiter et immutabiliter Filio reddimus, minorem Patris essentia Filii essentiam facimus: ita quippe non erit sapiens, et creator unus Pater, et Filius. Eodem modo, qui producere Filio abstulerit, nulla oppositionis necessitate hoc ipsi reddere valente, Filii essentia Patris essentiam minorem cogetur confiteri.

Porro, si quis Dionysium allegans, ita illum loqui asserat, communia, et unita Patri et Filio, sancto etiam Spiritui communia, divina ratio assignat: hoc illum de his quæ tribus indifferenter redduntur, dixisse noverit, ac de his quæ dicuntur naturalia, in quibus neque discretio ulla, neque relatio B inspicitur. Idcirco etiam *communia et unita* dixit; producere autem ad id quod producitur, relative opponitur. Et est, quod producitur, Spiritus sanctus. Possibile vero non est, idem esse, quod producit. Neque seipsum producit Spiritus; nihil enim sui ipsius causa esse potest: neque alterum, propter traditam nobis Trinitatem.

Commune, igitur est Patri, et Filio producere; et est Pater, et Filius unus sancti Spiritus productor, sicut et unus totus, et unus mittens, servata scilicet generationis nativitatisque discretione. Atque ita Filius a sancto Spiritu causæ, causalisque ratione discernitur; quia, et per Filium procedere dicitur; Paterque productor per Verbum esse et ex Filio esse habere, cum ab ipso accipiat Spiritus, a Theologis asseritur. C

Ex quibus et illud constat, producere quod dicitur, Patris substantiale non esse; hoc autem et supra monstratum est. Attestanturque his a sanctis Patribus dictæ sententiæ, quibus asserunt Filium omnium paternorum bonorum hæredem esse, atque omnia Patris habere bona, propria, atque præcipua, omniaque habere, quæ Patris sunt, nisi id solum, quod Pater non est; generatorisque Spiritum habere Filium propriæ naturæ bonum, vivensque, et substantialiter insitum; sicut et Pater. Libet tamen et ista addere.

Sanctus igitur Cyrillus in *Thesauris* ait: *Sicut arbor prodeunti ex se fructui, qualitatem suam naturalem ferre dat; ita et Filius, a Patre accepisse intelligitur, quæ sibi sunt omnia, cum sit ipse omnia quæ Pater est præter solum Patrem esse.* D

Et rursus in eisdem: *Non ut indigens a Patre accepisse Filius dicitur; habet quippe naturaliter, proprium cum sit ipsius Verbum et splendor, omnia quæ ejus sunt, præter solum esse et dici Patrem. Dicit autem se a Patre accepisse, hæreticorum opiniones, ut Deus præveniens, ac jugulans. Ne quis enim Filium inspiciens Patris omnia habentem, ex multa valde similitudine, et indemutabili identitate putaret eumdem esse Patrem et Filium, et in Sabellii errorem laberetur; necessario se a Patre accepisse ait, ut sermo inferens, unum quidem dantem, secundum vero accipientem, dualitatem in proprii-*

Digitized by Google

substantiis ostenderat non solis nominibus distinctam.

Idem in II ad Hermiam : *Consubstantialis et coæternus Patri Filius, omnia penitus æqua mensura habet, præter solum gignere. Hoc enim solum proprie Deo et Patri convenit.* Idem in Thesauris : *Itaque quodcunque de Patre dixeris, hoc etiam de Filio, præter id solum quod Pater ipse est; et quodcunque Filio dederis, hoc et in Patre est præter id solum, quia Filius ipse est.*

Chrysostomus in XXXIX homilia super Joannem : « *Dedit, autem idcirco dictum est, ne ingenitum ipsum suspiceris, neque duos Patres esse putes. Omnia enim quæ Pater est, hæc et Filius est.* Et post pauca : *Vides incommutabile, et quod uno solo differentiam insinuet, quod iste scilicet sit Pater, ille Filius.* « *Dedit,* » *enim quod dicitur, hanc distinctionem solam necessario inducit; cætera omnia æqualitatem atque inde mutabilitatem indicant.*

Magnus Athanasius in III *Contra Arianos*, ait : *Ita igitur ipsi cum unum sint Pater, scilicet et Filius, unaque sit Deitas, eadem de Filio dicuntur, quæ de Patre, nisi quod solum Pater non dicitur.*

Idem in sermone, in quo exponit compositam ab Arianis fidem, in variis illorum synodis, in fine longissimi sermonis ait : *Idcirco enim æqualitatem habet ad Patrem Filius, uniformibus scilicet vocibus, et quæ in Patre dicuntur, hæc et in Filio Scripturæ dicunt, præter solum Patrem eum dici.*

Magnus Basilius in libro suo *De fide : Accipere enim quod dicitur commune, et ad creaturam est; habere autem ex natura, proprium est geniti. Ut ergo Filius naturaliter possidet, quæ Patris sunt, ut autem unigenitus, omnia habet in seipso comprehensa.* Et rursus in eodem : *Patrem dixi et Filium; hæc mihi proprietates serva. Manens igitur Filius in eo, quod Filius est, omnia est quæ Pater, secundum ipsius vocem Domini dicentis :* « *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*[3]. » *Rerum enim imaginis sunt omnia quæ primitivæ formæ sunt.*

Si igitur omnia quæ Pater est, hæc etiam Filius est genitus et manens Filius, et omnia quæ habet Pater, hæc et Filius comprehensa habet præter paternitatem solam, præterque id solum, quod hic Pater est, ille Filius, omnia communia sunt. Una enim in re tantum differunt. Cætera omnia æqualitatem, indemutabilitatemque indicant. Quomodo non paternitas quidem, atque nativitas substantiales sunt solæ Patris ac Filii proprietates sibi invicem minime communes; producere autem, Patri et Filio commune est, quia et Spiritus sanctus, communis est, et amborum dicitur Spiritus, amborumque spiraculum? Nam Spiritus sancti esse principium neque Pater est paternitatis ratione sine medio. Ita enim Filius esset Spiritus sanctus, neque opponitur nativitatis rationi; huic enim sola paternitatis ratio opponitur. Itaque secundum id quod esse dicitur principium Spiritus sancti, non est discretio Patris ac Filii, et consequenter proprium Patris ad Filium, utrisque enim innatus est congruus; quod si innatus est etiam, nulla enim illic innati privatio est, communis est igitur Patri et Filio.

Quoniam igitur producere Patris, substantiale non est, commune autem est Patri et Filio, consequenter et Filius a sancto Spiritu secundum causam et causale distinguitur. In sola enim causa et causali, divinas personas discerni, et fides tradit, et sancti confitentur, ut ex superioribus liquet.

Verum quidam discretionem Filii et sancti Spiritus, secundum causam et causale non suscipientes, cum tamen illis discretionem reddere cogantur, aiunt discerni eos differentibus ex Patre processibus, adducuntque testem Justinum, philosophum et martyrem, dicentem : *quia sicut Filius ex Patre, ita et Spiritus ex Patre est, præterquam substantiæ modo.* Gregorium item theologum dicentem, et ipsum in sermone de nativitate Christi : *Spiritus sanctus procedens quidem ex Patre, non autem instar Filii; neque enim nativitatis, sed processionis ratione.* Et contra Heronem : *Filii quidem proprium, nativitas : sancti autem Spiritus, processio.*

Porro, qui ista dicunt, et suam, et magistrorum vocem penitus ignorant. Nam quicunque sanctorum differentibus processibus discerni dixerunt Filium et Spiritum sanctum, nativitate scilicet et processione sive personalibus proprietatibus ordinem reddentes et processibus, et relationibus, et proprietatibus, istud dixerunt, quasi aliter possibile non sit personarum discretivas esse, nisi etiam relative oppositæ intelligantur ad invicem. Nativitas itaque immediatus est ex Patre processus, et hoc est ipsius definitio; processio autem per nativitatem intelligitur : ideo et Filius quidem sine medio ex Patre, Spiritus autem per Filium est. Præter illam autem relationem, quæ secundum causam est, nullam in divinis personis discretionem intelligere fas est. Nam in sola causa et causali divinas personas discerni dictum est; aliter enim omni oppositione et ordine processuum ad invicem sublato, nihil prohibebit, earum proprietates in idem concurrere subjectum. Itaque cum Filium a Spiritu nativitate discernunt, nihil aliud dicunt, quam Spiritum esse per Filium : per nativitatem enim procedere, quod dicitur, est. Similiter cum Spiritum a Filio processione distinguunt, processu illo a Filio discerni confitentur, cujus est definitio, per nativitatem esse.

[3] Joan. XVI, 15.

Digitized by Google

Quoniam igitur secundum substantiales processus personarum substantiæ significantur, simulque cum ordine causa et causale infertur, et Filius quidem secundum processum suum, sine medio ex Patre gignitur; Spiritus autem juxta processum suum ex Patre procedit : ideo, ille quidem per nativitatem esse, hic autem per processionem habere esse asseveratur, merito ambos ex Patre quidem aiunt esse, verum substantiæ differre modo.

Porro cum substantiarum modis discretio et causa, atque causale simul infertur, id quippe est dicere, aliud quidem esse continenter ex primo, aliud vero per id quod sit continenter ex primo. Sed et dicere, proprium quidem Filii nativitatem esse, Spiritus autem processionem, nihil aliud sibi vult, nisi quod Filius quidem ex Patre sine medio, Spiritus autem per Filium procedit : illumque procedere fateri, non autem instar Filii. Neque enim nativitatis ratione, sed processionis discernentis est immediate, quod dicitur et mediate, sed et quod ait idem theologus, omnia quæ habet Filius, Spiritus sunt, præter nativitatis, Filiique rationem, idem signat, quasi diceret præter quam esse sine medio. Ipse enim per Filium procedit, Filius autem per Patrem nascitur, et præterquam alius quidem Filius est, alius autem Spiritus sanctus. Ipse enim est qui ait emanationis habitusque ad invicem differentiam, differentem quoque appellationem illis fecisse; propterea quæ idem est, ac si dixisset præterquam alius quidem causa est, alius causale; si autem Nyssenus quoque discrevit, dum aliud dixit : *Continenter, aliud, per id quod continenter;* et si quis autem processionem alium substantiæ modum esse dixit, præter nativitatem immediate ex primo, et per medium ex primo insinuare vult.

Ad eam vero confert intelligentiam, et quod dicitur sufficere ad discretionem, genitum ac procedens dicere; procedentis enim ratio est, esse per genitum. Itaque verum id quidem est, quod processus divinas discernunt personas, verum non sine ordine et sine intellectu ad invicem, atque oppositionem, nativitatem ante processum cogitari, processionemque per nativitatem esse, quia et Spiritus per Filium est, ac propterea necessario causam et causale subingeri, sed enim impossibile est, ut juxta illorum opinionem nasci, ac procedere discernatur. Nam, si nullam oppositionem in se ipsis continentes discernere sufficerent, ut dicunt prolatæ personæ, eadem ratione sufficeret, et gignere, et producere quæ Patri insunt, in differentes ipsum personas scindere. Impossibile est enim, apertamque habet contrarietatem, principia propria ac discernere idonea, esse uspiam, atque illic discretionem non esse. Veluti, si quis dicat peritiam quidem in aliquo esse, ipsum vero peritum non esse. Idem ergo est etiam dicere, per quæ discernuntur causæ, ea esse quidem et in causa, ipsam vero nullatenus discernere.

Itaque æqualiter et in producente et in productis, vel discernent, vel non discernent; si enim, verbi gratia, idem homo generet filium, artemque suam pingendi, ut ita dicamus, illum doceat, natura penitus, et ars filio ac discipulo cum insint, sicut et in patre, et magistro, non magis alterum, quam alterum in plura dividet, eo quod in utroque sit eadem discretionis causa : rursumque, si quis idem sit pater, et lectulorum faber, et natura quidem filium gignat, arte vero lectulum faciat, in lectulo quidem ac filio, quia est naturarum diversitas, quæ subjecti ratione ipsa discernitur; alterum enim homo est, alterum lignum : quod quidem lignum, si quidem patri et opifici inesset, quemadmodum et homo, et illum necessario discerneret in plures causarum substantias. Vel siquidem productrix ligni natura fabricare sciret, esset et tunc veluti causa, lignum et faber, idem secundum subjectum existens, ita et lectulus germen, idem ars et lectulus, neque magis, quod producit, quam quod producitur, discernetur. Itaque cum discretionis causæ in utrisque æqualiter fuerint, causa scilicet atque causali, æqualiter ipsa discernet. Gignere autem atque producere, in una eademque natura est, in qua, et gigni et procedere.

Constat etiam gignere idem esse, quod est paterna proprietas : proprietates vero, idem esse, quod substantias secundum rem, jam supra monstratum est. Tres autem substantiæ [hypostases] Pater est et Filius et Spiritus sanctus; Pater autem et Filius et Spiritus sanctus verus Deus est, Trinitas una, et supersubstantialis essentia.

Similiter et de eo quod est nasci, et de eo quod est procedere, dicendum. Ista igitur æqualiter in producente et productis, vel discernent, vel non discernent : si quidem igitur discernent, duæ substantiæ [hypostases] erit Pater, gignendi scilicet ac producendi ratione : sin vero hæc in Patre discretionis causa non sint, neque Filius et Spiritus nascendi, procedendique ratione propter easdem causas discernentur ab invicem : sic autem erit una persona Filius et Spiritus sanctus. Non enim dicere possumus, esse aliquid in productis hoc in loco discretionis causam, sicut in lectulo et filio discernens natura differens, quod in patre non est. Una enim trium essentia, ac natura est, ac præter differentiam, quæ secundum causam et causale est, sancti nullam aliam intelligunt.

Quoniam igitur gignere, ac producere in Patris natura cum sint, Patrem in duas personas non discernunt : idcirco, neque in Filii, ac sancti Spiritus natura nasci, ac procedere cum sit, ipsos discernet, nisi aliud adjiciatur; hoc est, nisi oppositionem habeant ad invicem. Unde qui eos variis processibus, nascendi scilicet ac procedendi discerni dixerunt, vel personalibus proprietatibus relative sibi invicem opponi intelligunt, ut dictum est. Sub-

Digitized by Google

stantiales enim cum sint substantiæ suæ indicant medium, substantiæ autem modus solum secundum causam et causale constat, nempe enim, quoniam in sola causa et causali divinas personas distingui dictum est, liquet quoniam ubi relatio non est, neque discretio erit. Itaque ad quam refertur personarum quælibet, ab illa sola etiam personaliter discernitur. Ergo et differentes ad Patrem Filii ac Spiritus relationes, eos a Patre solum discernunt, non autem ad invicem, nisi etiam ad invicem referantur.

Præterea si nascendo a Spiritu sancto discernitur Filius, discretio autem in personis divinis secundum oppositas relationes est, ut diximus : nativitas, in quantum nativitas ad processionem, quasi ad oppositam relationem reducetur. Hoc autem possibile non est. Solam enim ad paternitatem ita habet; simulque ita erit Spiritus Filii Pater, multaque impossibilia sequentur. Atqui neque secundum contradictionis oppositionem quod nascitur, ab eo quod non nascitur, distingui potest : quippe hujusmodi discretio, non est Filii et Spiritus, in quantum Spiritus, neque propria ipsius, sed communis omnium quæ non nascuntur. Simili enim ratione etiam ad omnia quæ non nascuntur, discernetur Filius, eritque Filius ad Spiritum, sicut quod est, ab eo quod non est, discernitur. Sed et ista discretio substantialis, et prima non est. Subjiciuntur quippe discreta secundum nativitatem ac processionem : hoc est, secundum quod aliud quidem est sine medio ex primo, aliud autem, per id quod est sine medio ex primo. Et certe quod nascitur, non est sicut id quod non nascitur, secundum scilicet discretionem naturæ. Non ergo sufficit contradictionis oppositio, per se discernere personas.

Sed et dicere, unam quamque personam in se ipsa sua personali proprietate subsistere, atque ab aliis omnibus abunde separari, ut et nativitas, et processio Filii ac Spiritus proprietates ad discretionem sufficiant, atque ita causæ discretionem non esse requirendam, nihil ad propositum valet. Quæ enim secundum se ipsa subsistunt, ipsaque ea suggerunt, sufficiunt ad discretionem reliquorum. Petrus enim propria anima et corpore subsistens, his a Paulo, cæterisque distinguitur : quibus vero subsistere in eo est, quod ad aliud referuntur, his etiam hoc discerni est, ad ea referri, ad quæ referuntur. Servus enim, verbi gratia, in eo quod refertur ad dominum, est, et dicitur servus. Cæterum, relatione sublata, neque servus, in quantum servus erit; quoniam igitur paternitas et nativitas, et processio secundum causam et causale subsistunt : Filius quidem, in quantum Filius, a solo Patre distinguitur; a Spiritu autem nulla ratione, nisi et alia aliqua ipsius ad Spiritum differentia intelligatur. Solam enim secundum nativitatem sine relatione ad Patrem intellectam, una persona esset Filius et Spiritus. Rursum Spiritus sanctus relatione ad spirantem subsistens, nisi inspiretur a Filio, ab illo personaliter non differet, sed una cum illo persona erit differentes habens rationes, ut est nasci et inspirari, eo quod nullam habeant ad invicem oppositionem, aut habitum : vel, sicut duæ simpliciter differentes erunt, habebuntque differentiam essentiæ, non personalem tantum, quod penitus absurdum est.

Porro, si quis pergat contendere, nativitate Filium non a Patre solum, sed etiam Spiritu discerni, ne sic quidem effugiet, ne dicat et a Filio inspirari Spiritum sanctum ; quippe Filii terminus est, consortem et hæredem esse paternorum omnium bonorum. Itaque cum cæteris a Patre sibi Spiritus quoque causa erit, ac propterea causa discernetur a sancto Spiritu, quæ, in termino nativitatis includitur. Nempe, et procedentis est definitio, ex genitore esse,per genitum. Itaque et si Spiritus proprietate sua, processione scilicet a Filio discernetur ipsa proprietate, quod sit scilicet ex Filio, sicque ad eum referatur, discretionem ad Filium habebit. Enimvero nasci, ac|procedere si quis ad se invicem incongrua dicens, sufficere per se ad discretionem sine intellecta alia relatione arbitretur, imbecillæ omnino confidit rationi. Ista enim incongrua esse propter causæ, causalisque ordinem contingit. Per se enim sola, ut quidam æstimant, non ad se ipsa dicuntur, verum gigni quidem ad Patrem, procedere autem, ad productorem opponitur. Itaque cum illa opponi dicunt, consequenter discernere, quasi causam, causale ad invicem dicere cogentur, Siquidem, quod procedit ex gignente est per genitum; quod autem nascitur sine medio ex generante, est consors secundum proprietatem suam paternorum omnium bonorum.

Præterea, quia dictum etiam est, in sola causa, et causali divinas discerni personas. Et hoc autem quidam contra inferunt: quoniam, si quidem Filius causa sancti Spiritus est, habetque id a Patre sumens, sancti Spiritus causa esse præintelligetur in Patre, saltem cogitatione.

Pater itaque ante cogitabitur, quam Filius inspirans Spiritum sanctum, sed productioni Spiritus ex Patre substantia sancti Spiritus concurrens est : prius ergo, quam inspirare Filius intelligatur, subsistit Spiritus sanctus, et per consequens, ab ipso discernitur. Prius autem, quam inspiraret Filius, Filius tantum erat, et non productor. Itaque et si non sit causa Filius, a Spiritu sancto discernetur.

Verum, istud quoque imbecillum, ea est ratione, quod Filii ex Patre nativitas primus, et immediatus est, secundum paternam proprietatem processus, et ante processionem sancti Spiritus cogitatur. Per nativitatem enim processio est; quia, et per Filium Spiritus, procedentisque terminus per genitum esse monstratus est. Quoniam vero Filius, in quantum Filius, paternorum bonorum omnium est hæres, et omnia, quæ Patris sunt, nascendo

Digitized by Google

accipit, gignendo profecto Pater Filio initium est, etiam ut sit sancti Spiritus causa. Itaque, si per nativitatem suam, ut initium, et causa Sanctus Spiritus sit Filius, Pater Filio communicabit, simul cum Filio hoc habebit, et neque ipse sine Filio inspirare intelliget Spiritum Sanctum. Aut enim neque ex Patre est, si dici fas sit, aut etiam per Filium, atque ex Filio est: quippe hoc est procedentis ratio. Et antequam Spiritus cogitetur ex Filio, jam hunc producere Filius cum Patre habet a Patre genitus, maxime cum et productor per Verbum dicatur Pater. Si quidem enim producendo Pater Filio causam Spiritus daret, Filius perfecto ante causam cogitaretur, secundum quam Spiritus procedit a Filio. Nunc autem gignendo est Pater initium Filio, ut sit sanctus Spiritus causa, et B per Filium causa sancti Spiritus est, quia et ex ipso per Filium procedit Spiritus Sanctus. Itaque Pater et Filius, quasi unum principium ante Spiritum Sanctum cogitatur.

Quemadmodum igitur solem calefacere sine radio, cogitare non possumus, neque sine fulgore calorem, ita neque sine Filio processionem cogitari possibile est; quippe ratio procedentis est, esse ex gignente per genitum. Et sicut sol et radius, unum calefaciendi principium est, ita Pater et Filius unum Spiritus sancti principium, secundum unicum ejus, simplicemque processum traditur; servata scilicet paternitatis, nativitatisque differentia. Itaque neque re, neque cogitatione C potest inspirans Pater sine Filio intelligi: imo, si quidem ex animo Filius, et cogitatione tollatur, neque processionem jam esse possibile erit. Unde et dictum est; idcirco ex Patre procedere dicitur, quia a Filio est. Quod si præcogitari dictus est, tamen prius posterius non est. Nam et causa, et causale, Filiique mediatio, ac per Filium esse, a sanctis divinis rationibus traditur. Sed et simul, et conjunctus, et inseparabilis nihilominus pro confesso asseveratur. Temporales enim morulæ in æterna vita locum non habent, ut ait Gregorius Nyssenus; eo quod illic nusquam temporis sit locus.

Per hæc ergo omnia, conficitur, quod initio propositum fuit, Filium a sancto Spiritu secun- D dum causam et causale discerni, Patremque et Filium, unum sancti Spiritus principium esse, servata illorum ad invicem differentia, juxta sanctorum Patrum theologiam; per quam, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, divinis rationibus asserunt. Quoniam vero veritati veritas non reluctatur, et in his maxime sermonibus, ubi de fide agitur, in quibus summa concordia, et ad se ipsos, et ad cæteros doctores sit necesse est. Aliter enim Deus, homines per eos falli, atque errare permisisset; sive contraria vera esse volens; sive veritate veritatem collidens; veritati autem mendacium objectum est. Multis autem ex locis demonstratum est, per Filium, atque a Filio substantiam habere Spiritum Sanctum quod dicitur, verum esse, hic, quæ prædicta sunt, suppositis: ad illa nunc proficiscamur, quæ veritati huic prorsus videntur adversari.

Accedat ergo primo Sanctus Joannes Damascenus: *Spiritum*, inquit, *Filii dicimus, ex Filio autem non dicimus*, Hoc si, ut quidem arbitrantur, id insinuare vult, quod non sit ex Filio Spiritus, neque per Filium substantiam habeat, omnino Spiritum sanctum ex Patre solo habere substantiam, doctor præclarus arbitratus est. Hoc si ita est, etiam ex Patre esse sine medio. Si autem sine medio producere etiam substantiale Patris, propriumque ejus esse, neque Filio commune; substantialia enim personarum propria, cæteris omnino communia non sunt; quomodo igitur Patrem productorem per Verbum *splendifici* Spiritus dicit? quomodo ex Patre per Filium procedere Spiritum plurimis locis nos docuit? quomodo, si multum ordinem, vel habitum Spiritus ad Filium habet, dixit: *Oportet autem Verbum, et Spiritum habere.* Hæc enim sibi invicem contraria manifestissime sunt; si enim productor per Verbum, numquam profecto erit Patris substantiale proprium producere.

At si ex Patre sine medio, nunquam per Filium procederet; procedere enim per Filium quod dicitur, mediationem Filii designat, quam et Nyssenus tradit, et omnes una cum eo theologi tertiumque a Patre Spiritum sanctum secundum personalem ordinem commendat. Porro, sine medio, hoc est, ex solo Patre esse, dicere, hæc simul omnia tollit.

Atqui non solum, ut quidam id dictum exponunt, sibi contrarius hic doctor est, sed his quoque, qui ante illum fuerunt, Ecclesiæ magistris. Illi enim ex Filio, atque ex ejus essentia illum esse aiunt, et ex ipso prodire, et a Filio habere, esse, et ab eo procedere: ille autem, ex Filio non esse, non ex illius essentia, neque ex ipso procedere dicit. Hæc autem manifesta contradictio est. Ex quo sequitur, ut vel hic solus Ecclesiæ magister asseratur, solusque sanctus videatur, neglectis tot sanctis Patribus (piget enim dicere, *abjectis*), aut illorum multitudinem, atque auctoritatem antiquam reverendo, istum non admittere.

Sed hoc ineptum, ac insulsum est. Oportet enim sanctos omnes revereri, et, quæ ab illis dicuntur, pia intentione suscipere: atque ea ita exponere conari, sicubi fortasse dissentire videantur, ut et sibi ipsis, et aliis Ecclesiæ magistris quam maxime concordes sint. Et, si quidem istud contingat, nihilque de concessis, ac ratis fidei rationibus tollitur, concordem ac veram expositionem dicere; sin autem, contrarium. Quo enim posito, absurditas sequitur, et ipsum ejusmodi est. Quamquam, non dici ad id, ut sit res, contrarium non est. Plurima enim vera quidem

Digitized by Google

sunt, non autem dicentur, hocque, cum ex aliis constat, tum ex ipsis Ecclesiæ dogmatibus. Esse enim Filium Patri consubstantialem, *Deique Genitricem semper Virginem* prædicari in Ecclesia, atque humanæ naturæ Filium Dei secundum substantiam unitum esse, vera quidem sunt; fuit tamen, quando non dicebantur; non tamen ideo falsa fuerunt. Nam postea necessitate urgente propter contraria dicentes, etiam ut in Ecclesia publice dicerentur institutum, et formatum est; quid ergo mirum, si et sanctus iste quod non pronuntiabatur, ut multa alia, et tunc, et prius, non dici ait? Non enim profecto per hoc ostendit, quia non est: sed hoc solum, quia in consuetudine dicto non proferretur.

Sed enim cum sibi non esse contrarium, hinc profecto constat. Ostensum enim prius est quia, ubique *per* præpositio, in quibus assumitur, præcedenti causæ cooperatur, atque ad eam efficientiam, quam ipsa inspicit, sive in naturalibus, sive in artificibus quispiam sermonem exercere velit. Ramus enim per quem fructus oritur, eamdem, quam radix naturæ intentionem habet. Et serra, verbi gratia, per quam faber gradum facit, ad illum, non ad alterius generis effectum artifici cooperatur. Non enim ad calefaciendum, seu dealbandum illi cooperabitur. Prorsusque ea, per quæ aliquid fit, cooperantur his qui prius illa movent, ad illorum nutum una cum illis causa effecta, vel quasi instrumenta, vel quomodolibet aliter illos adjuvantia.

Si quidem igitur non esset eis differens natura ad eos qui illis aluntur, essent et ipsa profecto simpliciter causa, sicut prima illa; sed in Patre etiam hoc magis. Siquidem et eadem esset ad utentes operatio. Verum in Patre, et Filio, quoniam una natura numero inspicitur, et una eis etiam actio, sive processio est, unus atque idem Deus, merito Filii *per*, et Patris *ex*, significatione non differet, sed ipsa quidem ad *de*, vel *ex*, transibit: illa vero rursus ad *per*, transfereter, communeque et unum atque idem cum Patre principium sanctus Spiritus erit, propter sequam Filii ad Patrem Deitatem, atque essentiam eamdem, aliamque omnem identitatem, et indemutabilitatem: concesso semel a Patre per Filium sanctum Spiritum procedere: doctoribusque omnibus clamantibus, non esse fas, differentiam aliquam quomodolibet in hisce præpositionibus intelligere hoc indeterminate monentibus, docentibusque, in Patre, et Filio, *de*, vel *ex*, *a*, *per*, nihil differre, nisi in quantum substantias discernunt. Ait enim magnus Basilius ad Amphilochium scribens, cap. 5: «*Unus Deus et Pater, ex quo omnia: et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia*[a].» *Istæ non sunt legem ponentis voces, sed distinguentis potius substantias. Non enim, ut alienum naturæ introducat, sed ut inconfusam Patris, et Filii intelligentiam commendet, ita pronuntiavit Apostolus.* Et theol. Gregorius ait: *ex quo, et per quem quod dicitur, non naturas scindentium, sed unius inconfusæque naturæ proprietates exprimentium.*

Propter hoc igitur *per* particula assumpta est, ut consubstantialitatem simul et personarum ordinem ac discretionem signet ex processibus ipsis apparentem. In quo sane ordine ac discretione, Filii persona medium obtinet locum, quam semper etiam in communi consuetudine significat, *per*, et ne vel una persona, Pater, et Filius existimetur propter præpositionum similitudinem, vel duo, et contra se divisa ambo, Spiritus principia videantur, talisve esse Filii persona, qualis et Patris est, nihil ante se cogitatum habens, quemadmodum et Pater. *Ex* enim sistit mentem, et ulterius ire non cogit, principalemque causam quærere, cui *ex* principaliter distributa est; *per* autem alteram quoque personam præter *ex*, includit; et ad illam provehit mentem, principalemque illam designat causam, in qua hæc ponitur, medium et primi, et ejus, ad quem processus, sive operatio. Atque ita Trinitatem integre nobis commendat *per*, simulque processus personarum ad invicem ordinem indicat. Sed et essentiæ quoque unitatem per se tertio connectit, juxta Gregorium Nyssenum, Filii mediatione, et sibi Unigeniti honorem servante, et Spiritum naturali Patrem habitu non excludente: *Sic enim*, ut ait magnus Basilius, *et substantiæ, conceduntur et piam unici principatus dogma non decidit.*

Quoniam igitur cum unitate personarum quoque discretionem confiteri, secundum fidem nobis traditam, debemus, hæc autem et ambo, alterum quidem ex Patre, per Filium Spiritum sanctum procedere dici commendat, alterum autem ex Filio dici non ita, ideo Damascenus per Filium quidem procedere fatetur. *Ex Filio autem non dicimus*, adjecit, putans illi *ex*, personæ non congruere, antequam illa persona cogitatur, sed ei antequam nulla, qualis est persona Patris. Plurimi vero sanctorum Patrum, atque iidem sæpius, easdem dictiones in theologia secundum differentes intelligentias et suscipiunt, et non suscipiunt, et aliquando sic, aliquando aliter, ut magnus Basilius in quæstionibus ad Eunomium, *germen* Filium dicentem non suscipit, dictionem hanc imperfectionibus congruere existimans; quocirca eam maxime ponebat Eunomius. Verum theologus Gregorius, in primo libro *De Filio*, de eo et Spiritu sancto loquens ait: *Horum autem alterum quidem germen, alterum vero productum est.* Et causam quidem, et causale in divinis personis dici, vetat Cyrillus beatissimus dicens: *Causam vero et causale ne nominare quidem fas est, si quis illud scilicet juxta crea-*

[a] Ephes. IV, 6.

Digitized by Google

turarum morem accipiat. Communis autem fides, omnesque theologi, in sola causa et causali divinas personas distingui dicunt, majusque quod dicitur, Patri, causæ ratione plurimi doctorum assignarunt. Juxta opinionem autem Arianorum ab Ecclesiæ ambitu repellitur.

Nihil ergo mirum, si etiam doctorum alii quidem *ex* principali causæ, et ante quam nihil cogitatur, hinc soli congruere eam arbitrantes, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, productoremque Patrem per Verbum asseverant, quia Filii omnia ad Patrem referuntur, non tamen ex Filio dicunt. Alii vero et ei qui ex causa est, ut Filio congruere ponentes, cujus Pater principalis præcogitatur causa, eo quod unum principium, et una causa sit Pater, et Filius, sicut et una essentia : nunc quidem per Filium esse ac procedere dicunt, nunc autem ex Filio esse, et prodire, et procedere, secundum sanctorum, ut dictum est, divinas rationes tradunt, per utraque illi idem volentes, etsi syllabis differant.

Placuit ergo Damasceno in hujusmodi theologia potius uti *per*, a qua et consubstantialitas, et unitas, processusumque, ac personarum ordo, et discretio apparent, quam assumendo *ex* causam tantummodo significare : maxime, ne vel una persona, Pater et Filius existimarentur, propter præpositionum similitudinem ; vel ne videretur Filius nihil ante se cogitatum habere, sicut et Pater ; ita enim ei visum est, et alia, quæ prædicta sunt.

Sed ista quidem sufficiunt, etiam si magister dixisset, ex Filio non esse Spiritum. Nunc vero, non ita dixit, solum : *Ex Filio autem non dicimus;* hoc autem nulla ratione contrarium est ei, quod esse ex Filio dicitur. Communem quippe tantum usum per hoc tradit. Si igitur ea expositione suscepta, quam multi volunt, plurima quæ sunt rata, convelluntur, et neque ipse sibi, neque aliis ante se doctoribus concordat, nostra autem explanatione admissa, nihil tale contingit, eorumque quæ rata sunt, nihil omnino decidit : constat profecto, hanc esse veram expositionem, illorum autem falsam et rejiciendam. Ex quibus etiam dicitur verbi illius beati Dionysii solutio, quo ait : *Solus fons supersubstantialis Deitatis Pater est ;* qualem enim fontem magnus iste pater Deo et Patri reddit, ante quem nihil cogitatur, talem Damascenus in Filio denegat. Ante hunc enim pater cogitatur. Et rursus hujusmodi causam a Filio Joannes aufert, qualem Augustinus Patrem dixit, principalem ipsum causam appellans : *Principaliter enim*, ait, *ex Patre procedere Spiritum sanctum;* et addidit : *Principaliter autem dixit, quoniam et ex Filio Deo Spiritus invenitnr procedere.*

Fontem ergo sancti Spiritus et Filium a doctoribus dici supra monstratum est. Sed quoniam ante Filium quidem Pater cogitatur, ante Patrem autem nihil ; ipseque ex Patre esse dicitur, atque ad ipsum refertur : *Et omne, quod esse a Filio dicitur, ad primam causam relationem habet*, secundum Basilii sententiam in libro *Quæstionum*, secundum quem modum et radix, et fons, et solus causa Pater dici potest, *ut ostendatur; ex quo quod dicitur et neque tria, neque duo principia deorum pluralitate separata suscipiantur*, ut ait Gregorius theologus, in lib. *De Spiritu sancto*. Ideo et dictum est : *Vivo ego propter Patrem.* Et : *De hora illa nemo scit, neque Filius, nisi Pater ;* et : *A me ipso facio nihil :* et : *Sicut audio judico ;* et : *Mea doctrina, non est mea :* et : *Pater meus major me est :* et si quid hujusmodi ab eo dictum est, qui omnia ad Patrem refert, sicut et de Spiritu, alibi quidem ait : *Quia mittam vobis Paracletum ;* alibi autem : *Quem mittet Pater in nomine meo*, hoc est per me. Neque enim personam Spiritus sancti futurum Filium per hoc significat. Illud quidem, ut suam ostendat dignitatem. *Dignitate enim et ordine secundus a Filio est*, juxta magnum Basilium, *majoremque Spiritu sancto Filium*, magnus ait Athanasius. Hoc autem principium sine tempore honorans, *et ne videretur Deo adversari*, ut ait theologus Gregorius.

Enimvero ostensum est etiam conversionis ratione, quia Patrem ad solum Filium conferens vir sanctus hoc ait ; cum dixisset enim : *Supersubstantialis enim divinæ generationis res non convertunt ad invicem ; solus autem fons supersubstantialis deitatis Pater est*, addidit : *Cum non sit Pater Filius, neque Filius sit Pater, et divina vero generatio hoc signat*, et quæ alia prædicta sunt. Tenemus itaque doctoris intentionem, alio ex loco sibi ipsi, ac doctoribus cæteris concordem, qui sunt ejusdem meriti, et in sanctorum cœtu nihilo inferiores. Ut autem quidam volunt, contrarium omnino contingeret. Fontem quippe sancti Spiritus Filium dicere juxta invectum ab eis secundum processum, ut vanum ac plurimis absurditatibus obnoxium, supra confutatum est.

Et certe non solum fontem sancti Spiritus, magnus Athanasius Filium dixit, sed et solum eum dixit sancti Spiritus fontem. Theodoritus enim in II libro suæ *Ecclesiasticæ historiæ*, cap. 23, infert epistolam magni Athanasii ad Afros de Ariminensi concilio, in qua, ita scriptum invenitur : *Quis autem his congredi velit hominibus, qui neque sua suscipiunt? Nam in decem illorum et pluribus, ut prædiximus, synodis, alias alia scribentes, satis evidenter, ostendunt, se singulas illarum improbare. Patiuntur autem hoc, quod et Judæi tunc passi sunt. Ut enim illi solum fontem aquæ vivæ relinquentes, foderunt sibi lacus, qui non potuerunt aquam continere : scriptum est autem apud prophetam Jeremiam; ita et isti pugnantes adversus universalem synodum, foderunt sibi synodos plurimas.*

Sed et in libro *Contra Arianos*, magnus idem

Digitized by Google

Athanasius Salvatorem solum Spiritus sancti largitorem esse ait dicens : *Et contra Salvator cum sit Deus, et regni Patris semper imperans Spiritus sancti largitor solus est.* Hæc igitur ex abundanti dicta sunt, ad ostendendum : quia et Filius sancti Spiritus fons dictus sit.

Si igitur doctores sibi ipsis, atque invicem concordes esse necessario fatendum est, hoc autem nunc maxime fit, nihilque concessorum dogmatum nutat, his ita expositis, ut dictum est ; alias autem contra penitus contingit; evidens profecto documentum est, hanc quidem expositionem veram esse solam, omnesque præter istam, falsas esse.

Patet item dicti illius solutio, quod posuit Gregorius theologus : *Omnia scilicet, quæ habet Pater, esse Filii, præter causam.* Sicut enim divus Dionysius Patrem ad solum Filium conferens juxta conversionis rationem, Patrem solum fontem dixit (non enim est Filius fons Patris), neque enim convertitur : ita et summus hic vir, præter causam habere Filium Patris omnia dixit ; causam scilicet, quam habet ad Filium, Pater. Siquidem enim arbitrantur per hoc, sanctum virum, nullam omnino causam Filio reddere, falluntur. Ipse enim est, qui ait : *Ex principio principium.* Quin et in oratione, quam facit ad Christum, ita inchoavit dicens : *Te nunc quoque benedicimus, Christe meus, Verbum, sancti Spiritus sine principio servator.* Quam ergo habet Pater ad Filium causam indicare voluit; aliter quippe sibi ipsi non congrueret, sententiaque fallax videretur. Dicere enim præter causam, omnem causam auferentis esse volunt ; hoc autem falsum est. Vel creaturarum enim ipsum certe causam dicent. Attestatur his et ipse dicens : *Omnia quæ habet Pater, Filii sunt* præter causam; et omnia quæ habet Filius, Spiritus sancti sunt, præter nativitatem.

Constat ergo quia Patrem ad Filium comparans ; præter causam, dixit, quam scilicet habet Pater ad Filium, sicut et quod sequitur, Spiritum ad Filium comparantis est, relationem illorum ad invicem inspicientis, secundum illorum proprios processus. Dicere namque, Spiritum habere omnia præter nativitatem, nihil aliud significat, nisi præter quam immediatum ex Patre esse ; quippe cum Filius quidem ex Patre sine medio sit, juxta proprietatem suam, sanctus autem Spiritus ex Patre per Filium procedat, quocirca neque convertitur, quoniam neque processus illi, et consequenter neque substantialia convertuntur. Et ex hoc igitur nihil pro se concludunt.

Eadem vero ratione, ne id quidem illis opitulatur, quod ait sanctus Maximus in Epist. ad Marinum ita scribens : *Synodicorum igitur præsentis sanctissimi Papæ, non tot capitula quot scripsistis, repudiarunt, qui in regia civitate convenerunt. Duo autem sola, quorum alterum quidem de theologia continet. Quia, inquit, etiam ex Filio procedere Spiritum sanctum, alterum vero de divina incarnatione : quia scripsit, non sine primi patris peccato esse Dominum, in quantum homo erat. Et primo quidem concordes Romanorum Patrum protulere sententias. Cyrilli quoque Alexandrini in expositione super Joannis Evangelium, ex quibus seipsos non Filium Spiritus causam facere ostenderunt. Unam enim noverunt Filii et Spiritus esse causam : alterius quidem secundum processionem ; sed ut per ipsum procedere insinuarent ; sicque conjunctionem essentiæ, et incommutabilitatem commendarent.*

Itaque quod sanctus Cyrillus plurimis in locis Spiritum sanctum ex Filio sicut etiam ex Patre dicat, eumque ex Filio esse et per ipsum, et ex ipso naturaliter procedere, et quia per ipsum profusus naturaliter propriam nobis substantiam signat, et quæ talia, satis supra declaratum est. Sed et Romanorum doctorum, Hilarii scilicet, Ambrosii et Augustini dicta huic sententiæ congrua produxerunt ; qui et ex Filio procedere Spiritum sanctum docent. Hæc autem mirum, si non etiam causam insinuat. Ea enim ratione, ut datur intelligi, neque cum ex Deo esse, et ex Patre procedere Spiritus asseritur, causam designabit. Sed ista, præter Scripturæ intentionem sunt ; nempe, quoniam juxta sanctum Cyrillum, Occidentalesque doctores fatentur hujus esse sententiæ, qui evidenter ex Patre et Filio ; veluti ex uno principio prodire, ac procedere, ut dictum est, Spiritum sanctum confitentur. Nihil ergo novum a se ipsis introducunt, qui etiam ex Filio Spiritum procedere fatentur : simulque præsens epistola Romanorum Patrum præexpositas allegationes illorum veraciter esse commendat. Aut enim ipsæ omnes sunt, aut ex ipsis aliquæ, quas tunc protulerunt. Non enim profecto fallebatur sanctus Maximus, aut mentiens ista dicebat.

Quid ergo sibi volunt, cum Spiritum sanctum ex Filio quidem procedere dicunt, non autem esse Filium causam sancti Spiritus adjiciunt ; quia enim Filius quidem ex Patre est ; Filii autem omnia ad Patrem referunt, dictum vero est etiam a sanctis, ex Patre et Filio Spiritum sanctum, veluti ex una re, et uno principio esse, ac procedere : propterea ex hujusmodi sententiis aperuerunt se, Filium non propriam, et peculiarem causam Spiritus, præter Patrem, intelligere. Merito sane. Neque enim duo sunt divisa contra se, atque ab invicem disjuncta principia sancti Spiritus ; neque ut personæ duæ, ita duo etiam Spiritus sancti principia sunt ; quemadmodum enim mittit quidem Pater Spiritum sanctum, mittit autem hunc etiam Filius ; neque tamen Filius alia missionis causa præter Patrem est; neque enim mittit Pater sine Filio, sicuti neque sine Filio facit ; quocirca etiam dictum est, una datione et una largitione mittit Spiritum sanctum, ita et de eo quod proposuimus dicendum, atque eo magis quo missio idem est quod processio, ut supra declaratum est. Aut si hanc nimium contentiosus

Digitized by Google

quispiam substantialis sancti Spiritus processionis indicium dicat, profecto, nunquam mitteretur a Filio, nisi etiam ex ipso esset; alioqui minister esset Filius.

Non itaque vel Pater solus causa est Spiritus sancti sine Filio, vel sine Patre Filius; per Filium enim procedere dicitur, et Pater per Verbum productor esse sancti Spiritus asseveratur. Constat hoc etiam ex sequentibus ipsius verbis. Ait enim: *Unum norunt Filii, et Spiritus causam Patrem;* alterius quidem secundum nativitatem; alterius vero, secundum processionem. Hæc autem prædictis optime consonant. Nam Filius quidem ex Patre secundum nativitatis, vel geniti definitionem, ex Patre sine ullo medio est. Spiritus sanctus autem juxta processionis, seu procedentis terminum, ex Patre per Filium est; quæ cum ita sint, congrue Filius ac Spiritus ad unum principium Patrem referuntur, ut Filius quidem seorsum non sit causa: non enim est vel Filius, vel quæcunque causa sine Patre; Pater vero ac Filius una causa, unumque principium sit sanctus Spiritus.

Etsi enim, ut supra declaratum est, esse habet a Filio, ab ipso scilicet sumens, ac penitus ex ea causa eum pendere pietatis ratio tradit, et quæ alia prædicta sunt: ob id tamen, quod Filius quidem sit ex Patre sine medio, Spiritus autem per Filium procedat, ac per ipsum Patri conjungatur: quodque Filii omnia ad Patrem referantur, Pater unum sancti Spiritus principium dicetur, quocirca solus quoque fons deitatis dictus est; fonsque et radix Filii et Spiritus, et solus causa dici potest, quod nihil ante se cogitatum habeat, atque ad ipsum referantur omnia. Unde et magnus Basilius dicebat: *Naturalis bonitas, et regia dignitas ex Patre per Unigenitum ad Filium pertingit:* ita et substantias fatemur, piumque unici principatus dogma non decidit.

Consonant quidem et ista præteritis; verum ne id quidem dissentit, quod sequitur. Nam dicere: *Propterea et Filio procedere dixerunt, ut per ipsum illum procedere significarent,* nihil est aliud quam dicere: Idcirco ex Filio procedit, quia procedit per Filium: quia enim per Filium procedit, naturaliter scilicet atque essentialiter procedit. Ita quippe et essentiæ conjunctio, et incommutabilitas declarabitur: quod autem per aliquod naturaliter, atque essentialiter prodit, ex ipso etiam substantiam habet. Itaque per Filium prodire, idem est quod per Filium procedere; hoc enim indicat per Filium habere substantiam; quod igitur superius processionem appellavit, hoc in consequentibus per Filium prodire, ac procedere dixit.

Constat ergo et ex his, ex Filio procedere quod dicitur, idem esse quod per Filium procedere. Porro ista etiam ante sunt dicta. Sed et illud quoque demonstratum est, quod essentiæ Filii ad Patrem identitas, omnia Patris Filium habere facit, præter solum Patrem esse. Atque eodem modo, quo etiam Pater; aliter quippe essentiæ identitas tollitur, maxime cum dictum sit, una tantum re, eos differre: quod hic Pater sit, ille Filius, alia vero omnia, esse communia. Pater itaque causa Spiritus est, sicut et Filius. Dictum est tamen, eos non asserere Filium sancti Spiritus causam, propter illa quæ prædicta sunt; quod enim ex Damasceno sibi vult, *ex Filio non dicimus,* ne duo principia divisa videantur, nec persona Filii, ut Patris persona esse, nihil præ se cogit, tum habens, hoc et istis in hoc loco sibi vult. Unum enim principium est sanctus Spiritus, Pater et Filius; et neque Filius sine Patre, neque sine Filio Pater. Non enim esset procedens Spiritus sanctus; quia tamen Pater sine causa est, ipsi causæ nomen separatum est, quæ causa ad Spiritum sanctum relata, Filium quoque comprehendit, quia per Filium procedit. Nam ex Patre procedere, doctores pro eo acceperunt, quod est ex Patre per Filium procedere.

Sic itaque, et quæ in prædicta epistola posita sunt, veritati et sibi ipsi concinunt; et quæ a sancto Cyrillo Latinisque doctoribus de Spiritu sancto dicta sunt, interroganti sancto Maximo, Romani allegaverunt. Impossibile namque est, magistros Ecclesiæ, ex Filio esse atque procedere Spiritum dicere, et rursus per Filium esse atque procedere, deinde causam a Filio auferre; hoc enim est aperta contradictio, constatque, quia et ipsi contradicentes, quod dicitur ex Filio procedere, ut quo causa significetur, non suscipiunt. *Ex* enim præpositio, et maxime in divinis personis, processum cum causa commendat; et *per*, tantum valet, non solum quia, ut dictum est, in divinis idem valet quod *ex*, sed quia etiam per se ipsam in quibus assumitur, ubique causam indicat; sive enim per instrumentum, ut per causam, vel causæ consortium dicimus, sive per locum; quia causa motus est locus, et motus omnis in magnitudine, atque distantia; similiter ut per causam dicimus, sive per tempus itidem (tempus enim motui plurimum confert); sive in syllogismis extrema per medium connecti dicimus; constat quia per mediam causam, secundum animi totum, sive transgressionem contingit.

Prorsus vero possibile non est ut cum dicimus *per*, non etiam aliquam causam una cogitemus; quoniam igitur per Filium prodire ac procedere dicitur Spiritus sanctus, causam profecto et Filium esse necessario datur intelligi. Et simul constat ut substantialem causam; quippe ab illis consummata, et plenissima perfectione, summaque ad Patrem æqualitate, sive unitate longissime remotum est, Filium instrumentum ponere, seu locum, seu tempus, aut aliquam imperfectam, et alterius essentiæ causam; si enim in creaturis, unam causam, unum creatorem, unum Patrem, et Filium commendat *per*, multo sane magis in consubstantiali

Digitized by Google

eis Spiritu sancto unam causam, unumque principium, Patrem et Filium commendat.

Magnus præterea Basilius ad Amphilochium scribens, cap. 8, sic ait : *Quod per Filium creare Pater dicitur, neque imperfectam commendat creationem Patris ; neque invalidam Filii efficientiam signat ; sed unitissimam commendat voluntatem.* Itaque vox ista, *per Filium*, causæ ante omne principium, confessionem habet ; non in prædicamento causæ conditionalis assumitur. Patet igitur quod in creaturis quidem *per*, commendat unionem voluntatis ; in sancto autem Spiritu unionem Patris et Filii, secundum substantialem processum sancti Spiritus insinuat, secundum quem ex Patre per Filium prodire ac procedere asseritur, et ex Patre ac Filio procedere. Pluribus igitur ex partibus ostenditur Patrem et Filium unum esse principium, unamque causam Spiritus sancti : dictum est tamen Romanos Filium non causam Spiritus, propter ea quæ prædicta sunt, facere. Constat autem ex his, et quia ex Filio procedere Spiritum sanctum non ulla novitas est, neque nova adjectio, ut quidam asseverant. Nam et temporibus sancti Maximi a Latinis ita legebatur : *Ad quem sanctorum allegationes*, ut ipse ait, *huic sententiæ congruas protulerunt.*

Paucis vero interpositis, in eadem epistola, idem sanctus adjecit, concludens : *Romanos de his sine ratione culpari.* Liquet igitur, et ipsum approbare, quod dicitur, Spiritum sanctum ex Filio procedere, eosque qui ita dicerent, laudare, et qui culparent, insimulare. Essent autem sane ineptissimi, qui propter id quod dictum est : *Ex Filio non dicimus*, causam sancti Spiritus a Filio omnino auferentes, ex eo quod asseritur ex ipso procedere, hanc non illi reddunt, cum hanc processionis dictionem et ipsi Spiritus sancti substantiam commendare desiniant. Ex hoc enim rationabilius illi causam reddent, quam per illud auferent.

Nam si ex Patre procedere, quod dicitur, causam commendare confitentur, quomodo non etiam Filium, unam cum Patre causam sancti Spiritus fatentur, cum audiant, ipsum etiam ex Filio procedere? Imo vero, quomodo ad eos quidem, qui hoc dicunt, efferantur ; sanctis autem ita dicentibus, non contradicunt? Quod si ex Filio esse ac procedere, cum doctoribus ecclesiæ, et sancto Maximo, et Romanis, qui super hoc sanctorum dicta protulerunt, vel coacti suscipiunt, non tamen per hoc causam significari volunt : primum quidem, neque sic deberent ad hanc dictionem omnino indignari, deinde, præter suas opiniones volent, hoc enim, ut quod causam sine medio significet, refugiunt ; et neque cum ex Patre procedere dicitur, et ex Deo esse, causam significare cogentur, dicere, quærentque alterum vocabulum, quod substantiam sancti Spiritus significet, idque fortassis erit, *esse*, hoc autem in divinis personis idem valet quod procedere, simulque quænam et unde erit ista distributio : in Patre quidem, per ista causam signari dicere, in Filio autem hanc non ita?

At si ex Filio procedere consubstantialitatem et hic significari dicunt, nempe sicut Spiritus Patri consubstantialis est, quia procedit ex Patre, ita et Filio consubstantialis est, quia procedit ex Filio ; nam et Filius consubstantialis est Patri, quoniam ex ipso est, siquidem vera prosequitur magnus Basilius dicens : *Porro essentiæ identitas, quia est ex Patre Filius.*

Attestatur his et Cyrillus beatissimus : *Nasci enim*, inquit, *ex Patre per Filium, invitos nos etiam, ac renitentes coget, illi consubstantialitatem reddere.* Sed et quod per illum prodire dicitur, nequaquam essentiæ coujunctionem, immutabilitatemque commendaret, nisi per Filium habere substantiam quod procederet, præsupponeretur ; nam quod ita prodit necessario etiam consubstantiale est, siquidem et in loco verax est sanctus Maximus dicens : Spiritus sanctus sicuti naturaliter secundum essentiam Dei et Patris est, ita et Filii secundum essentiam est, ut qui ex Patre essentialiter per Filium genitum ineffabiliter procedat ; propter hoc igitur consubstantialis est Filio, quia per illum procedit ex Patre ; hoc autem idem esse quod ex Filio procedere, plurimis ex locis demonstratum est.

Enimvero multo minus illis confert illa Basilii sententia, quam ut murum inexpugnabilem in suis disputationibus præponunt. Ait denique sanctus vir : *Gignit Deus, non ut homo ; gignit autem vere ; quodque natum est ex eo, verbum non humanum exprimit. Promit autem Verbum verum ex ipso ; emittit Spiritum per os, non ut humanum, quia neque Dei os corporaliter est. Ex ipso autem Spiritus, non aliunde est.* Primum in his notare convenit, quia *promere*, in Filii substantia, sanctus accepit.

Nam de substantialibus processibus hoc in loco illi sermo est ; sicut et theologus Gregorius emanationem sempiternam substantiam dixit. Et quoniam dnæ personarum substantiæ sunt, invicemque differentes, idem protinus adjecit : *Emanationis differentia differentem etiam illorum appellationem fecit*, ut scilicet alius quidem esset Filius, alius autem Spiritus sanctus. Itaque cum Spiritum sanctum promere dicatur Filius, et, quia ab eo Spiritus effulsit, ut ait in precibus magnus Basilius, sancti Spiritus ex Filio substantia evidentissime signatur. Secundo, notandum quod etiam *emittere*, in substantia sancti Spiritus accepit ; hoc autem superioribus concinit ; in quibus, a sanctis Patribus ostensum est, *mittere* et *mitti*, intemporales Filii et Spiritus substantias designare, ac mittere, causam ; mittere vero, causale signare.

Sed emittit, inquit, *Spiritum, per os.* Os autem Patris Filius, ab Ecclesiæ magistris exponitur ; idem igitur est dicere, emittere Spiritum per os, et Spiritum ex Patre per Filium procedere. Hoc autem per Filium habere substantiam insinuat. Nam procedere Verbum substantiæ illius signifi-

Digitized by Google

cativum est, constatque per hoc, quod cum Filius mittere et emittere dicitur Spiritum, ex Filio, atque per Filium sancti Spiritus substantia significatur, mittique ex eo esse significat. *Verum et ex eo*, id est, Patre, *Spiritus sanctus*, inquit, *est*, et non aliunde. Nempe ex Patre esse Spiritum sanctum ab omnibus conceditur, non aliunde autem dixit; quoniam hæreticorum plurimi, ex Patris essentia Filium excludere volentes, illum neque ex Patris essentia, neque ex substantia illius esse fatebantur, sed ex alia quadam essentia atque substantia (quod Arianorum erat propositio); atque id quidem constat ex his quæ prædixerat magnus Pater Basilius in rescripto dictatæ a se fidei. Indicat autem id, in Expositione XXXII psalmi dicens: *Spiritus, qui ex Deo est, qui a Patre procedit, ne illum externam aliquam creaturam esse arbitreris; sed ut ex Deo habentem substantiam glorifices;* quanquam et hoc quod ait *aliunde*, quæ diximus, commendare sufficiat; *aliud* enim unde *aliunde* sumptum est, in rebus maxime natura differentibus dicitur. Pater autem, et Filius natura unum sunt: *Ego enim*, inquit, *et Pater unum sumus*[4]. Itaque non ad Filium intuens, sanctus *aliunde* dixit, sed ad creaturas, a quibus illum quidam hæretici habere substantiam dicebant. Et ista igitur sententia, contra illos potius quam pro illis est. Si autem contra illos, liquet quia pro veritate est, ac per omnia superioribus concinit.

Ex his autem, et ejus dicti solutio patet, quod in Niceno primo concilio ad hæsitantem philosophum dictum proferunt; sic enim illic aiunt ad illum Patres. *Suscipe unam divinitatem Patris, qui Filium ineffabiliter genuit, Filiique ex ipso geniti, et sancti Spiritus, qui ex ipso procedit Patre, propriusque Filii est.* Namque ex ipso Patre, quasi digito ostenderent, dixerunt, pessimam contradictionem auferentes, qui non ex ipso Patre, neque ex ejus substantia, sed ex altera essentia atque substantia Filium esse blasphemabant. Si autem ex Patre dicitur, sed juxta procedentis terminum, ex Patre per Filium procedit; ita enim ex Patre procedere, pro eo quod est ex Patre per Filium procedere, acceperunt, ejus quod est procedere, connexam definitionem explicantes. Idcirco etiam adjectum est, *Propriusque Filii est;* proprius autem Filii a sanctis Patribus Spiritus dictus est, ut qui in ipso et per ipsum naturaliter prodit, atque ex ipso est, quippe ab eo esse accipiens.

Ipsa denique synodus per episcopum Leontium attestatur ad philosophum dicens: *Proprium esse Spiritum Filii, atque ex ipso manare;* sed illud quoque quod ait magnus Basilius: *Quoniam communia Patri et Filio, communia et Spiritui sunt,* optime quidem dictum est; non autem per hoc, quod volunt, conficiunt. Hoc enim nihil cogit, Spiritum vel sui ipsius, vel alterius personæ productorem esse, quippe omnia quæ habet persona, cæterarum quoque communia sunt, servatis tamen proprietatibus cuique personæ. Nam quæ adsunt Filio, et Patri adsunt, servato tamen alteri Patrem esse, alteri Filium. Unde, et ipse sanctus ait in lib. *De Fide: Omnia Filius cum sit, quæ et Pater est, serva mihi has proprietates.* Manens igitur Filius, omnia est quæ Pater, juxta ipsius vocem Domini dicentis: *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt*[5]. Re autem vera, imaginis sunt omnia quæ adsunt primitivæ formæ. Joannes quoque Chrysostomus 61 hom. super Joan. « *Ego in Patre, et Pater in me.* » *Nihil enim aliud sum ego, quam quod Pater est, manens Filius; neque ille aliud, quam ego, manens Pater. Et me, si quis agnoverit Patrem, agnovit; et Patrem si agnoverit, Filium didicit.* Sic igitur et quæ sunt Patris et Filii, communia sunt Spiritui sancto, servata sibi proprietate personali, hoc est, manenti Spiritui. Porro in hujus ratione proprietatis est, esse ex Patre per Filium. Itaque non jam erit Spiritus ex se ipse proferens Spiritum, sed Pater et Filius. Illorum enim erat inspirare Spiritum sequentem proprium.

Enimvero quod aiunt: *Siquidem verum esset ex Filio procedere Spiritum sanctum, oportebat antiquos Patres, cum pro Unigeniti gloria adversus Arium pugnarent, ad commendationm ipsius ad Patrem æqualitatis, unitatis hoc dicere; si enim a minoribus hoc moliebantur, longe magis a majoribus id oportebat facere; quia vero non id dixerunt, liquet quia non ita opinati sunt,* nullam inducit necessitatem.

Primum quidem, quia Ariani blasphemantes Filium esse creaturam: multo deterius de sancto Spiritu senserunt. Creaturam enim Filii Spiritum sanctum esse, desipiebant, eumque ex Filio, quemadmodum et omnia esse dicebant; neque hoc solum, sed etiam ex solo Filio, quod insinuat magnus Basilius confligens adversus Eunomium, et dicens: *Quomodo igitur soli unigenito causam Spiritus applicat, prædicamentumque ipsius naturæ, hujus creationem facit?* Si igitur etiam ex Filio Spiritum procedere ipsius objectum fuisset, nullatenus ad commendandam Filii ad Patrem honoris æqualitatem efficax fuisset. Et ipsi enim ex illo esse, ut dictum est, confitebantur, sed ut creaturas; quantum enim ex dictione, non cogebantur essentiæ identitatem confiteri. Si igitur ex eo quidem quod et Filius omnia facit quemadmodum et Pater, et ita etiam Filius suscitat mortuos et vivificat quemadmodum et Pater, non inducebantur ut Patri Filium æqualem ponerent: quomodo ex eo quod Spiritus ex ipso esse diceretur, quem creaturam ejus desipiebant atque eo multo inferiorem, persuasum eis esset ut Filium Patris dignitate honorarent? Nam in disputationibus, quod urget magis, ac persuadet, proferunt. Magis autem

[4] Joan. x, 30 [5] Joan. xvi, 15.

Digitized by Google

si ex Patre ipsum procedere a Salvatore audientes, non hinc persuadebantur, Deum esse Spiritum sanctum, quemadmodum et Patrem; de Patre enim, quin Deus verus esset, nemo dubitavit: quomodo si hunc audientes ex Filio procedere, quem creaturam Patris, primumque creatum ponebant, inducti fuissent ut hunc Patri consubstantialem dicerent?

Deinde, et sanctos Patres hoc dixisse invenimus. Proprium quippe Filii, ut ab eo manantem dixerunt; proprium vero esse Filii Spiritum, eum per ipsum, et ex ipso esse significat. Porro *manare* verbum, in substantialibus processibus a sanctis assumptum esse, pluribus supra monstratum est. Sed enim in scriptis, qui per idem tempus claruerunt, Athanasius, Basilius, Nyssenus, Theologusque Gregorius ex Patre per Filium esse, et procedere, pro eo quod est ex Patre per Filium procedere acceperunt.

Cum itaque, quod quærimus, inventum fuerit, non expedit plura curiosius quærendo, molestias pati. Simul et per hæc liquido probatur, quia ex Filio esse causam signat, non solum proprietatem, ut quidam putant, sed causam, præcedente etiam proprietate, ut sæpe dictum est. Eunomius enim ex Filio Spiritum dicens, et ipse conditionalem causam Spiritus Filium commendare volebat, divusque Basilius in causa suscepit dicens: *Quomodo ergo soli Unigenito causam Spiritus applicat?* Et certe fas erat dicere sanctum virum. Quod ergo neque ex Filio, neque per eum ullo modo est, quomodo ex Filio causam id habeat? Sed hoc non dixit, cum eum ex Patre per Filium esse sæpe affirmaverit; atque per Filium quidem naturaliter, et essentialiter, et ab ipso esse habere asserens, ad id autem quod creaturæ ratione esse dicebatur obsistens. Itaque cum ex Filio essentia asseritur, naturalis essentialisque substantia Spiritus sancti commendatur.

Præterea secundum prædictam rationem, neque Sabellio ad commendationem divinarum in Trinitate personarum, ex Filio Spiritum procedere Patres obtenderent. Et hoc enim adduxit quidam. Si enim Filium et Patrem audiens, dicentemque Dominum: *Ego ex Patre exivi*[6]; et *Spiritus ex Patre procedit*[7], non inducebatur, ut Trinitatem Deum confiteretur; profecto si etiam a Filio hunc procedere audisset, nihil per hoc magis Trinitatem Deum confessus esset: imo credi potest eum et sui similes de Filio ista sæpius audisse, cum personarum differentiam ponerent, causamque et causale, et quæ ordinem ad invicem insinuarent; nam qui per id temporis doctores erant, per Filium procedere et ab ipso accipere, atque prodire, et cætera hujusmodi de Spiritu sancto asserebant. Cæterum si ex evidentissimis Scripturæ testimoniis id percipientes, verum non putabant, quomodo si ab hominibus audirent, concinentibus licet Scripturis crederent? Nihil igitur ex his necessarium conficiunt.

Non solum autem ista proferunt ex sanctis, nihil eis ad propositum, ut ostensum est, conferentia, imo etiam sibi omnino adversantia, verum et ad ineptias et nugas ea convertere contendunt, concesso et ex Filio procedere Spiritum sanctum. Ac primo dicunt *duo principia sancti Spiritus eos fateri cogi, qui ita ex Patre ac Filio procedere Spiritum sanctum asseverant.* At hoc sanctis Patribus in primis imputandum fuit, qui per Filium et ex Filio esse, ac procedere Spiritum sanctum, et ex Patre esse, sicut et a Filio divinis rationibus probant. Quod si hoc eos ita asserentes non sequitur (neque enim talia dixissent, si ista eos absurda sequerentur; imo hæc dicentes, etiam unum principium fatentur), constat quia neque illorum dicta referentes, hæc inepta sequuntur.

Deinde quoniam Filii omnia ad Patrem referuntur, et unus Deus Pater et Filius est, atque unico processu, sive ex Patre per Filium, sive ex Patre et Filio procedere asseritur Spiritus sanctus, ubinam locum duo principia habebunt? Nam si quidem esset Patris substantiale producere, hoc fortasse haberet rationem: quoniam vero, hoc non est, ut supra docuimus, commune est igitur Patri et Filio producere. Nam si substantiale esset, nunquam ex Patre per Filium procedere Spiritus sanctus diceretur. Quippe et quod procedit, et quod producitur, idem omnino est. Itaque Pater quidem per Filium producit Spiritum sanctum, ipse vero est qui producitur. Idcirco etiam productor per Verbum dictus est. Et tamen neque causam substantialem esse monstratum est, neque enim rem significat, sed solum prædicamentum est. Si enim rem causa significat, etiam substantialis est, et causale consequenter rem designabit ac substantiale erit. Atque ita causalia cum sint Filius et Spiritus sanctus, una persona erit, nempe quoniam ostensum est communia esse omnia Patri et Filio, ubi non obstat relationis oppositio; producere autem, neque paternitati congruit secundum ejus rationem, neque nativitati opponitur. Istæ enim ad invicem solam relationem, atque substantiam habent. Idcirco nihil cogit a Filio *producere* auferre; alioquin ut sapiens et bonus, quæ nusquam nativitati opponuntur, Filio tollentes, minorem Patris essentia Filium necessario fatebimur, innata et propria non ei, sicut et Patri reddentes: ita et producere, quoniam nativitati non obstat, nisi Filio commune cum Patre sit; sigillum prorsus uniforme non erit, et indemutabilis imago Patris; et unus cum Patre Deus.

Itaque secundum proprias substantiales relationes, paternitatem scilicet ac nativitatem, discreti cum sint secundum personas Pater et Filius, commune indivisum per alia omnia pie observabitur. Non enim quia duo sunt personis, ideo etiam per omnia

[6] Joan. XVI, 28. [7] Joan. XV, 26.

Digitized by Google

eos dividere convenit; sic enim essent et duo sapientes, et duo boni, et duo creatores, et duo dii, et duo mittentes, quoniam mittit quidem Pater Spiritum sanctum; mittit vero hunc et Filius; et qui mittit initium quomodolibet est ejus qui mittitur.

Ideirco dictum est a theologo Gregorio, *principium ex principio*, quanquam non video cur potius ex eo quidem quod ex Patre et Filio procedere dicitur Spiritus sanctus, duo sancti Spiritus principia nascuntur: ex eo autem quod a Patre et Filio mitti, non itidem duo oriantur initia, neque tamen duo vel tres creaturæ dicuntur opifices, et tres dii, et tria consequenter principia; sed constat, quando neque *sapiens*, neque *creator* paternitati neque nativitati opponitur: hic etiam Patri et Filio, et sancto Spiritui commune est, quando nec ejus substantiali proprietati, processioni scilicet, opponitur: unus creator unumque creaturæ principium Trinitas. Ac mittere Spiritum sanctum Patri Filioque commune est, quippe cum neque hoc eorum substantialibus proprietatibus obstet. Ideo et unus qui mittit, Pater et Filius est. Similiter qui producit, unus est eadem ratione. Sancto autem Spiritui mittere ac producere, ut ejus substantiali oppositum proprietati non adest; quod enim producit, ad id quod producitur, refertur; et quod producitur, ad id quod producit, vel inspirat itidem. Non autem possibile est idem esse quod producit, et quod producitur. Nihil enim sui ipsius causa est.

Præterea, si producens Spiritus sit, procedens esse desinet, et Spiritus, quod hujus proprietas est. Et erit, vel gignendo Patre, et quomodo a Patre? vel productor, et quomodo Spiritus? Sed neque tertius a Patre erit, juxta Patrum theologiam, secundum quam ex Pater per Filium procedit: sicque neque procedens, aut Spiritus erit. Ideirco ut objectum proprietati suæ, *producere* ab ipso alienum erit, etsi sit ejusdem cum Patre et Filio substantiæ, ut ex ipsis essentialiter, et quasi ab una re exsistens. Propterea et qui ex Patre et Filio procedere Spiritum sanctum confitentur, neque ex Patre dicunt secundum proprietatem Patris (hæc enim ad Filium dicitur), neque ex Filio, secundum Filii definitionem, ejus quippe ratio ad paternitatem relationem ac substantiam habet, sed in quantum unum sunt Pater et Filius, secundum scilicet producendi rationem.

Sicut enim quando per Filium omnia dicuntur, unitio voluntatis ostenditur, ut ait magnus Basilius, ita et cum ex Patre per Filium procedere Spiritus dicitur, unitio Patris et Filii, secundum substantialem processum Spiritus sancti commendatur; quocirca et unum principium fatentur, unumque ipsius processum, ut ab uno: gignendi scilicet ac nascendi discretione servata.

Quanquam et secundum exempla de sancta Trinitate a sanctis Patribus posita, quod dicimus, extrinsecus congruit. Lux enim est ex sole per radium, atque ex radio velut ex uno principio est, fluviusque ex oculo per fontem, sive aqua ex fonte per fluvium, et fructus ex radice per ramum, secundum unum processum unumque principium, prodeunt. Si autem hoc in materia contingit, multo magis in divinis, atque ab omni materia remotis, quæ sine tempore et intervallo inspiciuntur.

Tantum vero abest ut Romani et Latini duo Spiritus principia duosve processus confiteantur, ut eos quoque anathematizent, qui talia dicere præsumunt. Denique in Lugdunensi concilio, Græcis Latinisque congregatis, hæc sententia promulgata est: quam plurimis in locis, Græcis Latinisque inscriptam litteris et libris, facile qui quærit, invenit.

Gregorius X, in Lugdunensi universali concilio: *Religiosa ac fideli voce pronuntiamus, Spiritum sanctum ex Patre et Filio æterne, non veluti ex duobus principiis, sed ut ex uno, non duabus inspirationibus, vel processionibus, sed una eademque procedere. Istud a principio confessa est, prædicavit, et docuit, hoc valide, et constantissime tenet, prædicat, confitetur et docet sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium, ac magistra; istudque tenet orthodoxorum Patrum ac doctorum, Latinorum atque Græcorum, vera immobilisque sententia. Verum, quia nonnulli per ignorantiam hujus irrefragabilis veritatis, in hæreses varias lapsi sunt: nos, hujusmodi hæresibus omnem aditum obstruere volentes, sacro simul decernente concilio, damnamus ac reprobamus omnes, qui negare audent Spiritum sanctum ex Patre et Filio æterne procedere, sive aut temeraria audacia affirmant Spiritum ex Patre et Filio, veluti ex duobus principiis, non ex uno procedere.*

Ista ab omnibus eo convenientibus firma et rata habita, litterisque Græcis et Latinis scripta, et apud eos durant, et Constantinopolim tunc cum legatis missa sunt. Quod si nunc ista scripta non ubique cernuntur, alia ratio est. Quomodo enim servata sunt scripta, quorum opus post modicum eversum est? Tantam tamen ac tam celebrem synodum illam propter hæc fuisse conflatam, apud plurimos adhuc in memoria est.

Ex his autem evidentius fit etiam quod beatus Maximus dixit: *Romanos confitentes ex Patre et Filio procedere Spiritum sanctum*, non Filium fateri sancti Spiritus causam. Neque enim Filium causa detrudentes hoc dixerunt; sed ne duas causas ostenderent, Patrem et Filium, sed ex una causa atque principio, ex Patre et Filio procedere Spiritum sanctum. Isti igitur, ut ait Maximus, *non rationabiliter nunc insimulati sunt*, et nunc irrationabiliter calumniis aguntur.

Qui vero duorum principiorum crimen exaggerant, addunt etiam dicentes: *Quia genitor non idem, quod unus productor est. Nam si esset idem, etiam converteretur. Genitor enim et productor est, non autem et productor genitor. Productor enim*

Digitized by Google

est et Filius, juxta eos qui etiam ex Filio dicunt Spiritum sanctum, qui genitor utique non est; quoniam vero non convertitur, differens est. Itaque et duo erunt productores; quod si detur, et duo etiam principia.

Digni sane sunt, qui ista dicunt, ut et ipsi contra interrogentur : an idem Pater est qui mittit, et unus mittens? Quippe Pater et mittens est, mittens vero non continuo est Pater. Est enim et Filius mittens, qui non est Pater; neque enim hoc convertitur, neque ipsi duo principia effugient; qui enim mittit ejus, quod mittitur, causa quomodolibet est; si autem ex Patre, et mittente, non duo colliguntur initia, neque enim Pater mittens, et Filius diceretur mittere Spiritum sanctum; ne in genitore quidem et productore istud erit. Sed id dicendum quod et antea diximus, quæ in Deo dicuntur ubi non obstat relationis oppositio, nihil prohibere personis, seu personæ adesse : puta, Deus quidem et bonus et creator; quia neque paternitati neque nativitati objecta sunt. Pater et Filius, unus Deus et creator et bonus est; Filius vero, quoniam ad Patrem opponitur, non erit idem genitor ac Filius, neque idem Filius et genitor. Producibile vero, ut dictum est, neque paternitati objicitur, neque nativitati. Commune igitur utrisque est, atque ideo, unus productor est, neque enim producere quod dicitur Patris et Filii discretionem secundum rem facit; quippe hanc generatio fecit, atque nativitas sibi secundum se objectæ. Quemadmodum igitur idem Deus ac Pater, et idem Deus ac Filius, ita et idem genitor ac productor, et unus itidem Filius atque productor. Et sicuti Deus, qui est Pater, et Filius cum Patre solo non facit discretionem rei, ita neque productor, qui est Pater et Filius, cum Patre solo duas discretas indicat res. Patrem enim et productorem dicentes, secundum id quidem, quod dicimus Pater, Patris ad Filium discretionem intelligimus : secundum id autem quod productor, et Filium una cum Patre, tanquam unam rem simul intelligimus. Idem et de Patre et de mittente.

Quoniam igitur quæ Patri ac Filio communia sunt, ita ad Patrem solum, sicuti ad ambos se habent quemadmodum Pater, et productor, non duo facit principia, cum in solo Patre intelligatur : ita neque cum in duobus; quod si genitor, et productor non convertitur, non idcirco duo sunt. Nam et Pater et Deus non convertitur, neque Pater et mittens, sed tamen neque duo mittentes sunt neque duo dii, neque duo exsistentia; unum enim Trinitas tota est, neque duæ personæ : Deus enim personam non designat, sicuti neque productor, neque mittens. Verum quia Deus nomen tribus adest, eo quod non apponatur substantialibus eorum proprietatibus, productor autem duobus, universalius a nobis *Deus*, quam productor intelligitur : non quod in Deo sit universalius, sive particularius (neque enim Deus genus est, neque in genere continetur, A seu specie), sed secundum significationem nominum, et sicuti nobis possibile est per hæc divina intelligere, nostri habitus consuetudine.

Quemadmodum igitur Pater et Deus, res una duabus intellecta rationibus, alia quidem universalius, alia vero particularius : ita et productor et Pater, una quidem res ambo sunt, et Filius et productor similiter. A nobis autem duabus rationibus agnoscitur : altera particularius, altera universalius, ut dictum est. Neque enim prævalet humana paupertas vel aliter de divinis loqui, vel uno nomine totum insinuare, quidquid per multa nomina intelligentiasque comprehendimus.

Quocirca duabus quidem intelligentiis et rationibus Pater et productor intelligitur, ut dictum est; B non tamen hoc facit rerum differentiam : hac enim ratione unum Deum infinita nomina secundum differentes rationes ipsum re, ut possibile est, significantia, in infinitas res personasque discernerent. Cæterum solam rationum differentiam inducunt ea quæ apud nos quidem sunt differentia, in Deo autem una ipsius eademque substantia : admirabile nomen, et res his omnibus respondens per summam perfectionem, et simplicitatem, et unionem. Totum enim in se ipso comprehensum esse habet, quasi quoddam pelagus essentiæ immensum, juxta theologum Gregorium. In solis autem substantialibus relativarum rerum differentia est. Verum enimvero arbitrantur quoque et Patrem et Filium *in unam conglutinari personam, si Patri Filius communicet,* C *in productione, sive in spiratione sancti Spiritus, quod neque naturale, neque commune tribus est, reliquum esse aiunt, ut personale sit : atque adjungunt quoniam naturalium communio naturæ identitatem in personis indicat; ut personis igitur communio, personalis identitatis significativa erit, ut hinc necessario contingat Patrem ac Filium, et duos esse secundum personalem eorum oppositionem, et unum rursus propter identitatem, et communionem productionis.* Atqui si producere substantiale [hypostaticum] esset, haberent ista rationem; quoniam vero substantiale id non esse, supra plurimis rationibus ostensum est, inanis est ratio, quodque docere debuerat, supponit. Nam, ut quæ dicta sunt rursus D perspicua fiant, tria tantum trium esse substantialia [hypostatica] ostendimus : Patris quidem generationem, Filii vero nativitatem, sancti autem Spiritus processionem, quæ etiam personas denotantia, proprie substantialia sunt : producere autem, sicut et mittere, propria simpliciter ad Filium contrariam habentia divisionem, quemadmodum et causa propria simpliciter, et significativa Filii et Spiritus : quæ autem ita sunt propria, ut personas sequantur, quæque non sunt substantialia, neque personam denotant, neque duas personas unam esse faciunt. Neque enim Filius et Spiritus sanctus, una persona est propter causalis communionem; neque Pater et Filius una persona sunt, propter Spiritus sancti missionem, quia missio personale non est.

Digitized by Google

Similiter ergo producendi ratione Pater, et Filius, non una persona sunt; producere enim substantiale non est.

Nihil itaque necesse est unam personam esse; alioquin etiam mittendi ratione una persona erunt. Commune est igitur Patri et Filio producere; unusque productor, aut spirans ad productum, et inspiratum, sive Spiritum, relationem habet : nascendi scilicet gignendique discretione servata, Non enim ex Patre ac Filio est, in quantum duo discreta sunt, secundum relationes suas, sed in quantum unum sunt.

Porro si quis secundum quod unum sunt, unum illud Spiritui reddens, qui ejusdem essentiæ, vult etiam Spiritum ex se ipso esse; sed quemadmodum secundum essentiam Filius cum Patre unus est et Pater quidem gignit Filium, Filius autem non se ipsum gignit, non tamen idcirco alterius essentiæ quam Pater est : ita et Spiritus sanctus ejusdem essentiæ cum Patre et Filio exsistens, ex se ipso tamen non est. Communis enim natura in unaquaque personarum est, secundum proprietatem suam. In Patre quidem ut a nemine habente, alii vero ipsam gignendo dante; in Filio autem nascendo ex Patre accipiente; in sancto autem Spiritu ipsam procedendo capiente, hoc est, ex Patre per Filium.

Si quis ergo illum etiam producere vult, aut Pater erit; et quomodo a Patre? aut productor, et quomodo Spiritus? Processu quippe sublato, secundum quem substantiam habet, ordo et relatio secundum causam, et causale, ipsumque personam esse, una tolletur. Non igitur producere habebit quasi oppositum substantiali proprietatis suæ.

Putant præterea inde aliam absurditatem sequi et dicunt : *Si Spiritus sanctus etiam ex Filio procedit, major quidem Spiritu Filius erit, secundum causam, eritque tertius a Patre. Ac Filius quidem similior Patri, utpote ex ipso sine medio exsistens, Spiritus vero Patri dissimilior, neque ita idem sicut et Filius. Erit etiam Filio minor, quippe qui per illum majorem connectitur Patri. Et Filius quidem minorem distantiam habebit ad Patrem; Spiritus autem, majorem, maxime cum nullius causa sit.*

Atqui ista quoque doctoribus imputanda potius sunt, si quidem absurda videantur. Ipsi quippe sunt, qui Spiritum a Patre tertium docent, sumpta scilicet ab ipso Domino occasione, in salutaris traditione baptismatis, ac per Filium procedere dicunt, perque ipsum Patri conjungi. *Majorem* quoque Filium Spiritu sancto magnus ait Athanasius. Quod si ista a sanctis dicta sunt, omnino nulla eos qui ista dicunt, absurditas sequitur. Prætereaque Spiritus sanctus si a Patre quidem alio processu, a Filio autem alio procederet, esseque processus ex ambobus duplex, fortassis haberet rationem culpare differentiam processuum, quod etiam differenter a Patre et Filio distaret Spiritus, ac propterea gradus in personis quosdam cogitare; sin vero unus idemque sibi ab utroque processus est, similiter etiam, ad utrumque referetur. Itaque aut similiter utrique æqualis erit, nihilque distans atque dissimilis.

Sed enim quemadmodum Pater non magis perfectus est quam Filius, quod ille causa est, iste causalis sit, neque ideo ab illo distat, etsi secundus ab eo causæ ratione dicitur (divinitas enim in utroque una) : ita et Spiritus sanctus etsi juxta unicum ejus simplicemque processum ex Patre per Filium est, et ad Patrem et Filium veluti ad unum productorem inspirantemque refertur, quorum et Spiritus est, et spiraculum dicitur; non tamen minor Filio, neque Patre minor erit, licet per Filium Patri conjungatur, alioquin et Filius erit dissimilis Patri eo quod causalis sit; et si non ita sicut Spiritus, juxta tamen proportionis rationem.

Et sicuti Pater causæ ratione Filio major a plerisque Patribus asseritur, neque idcirco tamen Patre minor est Filius : ita et Filius, etsi major Spiritu dicitur, non tamen propterea Spiritus ipso erit minor. Quocirca magnus quoque Basilius dicebat : *Etsi Filio succedit ordine et dignitate, non tamen alienæ naturæ est.* Ista enim propter causæ, et causalis ad invicem ordinem et relationem dicuntur. Ordo autem et ad aliquid quomodolibet habere, naturarum non facit differentiam.

Nam, verbi gratia, eo quod amicus sit, vel vicinus, vel magister, nihil in se ipsum alicui accedit, ut propter habitum perfectior in se ipso secundum essentiam sit. Neque si quispiam filium ac nepotem habeat, tertius maxime erit, vel similior, vel dissimilior avo secundum essentiam, quam filius : quod si in rebus humanis ita contingit, multo magis in divinis personis, ubi una asseritur natura, ac præter solam ,quæ secundum causam et causale est, differentiam, nulla alia discretio est.

Ad hæc, aliud quoque subjungunt, et dicunt : *Si perfectus est Spiritus sancti a Patre processus, superfluus sit necesse* est processus ex Filio. Et hic igitur, si quidem diceretur, duos esse Spiritus sancti processus, locum haberet fortassis hæc ratio. Cæterum si duos esse et illi negant, qui etiam ex Filio procedere affirmant, unumque numero fatentur, ridiculum est conclusionem inferre his qui propositionem negant. Sancti enim Spiritus ex Patre Filioque processus unus atque idem est, et ab utroque perfecte procedit, juxta eos qui illum dixerunt ex Patre per Filium procedere. Et quoniam procedentis est ratio ex Patre esse per genitum : neque Pater solus producet Spiritum sanctum (neque enim procedens esset, si esset sine medio ex primo), neque Filius solus, non enim diceretur per Filium ex Patre procedere, sed est ex Patre per Filium et ex Filio, quasi ex una re, ut sæpe jam dictum est : ideo, magnus quoque Athanasius dixit: *Idcirco ex Patre procedere dicitur, quoniam a Filio est*; aliter enim procedens non esset, sed aut neque persona esset, si dicere fas sit, aut Filius : quamvis hæc absurditas et eos nihilominus seque-

Digitized by Google

tur : nam si perfecte a Patre mittitur Spiritus sanctus, superfluum erit, et a Filio mitti ; sin autem imperfecte, non ergo perfectus est Pater. Et si perfecte omnia a Patre creata sunt, quid necesse fuit dicere : *Omnia per ipsum facta sunt ?* sin autem imperfecte, contra Patrem blasphema nihilominus ora laxabunt. Sed, absurda eos necessario sequuntur, qui duos processus ponunt.

Porro, qui unam tantum rerum omnium productionem confitentur ex Patre per Filium in Spiritu sancto, unamque missionem, et largitionem, et dationem sancti Spiritus ex Patre, et Filio (una quippe datione, et largitione mitti a theologis asseritur); unum quoque inspirantem confitentur, differentia ad invicem servata : eos nihil durum aut asperum sequitur. Idem et in processu sancti Spiritus dicendum ; sicut enim, quod dicitur, omnia facta esse per Filium, voluntatis unitatem commendat : ita et per Filium procedere Spiritum sanctum, unitatem substantialis processus ejus, productionis processionisve demonstrat.

Putant præterea necesse esse, *compositum Spiritum sanctum confiteri, his qui illum et ex Filio procedere fatentur : istudque, quia ab utrisque accipere necesse est ; si autem duo sunt, a quibus accipit, omnino ex duobus compositus erit.*

Sed hoc quoque primum quidem sanctis Patribus objiciendum fuit. Hi enim sunt, qui id quod dicitur : *De meo accipiet*, pro eo, quod est, *ex Filio*, exposuerunt : quique a Patre, et Filio accipere, atque audire dixerunt, ut supra docuimus.

Deinde, neque ipse Spiritus sanctus aliud exsistens, aliud a Patre, et Filio accipit; sive aliud quidem a Patre, aliud autem a Filio; sive igitur per se quis compositionem vult, nihil aliud quam essentiam et esse et quod est, accipit ; esse vero, et essentia sancti Spiritus, et quod est, unum quiddam et simplex est : sive propter eos qui dant, aut producunt, unum est Pater et Filius. Non enim in quantum duo sunt, sed in quantum unum ex Patre et Filio est Spiritus sanctus ; sed quemadmodum Filius totus ex toto, ita et Spiritus totus ex toto asseritur. Neque aliud quidem totum Pater, aliud autem totum Filius, sed unum totum est juxta fidei positionem, gignendi ac nascendi discretione servata. Nullo ergo modo compositionem cogitare licet, quanquam etiamsi plus quam tres personæ esset Deus, nulla necessitas compositionis esset, et quod extremum processionis ordine a singulis acciperet. Non enim dantium multitudine, sed ex eorum qui dant, eorumque, quæ insunt, differentia, compositio judicatur ; si autem quæ dantur, differentia sunt, et quæ insunt, differre necesse est : atque ita compositum erit, quod ex hujusmodi constabit, quod in sancto Spiritu nusquam habet locum.

Et id quoque, quasi inevitabile percontari pergunt : *Utrum ex essentia an ex substantia est Spiritus sanctus ?* Si enim ex essentia, quia ejusdem essentiæ est cum Patre et Filio Spiritus sanctus, ipsum quoque producere cogunt, vel se ipsum, vel alterum Spiritum, aut Filium; si autem ex substantia [hypostasi] quoniam duæ substantiæ sunt, Patris, et Filii, si quidem ex Patris substantia est, constat quoniam ex Patre solo : quomodo igitur ex Filio ? si autem ex Filii substantia, aut substantialium confusio erit, aut duo principia, sicut et substantiæ [hypostases] duæ : sed enim qui ista dicunt, arbitrari videntur aliud quidem secundum se esse substantiam, aliud vero essentiam : istaque secundum rem a se invicem differre. Hoc autem et falsum simul et blasphemum esse ex superioribus ostensum est, adjectumque secundum quam rationem, aliud essentiam, aliud substantiam, aut non idem in Deo esse theologi affirmant ; sed dicendum est, sanctorum vestigia theologiamque sequendo, ex Patris et Filii essentia esse Spiritum sanctum, ut ex superioribus constitit. Porro Patris essentia Patris persona est, sicuti Filii essentia, Filii itidem persona est, per Patris nomen ac Filii substantiis [hypostasibus] insinuatis; Pater enim et Filius substantiarum sunt nomina ; per nomen autem essentiæ, essentia ipsa apparente. Neque enim essentia est sine substantia, neque substantia sine essentia ; nam et substantia dicitur commune cum proprio ; non tamen, quia unius est essentiæ cum Patre et Filio Spiritus sanctus, ideo necesse est ipsum, vel se ipsum, vel Filium, vel alium Spiritum producere. Dictum quippe est, quoniam natura operatur juxta proprietatem personæ in qua est.

Itaque Patrem quidem ac Filium, sive Mentem ac Verbum, quæ relative dicuntur secundum proprietatem suam, et Spiritum habere sequitur; proprium enim quod Mentem sequitur, est ex se ipsa proferre Verbum sine medio, secundum intelligentiæ processum. Aliter enim mens sine Verbo esset, Verbumque sine mente porro intelligibili ac rationali, cujusmodi primum ac summum Deus est, etiam Spiritum habere sequitur, quem voluntatem, seu charitatem, seu quomodolibet eam quis vocare velit, a theologis dictum, supra monstratum est : quoniam Spiritus sanctus ex Mente per Verbum, secundum charitatis processum prodit, quem enim Mens per Verbum intelligit, hunc et diligit, et vult; atque aliter ut sit, possibile non est. Ita igitur voluntas, sive amor, et dilectio ex Mente per Verbum prodit ; præcogitate quidem processu ex Mente per Verbum, quemadmodum causam ante causale præcogitari dicimus, etsi simul asseritur : quoniam aliud quidem continenter ex primo, aliud vero per id quod est continenter ex primo.

Quanquam, etsi primam causam Patrem vocamus, et consequenter Verbum, Filium, Filium quidem sine medio ex Patre nasci dicimus, Spiritum vero sanctum ex Patre per Filium procedere. Itaque Patri et Filio, quomodolibet quis divinas personas vocare velit, secundum personarum substantiales proprietates, etiam Spiritum habere, sequitur. Ideo et Spiritus Patris ac Filii Spiritus dicitur, et Spi-

Digitized by Google

raculum Patris et Filii, quia et hujus processus A spiraculo assimilatur, secundum Athanasium, atque ad Patrem et Filium relative dicitur, ut demonstratum est; veluti procedens et inspiratum ad producentem atque inspirantem : indicatque et quod ex Patre genitum est, ut etiam ad Patrem atque Filium relatio, quasi in unum producentem, inspirantemque reducatur, quam ob causam, etiam ad invicem simul cogitantur, secundum relationis habitum : nam qui Spiritum dicit, eum simul cujus est Spiritus cogitatione comprehendit. Ita ergo necessario consequens est, secundum substantiales eorum proprietates, Patrem ac Filium habere, ac mittere, et emanare Spiritum sanctum, attestanturque his Ecclesiæ magistri. Gregorius quidem Theologus dicens : *Non enim decebat vel Filium Patri* B *vel Spiritum Filio unquam deesse.*

Sanctus Anastasius Antiochenus in ipso suo dogmatico libro : *Spiritus sanctus*, ait, *cum Patre, et Filio simul apparet, veluti cum mente, et verbo.* Damascenus quoque ait : *Oportet autem Verbum etiam Spiritum habere.*

Magnum item Basilium ostendimus in quodam adversus Eunomium capitulo dicentem : *Nisi Spiritum ex Deo dicit quispiam, ne Verbum quidem.*

Quoniam igitur proprium est sequens necessario Verbum et Spiritum habere : omnia autem quæ Pater habet, habet et Filius; nisi vero Pater habeat, nec Filius habet; sin autem non habet neque Verbum erit, neque ex Patre; oportet enim Verbum C etiam habere Spiritum, ut rectissime magister (38) dixit. Si enim Spiritum ex Deo, et Patre dicit quispiam, ne Verbum quidem; quoniam vero Pater habet et Filius habet. Sanctus enim Spiritus cum Patre, et Filio simul apparet, veluti cum mente et verbo, ac secundum eumdem modum, sic enim sancti aiunt. Deinde concludens infert : *Quomodo igitur separari possunt inseparabilia, Verbum scilicet ex Deo, et Spiritus ex Deo per Filium?*

Magnus item Athanasius ait : *Quoniam Spiritus non est extra Verbum.* Et rursum : *Esset etiam impossibile in Trinitatis gloria Spiritum glorificari, nisi processus ratione esset ex Deo per Filium.* De naturali ejus substantialique processu verbum hic faciebat sanctus, secundum quem est atque subsistit Spiritus sanctus. *Non est enim extra Verbum;* D tanquam si diceret : Non subsistit sine Verbo; per ipsum enim procedit ex Patre. Hæc itaque sic se habent, et quæ alia de hoc prædicta sunt : sancto autem Spiritui, secundum suam substantialem proprietatem, sequitur ex Mente per Verbum esse. Hic enim est procedentis, vel Spiritus terminus, secundum quem etiam ut subsistens sit, secundum se persona habet. Una denique et eadem essentia, Patris, et Filii, et Spiritus sancti : in Patre quidem, paterne est, hoc est, sine causa, adjecta proprietate gignendi, secundum paternitatis terminum; in Filio autem, filialiter, hoc est causaliter, nascendi proprietate adjecta, juxta nativitatis terminum; in sancto autem Spiritu processive, hoc est causaliter, servata sibi proprietate processus.

Quemadmodum igitur Pater non esset Pater, si etiam Filio Filius esset, ita enim esset et Filius Pater, personarumque confusio sequeretur; et certe, cum una sit Patri, ac Filio essentia : et quemadmodum Filius non esset Filius nisi esset ex Patre sine medio, id est, nascendo; ita et Spiritus sanctus non esset Spiritus nisi esset ex Patre per Verbum. Nam si ex Patre esset sine Verbi medio, nascendo esset, et consequenter, Filius. Et sicut Filius ex communione naturæ ad Patrem, neque Patrem nec seipsum gignit, id quippe esset præter Filii terminum, per quem persona est, ita et Spiritus sanctus per naturæ ad Patrem et Filium identitatem, et communionem, productionem non habebit; quippe alias desinet esse procedens Spiritus: et sive gignendo Pater erit, et quomodo a Patre? sive productor, et quomodo Spiritus? prorsusque, si quidem causa sit Filii, consequenter erit ex Patre Filius per Spiritum, tertiusque erit a Patre, secundum personalem ordinem; quod profecto est præter Filii ac Spiritus terminum.

At neque sui ipsius causa esse potest. Nil enim ipsum sui ipsius causa est. Contradictionem enim ita continebit, secundum idem. Neque alterius Spiritus causa esse potest. Hac enim ratione, non esset Trinitas Deus : simulque, nec nobis fides tradidit Spiritum, vel sui ipsius, vel Spiritum Spiritus. Nempe enim si Trinitatem excesserimus, nihil prohibebit, et quintam, et sextam personam in divinis quærere.

Hæc igitur velle, hominum est, quæ de sancta Trinitate sunt tradita, auferre nitentium, ipsamque e regione blasphemantium. Neque enim multitudo personarum est, sed usque ad Trinitatem progressus est numerus.

Quocirca est quidem Spiritus sanctus ex Patris ac Filii essentia, sive ex substantia Patris ac Filii, secundum traditam rationem, non in quantum duæ substantiæ sunt, sed ea ratione, qua unum sunt Pater et Filius, producendo scilicet, quod utrique commune est, ut sæpe jam diximus; atque hinc, neque conglutinatio erit Patris et Filii; nec enim substantiale est, producere; neque una substantia est Pater et Filius; neque duo principia, quippe unus producens est. Qui enim producitur, ex Patre per Filium producitur, et procedit uno processu. Neque Filii causa est; hoc enim præter terminum proprii processus est. Ipse quippe per Filium est. Neque sui ipsius, nihil enim ipsum sui ipsius causa est. Neque personæ alterius; Trinitas enim personarum Deus est. Atqui nec Filio est minor. Nam et Filius causalis exsistens, ac secundus a Patre secundum personalem ordinem; non ideo tamen Pa-

(38) Basilius.

Digitized by Google

tre minor est, ne Pater quidem profectior idcirco est, quoniam ex nullo est. Ista enim secundum substantiales relationes sunt, quæ naturarum non inducunt differentiam.

His igitur ita enucleatis, ac Patre quidem ex nullo exsistente, Filio autem ex uno et solo Patre, sancto autem Spiritu ex primo per medium, tertius per medium primo conjungitur. Filii quippe mediatio et sibi ipsi unigeniti honorem servat, et Spiritum naturali ad Patrem habitu minime excludit, ut ait Gregorius Nyssenus; sicque juxta magni Basilii sententiam, et substantiæ [hypostases] concedantur, et pium unici principatus dogma non decidit. Atque ita sermo nobis ad principium rediit; quippe cum sanctæ Trinitatis ordine inchoaverimus, ad ipsum rursum ordinem pervenimus.

Si igitur his ita concessis, nihil quidem ex ratis, atque communi fidei confessione comprehensis tollitur, fideique principiis ac sanctorum sententiis omnia consonant; eorumque qui ex Patre, et Filio Spiritum sanctum confitentur, veritas utrinque se aperit, ex propriis scilicet ac secundum se productis rationibus: nobis quidem id quod initio instituemus, finem accipiet. Constat vero, eos qui ex Patre solo confitentur Spiritum sanctum, veritate frustrari; ipsum enim Trinitatis ordinem tollunt, per quem alius quidem est, ex primo atque hinc miscent, et confundunt discretum, et supersubstantiale nomen, et rem Patris, Filii, et Spiritus sancti, Spiritumque sanctum ex Patre esse sine medio dicentes, ipsum etiam proprie, ac substantialiter esse Spiritum auferunt; sublato quippe substantiali ejus processu, juxta procedentis rationem, vel non procedens erit Spiritus, vel juxta nativitatis processum, Filius erit, secundum quem Filius ex Patre sine medio nascitur.

Porro Verbum Dei unigenitum, signaculumque uniforme Patris, atque immobilem incommutabilemque figuram, et eum qui ex Patre totus ex toto perfecte resplendet, incommutabilemque imaginem, et Patris definitionem, ac Verbum, maxime paternorum bonorum fraudantes, identitate, quæ illi ad Patrem est, perpetuaque constantia excludunt; quod Arianæ impietatis est. Et quoniam qui non honorat Filium, nec Patrem honorat, ut ipse Dominus ait: *Qui videt me, videt et Patrem: quoniam omnia, quæ habet Pater, mea sunt*[8]; neque Patrem natura, et verum Patrem, ac perfectum cogentur confiteri, nisi Patri similis Filius sit, atque in se ipso Patrem, unde processit, perfecte indicet: præter solum esse Patrem, juxta sanctorum sententiam. Nam qui Spiritum sanctum in Filio non conspicit, neque in Patre conspiciet. Qui enim videt Filium, et Patrem videt. Imo, juxta magnum Athanasium, quoniam a Patre procedere dicitur, ideo quoniam a Filio est. qui eum esse negat ex Filio, neque a Patre esse confitebitur. Id si ita erit, omnino non procedens erit, sed Filius, ut dictum est: duoque filii in Trinitate erunt, nihil differentes a se invicem, atque ita habitus ad invicem, ac discretio tolletur; sola enim causæ causalisque ratione, divinas discerni personas a sanctis accepimus, et Verbo a causa subdiviso, sanctam Trinitatem ad se ipsam in nullo nisi concorditer habere. Ita igitur beatissimæ Trinitatis seriem atque insolubile ordinis vinculum auferunt, singulasque divinarum personarum, et dignitate congrua, et propria substantia per ea quæ dicunt, deponunt: sive penitus dejiciunt. Oblique autem hujusmodi blasphemia Filium respicit, quæ et alia plurima absurda secum trahit. Uno enim, inquit, concesso, plurima inepta sequuntur. Et si enim ore non ista confitentur, neque se ita sentire asseverant, etiam si nolint, in eo pertrahuntur. Et si Filium consubstantialem confitentur, illa tamen dicunt ex quibus hoc tollitur. Neque enim sufficit absurda negare, vel ista ore non dicere, seque ita sentire, denegare, nisi et illa dicere caveant, quibus positis, necessario absurda sequantur. Nam, verbi gratia, Sabellius quidem se Judaizare denegabat, sed divinarum personarum Trinitatem non admittens, in id, vel invitus impellebatur. Et Judæi quidem honorare se Deum arbitrantur, illius se legem, ut illis lata est, sequi asserentes, sed ita Scripturas exponunt, ut eis lex neque vel modice prosit. Neque enim salvare potest, et Deum per ea quæ dicunt, inhonorant. Qui enim non honorat Filium, neque Patrem honorat; et: *Qui non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*, ut ait ipse Dominus [9].

Constat ex his una, non parvam aliquam esse differentiam eorum qui ex Patre et Filio, quique ex Patre solo Spiritum sanctum procedere sentiunt. In ipsa namque fidei initia, sanctorumque doctrinam intuentibus, nihil erit differens. Communiter enim hos Deo conjungente, de hoc omnes consentiunt. Illi quidem et eisdem utentes dictionibus; hi autem per alias æquivalentes ad eumdem veritatis finem contendentes. Veluti, si quis patriam, solum patrium, seu rectam lineam, æquam, vel parilem, vel novem, ter tria dicat; nullaque apud Scripturam sanctam, sanctosque Patres invenitur contentio, si quis ad solam rei intueatur veritatem: adeo ut quæ a sanctis omnibus, atque ab utrisque partibus, pie fideliterque dicta sunt, sibi invicem esse consona, sacrisque litteris congrua fateri necessario cogamur.

Verum, pro mentium expositione, seu præsumptione, seu voluntate, seu alia quavis intentione in totum, et omnino, quod dicitur, differt, prorsusque manifestam contradictionis pugnam habet. Liquet autem id quod illi quidem tertium a Patre Spiritum confitentur juxta personalem ordinem; et qui aliter sentiunt, eos divino reluctari ordini existimant: non eam observantes, quam accepe-

[8] Joan. XIV, 9; XVI, 15. [9] Joan. III, 36.

Digitized by Google

rant normam glorificationis, verum vocis captantes novitatem.

Isti, secundum a Patre esse aiunt. Atque illi quidem Filium ex Patre sine medio nasci confitentur, atque Filio præponunt Spiritum. Eos vitandos arbitrantur, ut aperte pietati reluctantes, quam scilicet nobis Dominus tradidit in salutaris baptismatis traditione. Isti vero, nihil prohibere dicunt et Filium dicere ex productore per productum nasci; atque illi quidem Filii mediationem cum Ecclesiæ magistris confitentur; isti, hanc manifeste negant. Et illi quidem ex Patre per Filium procedere et per eum, qui est, continenter ex primo esse credunt Spiritum sanctum. Hi autem, ex solo Patre, hoc est, sine medio ipsum procedere affirmant. Atque illi quidem unum, et intemporalem, et æternum Spiritus processum, secundum quem ex Patre per Filium procedit, et his qui secundum tempus possunt, agnoscitur, fatentur; non enim prodit in tempore quod procedit ex Deo, etiamsi in tempore videatur operari. Hi autem, quod per Filium dicitur procedere, temporalem quemdam processum designare dicunt : ac procedere Verbum, quod omnes Spiritus sancti substantiæ significativum acceperunt, ut intelligi datur, ipsi diffitentur, dum processum illum temporalem dicere coguntur : quin hinc quoque Filio et Spiritui temporalia quædam accedere : illi quidem, *dare;* huic autem, *dari* ab illo atque *mitti*, dicere cogentur.

Atque illi quidem Patris omnia propria, atque principua Filium habere asserunt, præter solum Patrem esse; esse autem Filium sine paternitate sola, atque in eo solo differre; alia autem omnia, illi communiter, et absque ulla varietate adesse. Hi autem ista manifeste negant. Et illi quidem genitoris Spiritum etiam Filium habere confitentur, propriæ naturæ bonum, quemadmodum et Pater. Hi autem habere quidem illum, sed non eodem modo, contendunt. Atque illi quidem Spiritum ex Filii essentia, pro eo quod est, ex substantia [hypostasi], affirmant esse : sicut et quod ex Patris essentia substantiam ponentes, et substantiam quidem sine essentia, essentiam vero sine substantia dicere coguntur. Illi quod dicitur ex Filii essentia, causam signare dicunt, si et quod dicitur ex Patris essentia, similiterque ex Filio sicuti etiam ex Patre, Spiritum procedere. Isti, et valde reluctantur. Illi, sola causæ causalisque ratione, divinas discerni ab invicem personas. Hi, non sola dicunt. Illi generationem solam, Patris substantiale ponunt. Hi quatuor illius substantialia esse volunt, ex quibus sit, *ingenitum esse, et sine principio.* Illi producere substantiale nulla ratione esse dicunt; contra hi, substantiale asserentes; bellum enim pertinacissime suscipiunt. Illi, non ex solo Patre procedere fatentur; isti ex solo et sentiunt, et scribunt.

Omitto enim quæ in præmissis evidentissime se ingerit, variam utriusque partis pugnam, atque differentiam, et quæ ex his sequuntur; quæ omnia apertissimæ contradictionis sunt. Et ipsi autem aperte indicant, non parvam esse differentiam, dum abstinent ab invicem, seque invicem impietatis insimulant : suosque singuli aliorum communionem fugere, et vitare admonent, ut perniciem, et pestem. Ultra autem pars communibus rationibus fidei, Patrumque theologiæ concinat, ex superioribus claruit eorumque conscientiæ relinquitur, qui ista lecturi sunt, sub Deo teste, et cuncta inspectante : modo quispiam omni anticipatione, et irrationabili odio ex animo depulso, neque una aliqua particula et ea negligenter perlecta, sed omnibus prudenter et caute decursis, medius ambarum partium judex sedeat, atque ita de omnibus sententiam ferat. Aperta enim fidei ratio sanctorumque doctrina exposita est. Atque ita ut quo fierent apertiora, eadem bis terque, ac sæpius, repetita sunt : nihilque curiosum, vel ambitionem ac jactantiam redolens in hujusmodi apparet expositione : neque aliquid syllogismorum adjunctum est : nisi aliquid aperte, et quod ab omnibus concessum esset, sequeretur. Verum ex ipsis Salvatoris verbis, eorumque expositionibus, ut a sanctis Patribus digestæ sunt, constant omnia prædicta : ne quis nos in persuasione humanæ sapientiæ crucem Christi evacuare dicat, inanemque prædicationem facere, si has argutias persequar, quæ adolescentulis quoque notæ sunt, inde gloriam inanesque rumusculos aucupans.

Quis enim ignorat Deum neque genus esse neque speciem, neque in his ipsis contineri, sed initium ipse cum sit omnium, atque omnibus prorsus excellentissime eminens, documentis omnibus superiorem esse? Etsi enim Deum esse novimus, quid tamen sit ignoramus; non tamen, quoniam quid sit ignoramus ideo profundissima ignorantiæ nocte caligantes, nihil omnino de Deo nostro scimus : neque ergo totum, ut est scire neque penitus nescire nos, ingenue fatemur; si enim nihil omnino scimus, inanis erit fides nostra; et si divinos illos arcanosque processus confitemur, quomodo tamen id sit, neque dicere, neque intelligere possumus, ut ipse se ipsum Deus novit.

Cæterum nativitatem quidem alterum, alterum vero processionem; et illum quidem genitum, hunc autem procedentem; et illum Filium, hunc Spiritum, illumque sine medio ex primo, hunc autem per eum ipsum qui est continenter ex primo esse, cum a fide ipsa et a sanctis Patribus ita acceperimus, credimus. Quibus subjectis, Trinitatem confitemur, neque propter personas unitatem dividentes, neque personas propter unitatem confundentes.

Non enim cum de hisce doctores disserunt, Christi crucem evacuant, fidemque in persuasione humanæ sapientiæ annuntiant : quanquam, qui ita loquitur, si omnino syllogismos et ratiocinationem tollit, primum quidem quod humanæ naturæ proprium est, hominumque ad invicem consuetam locutionem et communionem unam aufert : culpabit-

Digitized by Google

que beatum Paulum eos increpantem, qui per ea quæ videntur de Deo colligere ratiocinando nequiverunt, et de creaturis Creatorem noscere [10]. Culpabit et theologos sive de substantialibus, sive de divinis processibus disserentes; Salvatoris nihilominus sententiam tollet, Scripturas jubentem perscrutari.

Neque enim obscurum est, eum, qui Scripturas perscrutatur, colligendo, et ratiocinando lecturum: quin ipsum quoque Dominum, qui diligenter inspiciat ratiocinari animadvertet, puta cum infert, dicens: *Si autem ego in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei* [11]; et: *Si Satanas Satanam ejicit, ergo divisus est; omne autem regnum in se ipso divisum, desolatur* [12]; et rursum: *Itaque non est mortuorum Deus, sed vivorum* [13]. Et: *Si filii Abraham essetis, opera Abraham faceretis: nunc autem quæritis me interficere; hoc Abraham non fecit* [14]; et: *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester cælestis*, cum sit bonus, *bona dabit petentibus eum* [15]? et quæ talia.

Deinde, et se ipsum destruet. Nam quæ contra ratiocinationem dixit, hæc ratiocinando ait: nisi quis eum non ratiocinari, sed a ratione deviare potius ista dicentem pronuntiet: quod si hujusmodi ratiocinationem in Deo tantum prohibet, cunctam sanctorum destruet theologiam: et eam in primis quam contra hæreticorum errores dimicantes diligentius, subtiliusque conscripserunt, solisque sensibus divinarum rerum examen, ut intelligi datur, permittit; aliterque non ex Patre solo procedere putare Spiritum sanctum documentum admittit, quod ut ita esse probent, omni studio, et ingenio nituntur: eum vero etiam ex Filio asserere, non æque probationem admitti; si enim illud de Scripturis, ut putat, nihil peragens, ostendere nititur, multo magis, qui illum etiam ex Filio dicit, ex Scripturis ac doctoribus, omnibusque secum una pugnantibus, copiosius id et manifestius docebit. Non igitur malum omnino est, probare, sed non ad propositum propriis uti principiis, ac putare fidem naturalibus initiis probari, id malum et perniciosum est.

Itaque is quidem qui utitur communibus fidei principiis, circa id quod quotidie quæritur, cum de Deo proponitur, concessisque sanctorum sententiis, quibus subjectis, nullo ex his quæ rata sunt, sublato, concinne concludit; sicut antiquis Patribus de consubstantiali disserentibus plurimisque aliis de fide quæstionibus contingit: nihilominus et illam conclusionem Scripturæ esse sententiam, ex illis scilicet principiis pendentem, causisque, unde ducta est propriam fatendum, illamque theologicam vocandam, et ex eis quæ sunt a revelatione, esse: quemadmodum geometricæ conclusiones a principiis geometriæ non deviantes; alioquin plurima ex his quæ de fide concessa sunt, quæ aperte scripta non sunt, peribunt.

Verum, si quis dixerit, *Si possibile sit inveniri syllogismum concludentem de Scripturis, etiam ex Filio esse Spiritum sanctum, et ambas habentem propositiones, hunc ego, ut veritati maxime congruentem, libentissime susciperem;* hunc profecto in his quæ dicta sunt, liquido reperiet; Filius quippe ex Patre accipiens, et audiens, ab eo esse habet. Sanctus autem Spiritus a Filio audit, et accipit. Spiritus sanctus ergo a Filio esse habet. Hic major quidem propositio fidei sententia est: minor autem: *quia Spiritus sanctus a Filio accipit et audit*: et ista de principiis fidei, Salvatorisque sententiis est. Ita igitur sancti, ut ostensum est, hanc sententiam exposuerunt. Idcirco et ab ipso illum esse habere dicunt ut qui ab ipso accipiat, et audiat, atque annuntiet; et esse ex Filio, et ex eo prodire, et per ipsum, et ex ipso procedere, et si quid hujusmodi prædictum est. Igitur cum quæsitum syllogismum habeat, contentione desistat, reliquo enim huic similes adjicere omitto.

Enimvero, si quidem omnem syllogismum, qui non ambas de Scripturis propositiones habet, falsa putat concludere; et ipse falso suspicatur, et Ecclesiæ magistros, qui talibus pro veritate in Deo usi sunt calumniatur; hoc autem constat, quod secundum essentiam ex aliquo nascitur, ejusdem essentiæ cum gignente est: Filius autem ex Patre nascitur, Filius ergo ejusdem essentiæ est, cujus ille qui genuit. Et hic igitur minor ex nostris assumpta vera est; quod enim gignitur, ejusdem essentiæ est, cujus ille qui gignit; non tamen ideo syllogismus falsum in Deo concludit, et si Dei Filius perfectius et excellentius ejusdem essentiæ cum Patre conspicitur; materia quippe, et omnia quæ sequuntur, inde longissime remota sunt. Nam nisi propositiones quæ de nostris sumuntur, non possunt, quodcumque quæratur in Deo, sicut est ostendere, eo quod Creator creaturis longissime excellat, conclusio jam falsa est, atque contraria: sic enim veritati veritas reluctaretur, et veritatem Deus veritas collideret, ut neque ex visibilibus invisibilia illius conspicerentur, neque Creatorem ex creaturæ pulchritudine specularemur. Ista enim magis arcerent a veritate, ad quam, per ea homines adducere volebat. Atque ista dicimus, non quod in superioribus syllogismorum arte usi simus, quasi nos nunc purgare cupientes; prædiximus enim sanctorum dicta nos simpliciter exposuisse; sed quoniam plerique, veluti si a disserentibus concessum esset, Deum naturalibus principiis subjectum, per hæc dicere aliquid putantur, simplicioresque decipiunt. Sed hujus quoque voluminis prolixitas cohibenda est. Cætera, Deo miserante, sequenti quarto et ultimo libro disseremus.

[10] Rom. I, 26. [11] Luc. XI, 20. [12] ibid. 18. [13] Matth. XXII, 32. [14] Joan. VIII, 37. [15] Matth. VII, 11.

Digitized by Google

LIBER QUARTUS.

Quoniam igitur, juvante Christo, ac duce ipsa pietate, Spiritum sanctum etiam ex Filio procedere, veraciter probatum est, mirum profecto esse non debet, si in Symbolo communis fidei dictio illa adjecta est; sed id potius diligenter inquirendum est, verane an falsa sit illa adjectio. Nam et qui additionem interdixere, adjectionem fidei, corruptaque dogmata conscribere prohibuerunt. Nam in Ephesina synodo : *Lecto*, inquit, *Niceni concilii Symbolo, communiter decernunt, jam nemini licere fidem aliam conscribere, aut proferre, aut tradere his qui ex Judæis, vel gentibus, seu, ex alia quavis hæresi ad Ecclesiam veniunt; qui vero hoc præsumpserit, hæc et illa patiatur* (39).

Fidem *aliam* dixerunt. Eadem vero liquidius, et manifestius alias qualibet necessitate pronuntiare, contradicentibus quibusdam catholicæ fidei, nihil ipsam fidem unicam violat. Non igitur communem fidem declarare, interdictum est; sed, vel aliam, vel contrariam inducere, ut ipsæ quoque litteræ testantur; sive quibuslibet hominibus interdictum est, ne quisque horum; passim proprium sibi Symbolum conscribens, et aliquos a communi confessione separans, cum hoc deceptos baptizet, fiantque conventicula, cujusmodi tunc plurima fiebant.

Porro ipsa Ecclesia sibi ipsi, docendi, atque aliis dictandi, quæ vera sint, et salubria, licentiam potestatemque non abstulit. Non enim, postmodum novis in dies blasphemiis exorientibus, in fidei terminis (40) adjiceret, quæ pios, impiosque discerneret; aut enim necessarium est confiteri omnia, tunc confessioni fidei plenissime adjecta, et ad futuras novitates vocum sufficere arcendas; et posthac futuris conciliis minime licere de fide statuere : aut Ecclesiam initio quidem potuisse de dogmatibus statuere, et alia quidem addere, alia auferre; postmodum vero, hanc amisisse potestatem. At primum illud quidem verum non esse, post hæc acta concilia testantur : quæ profecto, nunquam convenissent, si prima illa scandalis futuris satis obviassent; Dei enim est futura prænoscere. Singula vero concilia, ad præsens periculum intenta, contra hæreticos pugnant, non futurum propellunt Hoc enim incertum est. Illud vero, instat, et urget. Ex quibus et illud constat, postea concilia utiliter et necessario fuisse conflata, quoties Ecclesiæ necessitas urgeret. Nempe enim eamdem vim Ecclesiæ non semper, ac similiter adesse existimare; mysteria fidei tollentium est, maxime cum Salvator dixerit, se *cum illa usque ad consummationem sæculi futurum* [1]. Si igitur primis sufficienter habentibus, ad occurrendum periculis omnibus futuris, nulla postea necessitas fuisset concilia cogendi : eamdem sic quoque potestatem temporibus omnibus Ecclesiam habere, putandum est, aliterque hac libertate sublata, non parva detrimenta, sed summam perniciem sequi necessario, nisi liceret Ecclesiæ de fide statuere, scribere, atque definire.

Ex præteritis cognitis, perspicuum est non adjectionem dictionis, sed alterius fidei conscriptionem interdici, Ecclesiamque non sibi ipsi, sed hominibus singulis de fide statuendi ademisse potestatem. Neque enim in fidei terminis deinceps a sacris conciliis quomodolibet fuisset adjectum, si ea se potestate privasset. Aliter enim, qui ista dicunt, eos etiam, qui in Niceno concilio convenerunt, anathemati subjicerent, qui non pauca apostolorum symbolo addiderunt, et eos qui postmodum Constantinopoli convenientes, et ipsi nihilominus Niceno Symbolo adjecisse comprobantur quædam : quædam item abstulisse, nemine insimulante, quia sic visum est. Nempe et reliqua deinceps concilia alias aliter adjecisse aliqua, vel immutasse quis nesciat, cum hæ vel illæ necessitates casusque requirerent?

Porro conciliorum de fide sanctiones æque, ac Symbolum suscipimus, quæ in ipso complexæ continentur. Sed et cum beatus Paulus dicat : *Etiamsi angelus evangelizaverit, præter id, quod evangelizavi vobis, anathema sit* [2], consubstantiale tamen Patres adjecerunt, cum nemo ante illos hanc dictionem tradiderit (41). Idcirco etiam a contradicentibus hanc non inveniri in sacris libris arguebantur. Addiderunt tamen, litteræ sensum conferentes, et contra adversarios constanter dimicantes juxta theologum Gregorium, qui ait : *Non de verbis, et nominibus pugnamus, dummodo syllabæ ad eamdem intelligentiam ferant.* Et certe non propter hujusmodi adjectionem Pauli subjiciuntur anathemati. Prorsus vero synodus omnis pro reprehensione blasphemorum congregata, fidei terminum exponit, per id quod veteribus dictiones adduntur, nova dogmata resecans. Ita enim se res habet. Si quidem esset possibile, sine aliqua contradictione eorum qui communem fidem oppugnare volunt, manere Ecclesiam in antiquis principiis immotam, nulla fuisset necessitas aliquid quomodolibet adjicere; sed sufficisset ad confessionem fidei, compositum a sanctis apostolis ab initio Symbolum breve simul ac simplex.

[1] Matth. xxviii, 20. [2] Galat. ii, 8.

(39) De hoc loco concilii Ephesini, lege Bellarminum l. ii *De Christo*, c. 29.

(40) Definitionibus et decretis.

(41) Contrarium apparet ex illis quæ docet Bellarminus ii *De Christo*, c. 5.

Digitized by Google

Quoniam vero primus Arius Dei Filium Patris essentia detrudere præsumpsit, quod in apostolorum symbolo scriptum aperte non fuerat, Filium ejusdem essentiæ cum Patre esse : cum hujusmodi venenum per corpus Ecclesiæ serperet, eaque pestis effunderetur in plures, qui in Nicea convenere Patres, veritatis, ac fidelium curam habentes, Symbolo alio composito, ei *consubstantiale* addiderunt; atque *ante omnia sæcula Filium ex Patre genitum, non factum, et ex Deo vero, Deum esse verum*, et quæ tunc adjecerunt, cum apostoli natum solummodo ex Patre dixissent.

Erant ista sic; videbaturque tunc abunde munita fides, cum parvo post tempore contra sancti Spiritus divinitatem se erexit impietas. Erant enim, qui dicerent sanctos in Nicea Patres optime de fide statuisse, et Patrem quidem Deum prædicasse; Filium item pari laude honorasse; Spiritum vero sanctum non appellasse Deum. Convenerunt Constantinopoli Patres, et illud quod nunc legitur, symbolum composuerunt. Cumque Niceni concilii Patres solum, *et in Spiritum sanctum*, credere dixissent, nihilque adjecissent amplius; isti, quæ plura sunt addita apposuerunt de sancti Spiritus dominatione et deitate. Neque solum addiderunt, sed detraxerunt etiam. Nam, cum dixissent illi, *Genitum ex Patre*, videlicet, ex Patris essentia, isti solum *ex Patre genitum* retinuerunt : magnamque omnino differentiam in tribus his Symbolis, si verba et nomina attendis, invenies. Non tamen ob eam differentiam, vel qui in Nicea convenere, aliam fidem, quam ab Apostolis acceperint, composuisse existimantur, vel qui postea Constantinopoli fuerunt, præter Patrum fidem, qui in Nicea fuerant, senserunt. Testatur Gregorius Theologus, qui huic synodo interfuit, in epist. ad Cledonium sic scribens : *Nos nihil unquam fidei a sanctis Patribus qui in Nicea convenere pro defenda Ariana hæresi compositæ, in honore vel prætulimus, vel præferre possumus; sed illius fidei, miserante Deo, sumus, atque erimus. Id autem solummodo elucidavimus, quod de sancto Spiritu minus dictum fuerat, eo quod tunc hujusmodi quæstio mota non fuerit, qui unius divinitatis scire oportet Patrem et Filium, et Spiritum sanctum, Deum etiam Spiritum fatendo.*

In Chalcedonensi quoque concilio congregati, pro his veluti rationem reddentes, hos neque adjecisse aiunt fidei Nicenorum Patrum, quasi novum quidpiam, et varium dicentes; neque, quod ab illis fuerat relictum, hos implevisse, sed illorum, de sancto Spiritu intelligentiam, contra eos qui illius dominationem auferre nitebantur, Scripturæ testimoniis fecisse planiorem. Videmus autem et ipsos, qui illic convenerunt, Symbolo Niceno addidisse. Nam cum illi, Patri Filium consubstantialem tantummodo dixerint, isti addiderunt : *Consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis, secundum humanitatem*, Eutychis in hoc opinionem corrigentes.

Et qui Ephesi primum convenerunt, fidei terminum exposuerunt, quo Dei Genitrix beata Virgo prædicatur. Virgo enim solummodo *beata* in symbolo appellata fuerat. Etsi enim Symbolo id adjectum non est, nihilominus Symboli terminum (42) illum veneramur, hujusmodi vocabulum, illiusque sensum ut rectissime positum suscipientes, atque confitentes : eosque qui illud negant, exsecrantes, quibus circa Symbolum non majorem ostendimus rigorem, quam universa synodus pro revincendis blasphemiis congregata, fideique terminum exponens, et per eas quas antiquis addit, dictiones, nova dogmata eliminans.

Magnus præterea Basilius in Regula ad monachos sanctorum Patrum fidem, quæ, ut ipse ait, *fraudari, adulterarique non posset*, cum se traditurum polliceretur, plurima, quæ in fidei Symbolo sunt posita, omisit, et de sancto Spiritu nihil, neque quod ex Patre, neque quod per Filium procederet, dixit; sed tantum et in Spiritum sanctum se credere dicens, adjectis quibusdam Scripturæ testimoniis de sancto Spiritu, ex Patre ipsum procedere omnino tacuit : cum nihil adjicere, neque demere proposuisset, existimans his quæ dixisset, etiam quæ tacebat comprehendi.

Ex his perspicue constat, eos qui auferre aliquid vel addere prohibuerunt, non adjectionem dictionis, sed fidei alterius editionem vetuisse; alioquin nullum esset concilium a crimine immune. Constat et illud una, quod fidelium quidem proprium sit addere, novitatis autem inventorum ad non scriptum, adque priora recurrere, religionis scilicet obtentu, iniquitatem simul operire, atque introducere nitentium; quippe hæreticorum singuli, qui alias aliam fidei corruptionem invexere, merito adjectionem vetuerunt, ne per eam sua versutia argueretur : quam scilicet sancti Patres contra illorum perniciem, ut potentissimum medicamentum excogitaverunt : et qua infideles atque impios a piis fidelibusque discernerent, ac per eam Ecclesiæ pura et immaculata fides servaretur.

Atque adversus eos qui dicunt eos, qui primum de fide statuerunt et definierunt, fuisse sanctiores et honestiores his qui semper aliquid adjiciunt, pro se ipsis, et pro veritate rationem reddunt silentii, priorum Patrum causam inferentes, illos scilicet ideo nihil dixisse quia nondum tanta nequitiæ zizania essent exorta : quod si modo illi adessent, vel tunc hujusmodi pullulassent scandala, hæc ipsi quoque adjecissent, sicuti modo nos facimus, ac nullo omnino nomine abstinuissent, per quod linguas vestras coercere potuissent. Ita denique Nicæni Patres adjecto *consubstantiali* adversus Arium ejusque complices steterunt : illo quidem ad non scriptam confugiente, apostolorumque sanctitatem objiciente, qui in suo Symbolo de hoc nihil conscripserunt : illis vero dictionis adjectionem nihil esse ab illorum intentione alienum contra inferentibus. Cæterum

(42) Ὅρον, statutum, definitionem, clarius hoc quam vocabulum *termini*, quo interpres est usus.

Digitized by Google

si quidem, dum illi superessent, de hoc mota quæstio fuisset, sive nunc nobis adessent, nunquam illi aliter dixissent, seu conscripsissent, quam modo nos facimus, constantissime asseverantibus (45).

Ita et Constantinopoli adversus eos qui Deum esse Spiritum sanctum denegabant, nihilque de ejus deitate in Symbolo Nicæno scriptum objectantes, quod solum sequendum asserebant : de adjectione responderunt, hæreticisque, si adjectiones Symboli auferrent, se quieturos pollicentibus, veritatis doctores ad eos responderunt : Esset quidem optimum, si ut prius, fidei pura simplicitas, nemine obstrepente, servaretur, nulla enim adjectione opus esset ; quoniam vero quidam surrexerunt, corruptionem et novitatem fidei docentes, et adjectionem fieri necesse est, factamque ut scripta est, permanere, ut per hanc deprehendantur, qui malignari elegerunt, infectique ab integris hujus adjectionis signo dignoscantur. Simulque ne videamur per silentium adjectionis blasphemantium erroribus acquievisse. Siquidem igitur pie sentitis, dictionem quoque confitemini ; sin vero alias, nos quidem hanc, ut piam et sanctorum Patrum sententiæ maxime congruam suscipimus ; vos autem, ab Ecclesiæ integritate scindemini.

Sic Nestorius Θεοτόκος id est, Dei Genitrix, vocem denegans, Nicæni concilii statuta, Symbolumque transgredi non oportere asserebat : quibus solum suffecisset dicere, *Christum ex Maria Virgine natum*. Sed occurrit Cyrillus arguens, ac dicens frustra illum ad Patres et ad Symbolum confugere, quasi fas non sit quod illi siluissent addere, causam cur illi Mariam Dei Genitricem non dixerint apertius ob futuri ignorantiam ; et quod necdum orti fuissent, qui hanc absurditatem peperissent asserens : *Et Patres enim*, inquit, *adjecissent, si aliquos ad tantam vesaniam prorupturos scissent.*

Compellitque Nestorium etiam ab eo scripta capitula suscipere, et confiteri se ita, ut illa continerent, sensurum : quasi non sibi Symboli confessio sufficeret, minatus, nisi in his maneret, quæ ibi scripta erant, sacerdotio illum et ab Ecclesia ejecturum.

Atque omnia deinceps concilia usque ad septimum pervenientes, ita respondisse inveniemus. Quod si ubique omnis Symboli adjectio hæresis putanda est : laudandi erunt Arius, Macedonius, Nestorius, et cæteri, qui contra veritatem rabide latrarunt : non suscipientes adjectiones, propter fictam et fucatam antiquitatis reverentiam. Contra culpabilis (hisce) omnis Ecclesia.

Verum plurima quoque necessario secundum fidem confitenda, Symbolo non continentur. Neque enim ibi beata Maria Virgo Dei Genitrix dicitur, sed Virgo solum. Neque quod Dei Verbum secundum unam substantiam quem assumpsit hominem univit sibi ipsi ; neque, quod Christus ad inferos descenderit, quod in apostolorum Symbolo fuerat scriptum. Neque Spiritus sanctus asseritur Deus.

(45) Videtur aliquid deesse.

Quid ergo ? Num his ideo non credemus ? quæ ex his quæ scripta sunt, colliguntur necessario, an simplicibus verbis, ut a conciliis sunt tradita, stabimus ? At, illud quidem eorum est, qui de nominibus contendunt ; et omne quod præter litteram accipitur, scandalum putant : juxta scilicet Judæorum vilitatem, qui semper legis assident litteræ. Quod etiam divus Dionysius, irrationabile ac perversum esse ait, non scilicet intentionis virtuti, sed vocabulis intendere.

Porro proprie expositos a synodis terminos veluti commune Symbolum minime amplecti, ac suscipere, eorum est, qui concilia irrita volunt. Æque igitur ac Symbolum quæcunque illa statuerint, suscipienda sunt. Neque enim profecto, quod in Symbolo quidem continetur, honorabimus : quod autem ex illius pendet fine, vel quod post ejus lectionem dicitur, vel in suis terminis exponitur, non honorabimus ? Hoc enim stolidum simul et irrationabile est.

Quod si concilia sacra veneramur, illorum quoque sententias venerari convenit, atque ita, ut de his nos esse certissimos, cum omni fiducia confiteamur, eosque qui negant, exsecremur. Nam qui in synodis expositas sententias negat, pœnis negantium Symbolum erit obnoxius. Prorsus et ea quæ Symbolo inscripta non sunt, æque ac si scripta essent, honorabimus. Atque hinc si ratio veritatis exegerit, si casus necessario impulerit, nihil differt, etiam quæ non sunt scripta, confiteri, cum in Symbolo complexa, comprehensa sint.

Quocirca, neque illis adjectio objicienda est, qui etiam *ex Filio* Spiritum sanctum procedere fatentur. Sed, ut dictum est, verumne hoc sit, inspiciendum est. Nam præterquam quod subjectis fidei principiis necesse est, si velimus ea quæ communiter a theologis de Trinitate traduntur, observare ; etiam ex Filio procedere, fateri ; alios quidem sanctos habemus, *ex Filio* illum esse dicentes, et ab ipso habere esse, et ex ipso *naturaliter* atque *essentialiter*, ut ipsius operationem naturalem et essentialem prodire. Et sicuti ex Patre, ita etiam ex Filio esse, secundum eumdem modum. Alios vero *per Filium* naturaliter prodire, et per eum atque ex eo accipere, et ex Patre per Filium procedere, imo etiam ex Filio procedere, et quæ alia prædicta sunt. Ita enim ipsi dictum illud evangelicum : *Qui a Patre procedit*, exposuerunt ; complexumque *procedendi* terminum addentes, ex Patre per Filium procedere declaraverunt. Quos profecto, nemo erit ita amens, qui audeat accusare fallaciæ. Ipsi enim sunt, qui concilia instituerunt : per quos illa robur, ac munimen acceperunt, atque ab eis, cum ulla fuerit de fide quæstio solvenda, ad istorum doctrinam ac magisterium mittimur, hæc et illa nos pati addentibus, nisi istos suscipiamus. Cur etiam hic adjectionem non culpamus, ac per Filium procedere negamus, quoniam in Evangelio id scriptum

Digitized by Google

non est? At magnus ait Athanasius, *possibile non esse in Trinitatis gloria, Spiritum sanctum glorificari, nisi procedendo sit ex Patre per Filium*; sed et septima synodus, et Tarasius patriarcha sanctissimus, et sanctorum plurimi in fidei suæ confessione ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum insinuaverunt.

Cæterum, si quis illud evangelicum : *Qui ex Patre procedit*, his qui etiam ex Filio procedere Spiritum dicunt, objiciat, non illis contrariam opponit vocem. Neque enim, si ex Filio est, ex Patre esse desinet; neque ista invicem objecta, invicem pervertunt. Imo, ut pluribus docuimus, ex Patre esse quod dicitur, esse etiam ex Filio subingerit. Sed neque ex Patre per Filium procedere a sanctis diceretur : si quidem ista contraria invicem essent. Nam si ex Patre solo dictum fuisset, haberet rationem hujusmodi objectio. Quoniam vero ex Patre tantum dictum est, hoc autem et ab utrisque pro confesso habetur, supervacaneum est atque vanissimum, omisso eo, quod prius, ut ostenderent, curare debuerant, ex solo scilicet Patre procedere, quod contrarium est ei, quod est, ex Filio esse : ex Patre procedere quod dicitur, quasi repugnans docere his qui hoc nullatenus negant.

Concesso ergo ab utriusque Spiritum ex Patre procedere, reliquas jam sententias inspiciendum est, quibus magis conveniant : hisne, qui ex solo Patre procedere dicunt Spiritum sanctum, an vero his qui hunc ex Patre confitentur, ac Filio? Hi siquidem illud, quod dicitur : *De meo accipiet* [2]; et : *Quem ego mittam* [3]; et : *Spiritum veritatis* [4]; et : *Mittet Pater in nomine meo* [5]; et : *Ego, et Pater unum sumus* [6]; et : *Omnia, quæ habet Pater mea sunt* [7]; et : *Si in digito Dei* sive *in Spiritu Dei ejicio dæmonia* [8]. *Insufflavit et dixit, Accipite Spiritum sanctum* [9], et sexcenta talia, suæ habent confessioni consona. His enim, ut superius dictum est, magistri Ecclesiæ inducti, prædictas de Spiritu sancto tulere sententias, et *per Filium* et *ex Filio* procedere dixerunt; qui autem ex solo Patre volunt dicere, nullum omnino pro se habent testimonium; imo, et prædicta omnia sibi adversantur, hostesque habent sanctos Patres, qui illa sic exposuerunt.

Quod si id objiciunt, scriptum non esse, *ex Filio*, primum quidem, *De meo accipiet*, et omnia quæ dicta sunt, ad istud tendunt, nisi vocibus maximis clamantibus sanctis, illorum aures penitus obsurduerunt; deinde, neque ex solo Patre scriptum est. Itaque non magis pro se, quam contra se, non esse scriptum objiciunt.

Si autem, quoniam Filius ex Patre dicitur, et hinc solus de solo creditur, ideirco et Spiritum sanctum, quoniam ex Patre procedere dictum est, *ex solo*, ipsi adjiciunt : primum quidem, et ipsi adjicientes arguuntur, neque digni sunt qui audiantur, cum insimulant eos qui *ex Filio* etiam dicunt adjectionis causa. Eisdem enim et ipsi tenentur obnoxii. Deinde cogentur, si unigenitum Filium ut solum ex solo confitentur, secundum nativitatis terminum, ita et Spiritum sanctum, sublata ex Patre processione per Filium, unigenitum fateri Filium ut solum ex solo, quemadmodum Filius solus ex solo est; neque enim ex solo tantum dicimus, sed unigenitum quoque Filium. Nempe enim quemadmodum in sacris litteris *solus verus* Pater dicitur, et quia *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem, nisi Filius* [11]; et : *Qui credit in me, non in me credit, sed in eum, qui misit me* [12]; et : *Mea doctrina non est mea* [13]; neque compellimur solis personis in quibus hujusmodi definite dicuntur, ista distribuere; sed *solus quidem verus*, et Patri, et Filio congruenter aptatur; quasi non objectum illorum substantialibus proprietatibus (44); cognoscere autem Patrem, et Filium, et ab eis agnosci, etiam Spiritui sancto distribuitur; eo quod objectum non sit scire illius substantiali proprietati, ac de aliis similiter. Ubi enim non obstat relationis oppositio, nihil prohibet quod dicitur congruere. Ita neque si a Patre diceretur procedere Spiritus sanctus et adderetur *solo*, valide posset hoc et Filio negari. Nunc autem quando simpliciter a Patre dictum est, neque adjectum est *solo*, cum etiam producere, ut nativitati non adversum etiam Filio conveniat, ac propterea commune esse Patri ac Filio inspiciatur, stultissimum omnimodis est verbum rapere, ac per hoc Filium a Patris communione secludere.

Atqui, vel dispensationis implens sacramenta, vel discipulis parcens, sui non meminit, quod forte majora de illo non caperent : « *Multa enim*, inquit, *habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* [14]; » *sive ad principium suum omnia referens, a quo et ipse est, et sua omnia*, ut ait theologus Gregorius; sive etiam, quod et necessario id credendum esset propter summam ad Patrem æqualitatem, istud dicere omisit. Filius quippe Patris est, Patrisque definitio et Verbum.

Quanquam ex superioribus sententiis tantumdem valentibus, neque hoc omnino tacuisse deprehenditur : verum quod isti instanter negant, prædicat. Nam Scripturæ duplex modus est dicendi quæ velit. Aut enim puris propriisque nominibus, ut cum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum nominat; sive cum ex aperto dictis, his etiam se-

[2] Joan. xvi, 14. [3] Joan. xv, 26. [4] ibid. [5] Joan. xiv, 26. [6] Joan. x, 30. [7] Joan. xvi, 15. [8] Matth. xii, 28; Luc. xi, 20. [9] Joan. xx, 21. [11] Matth. xi, 27. [12] Joan. xii, 44. [13] Joan. vii, 16. [14] Joan. xvi, 12.

(44) Hoc vult dicere *esse solum verum* non esse personalem proprietatem Patris, ac proinde etiam Filio competere, non obstante vocabulo *verus*. Et similiter Spiritum sanctum agnoscere Patrem et Filium et ab illis agnosci convenire etiam Spiritui sancto eo quod *scire* vel agnosci non sit personalis proprietas Spiritus sancti.

Digitized by Google

quentia elicit; quemadmodum *consubstantialis* nomen, ut Scripturæ congruum intelligentiæ creditum est, quod plurimis aperte positis videretur juxta intelligentiam necessario congruere. Dictum enim est : *Ego et Pater unum sumus* [16]; et : *Omnia, quæ Pater facit, hæc et Filius facit similiter* [16], et quæ in hanc formam scripta sunt. Et certe his, qui solam intuentur litteram, contraria viderentur illi, quod aperte dictum est : *Pater major me est* [17]. Sed tamen, quoniam ex his quæ aperte dicta erant, necessario *consubstantiale* sequebatur, et verum, et Scripturæ consonum esse, indicatum est.

Simili ergo ratione et quod dicitur etiam a Filio esse Spiritum sanctum, non quidem ad litteram, et aperte in Scriptura positum est, sed ea quæ aperte dicta sunt, sequitur. Quæ autem concessa ex necessitate sequuntur, et illa vera sint necesse est. Quemadmodum in disciplinis conclusiones, quæ principia sequuntur. Scriptum quippe est: *Spiritus veritatis*. At veritas Filius est; et ab eo *audire*, et *accipere*, et *mitti*, et *insufflari* dicitur; quæ profecto omnia Ecclesiæ magistri dum exponerent, per Filium procedere dixerunt, et ab illo, esse, habere, ut ab ipso accipientem, et ex ipso esse, ac procedere, et quæ prædicta sunt.

Si enim, quoniam verbis dicta non sunt, intelligentiam quoque illorum repellamus, plurima profecto et necessaria, et concessa, ut dictum est, ejiciemus : sed et ipsum *Trinitatis* nomen, et *substantiam, et personas, ingenitumque*, quod in Patre dicitur, et *consubstantiale*, quia scriptum aperte non est, simul ejiciemus. Atqui, si quis litterarum sonis assideat, neque in Symbolo communis fidei Salvatoris de sancto Spiritu sententiam concorditer habere confitebitur. Illic enim a Patre procedere dicitur; hic autem ex Patre procedere. Sin autem hic *a* et *ex* quantum ad intelligentiam nihil differt, cur et *ex* et *per* nihil ab invicem differre non dicamus, cum ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum audiamus : maxime cum et sancti Patres universaliter *per* et *ex* nihil differre in divinis definite velint.

Verum quid necesse est, circa præpositiones tanturdem valentes diu immorari, quando et sanctos apertissime audimus dicentes, quia esse habeat a Filio, et ex ipso sit, atque procedat? Itaque illis quidem, quæ in Scripturis aperte sunt posita, cum pia devotione credendum est. Quæ vero illa non dixit, non sunt præcipitanter abjicienda; nisi in eis manifesta absurditas deprehendatur, quæ communis fidei confessionem perimat. Quod si abfuerit, et ista pie sunt admittenda, maxime, etiam necessitate cogente, propter eos qui fidei veritatem violare moliuntur, imitando in ea re veteres doctores, qui in rebus arduis urgentibusque necessariis additionibus et Scripturarum sensui maxime congruis, gregem Christi dissipare nitentes dispulerunt.

Et nunc quoque licet in Symbolo scriptum non sit de Spiritu sancto, quod Deus verus de Deo vero sit, si cum id veniret in dubium, Ecclesia illum errorem repellere satagens hoc Symbolo adjiceret, putanda non esset blasphemare. Nam si quidem omnia aperte scripta essent, nulla hæresis caput attollere auderet. Nunc autem oportet et hæreses in nobis esse, propter quorumdam nequitiam, ut probati manifesti fiant. Sed et *Scrutamini Scripturas*, dictum non esset, si omnia lucide et aperte scripta essent.

Ita igitur et fidei principiis, et Scripturæ testimoniis non solum nihil prohibentibus, verum, et plurimum juvantibus, atque, hoc aperte ostendentibus, magistrisque Ecclesiæ hoc plurimis in locis aperte asserentibus; hisque, qui contra negant, necessario in magnas absurditates incidentibus : traditasque omnino de sancta Trinitate rationes convellentibus, quæ omnia pluribus plura demonstrata sunt : ex Filio quoque procedere Spiritum sanctum, tempore urgente, in Symbolo adjectum est. Aiunt enim, quoniam post primam synodum hæresis quædam, quæ Filio Patris nomen applicaret, Græce, υἱοπατορία dicta pullulavit, dicens : *Filium Patrem esse Spiritus sancti, ipsum vero Spiritum nepotem Patris*. Quapropter Damasus, qui tunc erat Romanus episcopus, coacto concilio, Symbolo adjecit, *ex Filio procedere Spiritum sanctum;* illis scilicet obsistens, qui dicerent, eum *ex Filio nasci*. Qui enim ex Patre per Filium procedit, et ex Patre, et Filio procedere dicitur, ex Filio profecto genitus esse non potest. In sancta enim Trinitate, qui ex primo sine medio est, Filius est juxta nativitatis processionem. Spiritus autem sanctus ex utroque exsistens, videlicet ex Patre per Filium, juxta sanctum Cyrillum, præter nativitatis terminum prodit; procedens enim est ex primo per medium. Ideireo adjectione hac contradicentes repulit.

Attestantur his partim antiqui Ecclesiæ magistri, interdum eos refellentes, qui Spiritum vel creaturam, vel Filii filium dicebant, ut magnus Basilius cum dicit : *Non quia non sit ex Deo per Filium*, et quæ talia, per quæ Filium Filii esse negant, et per Filium procedere dicunt; partim vero et historicus quidam cognomento Scylix (45), in ea, quam scripsit historia, additionis et causam, et tempus exposuit. Sunt item qui dicant quosdam ex Arii vesania, cum vellent Filii majestatem imminuere, a solo Patre Spiritum sanctum prodire dixisse. Qui cum velleut blasphemam opinionem tueri : pietatis armis contra pietatem utebantur, vociferantes non oportere Niceni concilii quidquam sanctionibus adjici, neque enim illic in processione Spiritus sancti Filium Patri adjectum esse. Atque hæc dicentes, Ecclesiam scindebant, religionisque opinionem ab imperitis, ac stultis, ut antiqua revererentur, capiebant.

Indicio enim est beatus Maximus in epistola ad

[16] Joan. x, 30. [16] Joan. v, 19. [17] Joan. xiv, 28.

(45) Joannes Scylax Constantinop. scripsit de imper. Constantinopol. Gesn. ex Volatera.

Digitized by Google

Marianum, additionem hanc (46), non quando Ecclesiarum scissura facta est, sed longe ante additam fuisse, et fortassis ante sua tempora. Fuit autem eo tempore, quo sexta synodus conflata est. Propterea, rebus urgentibus, cum quosdam Occidentalis Ecclesiæ hæc pestis paulatim ac sensim inficeret, conveniens synodus ex Filio etiam Spiritum procedere Symbolo adjecit, ad quod Romani pontificis suffecisset auctoritas, quæ etiam synodos reliquas roborat.

Neque sane mirandum est Romanum episcopum, Ecclesiæ principem, ipsum convocato Occidentalium episcoporum concilio, illud decrevisse. Nam, si provinciæ sæpe singulæ concilia celebraverunt, eisque auctoritas derogata non est, multo sane magis hoc ille potuit, cum omnibus circum se episcopis, qui pastor primus, et Ecclesiæ totius pater, universalisque Christianorum omnium judex esse comprobatur, apostolica hunc antiquitate principem supremum appellante, decretisque regiis ipsum statuentibus, ac rebus ipsis ita esse clamantibus, et quo sine, impossibile profecto est, ecclesiastica negotia tractari, atque dirigi, sicut beatus Stephanus junior (47) adversus eos qui, quoniam imagines omnes destruendas statuebant, εἰκονοβάγοι appellati sunt, restitit : cum illi concilium Constantinopoli fecissent, non eis licere concilium celebrare asserens nisi Romanus episcopus, vel per se ipsum præsens præsideret, vel ab eo missi, alii juxta consuetudinem locum ejus implerent. Nempe enim ab Ecclesia illa, nulla unquam de fide sententia manavit, quam ut blasphemam et noxiam Ecclesia nunc omnis damnet, seu anathematizet, quando ingentes fluctus plurimaque naufragia contra Ecclesiam fuere. Nisi enim ista suscipiamus, nescio quid validum et ratum suscepturi simus : vel quid apertissimum licet, atque conspicuum, impudentissime repudiaturi non simus.

Si igitur ista de illo vera sunt, sine quo possibile non est ecclesiastica decerni, ad ea decernendum, cum paucis aut cum pluribus conveniat, minimum refert : simulque in re aperta, et quæ ab omnibus Ecclesiæ magistris trita est, de sancti scilicet Spiritus processione, opus non fuisse citare orbem, veluti ea quæstio valde esset ambigua, atque ideo, omnibus communicanda. Qui enim semel percepissent Patri Filium esse consubstantialem, ejusque incommutabilem imaginem esse, et Patris habere omnia, præter solum Patrem esse, et nunc quidem audirent Spiritum veritatis et Filii esse et ab ipso accipere, nunc autem per Filium procedere et ex Filio esse, sicuti etiam ex Patre, et ab ipso habere esse, et quæ talia prædicta sunt ; ex Filio etiam procedere, dubitare non possent, maxime cum scirent, quod, qui hujusmodi principia concedunt, id quoque quod ea sequitur, necessario admittunt ; utque Orientalis Ecclesiæ magistri, Athanasius atque Basilius, Spiritum a Filio esse habere dicunt, majoremque Spiritu Filium causæ ratione asserunt, Cyrillusque super Joannis Evangelio, et plurimis opusculorum suorum locis, hoc ipsum clamat, præter Occidentis magistros, qui innumeris in locis dicunt, ex Patre, ac Filio, veluti ex uno principio procedere Spiritum sanctum : opus esse non videbatur, de his quæ concessa essent, Orientales Patres molestias pati.

Porro si quis interroget, quid sit, quod, cum ista additio antiqua sit, non etiam ab Orientalibus Symbolo inserta sit? primum quidem, debita subjectione ac reverentia Romano Pontifici, ejusque Ecclesiæ secundum ecclesiasticas regulas reddita, nihil ex hoc in fide, vel differre, vel contra sentire putabantur, quod etiam vere sic erat. Deinde necesse non fuit, rectam et congruam de Filio et sancto Spiritu intelligentiam habentes, cum additione Symbolum legere ; non esse contrariæ opinionis, neque putare eos qui, cum ista legerent, fidei veritate excidisse, illisque unitos esse. Nam et post antiquum schisma, cum rursus utriusque Ecclesiæ facta esset unio, Græcos Latini nihil coegerunt, Symbolum cum additione legere, vel aliis ecclesiasticis ritibus more suo uti, sed tria solum ab eis post factam unionem, requisita sunt. Primum quidem, ut Romani episcopi memoriam in diptychis, hoc est, in canone Missæ facerent ; secundum, ut universalem judicem Christianorum omnium putarent; ei secundum antiquam Ecclesiæ consuetudinem reverentiam reddentes ; tertium, ut Romanam Ecclesiam in ecclesiasticis dogmatibus matrem fidelium atque magistram sana semper fide esse, crederent. Cætera locis suis manere permissa sunt. Sed nunc quoque in Sicilia, et ea quæ magna et antiqua Græcia dudum vocabatur, cum Græci plurimi inhabitent, Orientalisque Ecclesiæ moribus et ritibus utantur ; quia solum Romanæ Ecclesiæ subditi sunt, non coguntur Symbolum cum additione legere; sed sola, ut dictum est, obedientia Ecclesiæ impensa, cum non sint contrariæ opinionis, nihil ab eis amplius exigitur, una hac re cætera etiam contineri arbitrantibus Latinis ; quippe, non in verbis, sed in sensibus religio nostra consistit, secundum theologum Gregorium.

His si quis objiciat, oportuisse Græcos etiam vocari, et synodo de sententia omnium communicare : primum quidem, cum nota omnino res esset, necesse non fuit omnibus hanc conveniendi molestiam indicere, neque necesse est omnes omnibus adesse conciliis, sed primum quidem Patrem, Ecclesiæque pastorem. Ista enim si a principio per ecclesiasticas leges separata sunt, et valde convenit ut vel per seipsum, vel per nuntios concilio adsit ac præsit. Nam si ille non adjuvat, inania et hesterna sunt omnia : sine hoc enim ecclesiastica tractari, statuique non possunt; constatque, sive cum pluribus,

(46) Lege Bellarminum II *De Christo*, c. 21.
(47) Exstat Vita hujus B. Stephani inter opera Damasceni edita a Billio.

Digitized by Google

sive cum paucis, quod ad se pertinet, implere possit.

Alius vero non opus est vocari omnes, maxime qui sunt remotiores, quosque vel vitæ longitudo, vel alii eventus rerum, quales sæpenumero emergunt, impedierint. Atque ista, cum magna non urget necessitas, cum quæstio perspicua est, ne orbem vocari opus sit: quando ipse secum facillime magnam partem evocare possit, et cum eis statuere, atque decernere. Deinde, non convenit, vocatus quispiam, an invocatus fuerit, inspicere; sed, an vera sint, quæ statuta fuerint, perpendere: ne videatur quispiam non veritatis curam habere, sed solum, qui vocatus non fuerit, indigne ferre: quod isti modo faciunt, dum honores ac primatum sectantur, ut sub Romani pastoris cura et obedientia, juxta antiquum morem non sint, adjectionem Symboli, ut causam rationabilem prætendentes.

Hoc autem non religionis ac fidei, sed superbiæ potius apertum documentum est. Nam, si additionem impiam existimant, cur sancti Maximi temporibus, atque etiam ante hunc, quando Symbolum ita omnis Occidentalis Ecclesia legebat, Oriens totus hanc impietatem non redarguit neque ab Ecclesia Romana abscissus est? At id quidem illi non fecerunt; imo coacta sexta, et septima synodo, adjectionem hanc ut piam liquido comprobaverunt: neque, quia vocati non sunt, graviter tulerunt, ut modo isti faciunt.

Cur enim et isti, ut illi, his quæ tunc decreta fuerunt, contenti non sunt? Aut enim istas synodos exsecrari necesse est, ut ab hominibus impiis conflatas; atque ita eos qui in illis fuere, sanctos, una rejicimus: vel istas probare, et qui illas coegerunt, ut pios ac religiosos una suscipere. Hoc autem nostros tunc Occidentalibus congruisse significat. Quocirca, necesse non fuit, ut dictum est, istos congregari; cum vel ex fidei principiis, ac sanctorum sententiis, additionem rectissimam esse, persuasum eis fuisset, vel ab his qui addiderunt, causam ac necessitatem, consonantiamque, per omnia audissent.

Ac nostri, ut datur intelligi, religiosiores circa fidem, quam illi, modo inquirunt, quod tunc illi non quæsierunt. Constat enim illos tunc, ut veritatis fautores, legitimæque subjectionis servatores exstisse, nihilque inquisisse amplius. Nos autem nostra quærentes sub prætextu dogmatum Ecclesiæ scissuram machinamur, adjectionem in auxilium sumentes. Atqui nostri quidem, quandiu necessarium debitum servantes obediebant, nihil opus esse arbitrabantur seorsum concilia facere; adjectionem quippe ut summe utilem ac necessariam scilebant. Postea vero quam seorsum esse voluerunt, additionem illam discessionis causam idoneam, ut sibi videbatur, nacti, neque vocati obedire voluerunt. Nam, si convenissent, contra ac ferendam sententiam non ambigebant, compellendosque, ut quam ipsi refugiebant, Romano pontifici A obedientiam redderent. Idcirco sæpius ad Ecclesiæ unionem vocati, adjectionem prius auferri postulabant: quibus responsum est, quod si quidem nulla fuisset adjectionis causa, non fuisset a principio apposita. Erat enim, quando utraque Ecclesia sine illa adjectione Symbolum legebat, atque ex Filio procedere Spiritum sanctum, apud omnes in Ecclesia reticebatur, cum nulla de hoc esset quæstio.

Postea vero quam quibusdam contradicentibus, positis fidei terminis, Filiumque minorem Patre blasphemantibus, quia scriptum in Symbolo non esset Spiritum sanctum etiam ex Filio procedere; ac propterea Filii ad Patrem identitatem, incommutabilitatemque auferentibus, dictio illa pro declaratione symboli adjecta est: communibus Ecclesiæ B magistris concinentibus, quam nefas esset auferre, ne adversa contradicentium opinio locum habeat, ac per hujusmodi abolitionem vera esse videatur,

Siquidem igitur consentitis veritati, pro hac nobiscum stantes, aut vos etiam cum adjectione legite, quæ blasphemis ora obstruit; vel, sine hac legentes nolite opinionis esse contrariæ, neque nos putare blasphemos. Et sic enim cum veritate stabitis. Non enim in verbis, sed in sensibus, religio nostra consistit. Et, si vultis, hoc tantum vobis indulgemus, ut nobiscum convenientes, rem hanc in commune agitemus; communesque super hac Patrum sententias discutiamus, quibus hæc adjectio vera esse comprobetur. Quod si aliena opinione C estis, additionemque istam penitus renuitis: constat quidem, vos circa fidei veritatem cum adversariis errare; hancque additionem, vobis, et illis una bellum indicere, quippe propter contradicentes adjecta est.

Verum, sicut his qui negabant Nicæni concilii Symbolum, sive id quod postmodum Constantinopoli editum est, ambo enim unum fuere, etsi verbis differre videantur, nihil profuit ad apostolorum Symbolum recurrere, quasi tutius atque religiosius; quod enim cum adjectione fuerat editum negantes, et illud una negabant; nam, et quæ postmodum videntur adjecta, in sanctorum apostolorum Symbolo complexa continentur. Ita nihil D vobis proderit Nicænum Symbolum, etsi vos hoc tenere jactatis, istam additionem exsecrantibus, quam illi connexam Symbolo, complexamque tradiderunt, et quam ipsi omnino adjecissent; si, vel eis viventibus quæstio ista fuisset agitata, vel nunc hujusmodi controversiæ adessent, vel, si quos scissent ad tantum vesaniæ perveheudos.

Atqui vos non ut ab illis positum est, sed cum adjectione legitis. Nam sublato, quod dicitur, *ex Filio*, perspicuum est quia ex solo Patre adjectio infertur. Etsi enim hoc verbo non dicitis, cum Deo tamen loquentes, dum ex Patre dicitis, *ex solo*, etiam adjicitis, Deoque, cui mentes nostræ et corda aperta sunt, hujusmodi fidem, imo perfidiam offertis. Est enim validius sentire, quam dicere. Ne

Digitized by Google

que vero id sentitis solum, sed etiam scribitis, cum illos qui etiam ex Filio procedere dicunt, arguere nitimini. Itaque, si vituperatis additionem, ipsi tamen nihilominus adjicitis. Et nobis quidem adest per omnia concordia, nihilque illorum, quæ fide continentur tollimus, vobis autem contra penitus.

Considerandâ autem vobis est Ecclesiæ nostræ dignitas, quæ nunquam de fide nisi congrua sensit ac statuit : et quæ sola, vobis omnibus cæteris circa fidem naufragantibus, non solum nihil passa est hujusmodi, verum et jacentes cæteras Ecclesias erexit ; et, sicubi religionis fervor supererat, ad hanc confugiebat, hanc appellabat. Hæc autem, manum porrigens, quæ dispersa erant, in unum ovile cogebat, atque conjungebat, ut vos melius nostis. Non ergo convenit ut cum tale ab initio exemplum habeatis, semperque ad illa fueritis edocti, nunc mutato ordine, vos illam docere conemini, adversus *quam portæ inferi nunquam prævalituras*[18] ille promisit, qui mentiri non potest.

Itaque, ut ex præmissis innotuit, præter omnem rationem est, putare hanc a veritate excidisse, et occasione religionis circa fidem, dum additionem abjicitis, ejus etiam intelligentiam negando, ab hujusmodi Ecclesia præcidi, sicut et alias ante : nunc quidem propter *consubstantialis* nomen ; nunc autem, quod hoc nomen *Deus* de Spiritu sancto scriptum non esset, et alias aliter, propter quas nostis causas, præcidebamini.

Est autem plenum absurditatis et amentiæ, putare vobis quidem licere synodos cogere, ac de fide decreta conscribere (48) ; cum nulla illinc sententia manarit, non consentiente vel per se, vel per alios Romano pontifice, quæ non ut noxia existimata, tenebris damnata sit. Ei vero, et Ecclesiæ suæ, quæ a nemine unquam quomodolibet communiter vel seorsim de fide reprehensa est, et sine quo possibile non est ecclesiastica statui, et ordinari negotia : non dicere, concilia cum suis agendo, quod ad se pertinet, ecclesiastica tractare ac dirigere. Sed vobis quidem præsentibus, primum confiteri, et omnium esse principem concedere : omnesque propter dignitatem in eum respicere debere arbitrari, utpote totius collegii caput, et supremum verticem : absentibus autem, neque ultimum illi locum relinquere, ne minimum quidem, ut vos seorsim fidei decreta et dogmata scribitis, ipsi licere in ecclesiasticis agendo, quæ sua sunt statuere, atque decernere, omnibus illi, quæ habebat abiatis. Hoc autem est vestri causa putare illum primatum et auctoritatem in sententiis habere, non vos illius causa in synodis ornari, et posse aliquid putare, sequendo id quod præter antiquam Ecclesiæ consuetudinem est, veluti si quis subditum potius quam principem, et militem plus quam imperatorem in decretis bellicis, posse asseveret. Sed ista superbiæ aperta documenta habent, et irrationabiliter distribuentium sunt.

Ista tunc nostris ab Occidentalibus responsa sunt cum adjectionem aboleri postularent. Et tunc, eadem dicunt, et modis omnibus, ad unionem vocant. Sed, neque modo, neque antea his quæ dicuntur, assentiri delegerunt. Quomodo igitur, cum sint contrariæ opinionis, etiam vocati, his convenire voluissent, quos circa fidem blasphemare arbitrantur ? Sed tamen et hoc factum est, eaque, quam dicunt, evocatio, communisque synodus (49), sive nostris ad obedientiam priorem remeantibus, sive de hujusmodi additione doceri cupientibus, sive per seipsos veritatem agnoscentibus, Lugduni congregata est, et aperte ante plures annos consummata. Ubi aderat quidem Romanus pontifex (50) per seipsum, illius convocationis auctor, atque cum eo quadringenti ferme episcopi. Aderant autem et Constantinopolitanæ Ecclesiæ legati, qui illorum implerent locum. Tunc igitur, ut patet, ex illic scriptis commentariis, in quibus et eorum qui convenerant, nomina, et verba, et dignitates, et omnia omnino memoriæ mandata sunt : communiter ab omnibus est declaratum, antiquissimam Ecclesiæ traditionem esse, et ad sanctam Trinitatis saluberrimam, et veram fidem, summe necessariam, Græcorumque, Latinorum doctorum æqualiter, dogmate et doctrina roboratam, Spiritum sanctum ex Patre et Filio similiter, veluti ex uno principio procedere. Damnant autem, et anathematizant, qui tunc convenere omnes, qui deinceps duo principia conarentur introducere, et hanc absurditatem Ecclesiæ auribus ingerere. Ea vero sententia, communibus omnium votis enuntiata, digesta in eisdem scriptis est.

Nusquam vero illic quispiam additioni indignari ; sed, vera omnia, et voces et actiones, quæ Lugduni tunc gesta sunt ; et, qui ex nostris affuerunt concilio, legatique, et episcopi confessi, fœderati redierunt, agentes Deo gratias cum omnibus, pro communi fidei concordia, qua in prædictis tribus capitulis simul consenserunt.

Cumque animis conjuncti essent, coacti non sunt Symbolum cum additione legere ; sed, sicut temporibus beati Maximi, sic tunc se habebant res. Enimvero quoniam communis utriusque Ecclesiæ sententia, Spiritum sanctum a Patre, et Filio procedere, verum esse promulgatum est, aliterque sentientes, maledictioni addicti sunt : constat profecto, quia, qui modo istud confitentur, digni sunt, qui asseverentur, et nostras diligere Ecclesias, illarumque sententiam, quasi unius

[18] Matth. xvi, 18.

(48) Notent hæc hæretici, et in jura pectora demittant isti impii Lutherani et Calvinistæ qui se per summam impudentiam Evangelicos audent appellare.

(49) Synodus Lugduni celebrata an. Chr. 1274.

(50) Secundum Onuphrium est is Gregorius X. Interfuit huic concilio etiam Michael Palæologus imp. Constantinopolitanus.

Digitized by Google

confessionem complecti, atque continere; qui vero illam sententiam negant, neutram venerari perspicuum est; tertiam autem, nescio quam aliam Ecclesiam habere, ab utraque separatam, ambabusque bellum indicentem.

Liquido ergo comprobatur, et quam inquirant synodum, jam factam esse, eisque non una decernentibus adjectionem factam, quod quærunt, aliter se habere. Eos tamen ut concedamus neglectos fuisse, nonne extremæ contentionis, atque dementiæ est, non discutere, an vera sit additio: solumque, quia evocati non sunt, indignari, et moleste ferre? et quia ea convocatione honorati non sunt, Deum inhonorare; quodque vocatis esse visum est id, quia neglecti sunt, falsum existimare, morbisque suis, atque passionibus divinarum rerum judicare veritatem? Aspernationis enim potius, et contumeliæ, seu cujuslibet humanæ passionis Occidentales insimulandi fuerant, si insimulari merentur; non blasphemiæ, et impietatis, eorumque criminum, quibus nihil tetrius excogitari potest. Neque tamen contemptus illorum causa, gladium in se impellere debuerant, se ipsos a Christianorum unitate præcidendo, seque, perniciose, lethaliterque vulnerando; et ex his quæ contra sanctorum doctrinam culpant, et quæ ipsi contra sentientes addunt.

Quoniam igitur et convenire, et quæstiones de fide solis Occidentalibus seorsum non licet definire, atque de omnibus decernere, aliter quam putabatur, se habet ratio. Et enim ea opinio obedientiam refugientium fastus, et elationis causa, propter civitatis amplitudinem, imperiique dignitatem, occasionesque quærentium, ac primatum ambientium, quia tamen vocati venerant, ut dictum est; oportuerat sane unionem usque in finem servare positis contentionibus.

Nunc autem permanserunt quidem in ipsa Ecclesiæ unione tempus non modicum: postea rursus qui justam subjectionem servitutis jugum arbitrabantur, regem novum nacti, (51) ipsumque libere, et qua ferret impetus, suapte natura ad res novas pronum persuaserunt, ut imperii, quod illis cooperantibus, neglecto fratre, fuerat adeptus, mercedem eis unionis perversionem daret. Sicque perversis omnibus, ad priorem rediere contumaciam.

Præterea qua ratione hic unionem vel servaret præsentem, vel absentem requireret et revocaret, qui imperii sui tempore quatuor patriarchas (52) abrogavit, hunc instituens, illum ejiciens; quod ei non licebat, si Romano pontifici jus suum redderet, quod unionis fœdera compellerent. Ex qua una re, de reliquis etiam licet conjicere.

Porro si quis eam synodum asserat fuisse violentam, eadem ratione synodos item reliquas evertere cogemur, quæ in eis concessa sunt, ambigua ponentes omnia, eo quod per singulas leges aliqui fuerint, qui synodicis sententiis, decretisque interessent: postque emissam de veritate sententiam, semper fuerint aliqui contradicentes veritati.

Deinde, nulla unquam fuit synodus, præsente, et comprobante Romano Pontifice, vel alio, qui locum illius impleret congregata, cujus non fuerint omnes ratæ sententiæ. Contra vero in his, quæ sine illo, ac præter ejus nutum coactæ sunt, plerasque latas sententias reprobas, et merito explosas scimus, et facile ostendere possumus. Hinc ergo, præsente illo ac præsidente, sententias ibi pronuntiatas, quo pacto irritas esse velint, non video.

Nisi forte Nicenum quoque concilium dicimus fuisse violentum, partim, quia Constantinus Magnus interfuit, contradicentes omnibus viribus coercens: partim quia plurimi contradicentium post prolatam sententiam relicti, nihilominus contradixerunt: sicut et in singulis universalibus conciliis contigisse cernimus, non tamen ideo sententias illas, vel violenter prolatas, vel irritas, audemus dicere. Cur id? quia caput Ecclesiæ intererat, sine quo negotia ecclesiastica dirigi, statuique non possunt, et qui, si adsit synodo cum quolibet, omnem de fide sententiam inde manantem falsam esse non posse, et esse verissimam credimus. Aliter enim omnia ecclesiastica erunt ambigua; neque nosse certius poterimus quæ vera sunt, quanquam cur non potius pacis illius eversionem violentissimam dicamus, quæ et universalis concilii decreta pervertit, quod et Romanus episcopus præsens comprobavit.

Et certe in universalibus synodis nullæ, illo præsente, latæ sententiæ reprehensæ, ulla unquam vel locali synodo, vel cujuslibet audacia rejectæ sunt. Plurimi vero venerabilium episcoporum, quæ fiebant, increpabant; quibus facile, pro honestate, et sapientia, dignitatibusque thronorum concedebatur: quorum etiam nonnulli contradictionem adversum illos reliquerunt in commentariis, alii, publicationes, et carceres, et exsilia pro vera opinione, et fide pertulerunt: per quam, Ecclesiarum pax subjecta Patrum theologia facta est.

Prorsus vero, et ex nostris nunquam defuerunt ex his, qui *aliquid esse videbantur*, quin Romanæ Ecclesiæ faverint, suorum quidem separationem irrationabilem, et præter ecclesiasticas leges, Patrumque theologiam esse arbitrantes; se autem ad illos conferentes ignominiis quidem affecti, sive etiam fugati ob veri confessionem, atque confidentiam: quibus et qui hæc scripsit, adjunctus est, gratiasque Deo, quod his dignus habitus est. Fortiter autem ferentes omnia, præter hujusmodi repositam mercedem, quemadmodum et prioribus temporibus plurimis contigit, cum pro veritate fidei libere agerent, contradicentesque revincerent. Pro quo sane admirationi et venerationi posteris

(51) Est is Andronicus senior Palæologus qui imperium iniit secundum Onuphrium an. Christi 1285.

(52) Videntur esse isti quatuor, Beccus, Joseph, Gregorius sive Georgius Cyprius, Athanasius. Lege Nicephorum Gregoram lib. VI et VII Historiæ.

Digitized by Google

fuerunt. Cur igitur unionis eversionem non maxime violentam fuisse dicamus non video : quandoquidem, qui ejus eversionis auctores fuerunt, lucra inde et honores, et gloriam sibi comparaverint. Contra vero qui unionis studiosi sunt, injuriis omnibus, probris atque contumeliis aguntur, omnibusque afficiuntur incommodis.

Præterea, ut dictum est, licebit concilia omnia evertere, si de fide ambigendi pandatur aditus, derogeturque synodis fides. Atqui Photius quoque occasionem aliam esse, quam additionem, satis aperte demonstravit : qui primus illectus desiderio patriarchalis throni, sapientior his qui ante se fuerant, existimatus est. Atque ideo omnia quidem, quæ iste fecit, et quomodo sanctissimum Ignatium variis modis sede deturbavit (53), quæque machinatus est, et quæ de illo narrant historici, satius omittere existimavi. Sed tamen, quoniam calcatis juribus omnibus per nefas patriarchalem diripuit thronum; quem adipisci non poterat, nisi permittente Romano pontifice; necesse enim erat, ex more, ab eo auctoritatem confirmationemque venire. Id autem illi erat ambitione sua turpiter excidere, imperatoris familiaritate fretus, qui et ipse addere potestati suæ cupiebat : quia thronum illum alias consequi se posse desperabat, ad Symboli adjectionem confugit, et quam ante cum cæteris, ut plurimis ante temporibus ita se habentem venerabantur, induxit seditiosiores quosque ecclesiastici ordinis, hanc impiam existimare, ac per epistolam, quam *circularem* (54) appellavit, contra Romanam Ecclesiam multitudinis odia conciat, ne videretur transgredi subjectionis terminos, si se ipse erigeret, dignitatisque illius sibi ipsi auctor esset. Hinc jam in throno sedens, ecclesiastica administrabat.

Id Romanus pontifex ægre tulit, iratusque, ipsum per epistolas invasorem promulgavit, *novum Judam*, *schismaticum*, ac *seditiosum* (55) vocans, atque maledictionis anathemati subdens, neque Christianum esse contestans : non solum, quia per nefas invasit sedem, sed quia plurimis aliis criminibus erat obnoxius. Adhuc enim vivebat Ignatius, qui apud illum, quam vim pateretur, exposuerat; sicut antea fecerat Athanasius magnus, Paulusque confessor et Chrysostomus ad Romanum pontificem scribentes, cum Ecclesia injuste pellerentur; omnes denique affecti injuriis, et per vim sedibus detrusi ad Ecclesiam Romanam recurrebant. Ex eo, jam

A maxima Orientalium episcoporum pars a Photio se subtrahebant, schismaticum illum appellantes; neque cum illo sacrificia offerre volebant; eratque tumultus ingens, insinuantium, quod sub illo plurima contra canonicas sanctiones provenisseant, ut ex his aperte datur intelligi, quæ de hac re tunc litteris mandata sunt.

Defuncto autem Romano pontifice (56); successor ejus (57) ad Photium æqualiter iratus, eum litteris itidem exagitabat. Postea vero quam Ignatius mortuus est, Romanæ quoque sedi præfuit alius. Is (58) indignatione contra Photium, ac simultate deposita, patriarcham appellavit, quo nomine illum prædecessores sui dignati nunquam fuerant : misitque omnia, quæ a Romano episcopo, B his qui nuper instituebantur, mitti erant solita, pallium scilicet, virgam atque sandalia. Tunc et ipse voti compos effectus (59), pugna adversus Romanum pontificem posita, Patrem illum, ac sanctum appellabat : *Quemadmodum*, inquiens, *universorum Dominus inclinans cœlos visitavit nos, non contentus gloria, quam in cœlis apud angelos habebat, nisi humanam quoque assumptam naturam ad se attraheret : ita et communis Pater noster sanctissimus papa, nos qui longe eramus, affectu paterno visitavit.*

Nulla tunc de adjectione Symboli mentio fiebat. Orientalium tamen episcoporum pars maxima illi reconciliati non sunt; sed, se ab eo observantes, patriarcham appellare nolebant. Oravit ergo Romanum pontificem, ut cui Ecclesiarum cura maxime incumberet, mittere juxta consuetudinem Romanæ sedis legatos ad urbem regiam, qui et illum visitarent et de omnibus una decernerent; dissentientesque episcopos et sibi invicem, et patriarchæ unirent (60). Mittuntur duo, synodusque (61) tunc facta est infra septa templi famosissimi divinæ Sapientiæ insigniti nomine pro componenda inter se Orientalium contentione. Quam etiam synodum quidam octavam (62) appellant. Photium tunc patriarcham declarantes, qui Romani pontificis locum tenebant, pace reddita, monent de cætero abstinere scandalis, huicque veluti patriarchæ omnes intendere, fœderatos charitate indissolubili. Nulla D tunc mentio de adjectione facta est. Si quis enim in extremo gestorum synodi ipsius ordine, de additione (63) dictum putat, quod scilicet non oporteat auferre, vel addere; quod etiam quidam ad seducendos simpliciores obtendunt; sciendum

(53) Vide conc. VIII, nuper a Matthæo Radero Græco Latine editum, ut plene intelligas, qualis vulpes fuerit Photius, ut nihil dicam de Annal. Baronii qui rerum a Photio nefarie gestarum cornu copiæ est. Graphice depinguntur Photii artes, ambitio.

(54) Totius schismatis principium fuit epistola hæc circularis. Exstat apud Baronium an. 863.

(55) Omnia hæc elogia Photii invenies in Baronio et Radero.

(56) Nicolao I.

(57) Adrianus II.

(58) Joannes VIII.

(59) Aliud loquuntur Annales Baronii an. 879 et seqq.

(60) Simulate hæc omnia agit Photius.

(61) De hac pseudosynodo vide Baronium an. 879.

(62) Male vocatur octava. Vide Raderum, prol. in veram et legitimam synodum VIII.

(63) Parum refert quid vel de addendo vel demendo in illa synodo fuerit decretum, quia legitima non fuit. Vide Baronium 879 et 880.

Digitized by Google

est, hoc a quibusdam postea gestis synodalibus apposition, hinc ostendere nitentibus, hujusmodi additionem fuisse prohibitam; hoc autem rationem non habere, perspicuum est.

Primum quidem, quoniam in gestis hujus synodi, commentariolum (64) quoddam est, eorum quæ in eo concilio erant discutienda expositionem per ordinem continens, quod legati synodo proposuerunt: commentarium sibi a summo pontifice datum asserentes, ut meminissent quæ in ea synodo vel dicenda, vel facienda essent. Neque enim in eo quidquam de additione (65), vel de Symbolo omnino scriptum est. Et certe id in prima statim fronte ponendum fuit, sive a Romano pontifice illis de hoc fuisset quidquam imperatum, sive etiam synodus illa, quam quadringentorum ferme episcoporum implebat numerus, blasphemam hanc additionem putabat, cur non principaliter de illa verba fecit? Ita enim in præcedentibus synodis de fide primo loco semper agebatur. Cur autem in Deum blasphemantibus conveniebant, ipsisque de concordia ad invicem tuenda obtemperabant, vel omnino sub silentio se continebant? Quando vero nihil dixisse comprobantur, cui non perspicuum sit, veram eos illam additionem existimasse? Neque enim dici potest, illos ignorasse Latinos cum additione Symbolum legere, cum id Oriens totus jam tunc saltem a beati Maximi temporibus didicerit?

Deinde, ut concedamus, Photium additionem non admisisse: rationabile certe non erat, postquam a Romano pontifice patriarcha confirmatus fuerat, verbum de additione movere: ne, vix tandem voti compos effectus, per illum rursus abrogatus, amitteret omnia. Satis autem erat legatis atque ipsi in primis Romano pontifici, subjectione sibi reddita, de cæteris illos recte sentire arbitrari. Itaque nihil ultra inquirentes, reliqua suis locis manere permiserunt.

Et illud autem indicat adjectum a quibusdam, quod diximus, quod post plurima imperatorum anni, subscriptionesque episcoporum adnotatæ sint, et gloria reddita sit Deo, pro Ecclesiæ unione. Quæ omnia in fine gestorum synodalium scribuntur. Quod autem de non adjiciendo vel auferendo adjectum est seorsim positum (66), et ab aliis aperte disjunctum et separatum est. Non igitur suscipiendum est post eorum quæ inquirebantur, enodationem, post compositas res, post finem denique concilii, post illa quæ in fine synodorum apponi consueverunt, rursum illos putare de his agere cœpisse, de quibus nulla esset facta mentio. Aut enim principaliter ea res agenda fuit, aut non ita prætereunter et intempestive, et præter locum debitum agenda. Etsi enim a synodo dictum concedamus, nihil tamen de hujusmodi quæstione declarat; neque his adversatur, quæ dicta sunt. Aut enim, ut dictum est, fidei alterius adjectionem interdicit, rectæque abolitionem, sive alias, non se Ecclesia hac potestate privat. Quanquam dicere possumus, hac sententia, si concilii sit, qua declaratum sit, nihil oportere auferri, id præceptum fuisse, ne auferretur Occidentalium additio, quam accusabant.

Si igitur, ut supra declaratum est, et ante Photium multis ante temporibus, Symbolum ab illis cum additione legebatur, ipseque primus, cum voti non potiretur, additionem discessionis reperit causam, ut passim sibi liceret votis perfrui: compos autem sui desiderio effectus, nullum ultra ea de re verbum movit, subjectionemque debitam per omnia summo pontifici reddidit (67), nonne liquet ex omnibus, non additionem, sed superbiam potius, et a nemine velle judicari, schismatis fuisse causam? Obiit autem Photius, cum esset Ecclesiarum unitas, quæ post illum per decem et septem patriarchas durávit.

Ex quo sane constat, celebratam sub Photio synodum Symboli additionem veram et rationabilem existimasse, ipsumque illum Romanæ Ecclesiæ communionem elegisse, priore abjecta controversia, quæ illi ut homini obrepserat.

Deinde, ut ait prædictus historicus Scylex [Scylax], Michael patriarcha cognomento Cerulus [Cerularius], aliis rursum emergentibus casibus, quales hominibus sæpe superveniunt, simulque invidente pacis adversario, Romanum pontificem propter azyma diptychis dejecit (68). Habebat autem fautores patricios duos, et Ecclesiæ corruptiorem et seditiosiorem partem: additque aliam viri differentiam, ob quam merito videntur elegisse seorsim vivere. Quanquam, si additionis causa Romanum episcopum diptychis ejecit, cur non etiam prius? Si autem propter azyma, ab initio Romana Ecclesia his sacrificare consuevit. Verum etiam si quis diligentius inquirat, aliam deprehendet esse separationis causam. Jam enim dudum assuefacti jugum obedientiæ excutere, locum sibi dignitatum, et excellentiæ nominum ab initio schismatis hi qui præerant, aperuerunt, honestate nominum sacerdotium suum ornare contendentes. Alius enim *universalem patriarcham* seipsum aptur, totam hanc synodum fuisse Photii commentum nunquam nisi in cerebro ejus celebratam. Aliter tamen sentit Caleca, ut vides.

(64) Commentarium seu commonitorium hoc habes apud Baronium 879, n. 47, sed falsatum a Photio.

(65) Aliquid actum esse in hac pseudosynodo de illa additione *Filioque*, tradunt recentiores schismatici Græci, qui etiam mentiuntur Joan. VIII pontif. consensisse, ut illud *Filioque* ex Symbolo expungeretur. Aliquid certe de hac additione fuisse actum, testis est sexta sessio illius falsæ synodi, cujus summam recitat Baronius, anno Christi 879. Nisi dicere velimus, quod quidam haud temere suspican-

(66) Non est de his laborandum. Synodus hæc fuit pseudosynodus. Caleca non satis bene instructus pseudosynodum pro legitima habuit, quod multis aliis evenit.

(67) Vulpino more.

(68) Hoc factum est tempore Leonis IX, circa annum Christi 1053.

Digitized by Google

pellavit, quod ante schismatis tempora consuetum non erat (69). Alius se ipsum orbis judicem constituit. Alius *tertius decimus apostolus* vocari concupivit. Et certe antiquis sufficiebat episcopos se ipsos solummodo vocare : quos hi etiam, qui sub ipsis erant, imitantes, non perstiterunt in traditis antiquitus ab Ecclesia nominibus, quamdamque sibi superbam dignitatem singuli excogitantes subscriptionibus addunt : dum alii se *præsessores* (70), alii *duces, præceptores* alii, alii *primarios* ascribunt (71), documentum profecto ingenitæ sibi ac penitus insitæ vanitatis præ se ferentes : per quam non solum Romanæ sedi honorem debitum non reddere, sed ipsi quoque se præferre cupiebant, prorsusque omnibus præesse. Ut enim sibi ipsis indulgentes, reliquos jam licite increpare viderentur, non adjectionem solam, sed alias quoque plurimas causas invenerunt.

Nam, cum semel adversus Occiduam Ecclesiam de primatu contendere statuissent, ipsaque contentio sensim in ipsorum animabus odium gigneret, suisque gratificari volentes, ut qui possent gratificantibus regratificari, proni et faciles ad maledicta et crimina fuerunt; et ille sapiens, ille optimus, ille cunctis præstare videbatur, qui contra Occiduam Ecclesiam posset aliquid convitiorum jacuari (72). Cum enim nullus esset, qui corriperet, alius quidem zelum, sed non secundum scientiam habens; alius vero præsumptione consuetudinis inductus; alius magister ab aliis vocari cupiens, et superbiæ vitio cæcatus; alius, ut vel præsentis dignitatis præmia compensaret, vel novam sibi quæreret; alius, veram quidem opinionem habens, sed tempori indulgens, contraque ac sentiebat, proferens, cum alias sibi tuto vivere minime liceret, ac ne plurimis probro esset, et contumeliis atque injuriis afficeretur, bonisque suis frui non permissus extra Synagogam fieret, per multam licentiam ac facilitatem, singuli irrationabilia, vel iniqua et scribunt, et dicunt.

Atque Nicenus quidem Eustratius (73) per Filium procedere quod dicitur exponens : *Sicut prodit homo per januam*, dixit, Dominumque citavit testem dicentem : *Ego sum janua :* ignorans quia janua secundum hominem, Dominus etiam secundum nos dictus est : *Unus enim mediator Dei et hominum est*, ut ait Apostolus [19]; et : *Per ipsum accessum habemus* [20]; quia per ipsius divinitatem et humanitatem, uno Deo agnito, errore idolorum liberati sumus, virtutisque viam ad Deum perducentem edocti; ac per voluntatem Dei bonam, et bene placentem, inimici cum essemus Patris, reconciliati ei sumus; hoc denique, id quod sequitur, intelligi vult : *Per me si quis introierit, salvabitur et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet* [21], Dei contemplationem, cœlorumque regnum, ad quod aliter ingredi non possumus nisi per Evangelium et Christi mysteria.

Metropolita vero Methonensis (74) arguens : *Si Spiritus*, inquit, *sanctus esset ex Filio, non super eum baptizatum a cœlo lapsus esset :* ignorans et ipse, quod magnus ait Athanasius, quia *ipse ipsum desuper, ut Deus, mittit : et ipse ipsum infra ut homo.* Ex ipso igitur in ipsum descendit : ex Deitate ejus scilicet in ipsius humanitatem.

Alii vero, qui subtiliores esse voluerunt, aiunt : *Spiritum sanctum non in columbæ specie super Jesum baptizatum descendisse, sed ipsum illud volatile, columbæ speciem visam sensibilibus oculis in specie sensibili, quod ad insinuandam dispensationis veritatem indicium sancti Spiritus fuit;* Spiritum sanctum non ipsius Spiritus significativum asseverant. Quia enim sensibili specie apparuerit Spiritus sanctus et Chrysostomus super Joannem attestatur.

Alius vero patriarcha : *Nihil* ait *esse mirabile, si apud sacras Litteras, doctoresque sacros dicatur Filius habere Spiritum sanctum, quia hunc et Dei Genitrix habuit, et sanctorum singuli :* vult iste, quemadmodum sancti habuerunt, ita et Filium Dei habere Spiritum sanctum. Ita secundum participationem illum habere Spiritum blasphemat.

In disputationibus vero et hoc nonnulli blasphemantes dicunt: *Quia impossibile est, ex Filio esse Spiritum sanctum, quo Filius posterior est. Erat enim, quando non erat ex beata Virgine genitus.* Aut enim ut aperte conjicitur, æternam Filii nativitatem negant, temporalem illi solam attribuentes : aut assumptam conditionem humanitatis in Deitatem translatam arbitrantur : aut eos qui ex Filio Spiritum sanctum procedere confitentur, putant, ex Christi humanitate procedere, asserere.

Quidam vero, qui magnus in sapientiæ nomine habitus est, ne, si apostolus quidem Petrus diceret, etiam ex Filio esse Spiritum sanctum, se creditum asseveravit.

[19] 1 Tim. II, 5. [20] Ephes. II, 18. [21] Joan. X, 9.

(69) Imo jam tempore Gregorii Magni hunc titulum sibi arrogare cœperunt.

(70) Hunc titulum usurpat schismaticus patriarcha Alexandrinus Meletius.

(71) De vanitate in titulis recentiorum episcoporum Græciæ, consule Curopalatam De officiis aulæ Cpolitanæ ad cujus calcem integrum catalogum invenies, quo quisque titulo afficiendus sit.

(72) Habes hic veram imaginem eorum qui nunc Ecclesiam oppugnant.

(73) Eustratius Nicænus metropolita, cujus exstant commentarii in II librum posteriorum Analyticorum Aristotelis.

(74) Nicolaus Methonensis in Peloponeso, cujus argumenta contra Latinos solvit Hugo Ætherianus in suo opere adversus Græcos.

Digitized by Google

Alius, Occidentales culpans, quia ex Filio Spiritum sanctum procedere fatentur: *Augustinis quibusdam infelicibus, profanisque Hieronymis, ac tenebrosis Ambrosiis niti* ait (75). Ignorat miser, dum ista loquitur, nostros quoque Orientalis Ecclesiæ magistros eisdem se criminibus subdere.

Qui vero juniores sunt, etiam ex mortuis id asserere conantur. Ac præter mendacium, quo asserunt, *Lugdunense concilium tyrannicum fuisse, ipsius quoque, qui illud conflavit, regis* (76) *cadaver, integrum, ut aiunt, perdurans, illius animæ iniquitatem annuntiare, quia hujusmodi concilium coegit, autumant.* Sensibus quippe de fide judicant. Quod in cæteris sanctitatis signum arbitrantur, hoc in quibus ipsi volunt, indicium damnationis accipiunt, quasi Deo pro illorum voluntate decernente. Quanquam si defunctorum cadavera minime dissolvi, indicium sanctitatis arbitrantur, quid de Petri Paulique corporibus dicturi sunt, sanctorumque plurimorum, quæ dissoluta in frusta et in pulverem sunt? Si autem dissoluta plurima corpora sanctorum vident, unde ea quæ id passa non sunt, sancta probare poterunt? Quid autem de infidelibus dicturi sunt, et quos ipsi publicis maledictis subdunt; quorum incorrupta cadavera perdurant? Porro si hæc damnationis arbitrantur signa, quomodo sanctorum corpora honorant?

Sed ista quidem hominum eorum sunt, qui, ut intelligi datur, sensu vivunt, et fidem tactu coloribusque dignoscunt. Si autem *ex fructibus eorum dignoscendos*, ait Dominus [25], fructus autem primus cuique vera, quam de Deo habet, opinio est, et opera, quæ fidei superædificantur: desinant tandem tentare Dominum Deum, atque ex his quæ sunt materialia, et alias aliter secundum tempora, corporum, et locorum, et rerum dispositiones contingunt, earum rerum, quæ sunt a materia remotæ documenta capere.

Deinde non omnis qui sana fide est, jam etiam sanctus, et beatus est: *Non enim omnis*, inquit, *qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum* [25]. Et: *Multi dicent mihi in die illa, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus? Et respondebo eis, Non novi vos: discedite a me, operarii iniquitatis* [25]. Quid ergo mirum, si quis rectam fidem habens, et aliis quoque ipsius dux effectus, circa vero reliqua corruptus, ac perditus, damnatus est et æterno supplicio affectus? Non ideo tamen illius fides reprobanda est, et falsa existimanda: alioqui fidem solam ad salutem sufficere dicemus. Verum fidem sine operibus esse mortuam audivimus. At vero, neque rex ille, sub quo synodus congregata est, ipsius omnino auctor fuit. Nam, sub eo qui ante illum regnaverat, collecta est, quam iste compos rerum factus, peregit. Indicio etiam nobis sunt Nicephori Blemmydæ monachi, et presbyteri, cujus in omni virtute et sapientia nomen insigne apud omnes est, duo ad Theodorum Lascarim regem (77) libri de Spiritu sancto conscripti, quibus indicatur, ex Filio, et per Filium substantiam habere, a sanctis Patribus traditum.

Addunt præterea, qui ita sentiunt, *Nullum apud Latinos, post schisma signum fuisse* (78); quod enim non videtur, neque esse putant. Volant enim ex Thracia, quæ in Italia, et Germania, Hispania, et in Galliis, ac Britannicis insulis sunt inspicere, ubi post schisma plurimi virtutibus, atque prodigiis insignes Occidentem illustrarunt totum, non ambiguis quibusdam, et obscuris, sed qualia ab apostolis, eorumque successoribus facta legimus. Quanquam ista quidem modo inquirenda non erant; neque sanctitatis indicio sumenda: *Signa quidem non fidelibus, sed infidelibus* [25]; et: *Nolite gaudere, quia dæmonia vobis subdita sunt: sed gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* [25]; et, quæ in hanc rem a Salvatore dictæ sunt sententiæ.

De Eucharistia.

Quidam etiam Dominici corporis et sanguinis mysterium ex his, quæ dicunt, tollunt: *Non etiam apud Occidentales benedictam aquam incorruptam durare dicentes, idque illorum hæreseos indicium asserunt.* Ignorant enim quia mysterium quidem illud omnibus in Christi Ecclesia mysteriis mirabilius ac sanctius, in quo cum accidentia in subjecta panis substantia maneant(79), eo quod quasi sub sensibilibus velamentis traduntur nobis veneranda mysteria, subjectum panis in corpus Domini mutatur. Hoc autem, nisi quis adhibeat congruam diligentiam, necesse est, quæ subsunt in illo accidentia, quod suum est, faciant. Num ergo istud non arbitrabimur Domini esse corpus, quod ipse suæ Ecclesiæ tradidit? si autem istud confitemur, ut accipimus: et si accidentia, quod suum est, in ipsis ostendere possunt, cur non et in cæteris, si istud contingat propter materiæ subjecta, in quibus mysteria traduntur, non idem confitebimur?

[25] Matth. vii, 16. [25] ibid. 21. [25] ibid.; 22, 23. [25] 1 Cor. xiv, 22. [25] Luc. x, 20.

(75) Hoc graphicum est et genuinum schismatici hæreticique supercilium.

(76) Michaelis Palæologi.

(77) Imperare cœpit an. Christi 1255.

(78) Hoc quod de miraculis Græci objectabant, falsissimum esse convincunt vel soli illi duo miraculorum ingentium patratores Franciscus et Dominicus. Imo in Græcos hæc objectio optime quadrat. Lege Bellarminum lib. II *De Christo*, c. 30, et lib. IV *De Ecclesia*, c. 4.

(79) Hoc est accidentia substantiæ panis, vel accidentia quæ antea erant in panis substantia.

Digitized by Google

Nam, si quod dicunt, *Aquam durare minime incorruptam*, rem facit ambiguam, videant quid inde sequatur. Unde enim poterunt Domini corpus firmiter credere, propter eorum accidentia, quæ illic subsistunt? Non itaque efficiunt, quod volunt, sed sacramentum Eucharistiæ ambiguum faciunt. Ignorant autem quia quæ in Occidentis Ecclesiis aqua benedicitur, nihil magnum pollicetur, simpliciter autem est aqua benedicta, singulis hebdomadis a sacerdote pro transeuntium devotione, ac fide, ut inde se aspergant, profusa. Ea vero quam in die magni Sabbati benedicunt, et consecrant, aqua pretiosior, sacro et tuto in loco posita, quam nemo passim attingit, magnam Ecclesiis commoditatem præstat: neque solum per anni circulum incorrupta durat, sed plus etiam durare posset, quod experimento didicimus. Ignorant autem, et quod omne, et quodlibet ex aqua seorsim acceptum, et sine omni macula commutans etiam quomodolibet, prius in seipso, deinde, quasi purgatum, et colatum, in quantum quisque voluerit, servatum, incorruptum durat, semperque limpidius fit; quod et ipsum experientia docuit. Argumento autem nobis est, et quod in vino, quamvis crassioris materiæ sit, itidem contingit.

De tonsura crinium.

Quidam vero etiam crinium tonsuram, non ad consuetudinem referunt: ornatumque, et turpitudinem non ex consuetudine judicant. Quod enim aliis honestum, quia consuetum, hoc aliis quoniam insolitum est, turpe judicatur. Verum et hanc inter hæreses ascribunt, aiuntque illos, qui hoc faciunt, *formam Dei violare*, cum certe non omnes ista consuetudine utantur, *Deique imaginem et similitudinem mutare*: quasi vel hominis dignitas, esse scilicet rationalem, et ad imaginem ac similitudinem Dei, propter capillos illi adsit: vel Deus humanæ aliquid formæ, vel crassitudinis habeat, ad cujus imaginem homo cum sit, etiam capillis illi esse similis debeat. Nempe et apud nos oratio ad tonsuram barbæ invenitur a sacerdotibus dicenda (80): ne scilicet ad sanctorum mysteriorum communionem accedentibus Salvatoris sanguine capilli intinguantur, sive inficiantur, atque iidem rursus in sumendo cibo necessario quodlibet imbibant liquamen, sive alias quomodolibet defluant, atque ita non parvus error sit. Simulque, quemadmodum ungues resecamus, ne nobis impedimento esse possint: nihil prohibet eadem ratione, si quid impediat, crines resecare, ornatius, atque humanius nos componendo, mediocritate scilicet in omnibus servata.

De sacris imaginibus, et reliquiis, et memoria defunctorum.

Inde etiam Occidentalibus calumniam struunt, imagines illos non venerari asserentes (81): qui certe sacris imaginibus plenas ecclesias habent: Sanctorumque reliquias abjectius tractare: quas ita venerantur, ut nullus alius, pretiosisque lapidibus ornant, auroque et argento tegunt.

Nullam item defunctorum facere memoriam dicunt: pro quibus apud eos tot orationes, et eleemosynæ fiunt, ut dictu difficile sit, adeo ut infinitis pene monachorum, ac pauperum agminibus sufficiant. Neque vero solum corpori necessaria ministrant, verum et monasteria ædificant, quorum structura regiam opulentiam vincit.

Alii vero quorumdam etiam defectus Occidentali Ecclesiæ applicant; quippe, ab aliquo illorum injurias accepit, eum qui se læsit, circa fidem ultus est. Et hic enim omnis, qui contristat, malæ protinus opinionis efficitur. Si qui vero Christianorum prævaricantur leges: non eos solum, verum illorum quoque Ecclesiam hæreticam et infidelem putant. Nautis enim et vilibus quibusdam, ac vulgaribus hominibus congredientes, de omnibus, ut sibi similibus, sententiam ferunt. Cumque eos præsumptum odium inimicis animis esse fecerit, quod volunt, id putant esse. Prorsus vero quod non vident, vel videntes propter linguæ varietatem non intelligunt, neque esse omnino arbitrantur. Sic malis quidem intendunt: quæ autem sunt bona, et honesta, scientes prudentesque prætereunt, quasi vel ipsi humanam excesserint infirmitatem, aut non plurimi apud eos sint etiam ex honestiorum numero, qui legitima prævaricentur. Hoc enim solum tetigisse satis sit. Imo cum in vita hac bonis mali permisti sint, ac debitum sit errantes ad fidem Ecclesiamque reducere: Occidentales per omnia volunt esse perfectos; et si quod in eis reprehensibile fuerit, mox hæretici erunt; et si quis peccaverit, Ecclesia tota in culpa erit. Hac denique ratione, si quis præter Evangelium quidpiam admiserit, Evangelium itidem insimulabitur. Illa enim, quæ recte agenda sunt, præcepit: hic autem, illa inhibente, voluptatem justitiæ prætulit. Nempe enim mali Ecclesiæ nunquam defuerunt; neque tamen illa, minor, aut deterior fuit; neque malorum perversitas, bonis obesse potuit; neque fidem quorumdam malitia obtundit.

(80) Lege Baronium tom. I, an. Christi 57, n. 93, et an. 58, n. 136 et seq. Lege epistolam Petri patriarchæ Antiocheni ad Michaelem Cerularium, tom. XI Baronii an. 1054.

(81) Fuit hæc antiqua Græcorum adversus Latinos calumnia, ut patet ex Nic. Choniate: sed tamen iniquissima; qua etiam Latinos oneravit Michael Cerularius epist. ad Petrum Antioch. Bar. tom. XI, anno 1054, n. 34. Sed a Græcorum criminatione liberat Latinos Græcus episcopus Joannes Citrius, qui in Responsis suis tom. I *Juris Græco-Romani* ait, *venerationem pretiosæ crucis sanctorumque* Latinis cum Græcis esse communem. Item Demetrius Chomatenus in Responsis ad Constantinum Cabasilam archiepiscopum Dyrrachii: *Sanctorum imaginum sunt et Latini cultores, et in suis templis eas erigunt.* Vocat idem Demetrius ex Theophylacto Bulgariæ archiepiscopo *Satanicam sycophantiam*, si quis dicat, Latinos non colere imagines.

Digitized by Google

illa enim sine crimine est : mali autem debitas exsolvent pœnas. Ita neque qui duce fide Ecclesiæ graditur, proximi delictis erit obnoxius, sed unusquisque rationem pro se reddet, juxta operum merita.

Est igitur quorumdam nequitia communis quidem Ecclesiæ cœtui scandalum : non tamen inde ejus violatur fides : vel qui sibi uniti sunt, inde læduntur. Porro si quis malorum causa, Ecclesiam, ut inhonoram respuit, omnem una Ecclesiam abjicit, eo quod in ea malis semper locus fuerit. Sic autem etiam Ecclesiam suam abjiciet, tandemque neque Christianum se ipsum appellabit, nullam sine crimine Ecclesiam habens : si quidem quorumdam perditos mores fidei applicat, quos multitudini admistos esse necesse est. Sed ista crudelium judicum sunt, et a proximi dilectione prorsus alienorum, et neque suam neque communem infirmitatem sentientium, neque utilia ex omnibus colligere volentium, ex malis vero, quæ magis fortasse delectantur audire, scandalum capientium : quæ omnia infirmæ et vitiatæ conscientiæ indicia sunt.

De jejunio.

Plurimi item sunt, qui Occidentales, quod non ut ipsi jejunant, insimulant ; hoc autem Pharisæorum criminibus simillimum est. Et certe Armenios in jejuniis, et hujusmodi observationibus, nostros, sine ulla comparatione superare comperiet. Ita enim illi cibis, quando jejunant (jejunant autem plus cæteris), abstinent : ut si quis ex nostris cum illis jejunio contenderit, ridiculus futurus sit ; non tamen illos idcirco se meliores dicturi sunt. Omnino autem de cibis, et potibus, et indumentis, quæque ipsi faciunt : Latinos, quia consuetudinibus suis, quas ab initio acceperunt, utentes, non faciunt, hæreticos notant. Volunt enim, si fas sit, omnes totius orbis gentes, sub unam inducere consuetudinem, et quibus ipsi utuntur, omnes similiter uti : nescientes, se ipsos etiam a plurimis in hujusmodi posse reprehendi : neque possibile est eamdem apud omnes morum normam obtinere.

Nihil tamen aut nostros, aut illos, vel linguarum differentia, vel morum, vel hujusmodi quidquam, quod non sit commune omnibus, prohibet, sub unam adduci fidem. Nam et apostoli, cum totum lustrarint orbem, omnes in rebus omnibus consuetudines suas minime immutare compulerunt. Sed neque si voluissent, eas gentes immutare potuissent ; verum præcipua quædam, prædicationis Evangelicæ capitula decem ferme, vel duodecim tenere, atque confiteri adhortantes, nullum de cæteris verbum fecere, nisi traditis capitulis aperte repugnarent.

Præclarum estquidem ab omnibus semper abstinere jejunando, atque sarcinam carnis abjiciendo : quis enim id non laudet, quod a sanctis Patribus ut activæ virtutis species non minima, summa diligentia, et cura apprehensum est ? Et fortasse dixerit quispiam Occidentales plus quam nostros jejunare, si communiter omnibus omnes comparentur. Utcunque tamen se res habeat, jejunium, si cum proximi dilectione, et sine disceptatione, et condemnatione non jejunantium fiat, mercedem habet. Aliter enim Pharisaicæ elationi comparatum, nocet : et, si quem fructum alium habeat, amittit : *Si enim distribuero*, inquit, *omnem substantiam meam in cibos pauperum, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* [27]. Addit etiam Apostolus : *Esca nos non commendat Deo* [28]. Et, *Qui non comedit, manducantem non spernat* [29].

Si quis autem manducans non manducantem scandalizat : hoc, illi quidem nihil nocet, maxime, si qua urgeat necessitas, vel locorum, corporumve dispositio. Infirmis enim legem non esse, Apostolus ait ; et : *Qui infirmus est, olus manducet* [30]. Et, mundis munda sunt etiam immunda. Immundis vero omnia *immunda sunt. Inquinata enim est illorum mens, et conscientia* [31]. Ejus vero conscientiam infirmam claudicare arguit : quod puerilis est sensus, et ejus qui necdum evangelicam perfectionem apprehenderit : in qua mutua dilectione, et spirituali littera subjectis legales observationes prohibentur. Et : *Non quæ intrant per os, coinquinant hominem, sed quæ egrediuntur ex corde* [32] ; odium scilicet, inimicitiæ, et quæ talia ; ne sepulcra dealbata videamur plena putredine, et paropsidem extrinsecus mundantes, interiorem negligamus immunditiam, cæcitatisque crimen subeamus, si oculi nostri trabem non videntes, in fratris oculo festucam studiose inquiramus ; quomodo ergo non maxime læditur, qui amissis charitatis bonis hujusmodi festucas insectatur ?

Præterea, in Christi doctrina partim sunt præcepta, vel mandata, partim admonitiones, sive consilia. Præcepta igitur unusquisque fidelium servare, ex necessitate requiritur. Aliter quippe mortalibus peccatis sese confodiet. Consilia vero si quis sequi eligat, perfectionem apprehendit : *Si vis enim*, inquit, *perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me* [33] ; hoc tamen, si quis agere noluerit, spe fidei minime excluditur : si servet, quæ sunt saluti necessaria. Hujusmodi vero jejunium non est, nisi statutis quibusdam diebus, vel sextis feriis omnibus, et quadragesimæ jejunio, quod a sanctis Patribus institutum, qui per contemptum violaverit, peccat quidem, non tamen ideo fidei naufragium pertulit. Verum in id peccatum incidit, quod per pœnitentiam, et confessionem, Christi cooperante virtute, remissione potietur.

[27] I Cor. XIII, 3. [28] I Cor. VIII, 8. [29] Rom. XIV, 3. [30] Rom. XIV, 2. [31] Tit. I, 15. [32] Matth. XV, 14. [33] Matth. XIX, 21.

Digitized by Google

De jejunio Sabbati (81).

Sed et judaizare Occidentis Ecclesiam causantur, quorum plurimi per omne Sabbatum carnibus abstinent, sive pro sepultura et morte Domini, sive pro tristitia et tribulatione, quam sancta mater ejus tota die illa habuit, qua Dominus in sepulcro mortuus secundum hominem quievit. Istud facientes, sicut omni Dominico die Resurrectionis ejus, et omni sexta feria crucis ac mortis illius memoriam agimus. Nempe, ex cujusque rei intentione quisque vel vituperatur, vel laudatur. Porro intentio prædicta fidei, religionisque cum sit, culpari merito non potest. Neque enim judaizandi causa hoc facit; imo, ne ipsa quidem res ullam habet Judaicæ observationis similitudinem. Judæi quippe, in quantum possunt, præparati, otiumque ab omni opere agentes, tota illa die Sabbati et comedunt, et bibunt : hi autem abstinentes carnibus, castigatius in ea degunt, contrariaque illis facere deprehenduntur. Non itaque qui jejunat, sed qui illorum otium, edacitatemque imitatur, et *sabbatizare*, et *judaizare* dicendus est. Nam *sabbatizare* pro deliciis, et otio, et requie accipitur ; si quidem vera canit ille qui dixit : *In primo jejuniorum Sabbato, sabbatizemus, socii, hesternis de laboribus requiescentes.*

Proinde si quis etiam præceptum de non jejunando in Sabbato a Judæis manasse putat, id in Orientis partibus, ubi Judæorum erat gens, et patria, merito promulgatum crediderimus, quos apostoli, cum ad Evangeliam doctrinam vocare cuperent, quia Judaica natio Sabbato maxime gloriabatur, ne scandalum in fide paterentur, apostoli, ut animorum curatores, omnia effecti ut omnes seu plures lucrarentur, permiserunt ita esse, ut antea, et jejunare vetuerunt : quod religionis ratione nihil eos lædebat, qui illud observarent. Neque enim apostoli, hos quidem a lege, illos autem ab idolorum cultu revocassent, si suis illos consuetudinibus omnibus, quæ evangelicæ prædicationi non obsisterent, revocare voluissent. Nam, si circumcisionem quandoque ad tempus permiserunt, virtuti prædicationis oppositam : *Si enim*, inquit, *circumcidamini, Christus vobis nihil prodest* [35] ; istudque ideo fecerunt, ut plures ex Judæis acquirerent, quos maxime aliis arbitrabantur excellere : quid de Sabbato dicendum est, in quo et jejunare et non jejunare doctrinæ spiritus non adversatur ?

Non tamen hoc per totum orbem prædicandum fuit, remota Judæorum causa. Non enim de comedendo, vel non, apostolis ita ratio erat, sicut omnia facere pro incremento Evangelii, in ipsis prædicationis initiis ; quorum plura tunc permissa, postea permissa non sunt, amota causa, propter quam permissa prius fuerant : sicut et medicus, qui alia præcipit, causis apparentibus convenientia : quo

[35] Galat. v, 2. [36] II Cor. III, 6. [36] Psal. XIII, 2.

(81) De jejunio Sabbati lege Bellarminum lib. II *De bonis operibus*, c. 18. Vide etiam Humbertum contra Michaelem Constantinop. patriarcham et Nicetam Pectoratum.

(82) Epist. 118, ad Januarium.

A more, Ecclesiam quoque putare possumus necessario pro temporum qualitate usam, pro animarum singulari cura. Alias quippe nequaquam virtus Christi per apostolos Ecclesiæ conservaretur ; neque posset, juxta emergentes casus, nova disponere.

Non itaque si quis passionem Domini honorare cupiens, illiusque mortem, quantum fieri potest, in se ipso complecti, ac propterea carnibus abstinens, omnique cibo, fuisset ab apostolis culpatus, imo ad destinatum evangelicæ prædicationis bravium gradiens, mercede, et laudibus dignus habitus esset. Ipsi etiam sunt, qui dicunt : *Littera occidit, spiritus autem vivificat* [36].

Prorsus vero, si quid Occidentis Ecclesiis circa hæc fieri aliter videtur, hoc ab initio, a successoribus apostolorum acceperunt, Linique et Anacleti, et Xysti de hoc decreta proferunt, quæ rationabile simul et justum esse definiunt, Sabbati die, ista vel ista causa expiari, non id tamen ex necessitate præcipientia.

Augustinus quoque, antiquus et venerabilis Pater, in quadam epistola (82) de Sabbato ait : *Quod quando quidem in Occidente moratur, juxta Occidentalium consuetudinem, et ipse jejunat. In Oriente vero si versaretur, illos ipsa die non jejunantes ex antiqua consuetudine, et ipse sequeretur.* Ex quo perspicuum est, antiquam Ecclesiarum fuisse consuetudinem, ut alii sic, alii vero sic facerent : istudque non ex necessitate, sed ex antiqua consuetudine, et ut singulos voluntas tulerit, mosque obtinuerit. Sed et Gregorius Romanus pontifex, cujus apud omnes præclarum nomen est, officia atque jejunia, ut modo servantur, Occidentis Ecclesiis tradidit. Hunc enim omnes in omni traditione sequuntur.

De vetustate.

Qui vero ex nostris fortiores sunt schismatici, vetustatem quoque Occidentalibus objiciunt, per quam concludere pro se arbitrantur, quasi non eadem sit et illis antiquitas, liceatque illam pro se ipsis inferre. Neque sentiunt, dum ista dicunt, idolorum se cultum, quam Christi religionem firmiorem, ratione vetustatis, ostendere. Nam si antiquiora quæque etiam veriora sunt, quid sequatur, manifestum est. Sed et Ecclesiarum unione, sive etiam symboli additione præsuppositis, ut dictum est, cur non ista magis honorata servantur ? quanquam, quis nesciat, cum tantum illis odium contra Occidentalem Ecclesiam creverit, ut nullus de unione vel per somnium cogitet, amentiaque late diffusa sit, adeo ut rationem amisisse videantur, pessimaque dispositio omnino invaluerit, omnia illos voluntate agere, nihil rationis examine ? Si enim cum judicio procederent, alia fuisset ratio ; nunc autem nullus est *intelligens, seu requirens Deum* [36].

Nam quando erant, qui unionis curam haberent,

Digitized by Google

constat profecto, quia aberat contentio, atque in id ipsum distantia, ac disjuncta remeabant. Enimvero, putare plurimos, qui prolixo tempore ex nostris fuerunt, schisma satis roborare, ignorantium est, quod Occidentales plurimos et ipsi proferre possent, non ridenda, et indigna ingerentes, verum validissimas probatissimasque rationes producentes, et quorum sapientia mundum peragravit: quanquam et id, quod nullus unquam apud eos inventus est, qui nostrorum antecederet opinioni, suisque reluctaretur in ea controversia, pro qua Orientis et Occidentis Ecclesiæ inter se digladiantur, validum sane veritatis illorum argumentum est.

Quod si quis arbitratur, illorum quemque, vel suis, ut propriis et charioribus favisse, vel pœna ac supplicio perterritum, nihil contra locutum fuisse : primum quidem, et nostros suæ maxime opinionis tenaces dixerit quispiam convertens; neque tamen unquam defuisse, qui Latinorum Ecclesiæ accederent. Deinde, possibile non est, tanto temporis tractu, fuisse aliquos, qui veritatem pro charitate in Deum, ac fide, futurisque præmiis omnibus præferrent : atque ideo, constanter agerent, sicuti initio aliis alias causis plerique contra tyrannos maximam ostendere fiduciam, quorum et nomina, et scripta exstant, quemadmodum et alias hæreses apud Latinos reprehensas profligatasque novimus. Namque et apud nos plurima ab illis conscripta servantur. Stultitiæ ergo plenissimum est, *sic accepimus*, dicere, nihilque ulterius inquirere ; quasi post morbum sani fieri erubescamus, neque saltem antiquos imitemur, qui, sæpenumero falsis opinionibus præventi, postea pœnituerunt, cum eis illuxisset veritas, minime erubescentes, sed referentes Deo gratias. Nam juxta theologum Gregorium : *Non mali transmutatio, sed mali servatio facit turpitudinem.*

Est autem id etiam dementius, quasi communem dignitatem præponendo, singulos velle majores suos circa fidem imitari. Ignorantium enim est ; quia Christiani omnes, nunquam hoc ipsum essent, magnum et honestissimum nomen, et res, si dignitatis sapientiam scissent. Huic enim obsequentes, liquet quia nunquam pro majorum fide idololatriam, vel alias, quomodolibet obortas hæreses, pro veritate commutassent, quas Patres illorum secuti essent. Verum his, illi valefacientes, Christo adjuncti sunt. Nempe enim et beatum culpabant Paulum, quod non umbræ legis assidens, Evangelii persecutor esse perstiterit. Et illud simul asserunt, non oportere Occidentales, omisso, quod dicunt, de sancto Spiritu, his assentiri debere, quæ dicuntur ab ipsis. Unde enim istis persuadere poterunt eadem præ se ferentibus ; quomodo et infidelibus de Christi fide loquentur, qui infidelitatem a majoribus suis acceperunt ? Si igitur talia possunt ad invicem utrinque conversi, quid roboris habebit ipsorum ratio ? Nonne ergo magis proprium, et utile est, omissis anticipationibus omnibus, veritatem ipsam, per se ipsam omni studio et cura indagare ? Id sane virorum est veritatem studiose sectantium, non ut aliquid dixisse videantur, frustra et irrationabiliter loquentium.

Cum igitur ex nostris non pauci Romanæ semper Ecclesiæ adjecti sint, si quidem aliquis ex ipsis veritate dogmatis, ab eo qui cæcos illuminat, irradiatus, sanctorum doctrina duce, ac præcedente, calumniatores per philosophiam et rhetoricam obtinere et cohibere non possit, hunc fatuum ac simplicem dicunt, et ut seductum, ac deceptum objurgant : veluti si, cum a fidelibus omnibus exigatur, ut idonei sint ad rationem fidei reddendam, paratique ad satisfaciendum omnibus quærentibus, tunc etiam Plato, et Aristoteles, et Cicero in lingua eis esse debeant. Sed enim quorumdam isti sapientiam, quia ipsis incumbunt solis, summam esse dicunt : ad quos imperitos ire admonent, mittuntque, tumida ista, et inflata discituros.

Cæterum, si quis eorum, de quibus culpatur, rationem reddit, sanctorumque doctrinæ admonet, et quæ objiciuntur, nihil habere virium ostendit, sive absurditatum lubricum insinuat ; ut curiosum, et verbosum, conflictusque amantem, nihilque utilem existimant : fideique simplicitatem laudant, et piscatores ingerunt, quasi ipsi ad piscatorum gradum pervenerint, illorumque sapientiam, et signa illos sequentia sint consecuti. Non enim sciunt, piscatores quidem illos, priusquam arcesserentur a Domino, fuisse ; postea vero quam illius discipuli effecti sunt, illos ipsos piscatores sapientissimos ab ipso fuisse declaratos : *Benedictus enim Deus*, inquit, *qui piscatores sapientissimos ostendit.*

Et hæc dicunt, non si quis in divinis rebus syllogismis utatur, Platonisque et Aristotelis admisceat philosophiam ; præclare enim ageretur, si propter fidei reverentiam ista de Scripturarum auctoritate docerentur. Nunc autem et ad ipsos fidei terminos, Scripturæque ac sanctorum magisterium impudentes fiunt, cum scilicet ab illis urgeantur : neque principio intelligant, quid velint, hujusmodi autem cavillationibus pro suffugio, et diverticulo utantur sepiæ in morem quæ, ut piscatores effugiat et lateat, atramentum ante se vomit. Ipsi tamen cum aliquid dicere videri volunt, in angulo suos allo-quentes, obliviscuntur quidem regulas, quas aliis ipsi posuerunt, ceu sapientiæ, jactantes fanda et infanda, et quæ supra diximus, et scribunt et dicunt.

Atqui, si quidem omnem rationem rejiciendam arbitrantur, quodque præter rationem est, suscipiunt, quid tandem suos istos etiam septem Sapientibus præferunt, quibus conferentes cæteros, ludum esse puerorum dicunt, quibusque omnes cedere volunt ? Si enim ex illorum sapientia nituntur, plures, atque sapientiores, qui eis adversantur, fuisse comperient. Profecto enim Occidentalium sapientia excellet : si autem quod sapiens et cum ratione est, et ipsi suscipiunt, atque ideo de Scripturis persuadere conantur : nequaquam eos qui secum disserunt, abjicere debebunt. quos id, quod

Digitized by Google

secundum rationem ex his quæ concessa sunt, pluribus ex partibus sequitur. Non enim his licere sibi uti dicent, aliis vero non itidem licere : quod irrationabiliter distribuentium est.

Contestantur autem et Arium et ejus similes, quoties eos ratio defecerit; fuisse quidem eos sapientia insignes, ultra sanctos omnes, asserentes, sed veluti hæreticos ab Ecclesia ejectos inferentes; nihilque mirum est, si quis sapiens cum sit, aliud aliquid, præter id quod ipsi volunt, de fide dicit. Et ipsum enim nihilominus propter sapientiam fuisse damnatum. Hæc autem dicentes, doctores ambiguos faciunt. Nam si infidelis est sapientia, cavendum nobis est, ne sapientiæ causa illis obtemperantes fallamur, et cæci cæcos sequentes præcipitemur, atque irrationabilitatem rationis normam assumentes, per hanc veluti in tenebris cæci oberremus; simul autem et contra sanctos mentiuntur.

Neque enim Arius et Eunomius, et alii hujusmodi Basilio et Gregorio, et cæteris sapientiores fuerunt : qui, si quidem irrationabiliter persuadere velint, quis attendere dignetur?

Si autem eos mente et ratione præditos, atque sordatos dicunt et se ipsos destruunt. Unde enim suis, quos in sapientia mirantur, fidem habendam propter hanc ostendere poterunt, si communiter arguatur sapientia? Itaque, non magis contra istos, quam contra alios dicetur, si sapientiæ causa contigerit, ut veritate frustrentur.

Sed profecto sapientia per se malum non est. Non enim si quis ea præter rationem usus est, ipsa continuo in culpa erit. Sed neque ille sapiens dicendus est, qui mendacia confingit. Neque enim scientia atque sapientia; sed contra, inscitia et insipientia, qui mentiuntur, utuntur et alios fallant : sicuti neque gubernator merito dicitur, qui navem perdidit, neque medicus, qui infirmum peremit. Neque enim quantum gubernator est, vel medicus, sed in quantum peritiæ suæ norma uterque excidit, istud contingit. Non tamen propter imperitiam eorum, sive malitiam, vel gubernatio, vel medicina per se malum est. Nemo enim per ista servaretur. Igitur nec sapientia propter eos qui illa abutuntur, malum est; nemo enim vera diceret, sapiens qui esset; ita et omnes theologos mentiri diceremus.

Itaque si quis modos verborum ac rerum sciens, utique in Deo aliud quidem ineffabile est, aliud non ita; juxta Damascenum enim, neque omnia sunt ineffabilia, neque omnia effabilia, concessaque fidei principia supponens, quid hoc supposito, sequatur, quid auferatur, inspicit, et infert sequentia principiis consona. Ac fidem quidem externis quoque rationibus ostendi posse, confidit, solam autem propter revelationem, sanctorumque theologiam credit; philosophiam vero veluti ancillam theologiæ adjungit, ac per hanc refutat calumniatores; nihil eos adversus fidem validum contra inferre arguens, sicuti prioribus temporibus antiqui Ecclesiæ magistri faciebant; quippe juxta magnum Basilium in expositione super Isaiam : *Murus est dogmatibus nostris externæ sapientiæ vis, non ea permittens volentibus facilia ad capiendum ac diripiendum fieri.*

Qui hujusmodi est, nunquam propter sapientiam, norma sapientiæ sanctorum in divinis utens, ut mentiens culpari poterit : alioquin et illos ut corruptores una ejiciemus. Hoc enim ipsum Arium Ecclesia expulit, quod plurima ex his, quæ Scripturæ auctoritate et fide concessa sunt, subjecta ipsius propositione, tollebantur.

Hic autem, ut ostensum est, nihil hujusmodi contingit. Qui enim ex solo Patre procedere dicunt Spiritum sanctum, eos omnia, præter Scripturam ac sanctorum rationem, sequuntur. Qui autem ex utroque, videlicet ex Patre per Filium fatentur, eos omnia secundum rationem sequi, comprobatur; cum neque aliquid ex suppositis tollatur, neque absurdum aliquod introducatur. At ille quidem minime vel catholico universalique concilio credidit, vel ad communem Ecclesiam attendere voluit. Idcirco etiam propriam quamdam, præter communem, viam ire volens, hæreticus fuit. Hic autem qui Occidentali Ecclesiæ adhæret, præter id quod omnibus catholicæ Ecclesiæ magistris congruit, universali etiam synodo obtemperet, in qua Orientalibus, Occidentalibusque convenientibus, communi sententia definitum est, communem esse sanctorum omnium opinionem, a Patre et Filio procedere Spiritum sanctum, Ecclesiamque id confiteri, a qua nulla unquam fallax de fide sententia manavit.

Sed ne Basilio quidem, et Gregorio cæterisque similibus crederemus, sapientiæ causa, nisi prius ipsi, hæreticis aliis alia dicentibus, hujusmodi Ecclesiæ uniti essent, atque a catholicis synodis ab ea congregatis probati fuissent, atque ad illos tanquam veritatis magistros, Ecclesia dirigeret. Sed neque sanctos eos putaremus, si contra illam cum aliis reluctarentur.

Eos enim qui per id temporis illi non obtemperaverunt sive contradixerunt, exsecramur. Non itaque solum oportet esse sapientem. Nisi adsint cætera, et principaliter Ecclesiæ dogmata confiteatur, quantumlibet quisque sit sapiens, delirat. Oportet enim Ecclesiam stabilem semper in veritate consistere, idque ex his quæ illi ante contigerunt, comprobatur; eique operæ pretium est obtemperare. Aliter enim incertum esset, quis sapientium vera prosequeretur, nisi id subjiciatur, Ecclesiam semper necessario veritatem sequi; atque hanc ambigua omnia discernere, atque definire.

De azymis.

Plurimi vero de azymis etiam Ecclesiam in jus

Digitized by Google

trahunt (83), de quibus ne loqui quidem dignum est, ad eos præsertim qui ignorant Ecclesias ab initio semper se ita habuisse, ut Orientis scilicet Ecclesia fermentatis, Occidentis autem azymis sacrificaret : quodque ad mysterii virtutem utrumque idem valet. Constat enim ex tritici substantia, ex quo solo, subjectum illud accipi necesse est : Salvatorque noster secundum legem omnia faciens : *Non veni*, inquit, *legem solvere, sed adimplere* [37]; et : *Decet nos implere omnem justitiam* [38]; oportebat ut eisdem in legali Pascha uteretur azymis, scilicet juxta traditionem legis, quæ sublatis fermentatis, azyma tum apponebat. Ex quibus profecto in eadem mensa, mysterium quoque sui corporis conficiens tradidisse cognoscitur.

Quod Chrysostomus quoque attestatur, dicens : *In illa cœna omnia eum secundum legem patravisse.* Nisi enim secundum legem azymis in cœna illa usus esset, a Judæis omnino, ut prævaricator legis, insimulatus esset : *Nam cum multi falsi testes*, inquit, *surrexissent, causam non invenerunt* [39] : maxime cum et proditor cœnæ illi interesset, qui si quid tale fuisset admissum, Judæis clam renuntiasset. Quanquam et Dominus ait : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum* [40]; in quo scilicet etiam mysterium corporis sui tradendum erat, prædixitque ubinam cum discipulis oporteret eum Pascha manducare.

Si autem pascha legitimum fuit, omnino etiam legitimis in illo cibis usus est. Neque enim, cum omnia legis implesset, eam in Pascha prævaricari debuit. Commendat hoc et evangelista, cum dicit : *Prima autem die Azymorum* [41].

Prima vero Azymorum solemnis erat ac legitimi Paschæ. Sin vero divus Chrysostomus exponens *primam Azymorum*, eam quæ præcedat azyma dixit, ideo id ait, quia Judæis consuetudo erat, a vespera semper initium diei computantibus, e vespera etiam solemnitatem Azymorum inchoare : quam enim ipsi noctem, partem præteriti diei computamus, initium diei a solis ortu facientes, hanc illi diei sequentis initium computant ; quam ergo nos ante Azyma, illi primam Azymorum dicunt. Quocirca evangelista quoque secundum consuetudinem, *primam Azymorum* appellavit, quam Chrysostomus ante Azyma dixit, vesperam insinuare volens, in qua Dominus prima Azymorum inchoante, cum discipulis Pascha manducavit.

Quod si dictum est : *Et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha* [42], non ideo putandum est, nondum advenisse Pascha ; sed quia Judæis licitum erat, ipsum in quibusdam casibus differre. Sicut enim cum esset prohibitum Judæis, extra civitatem suam Pascha facere, si qui solemnitati defuissent, post hanc in civitate celebrabant : ita et his qui in civitate erant casibus quibusdam differre licebat, sicuti quidam tunc etiam fecerunt : nequiter quidem, quia morti justum injuste tradentes, arbitrabantur mundos se Pascha secundum legem manducare. Distulerunt tamen, etsi rationabilem causam minime haberent.

Ridiculum vero et illud est, quod quidam, panis nomen, qui Græce ἄρτος dicitur, ἀπὸ τοῦ αἴρεσθαι, id est ab eo quod est *attolli*, quia propter fermentum turgescit, dictum putantes, azymum panem, quia fermento careat, neque panem appellari volunt. Quasi vero necesse sit linguas omnes, ita quoque panis nomen derivare.

Latinus enim fortasse, vel Perses a confirmando panis nomen, quia cor hominis confirmat vel quomodolibet aliter, a proprietatibus ipsam rem sequentibus deducit. Si autem et azyma cor hominis confirmant, et ipsa omnino panis nomine vocanda sunt ; et Scriptura, cum de ipsis loquitur, panes utraque appellat.

Quod indicat beatus evangelista Lucas, qui Salvatoris post resurrectionem ad Lucam et Cleopham in Emmaus proficiscentes locutionem prosequens, post quædam infert : *Sed cum his omnibus hodie tertia dies est, quo ipsa facta sunt* [43], de passione scilicet loquens. De hac enim sermo erat ; constatque quia hæc tertia inter septem post Pascha dies fuit, in quibus secundum legem eis interdictum erat uti fermentatis, vel ea utcunque circumferre. Atque illic addit, quia cognitus fuit *in fractione panis.*

In ipsa quoque apparitione Domini, qua piscantibus apparuit, scriptum est : *Quia invenerunt prunam positam, et piscem superpositum, et panem* [44]. Constat ergo azyma panem evangelistas appellasse, neque enim eis licebat septem illis diebus fermentatum panem habere, vel circumferre.

Præterea, fermentum pro dolo et malitia in Scriptura accipitur : *Attendite enim*, inquit, *a fermento Pharisæorum* [45]. Et : *Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis* [46]; quia etiam sumptum ex sacra Virgine Domini corpus ab omni peccati labe sincerum, intactum, inaccessum fuit, idcirco panis quoque azymus sincerior ac simplicior cum sit, merito in sacrificii oblatione assumptus dici potest, in qua, subjectum illud in Dominicum mutatur corpus. Id enim plenum rationis est, ut ad mysteria, quæ per sensibiles species traduntur, pretiosiores, et quæ

[37] Matth. v, 17. [38] Matth. III, 15. [39] Matth. xxvi, 60. [40] Luc. xxii, 15. [41] Matth. xxvi, 17. [42] Joan. xviii, 28. [43] Luc. xxiv, 21. [44] Joan. xxi, 9. [45] Matth. xvi, 6. [46] I Cor. v, 8.

(83) Lege Bellarminum lib. iv *De Eucharistia*, c. 7 et seqq. ; Gennad. pro concilio Florentino, Humbertum contra Michaelem et Nicetam.

Digitized by Google

sint magis eis, quæ sumuntur, accommodatæ eligantur.

De dormientibus.

Et hoc item Occidentalibus crimen impingunt (84), quod eos qui vita excedunt, nisi peccata aliqua impediant, sanctos debita beatitate statim frui dicunt, et consequenter mortalibus peccatis obstrictos, atque ideo a beatitudine indignos, ad æternos cruciatus pertrahi, quoad facta mortuorum illa generali resurrectione, singula singulorum animabus conjuncta corpora una vel fruantur gaudiis, vel supplicîis afficiantur. Qui autem id crimen objiciunt, sive sacris Litteris credendum, sive sit observanda ratio, culpari potius merentur, quam culpare ipsi debeant. Nam Dominus quidem, ut ex pauperis Lazari, et divitis epulonis parabola proposita, constat [47], quia non verba sine rebus proponebat, concludens adjecit : quod Lazarus quidem mortuus ab angelis Abrahæ sinibus invectus est ; mortuus est autem et dives et sepultus, atque in flammam abiit. Per quæ post mortem alterius quidem requies, et beatitudo signatur, alterius vero cruciatus, nullum finem habens.

Quanquam et id quod ad latronem in cruce dictum est : *Hodie mecum eris in paradiso* [48], jamjam futuram beatitudinem commendat. Divus autem Paulus dissolvi cupit, et esse cum Christo. Cujus rei gratia id cupiebat? *Ingemiscimus enim*, inquit, *scientes quoniam dum sumus in hoc tabernaculo, peregrinamur a Domino ; per fidem enim ambulamus, non per speciem* [49] : speciem dicens creditarum rerum substantiam atque veritatem. Profecto autem ista non diceret, nisi aperte sciret, post hujusmodi peregrinationem, carnis onere deposito, se per speciem concupitis fruiturum. Aliter quippe, vivere præstitisset quam mori. Nam et corporis ad animam connexio, veluti materiæ ad speciem naturalem est. Omnibus autem eorum quæ secundum naturam sunt, ac propriorum, inest desiderium : neque dirimi quispiam a naturalibus vinculis eligeret, nisi post dissolutionem præstantioribus se fruiturum crederet, defunctoque dolor inesset, nisi speratis potiretur.

Cæterum cum hujusmodi spes firma sanctis reposita sit, neque in rerum substantia esse possit, nisi separetur anima a corpore, naturalem conjunctionem sancti fugientes, dissolutionem cupiunt, ut eis destructa materia, liceat eorum quæ crediderunt, substantiam recipere : donec per summam Dei benignitatem naturalis etiam conjunctio divinius et excellentius redeat. Attestatur autem his, et quod in testamentis a Joseph patriarcha dictum est : *Moriuntur peccatores et descendunt in infernum*. Attestantur item et quæ diebus singulis in Ecclesia canuntur, ut illud : *Quoniam in cœlestibus thalamis gloriosi martyres exorant te, Domine.* Et illud : *Martyres inclyti, non terra vos occuluit, sed cœlum suscepit. Apertæ sunt vobis paradisi portæ, intusque accumbentes, lignum vitæ gustatis.* Et illud : *Sanctorum chorus vitæ fontem invenit, et portum paradisi.* Et illud : *Quia nunc assistis Trinitati felix, interpellas pro nobis, qui fide et affectu memoriam tui veneramur.*

Et ubique omnino sanctos angelis adesse, et congaudere, et una choreas agere confitemur venerantes, atque ut pro nobis interveniant precamur, quod profecto non fieret, nisi esset communis Ecclesiæ opinio, etiam ante futuram mortuorum resurrectionem sanctos omnes beatitate perfrui. Alias autem miseri omnino essent, si reposita sibi bona procul intuentes, prompte ex hac vita, et cum voluptate migrarent.

Proinde, quomodo conveniat, illorum aliquo in loco servatas animas tanto tempore præmiis debitis fraudari, quibus Dominus gaudium æternum repromisit, quosque assumendos ait : *Ut ubi ille est, et ipsi sint* [50] ? Sed et post hanc vitam cum fide et spe viveretur, quæ beatus Paulus evacuanda, solamque charitatem permansuram dixit in beatitudine, quæ in divina speculatione consistit. Atqui neque Dominus id voluisset, ne, si ipsi quidem, qui debitam beatitudinem percepturi sunt, minus digne ad eam percipiendam se comparassent, ejus summa benignitate ultra merita semper inundante, nullo hic prohibente, promissa illis bona penes se recondita servare, mœroris causa suis effectus, meritisque illos honoribus privans.

Nam si frustrari fine mœrorem ubique præstat, quomodo non id sanctis mœroris erit causa, eoque magis, quo fine maximo atque dignissimo non potientur ? Semper enim cupientes quærent, et non potientes mœrebunt. Si enim hic ingemiscunt, ubi peregrinantur a Domino, quomodo non id etiam post præsentem vitam patientur, si illic eis cum fide etiam ac spe vivendum sit ? Quæ omnia, præter Scripturæ normam, præterque rationem sunt.

Porro si quis divum Paulum objiciat dicentem : *Et hi omnes*, sancti scilicet de quibus dicebat, *non tulerunt repromissionem, Deo melius aliquid providente, ne sine nobis perficerentur* [51] : sciendum, quia hoc in loco, *perfectionem*, dixit animæ corporisque unionem, quæ universaliter erit in futura mortuorum resurrectione. Nam secundum corporis partem sancti necdum beati sunt, quia ipsum necdum habent glorificatum, juxta rationem beatitudinis animæ. Cum vero talis unio erit, tunc utraque pars hominis perfecta erit ; quod ergo dictum

[47] Luc. xvi, 19-31. [48] Luc. xxiii, 43. [49] II Cor., v, 6. [50] Joan. xiv, 3. [51] Hebr. xi, 59-40.

(84) Lege Gennadium pro concilio Florentino, c. 4, et Bellarminum lib. 1 *De sanctorum beatitudine.*

Digitized by Google

est : *Deo pro nobis melius aliquid providente, ne sine nobis perficiantur*, perfectionem significat, quam diximus, quamque Patribus in spiritu denuntiatam, ante futuram restitutionem non reddidit sive aliis sanctis, donec Jerusalem illa cœlestis, ex his qui ante legem et in lege, et in Novo Testamento sunt, impleatur, juxta magnum consilium Dei, et præcognitionem, ineffabilemque dispositionem.

Quocirca, neque putandum est, si modo, qui digni sunt beatitudine, meritis præmiis fruantur, nullam jam fore necessitatem illustris Salvatoris adventus venturi judicare mundum. Tunc enim cum aderit mortuorum resurrectio, singula etiam corpora, juxta cujusque animæ vel splendorem, vel obscuritatem, præmiis æqua proportione perfruentur. Præterea, quoniam cum corporalibus lineamentis adveniet in gloria, non sicut in priori adventu in humilitate, necessario omnes resurgentes in regno cum gloria videbunt eum, quando sancti quidem satiabuntur cum apparuerit eis gloria ipsius perfectam jam etiam secundum corpus consecuti beatitudinem. Et contra impios et infideles in clarissimo triumpho vincent, triumphatori procidentibus omnibus : *Omnis enim lingua confitebitur, et omne genu curvabitur, cœlestium, terrestrium et infernorum* [83].

Qui autem Dominum gloriæ crucifixerunt, ob id solummodo illum videre permittentur, ut arguantur : *Videbunt enim, in quem pupugerunt* [84] : quique in hoc mundo prædicatum non receperunt, sed in suo errore permanserunt, confundentur. Nunquam vero corporalia Domini lineamenta videre possent, nisi et ipsi corpora sua, illorumque effectus habere permitterentur post resurrectionem, juxta cujusque animæ proportionem, ut supra dictum est, quo facto : *Alii quidem in supplicium æternum, alii vero in vitam æternam ibunt* [85].

De igne purgatorii.

Peccatorum vero alia quidem mortalia dicuntur, ea scilicet, quæ animæ mortem inducunt, cujus mors est separatio a Deo ; alia vero venialia, quæque scilicet rugam quidem aliquam, vel maculam animæ imponunt, non tamen ita, ut per ea æterna beatitate arceatur. Solus quippe Dominus nostra conditione suscepta sine peccato vixit ; singuli autem hominum alius aliis peccatis tenetur obnoxius. In peccatis enim nati sumus, vitamque sine peccato transire non possumus, quantumlibet virtuti studeamus. Etsi enim quispiam mortalibus abstineat, minoribus tamen illum non implicari, possibile non est : pro quibus quotidie orantes dicimus : *Dimitte nobis debita nostra* [86] ; quantumlibet enim quisque peccaverit, minimum licet, reatui subditur, hujusque satisfactio quomodolibet illi persolvenda est. Si quis enim mortalibus peccatis obnoxius, hinc sine pœnitentia discesserit, æternis suppliciis subdetur : *Qui enim talia agunt*, ait Apostolus, *regnum Dei non possidebunt* [87] ; quibus vero nulla jam salutis erit spes, resurgentque in condemnationem, in eumdem rursus redibunt locum.

Porro si quis confessus, priusquam pro peccatis satisfaciat, sive etiam, simul atque confessus fuerit, pœnitens, in quibus peccavit ex vita discedat, æterna quidem damnatione liberatur per sacramentum pœnitentiæ, in hoc enim pœnitentiæ remedium indultum est; aliter quippe nulla salutis spes fuisset his, qui in fine pœnitent ; debitam vero peccatorum satisfactionem persolvet. Quam enim hic, sive per eleemosynam, et aliam beneficentiam, sive per jejunium

Ἐπεὶ δὲ (*a*) τῶν ἁμαρτημάτων τὰ μὲν θανάσιμα λέγονται, ὅσα τὴν ψυχὴν ἀποθνήσκειν ποιεῖ, ἧς ἐστι θάνατος ὁ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ χωρισμός, τὰ δὲ συγγνωστὰ, ὅσα ῥυτίδα τινὰ καὶ ῥύπον ἐντίθησι τῇ ψυχῇ, οὐ μὴν ὥστε τῆς αἰωνίου μακαριότητος εἴργεσθαι διὰ ταῦτα. Καὶ μόνος μὲν ὁ Κύριος τὴν ἡμετέραν φύσιν ἀναλαβὼν, ἀναμάρτητος διεβίω, τῶν δὲ ἀνθρώπων ἕκαστος ἄλλος ἄλλοις τῶν ἁμαρτημάτων ἐνέχεται. Ἐν ἁμαρτίαις γὰρ ἐγεννήθημεν, καὶ τὸν βίον διελθεῖν οὐκ ἔστιν ἀναμαρτήτως, κἂν ἐφ' ὅσον οὖν τῆς ἀρετῆς ἔχεσθαι βούλοιτο. Εἰ γὰρ τῶν θανασίμων ἀπέχεται, τοῖς γὰρ μικροτέροις ἀδύνατον μὴ ἐνέχεσθαι, ὑπὲρ ὧν καὶ ὁστισοῦν εὐχόμενος ἐνέχεται λέγειν · Ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν. Ἐφ' ὅσον γάρ τις καὶ ὁπωσοῦν ἁμαρτάνει, ἐνοχῇ χρέους ὑπόκειται, καὶ τὴν ὑπὲρ τούτου ἱκανοποίησιν, ὁπωσδήποτε καταβάλλειν ὀφείλει. Εἰ μέν τις θανασίμοις ἁμαρτήμασιν ὑποκείμενος τοῦ παρόντος μετανοίας χωρὶς ἀπῆλθεν, ὁ δὴ τοιοῦτος αἰωνίως κριθήσεται. *Οἱ γὰρ τοιοῦτοι*, φησὶν ὁ Ἀπόστολος, *βασιλείαν Θεοῦ οὐ κληρονομήσουσιν*. Περὶ ὧν οὐδεμία σωτηρίας ἐλπὶς, καὶ τῆς ἀναστάσεως ἐπὶ κατακρίσει τυχόντες, πάλιν εἰς τὸν αὐτὸν ἀπελεύσονται τόπον.

Εἰ δέ τις ἐξομολογησάμενος, πρινὴ τὴν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτημάτων ἱκανοποίησιν ἐκπληρῶσαι, εἰ καὶ ἅμα τῷ ἐξομολογήσασθαι μετανοοῦντα, ἐφ' οἷς ἥμαρτε θανασίμοις, ἐντεῦθεν ἀναχωρήσει, τῆς μὲν αἰωνίου καταδίκης λυτροῦται διὰ τοῦ μυστηρίου τῆς μετανοίας. Ἐπὶ τούτῳ γὰρ τὸ τῆς μετανοίας κεχάρισται φάρμακον. Ἄλλως γὰρ οὐκ ἂν ἐλυσιτέλει τοῖς ἐν τῇ ἐξόδῳ μετανοοῦσι, τὴν δὲ ὀφειλομένην ὑπὲρ τῶν ἁμαρτημάτων ἱκανοποίησιν ἀποδώσει. Ἦν γὰρ ἐν-

[83] Philipp. II, 10, 11. [84] Joan. XIX, 37. [85] Matth. XXV, 46. [86] Matth. VI, 12. Gal. V, 21.

(85) Lege S. Thomam in opusc. contra Græcorum errores in Bellarmino l. *De Purgat.* et Gennadium pro concilio Florentino c 3. Exstat Græce et Latine liber a Græcis editus contra purgatorium quem tenebris quam luce digniorem evulgavit Vulcanius Calvinista.

(*a*) Hunc locum Græce edidit Leo Allatius in libro *De Purgatorio*, p. 12. EDIT.

Digitized by Google

ταυθα, εἴ τε δι' ἐλεημοσύνης, καὶ τῆς ἄλλης εὐ- A et lacrymas, et hujusmodi afflictionem soluturus erat,
ποιΐας, εἴ τε διὰ νηστείας, καὶ χαμευνίας, καὶ δακ- juxta regulas a sanctis Patribus positas pro satisfa-
ρύων, καὶ τῆς τοιαύτης κακώσεως ἔμελλεν ἀπο- ctione peccatorum, hanc nisi vivens implere permit-
δώσειν, κατὰ τοὺς ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν ὑπὲρ tatur, postquam exierit ex vita, reddet, donec per Dei
ἱκανοποιήσεως κειμένους τῶν πατέρων κανόνας, gratiam, et justitiam, peccati contagium sibi insi-
ταύτην, εἰ μὴ συνεχωρήθη ζῆν, κατὰ τὴν ἐκεῖσε tum diluens, mundusque jam effectus, ac dignus
διάθεσιν ἀπελθεῖν ἀποδώσει, ἕως ἂν κατὰ τὴν τοῦ qui uniatur Deo, non habens maculam neque ru-
Θεοῦ χάριν καὶ δικαιοσύνην ἀπονιψάμενος τὸν ἐκ τῆς gam, ea beatitudine fruatur, ad quam præparabatur
ἁμαρτίας ἐμπεπλασμένον αὐτῷ ῥύπον, καὶ καθαρὸς quidem per pœnitentiæ remedium, et sacramenta
καὶ ἄξιος ἤδη γενόμενος, ἑνωθῆναι τῷ Θεῷ, μὴ ἔχων cætera ab æterna damnatione per Christi gratiam
σπῖλον ἢ ῥυτίδα τῆς μακαριότητος ἀπολαύῃ, πρὸς liberatus, accedere autem prohibebatur, necdum
ἣν κατηυθύνετο μὲν ἀπὸ τῶν παρόντων διὰ τοῦ satisfactione debita, secundum divinam justitiam
τῆς μετανοίας φαρμάκου, καὶ τῶν λοιπῶν μυστη- impleta.
ρίων τῆς αἰωνίου καταδίκης, διὰ τὴν τοῦ Θεοῦ χάριν ἀπολυτρωμένος. Ἐκωλύετο δὲ προσελθεῖν, οὕτω τῆς
ὀφειλομένης ἱκανοποιήσεως κατὰ τὴν τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνην γενομένης.

Εἰ γὰρ ἐλεήμων ὁ Κύριος, ἀλλὰ καὶ δίκαιος, καὶ B Si enim misericors est, ac pius Dominus, justus
οὐχ οὕτως ἐλεήμων, ὡς τὴν αὐτοῦ δικαιοσύνην ἀναι- tamen nihilominus est. Neque ita est misericors,
ρεῖσθαι· *Πάντα γὰρ ἐν ζυγῷ καὶ σταθμῷ κατὰ* ut ejus justitia evacuetur: *Omnia enim in statera, et*
τὸν Ἡσαΐαν. Ἄλλως δὲ καὶ μάταιον ἦν, ἢ κανόνας *mensura*, juxta Isaiam [87]: aliterque inane esset
κακώσεως τοῖς ἐξομολογουμένοις ἐπιτιθέναι τὴν vel confitentibus ab Ecclesia pœnitentiam imponi,
Ἐκκλησίαν, ἢ τοὺς μετανοοῦντας τοσαύτῃ ἑαυτοὺς vel pœnitentes tantæ se ipsos tradere afflictioni.
παραδιδόναι τῇ κακουχίᾳ, εἴ γε τὴν αὐτῶν ἀνομίαν Si quidem iniquitatem suam, semel tantum con-
ἅπαξ μόνον εἰπόντας, ἐχρῆν μηδοπωσοῦν ἐνέχεσθαι fitentes, jam ab omni reatu liberi essent. At con-
πλέον. Ἀλλὰ δῆλον ὡς ἀντισηκοῦσα τοῖς ἁμαρτή- stat, quia peccatis pœnitentiæ afflictionem ingerens,
μασι τὴν διὰ μετανοίας κάκωσιν, καὶ τὴν ἐνταῦθα atque hic purgationem breviorem, ac leviorem quam
κάθαρσιν ἐπιτομωτέραν καὶ κουφοτέραν τῆς μετὰ debeatur, decernens, talia injungit. Alias enim qui
ταῦτα ὀφειλομένης κρίνουσα τὰ τοιαῦτα τοῖς ἁμαρ- per omnem vitam deliciis, et impudicitiæ dediti, ad
τήμασιν ἐπιτίθησιν. Καὶ μὴν καὶ οἱ διὰ βίου τρυφῇ ipsum jam finem vitæ pœniterent, nihilo deterio-
καὶ ἀκολασίᾳ συζήσαντες, ἐπ' αὐτῇ δὲ τῇ ἐξόδῳ μό- res essent, quam hi qui pro similibus peccatis diu-
νον μετανοοῦντες, οὐδὲν ἂν ἠλαττοῦντο τῶν ἐν σάκκῳ tissime in cilicio, et cinere, et lacrymis usque ad
καὶ σποδῷ καὶ δάκρυσι μέχρι τελευτῆς διαγενομέ- C finem perstiterunt. Nihil præterea conferrent, quæ
νων ἐφ' ὁμοίοις τοῖς ἁμαρτήμασιν. Ἔτι δὲ οὐκ ἂν pro defunctis ab Ecclesia fieri præcipiuntur ora-
οὐδοτιοῦν συνετέλουν αἱ ὑπὲρ τῶν τεθνηκότων ἐλεη- tiones, et eleemosynæ. Pro his enim, qui jam bea-
μοσῦναι καὶ προσευχαὶ παρὰ τῆς Ἐκκλησίας προσ- titudine potiti sunt, orantes sacrificia offerre opus
τεταγμέναι. Περὶ μὲν γὰρ τῶν ἤδη τῆς μακαριότητος non est. Quæ enim pro sanctis officia offerimus,
ἐπειλημμένων εὐχομένους οὐ χρὴ θυσίας ἀναφέρειν. non ut misericordiam consequantur, offerimus; sed,
Ἐπεὶ καὶ ἃς ὑπὲρ τῶν ἁγίων θυσίας προσάγομεν, ut honorantes eos, mediatores pro nobis apud Deum,
οὐχ ἵνα τύχωσιν ἐλέους, ἀλλὰ τιμῶντες αὐτοὺς, καὶ ut naturæ nostræ primitias opponimus. Pro his vero,
μεσίτας ὑπὲρ ἡμῶν ὡς ἀπαρχὰς τῆς ἡμετέρας φύ- qui in inferno damnati sunt, nullam Ecclesia ora-
σεως πρὸς τὸν Θεὸν προβαλλόμεθα. Περὶ δὲ τῶν εἰς tionem facit.
ᾅδου κατακριθέντων οὐδεμίαν εὐχὴν ἡ Ἐκκλησία
ποιεῖται.

Καὶ φανερὸν ὑπὲρ τῶν μήτε ἐν μακαριότητι καθ- Perspicuum igitur est, neque pro his, qui beata
ιστημένων, μήτε ἐν ᾅδου κατακριθέντων τὰς εὐχὰς jam requie potiti sunt, neque pro his, qui in inferno
καὶ τὰ τοιαῦτα προσάγεσθαι. Ὅθεν καὶ ἀναγκαίως D damnati sunt, orationes, ac talia offerri. Unde ne-
συναναφαίνεται, τρίτον τινὰ τόπον τιθέναι, ὅπου cessario colligitur, tertium quemdam esse locum,
τῆς τοιαύτης καθάρσεως γενομένης, καὶ τῆς ἐλλει- ubi hujusmodi purgatione facta, et reliqua satis-
φθείσης ἱκανοποιήσεως ἀποδοθείσης, οἱ διὰ ταύτης factione persoluta, qui sunt ejusmodi omni ma-
ἐλθόντες, τὸν ἐνόντα βραχὺν καθαρθέντες ῥύπον, cula purgati ad beatitudinem transeunt. Simili vero
ἐπὶ τὴν μακαριότητα μεταβαίνουσιν. Ὡσαύτως δὲ ratione etiam si quis servatis omnibus mandatis
καὶ εἴ τις τὰς μὲν ἐντολὰς ἁπάσας τῶν τοῦ Θεοῦ Dei, mortalibusque culpis liber, parvis vero, et quo-
προσταγμάτων τηρήσας, κἀντεῦθεν τῶν θανασίμων tidianis, sine quibus vita hominis transigi non po-
ἀπηλλαγμένος, τοῖς δὲ μικροῖς τούτοις καὶ καθη- test, obnoxius, hinc, sine pœnitentia, et satisfactione
μερινοῖς ἐνισχύμενος, ὧν χωρὶς ἀδύνατον ζῆσαι τὸν decesserit, in purgatorii loco integre, quod omise-
ἄνθρωπον, καὶ αὐτὸς ἀπελθὼν τὴν ὑπὲρ τούτων ἱκα- rat, reddet. Eum enim, qui mortalibus semper ab-
νοποίησιν, εἴ τι ταύτης παρώφθη, ἢ τοῦ τέλους ἐπελ- stinuerit, propter minima ista, ut qui turpissime
θόντος οὐκ ἔφθασεν ἐκπληρῶσαι, καθαρθεὶς ἐν τῷ flagitioseque vixerunt, in inferno damnari, justus

[87] Isa. XL, 12.

Digitized by Google

profecto judex nunquam permitteret. Alias enim vita pura nihil a corrupta differret: si, qui sine venialibus culpis esse non possumus (sumus enim homines) æque propter illa, ut quisque perditissimus ob scelera gravissima cruciabimur. Et quomodo unicuique Dominus reddet secundum opera sua [58], si tot frustra labores nobis, pro illius implendis jussis assumimus? imo vero, quænam est salutis spes, si etiam parva quæque peccata, quæ velut umbra homines sequuntur, æque ut mortalia damnantur? Nam sine ipsis decedere, illorum est, qui per martyrium consummati, vitamque angelicam imitati sunt, eorumque qui magnam ostenderunt pœnitentiam, ut latro; et quos divina gratia præcipue justificavit.

A τόπῳ τῆς καθάρσεως ἐντελῶς ἀποδώσει. Τὸν μὲν γὰρ τῶν θανασίμων ἀποσχόμενον διὰ βίου διὰ τὰ μικρὰ ταῦτα τοῖς ἀσώτοις διαβιώσασιν ἐπίσης ἐν τῷ ᾅδῃ κατακριθῆναι, πάντως οὐκ ἂν παρὰ τοῦ δικαίου κριτοῦ συγχωρηθείη. Ἄλλως γὰρ οὐκ ἂν ὁ μετὰ τῶν ἐντολῶν τοῦ Θεοῦ βίος τοῦ διεφθορότος διαφέροι, εἴ γε τῶν μὲν συγγνωστῶν ἁμαρτημάτων ἀδύνατον μὴ κατασχεῖν ἄνθρωπον ὄντα, ἐπίσης δὲ διὰ ταῦτα τοῖς πάντη διεφθορόσι κατακριθήσεται. Καὶ πῶς ὁ Κύριος ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ ἀποδώσει τῶν τοσούτων ὑπὲρ τῶν ἐντολῶν αὐτοῦ πόνων εἰς κενὸν ἀνηλωμένων τῷ κατορθώσαντι; Μᾶλλον δὲ τίς σωτηρίας ἐλπὶς, εἰ καὶ τὰ μικρὰ τῶν ἁμαρτημάτων, ἃ καθάπερ σκιὰ πᾶσι τοῖς ἀνθρώποις παρέπεται, τοῖς θανατίμοις ἐπίσης κατακρινοῦσι; Τὸ γὰρ καὶ χωρὶς αὐτῶν ἀπελθεῖν, τῶν διὰ μαρτυρίου τελειωθέντων, καὶ τῶν ἐν σώματι καθάπερ ἄγγελοι πολιτευσαμένων μόνον ἐστὶ, καὶ μέντοι καὶ τῶν μεγάλην ἐνδειξαμένων μετάνοιαν, ὥσπερ ὁ λῃστὴς, καὶ οὗ; ἡ Θεοῦ χάρις ἐδικαίωσεν ἐξαιρέτως, ὅπερ ὀλιγίστων ἐστί.

Cæterum, ut sordidatum vel parva macula, uniri Deo, et perfrui beatitudine, possibile non est, nihil enim divinæ naturæ profanum appropinquat; ita, omnibus peccatis expiatum, putare, non admitti ad beatitudinem, cum nihil jam obsistat, irrationabile simul et iniquum est, Scripturæque sententiis contrarium. Sic itaque inter beatitudinem, et æternum cruciatum tertius locus relinquitur, in quo hujusmodi peccata purgantur. Eum vero locum ignem esse aiunt; non eum qui ante faciem Christi in ejus revelatione, ut ait Daniel [59], præcedit, et quem gehennæ ignem Scriptura vocat [60]; his enim, qui in illum semel merguntur, nulla est emergendi spes; sed ignis alius, quem purgatorium dicunt; quod in eo delicta purgentur, ac velut in fornace, qui in illum mittuntur, emundantur, istudque ante judicium extremum. Post hoc enim, nullus qui mundetur erit, unoquoque proprium sibi locum æterne vindicaturo, Solum enim ante hoc judicium quæ pro animabus fiant, conferre possunt. Sed et si qui adveniente Domino ad judicandum mundum, modo sanari possint, relinquentur: *Omnes enim non dormiemus* (86), *omnes vero immutabimur* [61]; *et nos, qui vivimus, qui residui sumus, simul cum eis rapiemur* [62]; Deus, ut qui possit mortis, atque illorum regenerationis omnia in momento persequi; ita et purgationis dolorem, qui multo tempore durasset, breviter contrahens, reddet juxta temporis, doloris que rationem, ut omnes illius conspectui assistant, omni quidem motu, cursuque quiescentibus, omnibusque sacramentis, ac dispensationibus impletis. Idem vero et de corporibus, si quem ex his dolorem quis obvenire velit propter consortium ad animam in hac vita, nihil cogitare prohibet.

B Τὸ δὲ καὶ τὸν βραχὺν ἔχοντα ῥύπον ἑνωθῆναι τῷ Θεῷ συγχωρηθῆναι τῆς μακαριότητος ἐπιτετευγμένον ἀδύνατον. Οὐδὲν τῇ θείᾳ σοφίᾳ προσυπαντᾷ βέβηλον, ἀλλὰ καὶ τὸ παντὸς ἐκκεκαθαρμένον μὴ συγχωρεῖσθαι οἴεσθαι τῆς μακαριότητος ἀπολαύειν, μηδενὸς ἤδη προσισταμένου, ἄλογόν τε καὶ ἄδικον, καὶ ταῖς τῆς Γραφῆς ἀποφάσεσιν ἐναντίον. Οὕτω τοίνυν μεταξὺ μακαριότητος καὶ τῆς αἰωνίου καταδίκης τρίτος καταλείπεται τόπος, ἐν ᾧ τὰ τοιαῦτα τῶν ἁμαρτημάτων καθαίρεται. Ὃν δὴ τόπον πῦρ εἶναί φασιν, οὐκ ἐκεῖνο τὸ πῦρ, ὅπερ πρὸ προσώπου Χριστοῦ ἐν τῇ ἐπιφανείᾳ, ὡς ὁ Δανιὴλ φησιν, ἕλκεται, καὶ ὃ πῦρ γεέννης ἡ Γραφὴ καλεῖ, τοῖς γὰρ ἐν τούτῳ καθαχριθεῖσιν οὐκ ἔστιν ἀνάδυσις, ἀλλ' ἕτερον, ὃ Καθαρτήριον διὰ τὴν κάθαρσιν ὀνομάζεται, καὶ τὸ καθάπερ ἐν χωνευτηρίῳ τοὺς εἰσελθόντας καθαίρεσθαι. Καὶ τοῦτο πρὸ τῆς τελευταίας κρίσεως. Μετὰ γὰρ ταύτην ἐπεὶ καὶ πρὸ ταύτης μόνον τὰ ὑπὲρ τῶν ψυχῶν γινόμενα δύναται συντελεῖν· μετὰ δὲ ταύτην οὐδεὶς ὁ καθαιρόμενος ἔσται, ἑκάστου τὸν οἰκεῖον ἑαυτῷ τόπον αἰωνίως καθέξοντος. Ἀλλὰ καὶ εἴ τινες αἴφνης ἐπὶ τῷ κρίνειν τὸν κόσμον ἐπιστάντος τοῦ Κυρίου, μόνον εἰ τῶν ἰασίμων εἰσὶ, περιλείπονται, *Πάντες γὰρ οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα, καὶ ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι ἅμα σὺν αὐτοῖς ἁρπαγησόμεθα*, ὥσπερ δυνατὸς ὁ Θεὸς τὰ τοῦ θανάτου καὶ τῆς αὐτῶν παλιγγενεσίας ἐν ἀτόμῳ διεξελθεῖν, οὕτω καὶ τὴν διὰ τοῦ καθαίρεσθαι ὀδύνην ἐν πλείονι διαστήματι τοῖς δεομένοις καθάρσεως ἐν βραχεῖ συνελὼν ἀποδώσει, κατὰ τὸ τοῦ χρόνου καὶ τῆς ὀδύνης ἀνάλογον, ὥστε πάντας ἔμπροσθεν αὐτοῦ παραστῆναι, πάσης κινήσεως καὶ δρόμου παντὸς πεπαυμένων, πάντων δὲ μυστηρίων καὶ πάσης οἰκονομίας τελεσθέντων. Τὸ δ' αὐτὸ καὶ τοῖς σώμασιν, εἴ τινα καὶ τούτοις ἄξιοί τις ὀδύνην προσγενέσθαι διὰ τὴν ἐν τῷ βίῳ τούτῳ πρὸς τὴν ψυχὴν κοινωνίαν, οὐδὲν ἄτοπον προσλογίζεσθαι.

[58] Rom. II, 6. [59] Dan. VII, 9. [60] Matth. X, 28. [61] II Cor. XV, 51. [62] I Thess. IV, 16.

(86) Sic legunt Græci.

Digitized by Google

Εἰ δέ τις τὴν τοιαύτην, ἐφ' ὧν προείρηται, κάθαρσιν ἀπαρνεῖται, ἐξ ἀνάγκης ὁμολογήσει, ἢ τὸ κακὸν ἀτιμώρητον καταλείπεσθαι, ἢ τὴν τῶν πιστῶν Ἐκκλησίαν μετὰ ῥύπου τῷ Χριστῷ συναφθήσεσθαι, ἢ καὶ τὰ ὑπὲρ τῶν τεθνηκότων εἰς οὐδὲν γίνεσθαι δέον. Ἀλλὰ τὸ μὲν πρῶταν, εἰ καὶ τολμηρὸν εἰπεῖν, ἄδικον δείκνυσι τὸν Θεὸν, εἴ γε τοὺς ἀνομοίως ἁμαρτόντας τοῖς ἴσοις ὑπάξει, καὶ τοὺς διαφόρως ζήσαντας τῶν αὐτῶν ἀξιώσει, τὸ δίκαιον ἑκάστοις οὐκ ἐν ζυγῷ καὶ σταθμῷ παρεχόμενος. Οὐδὲ γὰρ εἰ εὔσπλαγχνος καὶ ἐλεήμων ἐστὶ, τὸ τῆς ἄκρας δικαιοσύνης ἐκβάλλεται. Τοῦτο γάρ ἐστιν ἑαυτὸν ἀναιρεῖν. Καὶ ἡ Γραφὴ πανταχοῦ τὸν ἔλεον τῇ κρίσει συνάπτει, οὐδ' εἰ χαριζόμενος τῆς αἰωνίου καταδίκης τοὺς ἐξομολογησαμένους λυτροῦται ἤδη καὶ τὴν διὰ κακώσεως ἀντισήκωσιν, καὶ τῶν ἁμαρτημάτων ἱκανοποίησιν παραιτεῖται. Οὕτω γὰρ διὰ μόνων τῶν μυστηρίων δυνατὸν ἦν τῆς βασιλείας ἐπιτυγχάνειν. Καίτοι καὶ τὸ ὅλως ἱκανοποιοῦν δύνασθαι χάριτος ἐστί. Τοῖς γὰρ εἰς τὸ θεῖον ὕψος ἐξαμαρτοῦσι, τί ποτ' ἂν εἰς ἐξίλασμὸν ἢ ἀντισήκωσιν ἐξαρκέσαι; Ὅμως τῇ τῶν ἀνθρώπων ἀσθενείᾳ, μεγάλα μικροῖς ἀντιμετρῶν, κατὰ τὸ πολὺ ἔλεος συγγινώσκει, οὐδὲ τῆς Ἐκκλησίας συντριβὴν καὶ κάκωσιν τοῖς μετανοοῦσιν ἐπιτιθείσης, καὶ ἄλλως μετὰ τῶν πιστῶν οὐ προσλαμβανούσης εἰς τὴν τῶν μυστηρίων κοινωνίαν, *ὁ ἐτάζων καρδίας καὶ νεφροὺς, καὶ διϊκνούμενος ἄχρι μυελῶν σαρκὸς καὶ πνεύματος*, ἧττον ἀκριβέστερον ἐκείνης φανεῖται, δεδομένης ἐφ' ὅσον ἄν τις καὶ ὁπωσοῦν βούλοιτο τῆς ὑπὲρ τῶν ἁμαρτημάτων ἱκανοποιήσεως. Οὐδὲ μὴν δίκαιον διὰ τὸν ἐνόντα βραχὺν ῥύπον τῆς βασιλείας ἀπείργειν. Τὸ δὲ δεύτερον παντελῶς ἀδύνατον. Δεῖ γὰρ, φησὶν ὁ μακάριος Παῦλος, ἑνωθῆναι τὴν Ἐκκλησίαν τῷ Χριστῷ, *μὴ ἔχουσαν σπίλον ἢ ῥυτίδα*, καὶ ὡς εἴρηται τῇ θείᾳ σοφίᾳ, οὐδὲν προσυπαντᾷ βέβηλον, καὶ δὴ καὶ Γρηγορίου τοῦ Θεολόγου μετὰ τὴν ἀποκατάστασιν λέγοντος, *τοῖς ἁγίοις εἶναι μακαριότητα τὴν θεωρίαν τῆς ἁγίας Τριάδος, ὅλης ὅλῳ τῷ νοῒ μιγνυμένης· ἣν καὶ μόνην βασιλείαν οὐρανῶν ἐγὼ τίθεμαι*, φησί. Πῶς ἂν εἴη τοῦτό τινος ἐν τῇ ψυχῇ μενούσης ἀκαθαρσίας;

Τὸ δὲ τρίτον τοῖς παρὰ τῆς Ἐκκλησίας ὑπὲρ τῶν ψυχῶν γινομένοις, καὶ ταῖς ἐλπίσι τῶν πιστῶν παντελῶς ἐναντίον· ἔτι δὲ τοῖς παρὰ τῶν ἁγίων ἐν ἱστορίαις καὶ ἀποκαλύψεσιν, ἢ θεωρίαις λεγομένοις μέχεται, ὧν πολλῶν ὄντων μόνων τῶν εἰρημένων τῷ θείῳ Δαμασκηνῷ ἐν τῷ *Ὑπὲρ τῶν κεκοιμημένων* αὐτοῦ λόγῳ πρὸ τῆς τεσσαρακονθημέρου νηστείας μεμνώμεθα, *ἐν ᾧ πολλοῖς ἀποκαλυφθῆναι τῶν ζώντων διέξεισιν, ὅσον αἱ ὑπὲρ τῶν κεκοιμημένων ἐλεημοσύναι καὶ προσευχαὶ λυσιτελεῖς εἶεν· καὶ ὅπως ἐκεῖνοι τῶν πειρατηρίων καὶ τῶν δεσμῶν, τούτων γινομένων ἀνίενται*. Καὶ μέντοι καὶ ὁ μέγας Βασίλειος ἐν ταῖς εἰς τὴν Πεντηκοστὴν ἀναγινωσκομέναις εὐχαῖς ἄνεσιν ἐλπίζει καὶ εὔχεται τοῖς κατεχομένοις τῶν κατεχόντων αὐτοὺς ἀνιαρῶν. Καὶ

A Si quis vero hujusmodi purgationem, in quibus prædictum est, neget, necesse est ut confiteatur vel malum aliquod relinqui impunitum, vel fidelium Ecclesiam cum macula Christo conjungendam, vel quæ pro defunctis fiunt, nihil valere. Sed primum illud quidem, etsi audax dictum est, injustum ostendit Deum, si quidem dissimiliter peccantes eisdem pœnis subdit, et qui differenter vixerunt eisdem dignos censet, non eis quod justum est in statera et pondere distribuens. Neque enim, si clemens et misericors est, summa in Deo illius justitia tollitur. Hoc enim est ipsum destruere. Et Scriptura vero ubique misericordiam judicio conjungit, neque, si indulgens, æterna damnatione confitentes eripit. Jam etiam pœnitentiæ afflictionem peccatorumque satisfactionem tollit. Ita enim solis mysteriis esset cœlesti regno perfrui, quanquam et digne posse satisfacere, gratiæ est. Iis enim qui in Deum peccant, quid ad propitiandum seu satisfaciendum posset sufficere? Tamen hominum infirmitati condescendens, et magna parvis commutans, secundum magnam misericordiam ignoscit, neque Ecclesia contritionem et afflictionem pœnitentibus imponente, atque aliter ad communionem sacramentorum cum fidelibus non admittente; is qui *scrutatur corda, et renes*[63], *et pertingit usque ad divisionem animæ et spiritus*[64], minus diligens, quam illa apparebit, concessa, quantum quis et quomodolibet velit, satisfactione pro peccatis. Neque tamen B justum esset propter levem maculam arcere a regno. Secundum vero, omnino impossibile est: *Oportet enim*, inquit beatus Paulus, Ecclesiam uniri Christo, *non habentem maculam neque rugam*[65]. Atque, ut dictum est, divinæ munditiæ nihil profanum appropinquat, Gregorio item Theologo dicente, *post restitutionem sanctis esse beatitudinem speculationem sanctæ Trinitatis, quæ tota toti intelligentiæ miscetur: quam etiam solam*, inquit, *ego regnum cœlorum dico*. Quomodo fieri hoc posset, si qua in anima perduraret immunditia? C

Tertium autem his quæ a Christi Ecclesia pro animabus fiunt, speique fidelium contrarium omnino est; hisque præterea, quæ a sanctis in historiis seu revelationibus seu speculationibus dicuntur, adversatur. Quæ cum multa sint, sola, quæ Damascenus in sermone suo *Pro mortuis* dixit ante jejunium quadragesimale, memorabimus: *In quo viventium plurimis revelatum*, ait, *quantum vel eleemosynæ, vel orationes, quæ pro defunctis fiunt, illis conferant, utque illi vexationibus et vinculis, dum ista fiunt, dimittuntur*. Nempe et magnus Basilius, in orationibus quæ in Pentecoste leguntur, requiem sperat et orat dormientibus eorum quibus continentur tristium. Et omnis Ecclesia talia pro his orans offert; perspicuumque est, quia non solu- D

[63] Psal. VII, 10. [64] Hebr. IV, 12. [65] Ephes. V, 27.

Digitized by Google

tionem ac requiem eorum qui æternis pœnis cruciantur, orantes petunt. His enim qui semel illis fuerint immersi, emergendi facultas nulla est. Alias eos qui damnati eis sunt, relaxari necessario putandum est; finemque fore infinitis cruciatibus putandum. At id contra communis fidei positionem est.

Quoniam vero neque pro his qui sunt in beatitudine (hi quippe optato fine quietissime fruuntur), neque pro his quos æternus urget cruciatus, Ecclesia talia orat, colligitur, quod dictum est, tertium quemdam locum purgationis esse, ubi qui continentur per summam Dei justitiam, ejusque miserationem infinitam, his quibus continentur, tristibus eripiuntur, et per charitatis opera benignissimus Deus propitius effectus, pœnalem cruciatum breviori concludens intervallo, ad beatitudinem eos transfert non habentes maculam vel rugam. Propter hoc enim cura pro mortuis suscipitur agenda.

A πᾶσα ἡ Ἐκκλησία τὰ τοιαῦτα ὑπὲρ τούτων δεομένη προσάγει, καὶ δῆλον, ὡς οὐ λύσιν καὶ ἄνεσιν τῶν ἐν τῷ αἰωνίῳ κολάσει πειρατηρίων τοῖς κατεχομένοις εὐχόμενοι δίονται. Τοῖς γὰρ εἰς ἐκείνην εἰσελθοῦσιν οὐκ ἔστιν ἀνάδυσις, ἢ τοὺς ἐν αὐτῇ καταχριθέντας ἀνάγκη νομίζειν ἀνίεσθαι, καὶ ταύτῃ τέλος τῆς ἀτελευτήτου κολάσεως οἴεσθαι. Τόδε ἐστὶ παρὰ τὴν κοινὴν τῆς πίστεως θέσιν.

Καὶ ἐπεὶ οὐθ' ὑπὲρ τῶν ἐν μακαριότητι καθεστώτων (οὗτοι γὰρ τοῦ τέλους ἀδεῶς ἀπολαύουσιν) οὔθ' ὑπὲρ τῶν ἐν αἰωνίᾳ καταδίκῃ κριθέντων ἡ Ἐκκλησία καὶ τοιαῦτα προσάγει, τὸ εἰρημένον συνάγεται, τρίτον τινὰ τόπον τῆς καθάρσεως εἶναι, ὅπου οἱ κατεχόμενοι κατὰ τὴν ἄκραν τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνην, καὶ τὸ πολὺ αὐτοῦ ἔλεος τῶν κατεχόντων ἀνίενται, B καὶ διὰ τῶν τῆς ἀγάπης ἔργων ὁ πανάγαθος ἐξιλεούμενος, καὶ ταύτῃ τὰ τῆς ἐπωδύνου καθάρσεως ἐν βραχυτέρῳ συγχωρῶν διαστήματι ἐπὶ τὴν μακαριότητα μεταβιβάζει, μὴ ἔχοντας σπίλον ἢ ῥυτίδα. Ἐπὶ τούτων γὰρ τὰ ὑπὲρ τῶν τεθνηκότων προσειλῆπται.

Huic purgationi beatus etiam concinit Paulus dicens: *Quale cujusque opus est, ignis probat; si cujus opus arserit, detrimentum patietur, hic autem salvabitur, sic autem quasi per ignem* [66]. Opera quidem ardentia dicens facile conflagrantem incendio materiam: quam qui ædificaverunt, penitus ardebunt. Detrimentum enim passa sunt omnia illorum studia, et sine ullo fine torrebuntur. Opera vero, quæ superædificantur, fidei scilicet et quæ permanent, virtutis dicens opera, qualia juxta proportionem sunt aurum, argentum et pretiosi lapides, quæ qui perfecerit, mercedem sumet, salutem scilicet. Sequitur enim: *Hic autem salvabitur.* Verum et ipse cum dolore, ut scilicet per ignem transiens, purgatusque a brevi sibi inusta macula. Dei enim est omnino sine peccato esse. De hominibus vero, quantumvis sint mundi, dictum est: *Quoniam in multis offendimus omnes* [67]; et, *Nemo mundus a peccato neque infans unius diei* [68]. Dictum est autem et apud Malachiam: *Quoniam, sicut ignis in fornace, et velut herba fullonum, conflabit, et emundabit quosdam* [69].

bat. *Per* enim transitum quemdam motumque significat. Eum vero, qui semel in gehennæ ignem injectus fuerit, manere semper in eo necesse est.

Attestatur his et divus Chrysostomus, in quarta super Matthæum homilia, *Sancti quidem*, inquit, *per ignium flumen gradientes, nihil triste patientur, imo, inde clariores etiam reddentur.* Sanctos fideles dicit, qui sine mortalibus peccatis sancte justeque C vixerunt; hos enim, qui ita vivunt, Scriptura *sanctos* vocat. Et quod item dicitur: *Si justus vix salvabitur, peccator ubi parebit* [71]? ad hanc intelligentiam ducitur per eum qui vix salvatur, illum commendans, qui per purgationem salute fruitur.

Quidam etiam apud nos dictum illud apostolicum exponens ait: *In expositione Isaiæ sanctus Basilius hujus dicti mentionem secundo faciens, ipsum pro purgatione suscepit.* In hanc intelligentiam et Nyssenus Gregorius dictum explanavit. Quorum verborum vim quidam non intelligentes, finem post judicium ultimum æterni cruciatus dicere putarunt in ipsam intelligentiam et Occidentalem Ecclesiam, quia purgatorii ignis ante ultimum Salvatoris adventum purgationem prædicat, qua sublata, D plurima absurda sequi necesse est: a nostris culpatur, quasi post judicium finem cruciatuum fore affirmans. Sed falsum profecto est, ita illam sentire; adeo, ut si qui hoc aperte sentire comprobantur, eos a se abscindat, neque illos ad communionem sacramentorum admittat. Idque perspicuum est et ex antiquis et ex junioribus illius Ecclesiæ doctoribus, ut ex his quæ in nostram Græcam scilicet linguam inde translata sunt, si quis legere voluerit, animadvertet. Sed hæc hactenus.

Et certe, si gehennæ ignem hic voluit dicere, quomodo possibile est ut qui in eum missus fuerit, salute potiatur? In eo quippe nulla est salutis spes. Constat igitur de igne purgante et probante, velut aurum in fornace, eos qui in illum immittuntur, illi sermonem esse. Nam gehennæ ignis neque mundabit aliquos, neque probabit.

Quod si quidam sanctorum, quod dictum est, *salvabitur veluti per ignem* [70], in igne manebit, exposuit, nihil contrarium est; qui enim purgatur et probatur, quantumlibet in eo quod se probat et purgat, necesse est maneat, ut sordes ponat. Simulque quod dictum est, *per ignem*, id quod dicimus, compro-

De sacerdote diaconi officium implente.

Et illud item adjiciendum est, quod cum sit sine

[66] I Cor., III, 13-16. [67] Jac. III, 2. [68] Job. XIV, 4, sec. LXX. [69] Malach. III, 2, 3. [70] I Cor. III, 15. [71] I Petr. IV, 18.

Digitized by Google

crimine, culpatur tamen a nostris. Hoc autem est, quod in offerendo sacrificio sacerdos sæpe diaconi explet ministerium. Improbe sane. Ignorant enim, quia is quidem qui, quod majus est, habet, etiam quod minus est ejusdem generis habet necessario. Non autem e converso. Idque omnia inspicientibus constabit. Homo enim rationalem habens animam, sensibilem quoque et vegetabilem sub ea habet. Neque tamen quæ vegetabili anima utuntur, sensibili etiam et rationali potiuntur. Atque itidem in aliis, sive humana, sive divina inspicere quis velit. Nempe et Dominus secundum hominem primus existens, et maximus sacerdos, non ideo, quia ministri habitum, et ministerium pedes abluendo monstravit, sacerdotii confudit ordinem. Et hic igitur sacerdos, quoniam inferioris sacerdotii gradus in seipso continet, constat, quia omnibus quæ sub se sunt, legitime utetur.

Non tamen illius ordinem diaconus implere potest. Nisi enim eos qui sub ipso sunt, gradus contineret, profecto neque unquam apud se omnium simul graduum ministerium impleret sacerdos; quoniam vero implet, constat, quia illos habens, secundum illos etiam ministrare potest. Est enim irrationabile omnia simul quidem facere permittere; discrete autem non ita, cum nihil sit, quod prohibeat. Atqui a diaconi stola dignitas sacerdotalis non excluditur. Non enim sibi invicem ista contraria sunt, ut cum alterum sit, alterum esse non possit. Neque stola diaconi, causa sacerdotalium graduum exsistit. Sed horum gratia, etiam stolæ differentia habentibus distributa est.

Quod si eos qui sub se sunt, in seipso sacerdos gradus continet, constat quia, quando diaconi seorsim implet ministerium, licet illi stolam etiam illius indui. Aliter autem esset inconveniens, pontificem aliquem vel exsilio, vel alio casu aliquo affectum, ministris absentibus qui illi in oblatione salutaris hostiæ assistant, non per seipsum omnia implere, sed, sine sacramentorum participatione diutissime persistere, vel sine ipsis etiam decedere, cum nihil adsit, quod rationabiliter ac necessario obsistat.

Quod enim dicitur, *non oportere presbyterum in diaconi ordinem venire*, hujusmodi est, ac si dicatur : Non expedit ut sacerdotii gradum deserens quispiam ad diaconi transcendat ordinem. Quia enim sacerdotium omnes sub se gradus continet, constat in una persona quæ alios contineat, majore sublato, et alia simul auferri. Sicut cum rationalis anima separatur a corpore, otiosa reliqua et inutilia fiunt, et quorumdam sacerdotio sublato, non permittitur his vel diaconi vel subdiaconi gradum continere, atque illius implere ministerium. Sed et aliter Ecclesia prohibet eos qui sacerdotii deserunt gradum, minorem quoque apud se retinere. Neque enim deessent, qui vel propter canonis facilitatem, vel sibi honorem comparantes, quem solis diaconis habere licet, sive etiam aliis quibusdam casibus sacerdotium omnino deserere, quasi sacerdotes ab initio consecrati non essent, ac diaconorum dignitate uti non vellent. Ex quo ministeria ecclesiastica confundi atque ordine carere conflingeret, singulis, quæ sibi gratiora essent, eligentibus. Eam vero licentiam Ecclesia coercuit.

De duobus Romanis pontificibus (83).

Enimvero qui dissensionibus gaudent, illud quoque criminantur, quod nunc Occidentis Ecclesiam duo agunt pontifices, ambo per gentes et genera divisi, quasi non hoc ipsum eis sæpe contigerit. Quod si ambo ecclesiasticis non utebantur, illud omnino in causa est quod conclusi undique sint, neque se Ecclesiæ nostræ ita extendat auctoritas, hostiliter tamen nihilominus affecti erant. Quanquam vero istud nemo rite laudaverit; cum tamen res ita se habeat, circa res tantum Occidentis versatur ista dissensio, fides autem utrisque una est, quocirca magis ac magis veritatis firmitas admiranda est, quod, cum illi extrinsecus divisi sint, non tamen fides illis discreta est. Propterea propter principatum solummodo differre, longe levius est quam fidei ratione separari. Utrum enim illorum quisque sibi eligat, nullum fidei discrimen incurrit.

De Dominicis imaginibus.

Quidam vero nostrorum adeo perdita mente sunt, ut etiam Salvatoris imaginem Latinis tantum inscriptam litteris adorare renuant. Ipsam quoque adorationem flexis genibus Deo reddere hæreticum existimant : neque evangelistæ memores de Domino dicentis : *positis genibus oravit;* neque sacerdotum admonentium populum voce magni Basilii, ac dicentium : *Iterum atque iterum curvantes genua Dominum precemur.*

De crucis signo (84).

Causantur item, quia dum vitale sibi crucis signum imprimunt, transverse a dextris inchoando crucem formant, quasi non virtute signi, sed in compositione vivificæ crucis religio, et reverentia,

Ἀλλὰ καὶ (1) τὸν σταυρὸν, ὅτιπερ ἀντιστρόφως ἑαυτοὺς σχηματίζουσι σημειούμενοι, αἰτιῶνται, ὡς περ οὐκ ἐν τῇ δυνάμει τοῦ σχήματος, ἀλλ' ἐν τῇ θέσει τῆς περὶ τὸν ζωοποιὸν σταυρὸν εὐλαβείας καὶ θεω-

(83) Forte loquitur Calceca de schismate tempore concilii Basileensis vel Constantiensis; tunc enim plures fuere pontifices et quidem duo, tempore concilii Basileensis; ex quo de ætate Calecæ conjecturam capere licet : quanquam idem casus accidit, maxime quando Urbano VI Clemens VII est oppositus antipapa, anno Christi 1378. Quod schisma quinquaginta annos tenuit. Hoc tamen non habet locum, si Caleca concilio Lugdunensi interfuit, ut scribit Galesinius in Vita sancti Bonaventuræ.

(84) Gretserum lege lib. IV, c. 1, *De S. Cruce.*

(1) Græce apud Allatium *De consensu*, p. 1360.

Digitized by Google

et speculatio consistat. Atque ut intelligi datur, cum prius inquisierint, quomodo ea quæ videtur, crux composita, vel picta fuit, si quidem, ut ipsi volunt, fuerit, tunc adorabunt; sin vero aliter compositio illa cœpta fuerit, omittent. Et simul quemadmodum quispiam, alium figura crucis signans, transverso a dextris inchoat : quid sceleris admittit, si seipsum etiam sic signet? Quocirca et Latinorum plurimi mirantur aliquos ad tantum rusticitatis pervenire potuisse ut etiam circa sanctæ crucis formationem, cum eadem quomodolibet formetur, contemplatio et virtus sit; differentiam fidei si sic vel sic fiat, arbitrentur, quod neque differre ipsi putant, et quomodolibet formetur, fidelibus esse adjutorium non ambigunt.

ρίας συνισταμένης. Καὶ ὡς ἔοικεν, ἀξιώσουσιν ζητουμένου πρότερον, πῶς ὁ φαινόμενος σταυρὸς συνετέθη ἢ ἐγράφη· εἰ μὲν ὡς αὐτοὶ βούλονται τότε προσκυνεῖν, εἰδ' ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἄλλως πως ἡ σύνθεσις, ἤρκται παριέναι, καὶ ἅμα ὥσπερ τις ἕτερον τῷ σχήματι τοῦ σταυροῦ σημειούμενος ἐγκαρσίως ἀπὸ τῶν δεξιῶν ἄρχεται. Τί τὸ παράνομον οὕτωσὶ καὶ ἑαυτὸν σημειοῦσθαι; Διὸ καὶ πολλοὶ τῶν Λατίνων θαυμάζουσιν, εἴγε τινὰς εἰς τοσαύτην ἐξέπεσον ἀγροικίαν, ὡς καὶ περὶ τὴν τοῦ σχήματος τοῦ θείου σταυροῦ σύνθεσιν τῆς αὐτῆς κατ' αὐτὸν θεωρίας ὑποκειμένης διαφορὰν πίστεως, ἢ οὕτως. ἢ οὕτως ἡγεῖσθαι. Ὅπερ οὔτε διαφέρειν οὕτοι νομίζουσιν, καὶ ἂν σχηματίζοιτο τοῖς πιστεύουσιν εἰς βοήθειαν ἐξαρκεῖν.

De Græcorum in schismate suo pervicacia.

Ita igitur zizaniorum seminatores et scandalorum opifices, his et hujusmodi, quorum alia quidem odii et contentionis indicium habent, alia simplicitatis et imperitiæ, alia in criminatores rectius retorqueri possent eis erroribus innexos, quos aliis inurunt, commune corpus Ecclesiæ dividendo dissiparunt, atque in tantum odii et amentiæ ac temeritatis eos qui sub se sunt, perduxerunt ut tolerabiliores putent, qui Saracenorum superstitioni exsecrabili inserviunt, quam qui Occidentis Ecclesiæ junguntur (85) : illorumque potius amicitiam et communionem, quam Occidentalium eligant, et neque Christianos eos nominent, pluresque etiam de illis ambigant an nobiscum venerentur Evangelia; nisi quis plurimorum nugacitate transmissa, Christianos eos simpliciter existimet. Cumque quotidie illorum religioni plurimi applicentur, non solum viri, sed et civitates et gentes integræ (86), nihil magnum contigisse arbitrantur.

Porro si qui Occidentalium Ecclesiam de processione sancti Spiritus recte sentire asseverant, omnes una consentientes sanctos et Ecclesiæ magistros proferentes, simulque communes intelligentias et fidei principia consonare ostendentes, hos Ario et Sabellio deteriores putant, nullamque de illis jam habendam rationem, ut qui sponte in perditionem ierint, existimant. Ita enim animarum gubernatores vocant eos qui ex Patre per Filium substantiam habere Spiritum sanctum confitentur, omnibusque cœtibus et omni consuetudine, cunctisque communibus illum exagitant. Et nequissime quidem Occidentalium Ecclesiam blasphemant, sacrificiumque et omne sacramentum, quod apud illam fit, exsecrantur.

Quos sane miserari convenit ac pro illis orare, quippe cum Dei opus sint, qui vivificat mortuos. Neque enim de quibus dicunt neque de quibus affirmant, sciunt; atque omnino sine sensu, et sui, et aliorum

(85) Merito igitur jam jugo Turcico premuntur.

(86) Hoc maxime fit nostro sæculo in conversione Indorum. Lege de hac re epistolam primam Barlaami episcopi Gyracensis, quæ exstat tom. VI *Ant.*

vivunt. Sed etsi qui propter proximi dilectionem medicamenta eis afferre voluerunt, quæ inimicissimorum sunt, eis tentare visi sunt, ab illis undique exagitati et fugati. Id autem solummodo lucrati sunt, quod charitatem ad proximum, bonique et honesti desiderium et alacritatem ostenderunt.

De primatu sancti Petri et Romani pontificis (87).

Ut igitur ad prima redeamus, quoniam et a Patre et Filio Spiritum sanctum procedere communis sanctorum opinio declarat, imo et ipsa fidei principia id verum esse contestantur, easque rationes quæ contra hanc opinionem inferuntur, nihil valere, supra ostensum est; et, quæ illis absurda objiciuntur, qui ex Patre et Filio Spiritum sanctum confitentur, nulli, nisi illis tantum qui objiciunt, absurda videri : quodque de additione objiciebatur hesternum ac vile, occasionemque solam primatum quærentium esse, demonstratum est, et contra Ecclesiæ regulas contendere volentium : sed et quas invenerunt causas, ut discessio non irrationabilis videretur, ipsæ quoque contentionis atque odii documentum sunt : perspicue liquet nullam illis excusationem relinqui, qui de processione sancti Spiritus adversus Romanam Ecclesiam contendere instituerunt. Quocirca quisque mente et ratione præditus, eamdem cum illa opinionem de sancti Spiritus processione tutissime tueri debet. Et quam in Symbolo unam, sanctam et apostolicam confitemur Ecclesiam, hanc esse justissime asseveraverit, eumque qui ita confitetur, catholicam fidem tenere, illa duce non ambiget.

Ad hæc et illud intuendum, quanta sit Ecclesiæ magnitudo, quanta rerum moles, utque ab ea nulla unquam hæretica sententia manarit, quam beatus fundavit Petrus, quæ semper ad omnes fluctus immobilis perstitit; quia supra petram, id est, super ipsum Dominum fundata erat, sive super beati Petri firmissimam fidem : quem illi Dominus, cum corporali præsentia mundum desereret, præfecit, *beatum* illum appellans, *quia non illi caro et*

lect. D. Henrici Canisii.

(87) Lege Gennadium pro concilio Florentino, et Bellarminum lib. *De Pont.*, et epist. 2 Barlaami Gyrac.

Digitized by Google

sanguis, sed cœlestis Pater veram revelavit fidem [73]. Inde jam principiis ecclesiastici principatus jactis, cum interrogatis discipulis, quem esse homines putarent Filium hominis, cæteros præveniens, dixit : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Cui responsum protinus est : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam : et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* [74]. Rursumque illi hanc commendans dicebat : *Si me amas, Petre, pasce agnos meos, pasce oves meas* [75]. Et de quo ait : *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos* [76]. Et quem posuit æqualem sibi, quando Cæsarianis tributum exigentibus, præcepit Petro hamum in mare dimittere, inveniendumque in primo qui occurrisset pisce, staterem aureum dare exigentibus pro se et Petro [77]. Id autem est volentis illum æque ac se honorari pro portione debita, illumque verbum suum continere. Quia enim a Domino nihil frustra dictum aut factum est, necesse est, et quæ apostolo Petro præcipue præ cæteris dicta sive facta sunt, magnum aliquid credere significare. Quid autem majus esse potest, quam hujusmodi Ecclesiam suam sub hoc duce gubernari constituit, quam, ut ipse voluit, in Petro solidavit, ut adjuncta rebus verba ista testantur? Si enim vel multis in humanis rebus principantibus, vel nullo, confusioneque regnante, nihil vel parum consistere posset.

Et certe cum in ipsa omnium natura, singula per ordinem quod suum est operentur, quo sublato, mundi totius harmonia solveretur : *Ipse enim*, inquit, *cœlestia et terrena continet* [77]; quomodo esset possibile, cuncta disponentem sapientiam, *et a fine usque ad finem pertingentem fortiter, suaviterque cuncta disponentem* [78], gregem suum, Ecclesiam suam, quam proprio sanguine redemit, pro qua omnis ei ratio et omne mysterium est, sine gubernatione relinquere, per multas quidem tentationes et quæstiones in præsenti exercitatam? ipso vero corporaliter et sensibiliter hinc migraturo, etsi nunquam ab Ecclesia invisibiliter abfuit : *Ego enim*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* [79].

Nam etsi post ascensum Salvatoris ad cœlos, nihil indigebant apostoli aliquo, qui secundum evangelicam doctrinam ac conversionem ac circa dogmatum diligentiam eos informaret; at Ecclesiæ quas singuli apostoli ædificavere, et qui illis successerunt, Petro illiusque successoribus indiguerunt semper, et indigent. Quem scilicet ordinem in apostolis primum inchoari decuit, sicut etiam contigit. Omnes enim alias aliter circa fidem naufragantes, aut id pati periclitantes, Petrus per successores suos suamque Ecclesiam erexit atque servavit; quemadmodum ipsum antea Dominus in navi periclitantem cum cæteris, ac propterea dicentem : *Præceptor, salva nos, perimus* [80], increpatis ventis exsurgens servavit; quod futuræ ubique in navicula Ecclesiæ perturbationis, hæresibus omnibus illam mergere quærentibus, argumentum erat. Cujus regimine suscepto, Petrus periclitantem servavit per se ipsum magistro excitato. Neque enim frustra ei Dominus claves regni credidit; fundamentumque se positurum dixit, super quo Ecclesiam suam ædificaturum repromisit; hancque præcipue *pascere Petro*, si se amaret, imperavit, atque in tributi solutione hunc pro se ipso respondere voluit.

Enimvero, et quod post resurrectionem dictum est : *Dicite discipulis ejus, et Petro* [81], præ cæteris illum appellantis atque honorantis est. Sed et discipulorum primus ingressus est in monumentum, et vidit, et credidit, ut, qui princeps Ecclesiæ relinquebatur, primus in apostolorum choro reliquis resurrectionem Christi nuntiaret. Nempe enim et convenientibus omnibus, primus in concionibus est. Paulus item : *Ascendi*, ait, *Hierosolymam videre Petrum* [82], velut ad præcipuum quiddam, ad Petrum intendens. Etsi cum propter circumcisionem quidam scandalizarentur, atque in Evangelii prædicatione circumcisionem inferre molirentur, quoniam quidem apostoli, circa prædicationis initia, ob varias necessitates majorumque dispositiones, ut medici curam animarum gerentes : ille quidem, quia gentium magister erat, non cogebatur aliquos accedentium prædicationi circumcidere : Petrum vero eos qui ex circumcisione crediderant assumens, ut majora lucraretur, minora ad tempus contemnebat : ab his qui illorum intentionis erant nescii, invicem dissentire putarentur, cum eo ipso maxime congruerent. Ne enim et in Evangelio circumcisio locum habere videretur, ea quæ putabatur inter eos differentia necessario assumpta est. Quod enim sibi valde concordes essent, hinc perspicuum est. Non solum Petrus aliquos, verum et Paulus Timotheum circumcidit, qui Judæa matre natus erat. Sic enim tunc necessitas flagitabat ad prædicationis dispensationem.

Verumtamen Paulus Petrum minime ignorans : *Ascendi*, inquit, *Hierosolymam videre Petrum*, veluti aliquod sacrorum monilium excellentissimum intuiturus eique honorem redditurus, sive etiam Evangelium cum eo collaturus; ut vel firmaretur quod rectum erat, vel suppleretur quod deerat. Nam etsi omnis ambitio e choro illo apostolico erat remotissima (perfecti enim erant singuli, neque duce indigebant), tamen apud illos etiam ordo ut primus bonorum omnium a Domino plantatus fuerat; atque ad Petrum, veluti ad illius successorem, intuebantur omnes. Neque enim fortuito res apud illos gerebatur, sed, velut præsente duce, ab ipso signum exspectabant : ac primo concedebant,

[73] Matth. xvi, 17. [74] ibid. 16-18. [75] Joan. xxi, 16-17. [76] Luc. xxii, 32. [77] Matth. xvii, 23 seqq. [77] Sap. i, 7. [78] Sap. viii, 1. [79] Matth. xxviii, 20. [80] Matth. viii, 25. [81] Marc. xvi, 7. [82] Galat. i, 18.

Digitized by Google

cum illic in communi cœtu aliquid dicendum erat, ut liquido in Actibus apparet [83]. Primus enim inter omnes, præsentibus aliis, ut ipsius chori princeps concionari deprehenditur, nunc quidem ad Judæos, nunc autem ad sodales, cum sermo esset de surrogando proditori successore et eligendo. Oportebat enim ut futurum in Ecclesia Christi ordinem ipsi præfigurarent, ut quemadmodum cæteris duces bonorum omnium fuere, sic etiam ordinis essent.

Atqui si illi, cum perfecti essent, ordinis tamen curam maximam adhibuerunt, neque statutos terminos transgressi sunt, quomodo non eos arbitremur per ea quæ gessere, posteris suis hunc modis omnibus servandum tradidisse? Atque apponebant illi quidem, qui crediderant, pecunias ad pedes apostolorum; Petrus autem eos qui Deo mentiti fuerant, Ananiam et Sapphiram, simul reliquos admonens ac malignari prohibens, dux et judex veritatis astans, mortis sententia multavit.

Scriptum est autem et in historia Clementis, qui post Petrum successor ejus fuit, quod cum ex hac vita Petrus beatissimus migraturus esset ad Dominum, Clementem advocans, ipsi tradidit, quem acceperat a Domino, Ecclesiæ principatum, fidelesque æqualiter, ut sibi viventi, veluti Ecclesiæ principi eatenus intenderant, ita et ad illum, ut suum, ac dignitatis suæ successorem aspicere præcepit. *Hunc enim*, inquit, *vobis pro me relinquo*. Nempe et sanctissimi evangelistæ in enumeratione apostolorum, ut chori totius principem Petrum semper præponunt, Et Ecclesia ubique principem apostolorum appellat; quippe et in hymnis suis Damascenus Petrum et Paulum laudare volens, alium quidem ut omnium apostolorum principem, alium vero ut qui ultra cæteros laborarit, laudat. Attestatur et divus Chrysostomus super Matthæum.

De Constantino et Sylvestro.

Ista neque Christianorum reges ignorantes, quorum primus fuit beatus Constantinus, Sylvestrum tunc Romanæ Ecclesiæ gubernacula regentem, communi decreto (88) ubique per orbem promulgato, *Petri et Christi successorem* appellat, *pastoremque primum et magistrum Ecclesiæ* totius vocat: liquidoque comprobat, se quam inter Christianos invenerat consuetudinem hoc decreto roborasse. Neque enim nuper ex gentilium errore conversus ad Christum, novi aliquid in Ecclesia moliri voluisse putandus est, eique Romam ob cathedram beati Petri dereliquit: indignum existimans, ut ait ipse, *ubi sedes sanctissimi mei Petri apostoli, vicarii Domini, et regis nostri Jesu Christi fundata est, Ecclesiæque ipsius principatus; illic etiam terreni imperii sedem statui, sed hanc quidem sancto Petro ejusque successoribus deputamus; nos autem quæremus regni sedem alio in loco*, Byzantii scilicet, *ædificare*. Et quæ alia adjecit, et de conversione sua narrans, et de dignitate successorum beati Petri edicta proponens, servandaque posteris tradens, erga quam nisi successores imperii parem reverentiam servent, *statuendos cum crucifixoribus Domini nostri Jesu Christi, beatorumque apostolorum Petri et Pauli incursuros indignationem* indicat.

Præter cætera enim rursus et hoc ait: *Ordinem stratoris nos beato Sylvestro papæ successori beatissimi mei Petri apostoli vicarii Christi implevimus.*

Hæc et hi qui postea fuere Christianorum reges agnoscentes, atque in his manere coacti, siquidem hæretici fuissent, Romani episcopi sententiam, in quibus poterant, secum habere modis omnibus moliebantur, dignitatem ejus probe scientes, utque sufficeret ad omnia sententia illius; turpe enim simul atque audax videbatur, Christi cum essent, imprudenter agere, nisi quis fortassis ad omnes leges rebellare instituisset. Sin vero pii ac religiosi essent, de his quæ quomodolibet essent ambigua, ejus exspectabant judicium, ut cum illud haberetur, aliis alia dicentibus, nullus ultra amplius inquirere permitteretur.

In synodis vero ipse omnium princeps præsidebat; et vel per eum, vel per alios, qui vice sua fungerentur, recta fides roborabatur, sine quo adversus hæreticos obsisti nequibat; atque non solum congregare synodum, sed neque contra adversarios dimicando prævalere, sine illius auctoritate quispiam poterat. Attestantur his partim hi qui per id temporis delitescebant, neque vocem liberam pro fide emittere audebant, etsi ipsi optime sentirent: partim et magnus Basilius epistolis suis Occidentales excitans, atque fidei veritate periclitante, ut opem ferant, obsecrans, nisi provideant, id passuram asseverans, quasi non sufficientibus, qui apud Orientales reliqui erant, orthodoxis: aut non audentibus bellum ad destructionem blasphemantium arripere.

Sed et theologus Gregorius, in epitaphio sermone quem in eum scripsit, hoc ipsum testatur, dicens: *Aderant et Occidentalium episcoporum aliqui ad se attrahentes orthodoxos omnes.* Etsi enim semper inter hæreses aliqui vera de fide sentientes, reliqui erant, veluti quædam scintilla veritatis: verum, non tantum habebant roboris, ut vel synodum cogere, aliasque obsistere auderent, cum ipsi minima pars essent, ac sæpius occulerentur. Aut si coegissent, robur ea synodus non habuisset. Nulla enim synodus non præsente, vel non consentiente

[83] Act. I, 1 seqq.

(88) Exstat hoc decretum apud Gratianum d. 96, neque Græcis est ignoratum, ut patet ex commentariis Balsamonis in concilia.

Digitized by Google

Romano episcopo, vel robur habebat, vel catholica credebatur. Ut enim beatus Stephanus junior insinuavit, sine eo res ecclesiastica tractari dirigique non poterat: Iconomachorumque synodum, Romano pontifice non approbante, catholicam appellare renuit.

Hæc autem non Romanæ urbis gratia illi dignitas contigit, sed quia successor beati Petri fuit. Eum vero Dominus pro se Ecclesiæ præfecit, atque propter eximiam præficientis gloriam, successor ejus, et ea quam per successionem cepit, Ecclesia, ubicunque terrarum vel urbium esset ædificata, idem profecto valeret in omnibus Ecclesiæ negotiis; sin vero eam, qua sub cœlo nulla esset major, civitatem oportuit præcipue ad sedem eligi magnitudini Ecclesiæ Christi congruentem: ut sicut humanarum illic rerum omnium imperium fuit, ita illic etiam caput Ecclesiæ Christi, fidei per totum orbem edicta promulgaret, atque unde idololatriæ præcepta manaverant, inde ecclesiastici principatus ubique terrarum edicta innotescerent: ac facilius unico sub principatu, ubique prædicatio diffunderetur, idcirco etiam Romam in tantum crevisse, quantum in humanis rebus dici potuit, ut rerum dignitati æqua esset proportio, et undique nobilitas, et magnificentia fidei Christianæ colligeretur: id quoque ejus est, qui contraria ex contrariis virtutis magnitudine conficit, et fundamenta jacit, atque his, quæ proposita sunt, optime quadrat.

Prædicta vero etiam rebus roborantur. Nam *portas inferi* sancti esse hæreticos dicunt, et omnes omnino qui illi adversantur; quos Ecclesiæ non prævalituras in Petri petra fundatæ, prædixit Dominus. Constat autem quod aliis quidem Ecclesiis, quas apostoli ædificaverunt, hi qui varias et aliis temporibus alias invexere hæreses, prævaluerunt. Etsi enim non usquequaque malitia obtinuit, in quantum tamen obtinuit, prævaluit. Romanæ autem Ecclesiæ, quam Petrus solidavit, nullus omnino unquam prævaluit. Neque enim hoc quæritur, an aliquis ei præfuerit, qui contrarium aliquid catholicæ fidei pronuntiaverit: quanquam et si quid contigisset ejusmodi, protinus Ecclesiæ sententia dejectus, Petri sede simul et dignitate excidisset. Neque enim ultra esset Romanus episcopus, neque Christi Petrique vicarius, aliusque dignus apostolicæ sedi subrogatus esset, Ecclesiæque status idem perseverasset, nemine illi prævalente: neque vel parum patre illa, vel pastore destituta (esset.) Ut inde quoque vera Domini sententia probetur: *Ego vobiscum sum*, inquiens, *omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*, cum necesse sit, ne nunc quidem infidelium prædictam sententiam excedere, ut et alia simul vera esse credantur, et consona per omnia sibi invicem et cohærentia appareant. Nempe enim et beatus Maximus, in disputationibus adversus Pyrrhum, Honorium, quem aliqui ut hæreticum, Romanum tamen episcopum, causabantur, purgat: cum hæreticus Pyrrhus Constantinopolitanam tunc Ecclesiam regeret, et ad munimen erroris sui Honorium proferret. Et vere iste respondit: *Honorium pietatem colere, siliqui ipsi, in his quæ dixit, illius sensum congruere simulque ipsi*, et illius verba Pyrrho proposuit, quasdam asserens illius sensum ignorantes sive etiam calumniantes, falsam de illo disseminasse famam.

Veram autem fuisse excusationem, hinc liquet. Præter id enim, quod nullus facile crederet, sanctum Maximum mentiri posse, idque cum plurimum temporis Romæ tunc fuerit, pro ecclesiasticis negotiis, et neque impie sentiente Honorio, recte sensisset Ecclesia; sed vel cum illo ipsa falsa, vel cum ipsa ille vera sentiret, id profecto verum esse cernitur, et ex his quæ divus Maximus illum excusans dixit, cum qua et ipse stans adversus Pyrrhum Constantinopolitanamque Ecclesiam pro pietate pugnabat. Et ex eo etiam, quod nil tale blasphemum de illa per id temporis historia tradidit.

Non ergo illud inquiritur, an aliquis ipsis præfectus contra catholicam fidem unquam aliquid protulerit; quippe si quis talis esset, Romanus episcopus non esset; hujusmodi enim semper vera prosequi necesse est, sedemque illam nunquam patre privari, qui inde de dogmatibus vera decernat, quamvis ne sic quidem tale aliquid contigit. Sed an aliquid unquam ab Ecclesia Romana tale prolatum sit, et vel ad modicum ei prævaluerit, quod nunc anathemati communiter subjectum sit, sicut sæpe in aliis Ecclesiis contingit, quæritur. Hoc autem nemo ulla ratione monstrare potest.

Si igitur aliis quidem Ecclesiis portæ inferi prævaluerunt sive parum, sive amplius, nihil refert. Et certe cum quarumdam ruinam ultra quinquaginta annos durasse ostendi possit, id solum sufficit, illarum sententias ab omni Ecclesia anathemati traditas fuisse: contra quas sententias etiam martyrum fusus est sanguis. Romanæ vero Ecclesiæ nihil unquam tale prævaluit; constat, Salvatoris sententiam in ipsa tantum veram esse, et hanc Ecclesiam esse, de qua Dominus dixit: *Ædificabo Ecclesiam meam*, et quam alias *conversum Petrum* confirmare præcepit. Alias vero super hanc fundatas esse, et consistere confessionem, et sequentes quidem, ut partes et membra salubritatem simul habere atque robur, quando et plurimas unam existimare convenit; deviantes autem a capite et corpore præcidi, et neque aliis esse jam utiles.

Unde et Dominus monuit *in vite persistere*, seipsum *vitem* dicens et per *vitem* Ecclesiam designans: *palmites* vero fideles nominans [a], qui per confessionem illius et bonam conversationem fructum ferrent. Quibus profecto verbis summa Eccle-

[a] Joan. xv, 5.

Digitized by Google

siæ unio insinuatur, ut fructum in vite manentes ferant, ut nusquam corporis integritate deviante a capite, membra omnia vivificentur, *virumque perfectum in mensuram ætatis plenitudinis*[88] Christi Ecclesia coaugeatur : non e contrario, vel abscissa, mortua fiant, vel ex vite projecta, igni inexstinguibili consumenda damnentur.

Atque unitas quidem Ecclesias Psalmista ait, *benedicere Dominum*[86] ; non enim de singulis magis quam de Ecclesiis dicendum, quæ ex partibus collectæ sunt ; discissas vero, et in opiniones contrarias divisas, sive adversus Ecclesiam, cui nemo prævaluit, reluctantes, ut prioribus temporibus sæpius contigit, *scissa Ecclesiæ membra* magnus Basilius vocat, Psalmi dictum exponens, falsasque synagogas eas appellat, quanquam et consequentia summa per omnia Ecclesiæ Petri adest. Ait enim ad illum Dominus : *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Hoc Ecclesia Romana ad reliquas facere perstitit, aliisque in opiniones contrarias et solitudines, et præruptas et præcipitia oberrantibus, ipsa eas ad unum pastorem, et unum ovile reduxit : noxiis quidem mortiferisque graminibus eruens, salubria vero et læta ingerens, imo et adversus sævientes lupos, mammonæ scilicet, ac Cæsaris, ovesque vastare molientes, pro Christo, proque ejus fide ante gregem stans pugnavit : atque omni omnino inquirenti rationem semper reddidit de ea quæ in nobis est spe, ut ipse beatus Petrus admonuit[87]. Et, quod Dominus secundum hominem oravit dicens : *Simon, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua;* et hoc in Petri successoribus servatum est, cujus fides in ipsis nunquam defecit. Oportebat enim orationem illam ipsis rebus non posse decidere : *Ego enim*, inquit, *sciebam, quia semper me audis*[88], et aliquos semper in terra in illius veritate servari, pro quibus oratio illa fusa : *Serva eos in veritate, Pater sancte, ut sint unum*, et quæ illic addita sunt[89] ; undique, et ventis aliis alias contra Salvatoris ædificium se erigentibus, electos illos infractos præcipue in petra stare ; et qui alios servaturi erant, tempestate undisque jactatos, infirmosque curaturi, ipsos illos primum in tuta crepidine solidari, semperque sanos et inviolatos esse.

Quod in Petro, ejusque successoribus, ejusque omnino Ecclesia concurrit. Nam cum apostolicorum successorum nemo fuerit, quem Satanas non cribrarit ut triticum, zizania sua subseminans, Petrus nunquam in suis successoribus defuit, sed etiam per hos, deficientes quoque alios, juxta edictum confirmavit.

Neque enim solum de resurrectione Salvatoris, si quis ad hoc id verbum trahat, dictum putare debemus, quod Petrus conversus fratres confirmare debeat, quos multis modis ipse per se ipsum de illa roboravit : sed etiam de Petro per successores suos aliorum corrigente infirmitatem.

Neque magis, ne per negationem Petri deficeret fides, orationem illam fusam esse putandum est, quod et ipsum verum est, quam, ne unquam Ecclesiæ confessio, quæ sibi cœlitus revelata est, in suis successoribus infirmaretur, neque unquam nutaret fundamentum. Orationem enim illam, in eo quod nunquam Petri defectura esset fides, ad omnes quoque illius successores efficacia virtutis se extendisse constantissime putandum est : quem Dominus, ut voluit, aliis præferens, per ipsum roboravit, crepidinem suæ Ecclesiæ subjiciens, præsensque invisibiliter in veritate semper conservavit, imo et usque in finem juvans conservabit. Filius enim hominis in terram veniens, inveniet fidem. Aliter quippe inanis esset Ecclesia, quam in terra Dominus statuit, nisi usque ad consummationem sæculi servanda ex omnibus esset, de qua, ut conservanda, prædixit : *Ecce, ego vobiscum sum, omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*[90]. Quam profecto ideo cæteris præesse voluit, ut aliis, veluti de specula, jura dictaret : ac de longe omnes in eam intuentes, absque ambiguitate illius decreta susciperent : quænam sit Ecclesia manifeste scientes, persuasumque habentes eam semper vera necessario prosequi.

Nempe enim, ut dictum est, aliis Ecclesiis catholicæ fidei contraria sæpe præferentibus, adeo ut vera sentientes, maledictis pœnisque subjicerent : et mendacii litteras, contra veritatem, alios quidem confiteri, alios vero etiam scribere compellerent. Petri vero Ecclesia, Romana scilicet, nunquam in aliquod hujusmodi lubricum prolapsa ; in illis quidem Salvatoris sententia impleta non est : *Vobiscum sum*, dicentis, *omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Impie enim sentientibus nunquam ille adest ; quemadmodum cum suis est jugiter in eis, hisque velut instrumentis utens, et quasi inspirans, ac per veritatem fidei a suis sacramentis, et spiritali vita ad cœlestem patriam transferens, ut ubi ipse est et ipsi sint.

In hac vero, quoniam nunquam a veritate aberravit, sententia ista et promissio maxime convenit, ut hinc etiam perspicuum sit, hanc esse Ecclesiam, quam in Petro ædificaturum Dominus se repromisit.

Præterea quod ab eo dictum est, quod inter fratres differentia aliqua exorta, primum quidem ipsum qui læsus sit, ad eum qui se læserit, accedere et rogare, quæ ad pacem sunt, debere ; deinde si illum reconciliare non possit, et alium secum assumere ; sin autem nec sic quidem reconciliaretur, Ecclesiæ tandem nuntiare ; cui, nisi obediat,

[88] Ephes. IV, 13. [86] Psal. LXVII, 1. *In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel.* [87] I Petr. III, 1 seqq. [88] Joan. XI, 42. [89] Joan. XVII, 17 seqq. [90] Matth. XXVIII, 20.

Digitized by Google

ut ethnicum et publicanum jam esse judicandum; hoc est infidelem et ab Ecclesia præcisum, ea quæ prædiximus, roborat. Præsupponit enim Dominus, Ecclesiam definitam esse aliquam rem, et hanc semper veracem, aliis quæ sunt utilia et necessaria annuntiare, atque agere. Neque enim nisi semper verax esset futura, indefiniter per omne tempus ad hanc fideles mitteret, de rebus ambiguis decernentem audituros. Neque si indefinitum ejus, apud fideles definitum esset, scire possent quo se conferre deberent, vel sua omnia referre, ut obtemperantes quidem securi jam et tuti esse possent : non obtemperantes autem, cum ethnicis se et infidelibus statuendos scirent.

Sed neque tamen nisi ea, ad quam mitterentur, Ecclesia, vera semper de omnibus dictare præsupponeretur, scire possent, quando renuere, quando obtemperare deberent, cum qui ab invicem differrent, veras ambo rationes proferre viderentur : communis vero Christianorum multitudo, simulque infirmitas humana discernere non possent, confusioque ac pugna ecclesiasticis in rebus pullulatura videretur : nisi subjecta Ecclesia, definite singula decerneret. Sed et sine culpa omnino essent, omni spiritui se permittentes, nisi aperta et manifesta fidelibus esset ecclesiastica auctoritas : Deo quidem possibilia a cunctis exigente, illis vero obscura non valentibus dignoscere : sive omnes omnino oportebat divinarum rerum scientiam jugiter adeptos in tanta confusione rerum, et ipsos ambiguæ fidei veritatem dignoscere : at id in multitudine contingere, possibile non est. Atque ideo, nunquam hoc Deus ab omnibus exigeret. Et id item quod dicitur : *Cæci cæcos* sequentes præcipitari periclitantur, quique Ecclesiæ inobedientes sunt, cum ethnicis una ejiciuntur, locum non haberet, si Ecclesiam dignoscere, bonumque a malo discernere, possibile non esset.

Nempe et in fidei Symbolo, sicut alia ad salutem necessaria ab eis, ut confiteantur, exigitur : ita, et *unam sanctam, catholicam*, et *apostolicam Ecclesiam* confiteri, requiruntur : ad quam de omnibus scilicet definituram admittimur : et cui obtemperantes, molestiis et scrupulis liberi evadimus. Quam etiam a fidelibus omnibus agnosci, ut possibile et necessarium exigitur. Et sine qua nec fidelium communio haberi potest, nec sacramentorum virtute perfrui valemus, nec per ipsa capiti Ecclesiæ, quod Christus est, uniri. Non in verbis, sed in rebus Ecclesiæ Christi positæ sunt res.

Quamvis, etsi qui ubilibet terrarum fuerint, qui de fide aliis alia dicentibus, vera ipsi senserint, laudabiles quidem fuere, se ipsos, ut partem referentes ad Ecclesiam, atque inde sibi ipsis sufficientes, illi per omnia quæ ad fidem pertinent, uniti, et aliis quoque hoc modo, quæ vera sunt, dictantes, cujusmodi sanctus Maximus fuit, et si quis illi similis est : non tamen ita, ut infinitis agminibus Christianorum, pro magnitudine Ecclesiæ et dignitate, satis esse possent : quodque in eis, quasi in obscuro erat, ad fidem eorum quæ dicerentur, omnibus sufficeret : quasi ipsi Ecclesiæ caput essent ejus, ad quam mittimur : cujusque processionem fines terræ esse Psalmista definivit [91].

Hæc cum ita esse necessario concessum sit, aliæ quidem Ecclesiæ, ut dictum est, a veritate sæpius aliter alias aberraverunt : quando de fidei veritate orbe toto inter se non conveniente, illæ falsa et sentiebant, et aliis sentienda proponebant, quosdam vero etiam invitos fateri compellebant, nulla earum esset profecto, ad quam indefinite mitteremur, Ecclesia, de ambiguis salubria et certa audituri. Manifestum enim est, quia eos quidem qui tunc ei contradixerunt, et usque ad sanguinem adversus hæreses, quas illa fovebat, reluctati sunt, maxime idcirco admiramur, in tantumque a nobis abest, infideles et ethnicos eos, quod illi non obtemperaverint, putare, ut etiam debito honore prosequamur, atque annis singulis illorum festos dies celebremus, mediatoresque pro nobis ad Deum proferamus.

Et certe Nestorius, ac Pyrrhus, et cæteri Constantinopolitanæ sedis antistites, hæretici tunc temporis, cum omni quæ sub ipsis erat Ecclesia, cum essent, se ipsos tamen Ecclesiam illam esse asserebant, quam omnibus sequendam per omnia dictitabant, eosque sibi qui non obtemperarent, ut ethnicos et publicanos puniebant. Qui vero illis obtemperavere, eos nos perditos existimamus : quantoque ad impietatem fuere proniores, tanto ab Ecclesia majori supplicio affecti sunt, et qui illis consenserunt, anathemate multati sunt.

Nullum vero novimus, qui, quovis tempore, cum de fide disputaretur, Romanæ Ecclesiæ obtemperans, similem exceperit damnationem. Imo vero nullus est, qui tunc adversus quidem Constantinopolitanam Ecclesiam aperte resisteret, quin et Romanam Ecclesiam intueretur, illiusque de fide opinionem, ut veritatis ac pietatis exemplum, quibus contradicebat, opponeret, eamque contra inimicos sociam auxiliatricemque præferret. Et nunc quoque, cum adversantium obscurum nomen sit, communiter ac privatim illa, et colitur, et coronatur : ut et hinc perspicuum sit, hanc esse Ecclesiam, cui, qui non obtemperat, gentilibus et publicanis Salvatoris sententia connumeratur. Principari quidem et alias Ecclesias, his quæ ad ipsas pertinent, et sub eis sunt, easque secure et judicare et dirigere, cum tempus exigit, quando ad unam omnes referuntur, arbitrandum est. Sed nisi adversus caput obluctentur, maxime, cum illis differentia, de fidei confessione fuerit. Tunc enim

[91] Psal. II, 8.

Digitized by Google

perniciosissime divisæ a capitis glutino et vivifica- A
tione decidunt : metusque est, ne præcisis membris, neque solum absente debita concordia, sed etiam præsente maximarum rerum contradictione; præter id, quod nihil possint, gentilibus etiam publicanisque connumerentur. Quanto enim de majoribus contradictio fuerit, tanto et condemnatio deterior est. Neque enim tantum de communibus istis differentiis putandum est, a Salvatore sententiam, quod Ecclesiæ obtemperandum sit, pronuntiatam esse, quantum de majoribus, et quæ primi in Ecclesia consistunt ordinis; qualia sunt, de dogmatibus, ex quibus est etiam de sancti Spiritus processione contradictio, per quam tanto jam tempore Ecclesiæ dissipatæ sunt.

Quibus profecto ita contingentibus, non modo in B
integritate a capite Ecclesiæ, quod Christus est, non vivificari et coalescere, verum et quod habere videbantur, ab ipsis auferri contestantibus rebus, necesse est. Ab eo enim, *qui non habet et quod habere videtur, auferetur ab eo* [53].

Propterea, etsi non pluribus ex Patre et Filio procedere Spiritum sanctum verum esse, contrariasque rationes nihil dicere, ostensum esset, res ipsa Ecclesiæ tamen, ut dictum est, dubios persuadere sufficeret, omniaque ab ipsa declarata, singulos nihil reluctando suscipere deceret, sed Christianorum omnium caput ipsam arbitrando, et quam in fidei Symbolo, unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam accepimus, eam esse C
asserendo, ita catholicam fidem continere, confiteri, illa tutissime ducente, maxime si quis etiam ad nationum multitudinem, quæ illam sequitur, intueatur : plurimis quidem in his humana ac divina sapientia, quantum homini possibile est, summe excellentibus, plurimis item in sacro et religioso habitu per monasteria degentibus, et in lege Domini die ac nocte meditantibus. Sed tamen ostensum est, fuisse tempus, quando Ecclesiæ unitæ erant, et fidei Symbolum apud istam legebatur, ut modo legitur.

Quemadmodum igitur his qui primo Ecclesiæ membra dividere volebant, et pro suis desideriis a communi cœtu Ecclesiæ abscindebantur, nullus mente et ratione præditus consentire, simulque D
cum illis abscindi voluisse, cum nulla id rationabilis occasio suggereret : sed aut divisionem potius impedire tentavisset, sicut plurimi tunc temporis, qui pro veritate et Ecclesiæ communione steterunt : aut malitia invalescente cæterisque per præcipitia euntibus, ipse super petram stans, atque unionem quam heri et nudiustertius cum cæteris amabat atque honorabat, servans, Ecclesiæ unitus esset : ita et nunc, si quis se ipsum eo tempore, quo Ecclesiæ divisæ sunt, fuisse fingens, ad res cum ratione respiciat, saluti et securitati suæ prospiciens, nulla ratione ab Occidentalium Ecclesia præscindi patietur. Neque enim profecto consilii fuisset, vel quando Ecclesiæ unitæ erant in fidei confessione, nulla præsertim probabili ratione discessionem suadente, cum his qui temere ferrentur, simul dividi ; vel cum his qui modo sunt aut antea fuerunt adversarii, ullo pacto commorari : cum et modo, et tunc æqualiter fidei negotia se habeant : quantumque attinet ad verarum rerum judicium, apud prudentes nihil differant.

Est autem sane irrationabile, his qui præsunt, alias se aliter habentibus, ut illos impetus tulerit, præscindique ab Ecclesia cupientibus, velle et se una præscindi. Quasi in illorum potestate sit, ut libet, utrumque agere; et qua velint cæteros ducere, veluti mancipia, sublata eis in tantum voluntatis sententiæque libertate, ut neque contrarias rerum mutationes eis discernere liceat, neque rectam sententiam eligere, pravæque præferre.

Nullus ergo erit tam iniquus judex, ut illis quidem et saluti contraria licere aggredi statuat, cæteris autem saluti et securitati suæ consulentibus, non licere quod sit rationis eligere. Neque illi quidem, propter suam levitatem et inconstantiam, sine ulla ratione unitatem dividentes, opinionem prudentiæ habebunt; qui vero hanc omnino servare elegerunt, deterius consuluisse videbuntur. Multo enim magis his qui in bono unitatis permanent, sive etiam ad illam redeunt, jus atque ratio aderit, quam his qui contra omne fas omnemque normam divisa Ecclesia communiter et privatim, seditionis ac divisionis, malorumque omnium auctores fiunt. Si enim his dividi pro voluntate licebit, et illis ratione licere non dividi dabitur. Et simul perspicuum est, quia nulla synodus unquam facta est, in qua declaratum sit Occidentis Ecclesiam hæreticam esse, Romanoque pontifici, ecclesiasticis sibi ab initio concessis privilegiis justis uti non licere; neque illi, juxta Ecclesiæ antiquas sanctiones, omnes obedire oportere.

Est ergo irrationabile et inconsideratum, discissionem nulla probabili ratione suadente, neque synodo ulla contra illam Ecclesiam ullo in loco sententiam ferente; eos sequi, quos voluntas et sua levitas circumfert, nihilque validum ac rationabile inferunt, imo et plurima quidem fidei, catholicorumque doctorum, ex superflua et fatua contentione, partim auferunt, partim contra seipsos confiteri coguntur. Enimvero quod putant isti, plurimos contentionis suæ socios episcopos opinionem suam satis roborare, ridiculum est : quasi non apud Romanam Ecclesiam episcopi totius orbis ordinentur, qui vel nominibus ipsas dignitates exornent, Ecclesia antiquum ordinem per omnia custodiente.

Porro si quis, quod loca ipsa non teneant, objicere velit, primum quidem non ex loco sacerdotis

[53] Matth. xxv, 29.

Digitized by Google

dignitas habentibus provenit; aliter enim et qui ista dicunt, suos episcopos tollent, qui nominibus solis participant, rebus privati : simulque ab illo episcopatum consequi, a quo et aliis omnibus sacerdotii dignitas est, totum profecto valet. Deinde et qui videntur thronis præsidere, a quibus nominantur, dignitatem solis nominibus sine rebus adornant, cum civitates ipsæ ante plurimum temporis ab infidelibus captæ ac sub jugum missæ sunt. Ex quo fit ut imperitia sensim, et rusticitate, et cætera morum corruptione crescente, ne simplicissima quidem fidei apud illos rudimenta noscantur, nomineque potius, quam re Christiani ibi sint.

Si igitur hos habere concordes magnum aliquid ad divisionem valet; et Occidentis Ecclesia nihilominus eosdem pro se proferet, atque eo magis, quo et doctores sacros pro se habent : et ipsi per se, de quibus culpantur, rationem facile reddere possunt : quocirca nemo suæ salutis avidus, eliget una cum suis dividi, partim quidem persuasum habens, Ecclesiæ per omnia obtemperandum esse, et qui non obtemperet, eum inter ethnicos projiciendum; partim vero, confessionem de sancti Spiritus processione ex Patre et Filio, plurimis ex locis veram esse, et saluti necessariam animadvertens.

Quibus veraciter ac firmiter subjectis, nunquam profecto circa exteriora turbabitur hujus veritatis studiosus. Aliis quidem propter consuetudinem ab initio concessis; aliis vero item immutatis, sicut et in legibus civilibus contingit, ideo quod secundum tempora alias aliter aliquid eluceat, quod reipublicæ expediat. Sicut etiam medici vivendi rationem alias aliam statuunt, ut illis ars pro utentium utilitate dictaverit. Hæc autem nullam inducunt fidei corruptionem. Nullus enim unquam propter exteriora ista, quomodolibet se habeant, sive etiam propter consuetudinem aliquam ut hæreticus insimulatus est.

Igitur cum sententiam de sancto Spiritu ita se habere, ut sentit Occidentalis Ecclesia, plurimis rationibus ostensum sit, justum profecto non est, a capite veluti languente, ipsos primum circa fidem ægrotantes præscindi, atque ita de maximis sine ratione periclitari. Mirum enim est, si quis adeo sit audax, ut cum tanta sint, quæ ad utilitatem compellunt, ipse non solum dividi, sed et opiniones maxime contrarias tuendo, de sua salute sperare audeat. Sufficiebat enim ad periculum, propter superbiam, vel aliam quamlibet hujusmodi causam Ecclesiæ non obtemperando, ab ipsa separari. At vero, de processione sancti Spiritus ab ipsa dissentiendo, propter hanc maxime sententiam dividi; quam qui negat, necesse est ut plurima, quæ de fide concessa sunt, simul neget, ut superius monstratum est, et per hanc divisionem bellum pertinaciter hujusmodi veritati indicere : Quanta divinæ indignationis animadversio? quanta damnatis his qui auctores falsitatis præcesserunt? quanta item sequentibus inferenda est? qui quantum in se est, commune corpus Ecclesiæ dividunt, seque ipsos lacera Ecclesiæ membra constituunt : *Non solum enim*, inquit, *qui mala faciunt, sed et qui malis consentiunt, digni sunt morte* [93]. Nam de *otioso verbo* rationem reddituri sumus [94] : et *sine fide possibile non est placere Deo*, ut ait Paulus apostolus [95]. Et *cæcus si cæcum ducat, ambo in foveam cadunt* [96]; quantum in hujusmodi cæcitate periculum illis esse arbitramur, qui tanta levitate feruntur, ac maxime prælatis Ecclesiæ, quos vigilare pro aliis Paulus monuit, utpote rationem pro illis reddituros [97] : et a quibus, nisi vigilaverint, aliorum sanguis, juxta Scripturæ sententiam, requiretur [98]?

Recogitanda item est Scribarum Pharisæorumque condemnatio; quod neque ipsi ingrediebantur, et qui voluissent ingredi, viam veritatis prohibebant [99]. Si autem Chrysostomus beatissimus pro viduæ jure in tantum contra injurias potentium perstitit, ut et sede et civitate fugaretur, quasi quispiam iniquus et perditus : quomodo non pro jure veritatis ac fidei omnia et facere et pati prompte et alacriter convenit? Imo, quomodo non imitari decet sanctum Athanasium, qui cum per id temporis Oriens, atque Occidens de *substantiæ* et *personæ* nomine contenderet, hisque syllabis fines terræ collidi periclitarentur, medium se objiciens, utrosque placavit, indignum putans eos de nominibus digladiari, quæ ad eamdem intelligentiam ferunt, etsi pronuntiatione differre videantur. Quod si præter dilectionem *tradidero corpus meum, ut ardeat, nihil mihi prodest* [1], et quæ illic de charitate dixit Apostolus : quomodo tutum esse poterit, his qui a Christianorum grege non solum dividuntur, verum et de fide contra omnem rationem inimicissime ab eis dissident?

Utrinque igitur, pro veritate, proque nostra ipsorum securitate, circa id quod expedit, omne studium omnemque diligentiam ostendere necesse est : nihil inventioni veri præferendo, neque id patiendo, quod multi, qui exteriora incommoda et damna pertimescunt, atque ideo, contra salutem suam scientes ac prudentes pergunt, stolidissime sane, vilissimis rebus tantam rem, adeoque necessariam prodentes, quasi Deo etiam vires nostras affectusque cordis ignorante; sed ultro potius nos ingerendo, atque ad alios proficiscendo, si quid forte de tanta re commode proferre possint.

Omni igitur anticipatione liberi, atque ab omni contentionis vitio remoti, fretique Dei adjutorio, nihil omittamus diligentiæ : iniquum sane existimantes, humani quidem, lucri gratia, longa maris

[93] Rom. I, 32. [94] Matth. XII, 36. [95] Hebr. XI, 6. [96] Matth. XV, 14. [97] Hebr. XIII, 7. [98] Ezech. III, 20. [99] Matth. XXIII, 13. [1] I Cor. XIII, 3.

Digitized by Google

spatia mercatores navigare, veritatem autem fidei, tanto propter illam conflato bello, præterire : neque hujus inventionem, ejusque lucrum, plurimis et pecuniis et laboribus præponere, maxime cum propter hanc vita nobis æterna proveniat, qui finis est divinæ circa humanam naturam dispensationis. Quemadmodum enim *qui non credit, jam judicatus est* [1], hinc enim jam damnationis initium sumit, et *qui ignorat, ignorabitur* [2] : ita Dei in hac vita contemplatio, futuram nobis pollicetur ; et his quæ de Deo hic creduntur, et ut possibile est, apprehenduntur, carneis solutis nexibus, veritatis succedit pulchritudo. Ænigmatibus quidem veritati ; fide vero et spe rerum substantiæ cedentibus, speculo hujus corporis soluto.

Ex quibus profecto constat, et eos qui hic in fide falluntur, neque veram Dei scientiam consequuntur, ne futura quidem illa speculatione fruituros, sed profanos fore, atque in sinistra parte collocandos. Si igitur beatus Stephanus (89) pro Salvatoris imagine, plurimique per id temporis, usque ad mortem constantiam suam ostenderunt : et certe, cum res ipsa non immediate circa fidem primamque theologiam, sed circa dispensationis divinæ sacramentum esset, neque statim circa hoc, injuria quippe solum ad humanitatem referebatur Christi ; honor enim imaginis, juxta magnum Basilium, ad primitivam formam penetrat : contra tamen imaginum oppugnatores constantiam usque ad mortem ostenderunt. Quænam modo alacritas, quod studium, quod robur, pro veritate proposita de sancto Spiritu ab eis pro merito ostendi potest, qui veritatis amatores sunt, securitatisque suæ ac salutis curam gerunt, pro qua omnis ratio, omnis sermo, omneque sacramentum divinæ dispensationis est ?

Habes, quæ de processione sancti Spiritus petisti, prolixius quidem, quam initio institueram, exposita, sed necessario, ut reor, ipsa materia hanc prolixitatem suggerente. Si ergo sufficienter dicta sunt, agamus Deo gratias ; sin vero minus quam ut studiosorum industriæ plene satisfactum sit, nostram infirmitatem, non materiæ ipsius sententiæque dignitatem in culpa esse sciant. Illa enim cum per seipsam vera sit, sanctorum etiam Patrum testimoniis nititur. Quorum nos sententias, atque de hac re opinionem, ut petisti, exponentes, nihil a nobis ipsis dixisse, qui recte reputaverit, inveniet. Breviorem autem in exponendo fuisse, dum celeriter singulis quasi supervolitando negotiis me expedire cupio, neque necessarium puto immorari omnibus, cum plurimi multa de hisce disseruerint, merito quispiam culpare possit. Ex his tamen, quæ dicta sunt, quorsum veritas propositæ quæstionis respiciat, cum maxime necessaria comprehensa sint, facillime conspici poterit : si modo, ut initio dixi, remoto contentionis studio, quæ dicta sunt legere, intente velit.

Obtestor autem et moneo omnes qui ista lecturi sint, ne ferant graviter, si ejusdem secum patriæ et generis cum sim, diversum ab illis iter, veritate ostendente, pergere voluerim. Optabam certe, sub uno pastore unum ovile esse, omnesque vinculo dilectionis astrictos, ut ait Paulus [4], idem sentire ; neque esse schismata, scandalis quam longissime fugatis. Sic enim et ipse cum cæteris in unum corpus compactis, et unum caput habentibus, maxima quiete tranquillissime fruerer : neque modo profecto, cum doceri malim, et opus habeam, doctoris officium mihi minime omnium conveniens sumerem.

Ex quo fortasse non deerunt, qui me jactantiæ et ostentationis insimulent ; quoniam vero *necesse est, ut veniant scandala* [5] ; *oportet enim*, inquit, *hæreses esse, ut qui in vobis probati sint manifesti fiant* [6], vigilareque unumquemque necesse est, ne plurimis passim circumferatur erroribus, et aliis alia dicentibus, ipse dum nescit, amittat omnia : *Sine fide enim impossibile est placere Deo* [7] ; tunc profecto urgentibus scandalis, prudentiæ fuerit, omni temporis anticipatione, omni populari fatuitate omissis, ipsam in seipsa verborum veritatem inspicere, et diligentius considerare, Patrumque regulis per omnia intentum, quocunque veritas duxerit, sequi. Hoc enim plurimis etiam, qui præcesserunt, Ecclesiæ magistris, prioribus temporibus contigit ; qui, cum sæpe eis veritas aliter se habere quam communis esset opinio, visa fuisset, ipsius toti fiebant, periclitantemque modis omnibus juvabant ac discerptam revocabant : et contemnentes omnia, igni, si necesse esset, ac ferro, dirissimisque suppliciis affecti, superabant : quod erat sui officii, implentes posterisque, quomodo hujusmodi emergentibus casibus, se gerere deberent, sui exemplo præscribentes. Si quidem igitur possibile esset, Deo una et hominibus placere, optandum id profecto magis et expetendum esset, nullusque sibi alterum in hac re præferri vellet. Quoniam vero duobus dominis, invicem contrariis, servire possibile non est : *Si enim*, inquit, *hominibus placerem, Christi servus non essem* [8] ; et : *Prudentia carnis, inimica est Deo.* [9] *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus* [10] ; quodque sanctus Maximus, cum a civibus suis criminaretur, prævalente apud eos Monotheletarum hæresi, quoniam Occidentali Ecclesiæ applicatus, suis contradicebat, ait : *Quod scilicet utrosque diligeret ; illos quidem, ut orthodoxos, istos autem, ut homoglossos*, id est ejusdem secum linguæ ; id nunc quoque dicendum ad eos qui criminantur. Amici enim viri existimandi sunt, amiciorem vero necesse est arbitrari veritatem.

[1] Joan. III, 18. [2] I Cor. XIV, 38. [4] Ephes. IV, 3. [5] Matth. XVIII, 7 [6] I Cor. XI, 19, [7] Hebr. XI, 6. [8] Galat. I, 10, [9] Rom. VIII, 6. [10] Act. V, 29.

(89) S. Stephanus junior martyr sub Copronymo, ob defensionem imaginum.

Digitized by Google

Neque justum esse putavimus, sive indulgendo amicitiæ, sive quorumdam jurgia extimescendo, atque utrinque humanæ passioni manus dando, veritatis omissa ratione, nostra magis quam quæ Dei sunt ac proximi inspicere, et nobis ipsis et illis ex silentio nostro detrimenta comparare. Sed partim quidem timorem Dei, etsi dictu audax est, ante oculos habentes, partim vero, quæ sit *voluntas ejus bona et bene placens*, non ignorantes, solamque inde laudem expetentes, etiamsi premendi angustiis simus; omnia nihil existimare, sed disponere sermones in judicio, proque illis ac proximi dilectione, omnia necessario adhibenda arbitrari. Audendum quippe est, etiam contristare, si opus sit, ac verbo, veluti ferro, turgentia vulnera rescindere, atque cum charitate curare.

Quo facto, e duobus alterum continget. Aut enim quietiores et mitiores ad contradicendum fient, aut contrariis, quæ objiciuntur, rationibus infirmis debilibusque deprehensis, exhaustaque ex illorum animis falsi opinione, id lucrabuntur, ut contra veritatem stare pertimescant. Sin vero et quispiam fuerit intelligens, aut requirens Deum, profecto neque optimam hanc mutationem erubescet. Nam juxta theologum Gregorium, *Non mali mutatio, sed mali observatio habet turpitudinem.*

Ut igitur illis et nobis non minima emolumenta quæreremus, veritatem omnibus prætulimus, ipsumque Spiritum sanctum invocantes, de ipso loqui, te monente, suscepimus. Non *dissimulavi annuntiare vobis omnem veritatem et consilium Dei.* Utinam vero ad eorum qui lecturi sunt, utilitatem labor noster iste proficiat, ut et qui seminat, fructum metat, et qui congregat, mercedem accipiat, omnesque simul cœlestem ingrediamur patriam, fruituri gaudio Domini nostri, in laudem et gloriam unius Dei Patris et Filii et Spiritus sancti, sanctæ et beatæ Trinitatis, uniusque et veræ Deitatis. Amen.

MANUELIS CALECÆ

LIBER

DE ESSENTIA ET OPERATIONE.

—

FRANCISCI COMBEFISII PRÆFATIO.

(*Biblioth. PP. Auctar. nov. tom. II.*)

Ipsius Manuelis Calecæ res, quantas assequi liceat, vindicandas charissimo commilitoni ac utraque palæstra (sanctioris scilicet instituti reique litterariæ) socio, qui scriptorum ordinis bibliothecam elogiaque adornet, R. P. Jacobo Quetif, hujus ipsius operis ac molitionis mihi maxime auctori, quasi specimen quoddam, ejus ipsius quam iisdem auctoribus sua lucubratione allaturus est, lucis, relinquo: ipse ad opus ipsum Calecæ, quod ex Regia bibliotheca in manibus est, plane eruditum, ac quo nocentissimum sequioris Græciæ errorem gravissime confutat, stylum converto.

Nempe coaluit inter simpliciores monachos, disciplinarum rudes, velut Theophili, Epiphanii, Hieronymi temporibus, Anthropomorphitarum error, sive etiam Massalianorum, qui vel humana vel alia sensibili specie Deum esse, eaque viris spiritalibus in oratione se conspicuum facere, existimarent; sic paulo sequiore (Palæologorum circiter) ætate, Palamitarum insana nimis deliratio, distinguentium divinam virtutem ab ejus essentia; quæ ipsa Deitas sit et increata, Deoque naturalis, quæ se una rebus communicet ac videatur, ipsa penitus incommunicabili essentia ac invisibili. Quanta denique ex Palamitarum ipsa synodo ipse Calecas recenset, solideque confutat; ac qui in eadem arena strenue dimicantes pro veritate steterunt, Barlaamus monachus, Acindynus, Nipho hieromonachus, qui et Demetrius Cydonius, Joannes Cyparissiotus, dictus Sapiens, cujus exstat grande volumen in Christianissimi regis bibliotheca, hoc argumento, præter illa quæ ejus Latine solum vulgata sunt, exstantque Græce penes R. P. Petrum Possinium S. J. Romæ. Aliorum etiam quædam refert Leo Allatius, tum libro *De consensu utriusque Ecclesiæ* Græcæ pariter ac Latinæ, tum II tomo *Græciæ* suæ *orthodoxæ*, tum demum in sua de Symeonum scriptis a me nuper vulgata *Diatriba*, quæ hic repetere longum foret, ac actum agere. Non pigebit tamen Joannis patriarchæ Constantinopolitani Tomum, ipsum breviorem, exscribere, quo is succrescens Palamæ dogma elidit; ac num eo respiciens noster Calecas, ipso operis sui exordio aliter eam Ecclesiam, haud ita pridem sensisse dicit ac decrevisse; nec veram proinde Ecclesiam esse, quæ sic fidem mutet. Joannem ipsum proscribunt Palamitæ, Tomo illo sub Cantacuzeno, quem Calecas ac relati alii impugnant.

Digitized by Google

Sic ergo habet: Τὸν Παλαμᾶν καὶ τοὺς ὁμόρφρονας αὐτοῦ, καὶ πάντα τὰ ἀσεβῆ αὐτῶν δόγματα, οἰκειότερον δὲ εἰπεῖν, παραληρήματα, τούς τε ἐκδικοῦντας καὶ ἐκλαμβάνοντας καὶ ἐκδεχομένους τὰ ἐν τῷ Τόμῳ κατὰ τὴν αὐτῶν ἐξήγησιν, μᾶλλον δὲ φλυαρίαν, καὶ οὐ κατ' ἔννοιαν θεοπρεπῆ καὶ ὀρθόδοξον, καὶ καθὼς οἱ τῆς Ἐκκλησίας φωστῆρες καὶ διδάσκαλοι, οἷς καὶ ἡμεῖς ἑπόμενοι καὶ ἀκολουθοῦντες, τὰ τῶν ἁγίων ῥητὰ ἐνεγράψαμεν ἐν τῷ Τόμῳ, καὶ πάντας τοὺς δι' αὐτὸ τοῦτο, ἤγουν ὅτι μὴ παραδεχόμεθα τὰ τοιαῦτα αὐτῶν παραληρήματα, ὧν τὰ μὲν ἀπεστάλησαν ἡμῖν παρ' αὐτῶν, τὰ δὲ καὶ παρ' ἑτέρων ἀνεφανίσθησαν, τολμήσαντας ἀκανονίστως καὶ ἀκρίτως ἀποκόψαι τὸ μνημόσυνόν μου, τῷ ἀπὸ τῆς ζωαρχικῆς καὶ ἁγίας Τριάδος δεσμῷ καθυποβάλλομεν, καὶ τῷ ἀναθέματι παραπέμπομεν. Ἡ ὑπογραφή· Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως, νέας Ῥώμης, καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης. *Palamam ejusque sectatores, et omnia illorum impia dogmata, seu verius nugamenta; nec non defensores, et qui astipulentur, recipiuntque quæ in Tomo habentur, secundum eorum expositionem, imo vaniloquentiam, et non secundum sensum, qui Deum deceat, et orthodoxum et ut Ecclesiæ lumina et magistri tradiderunt; quorum nos vestigiis insistentes et sententias sequentes, sanctorum dicta in Tomo digessimus; cunctosque illos, qui ob eam ipsam rem, quod eorum nugamenta non recipimus, quæ partim ipsi transmiserunt, partim etiam aliorum relatione cognovimus, contra canones nullaque recti ac æqui libra, mei memoriam exscindere ausi sunt, vivificæ sanctæque Trinitatis subjicimus ringulo, ac anathemate ferimus.* Subscriptio: *Joannes Dei misericordia archiepiscopus Constantinopoleos, novæ Romæ, et œcumenicus patriarcha.* Eodem fidei zelo, Ignatius patriarcha Antiochenus novam illam hæresim proscribit; cujus Tomum, quod paulo prolixior, Allatius non edidit. Contentioni locum dedit Barlaamus Calaber monachus, vir eruditus, qui, ut se monachorum disciplinæ tradidit, eorum errores detexit ac traduxit; quibus Palamas, archiepiscopus Thessalonicensis, se vindicem et auctorem præbuit, Barlaamumque ipsum oppressit. Damnato enim procacitatis in sanctius institutum Barlaamo monacho, suppressa de dogmate quæstio est, ne Palamas pravæ ipse doctrinæ ac hæreticæ damnatus abiret. Vidend. Gregoras lib. II; Cantacuz. lib. II *Historiarum* et in Proœmio suarum Contradictionum, adversus Hieromonachum Prochorum Cydonium, Demetrii fratrem, de lumine Thaborio.

Sic putida visa sunt nonnulla Palamæ dogmata ac nugamenta, ut sequaces postmodum conati sint aut illius negare aut subtegere: cujus rei præter nostrum Calecam, locuplex testis Joan. Cypariss. lib. I, c. 2, a me productus. Post Palamam hæresis antistites fuere, Isidorus, quem Tomi auctorem testatur Cypariss., etsi ille Callisto successore promulgatus est; Coccinusque et Nilus. Quodque Thaborium lumen illustre exemplum visum est Palamitis, sic distinctæ virtutis ab essentia, quæ ipsis corporeis oculis visa sit, et divinitas, occulta essentia, eoque argumento duplicem dogmaticum sermonem edidit Palamas, libuit hic repræsentare, quasi ad specimen doctrinæ ac sectæ (*a*). Nostri Dei effectum ordinis superioris (speciem scilicet gloriosam et δόξαν, in qua Deus videri censeatur, intimo quodam ejus præsentiæ sensu gustuque) existimant, qualem mortali præsertim corpore, Dei munere nancisci licet: non ut illa claritas et fulgor sit ipsa Dei essentia et divinitas increata, in quam sententiam adduci se passus est Leo Allatius lib. *De consensu utriusque Ecclesiæ*, cujus tamen incommodi defugiendi causa, Palamitæ suam hanc distinctionem virtutis et essentiæ commenti sunt, ut auctor est noster Calecas, et ne Massaliani audirent, ipsam Dei essentiam videri existimantes in divinis apparitionibus.

Præter Palamam alius theologus est illo senior, Symeon abbas sancti Mamantis in Xerocerco, dictus suis junior theologus: cujus Vita fusissime scripta Niceta Sthetato auctore, exstat in cod. card. Maz. nunc Regio: fuique auctor Henschenio et Papebrochio S. J. ne *Vitis sanctorum* in suo Martio insereret, qua suspicione laborat, et tanquam is fuerit fons omnis Palamici erroris. Eram tamen hic repræsentaturus, nisi moles obsisteret, ipseque sumptibus parcens typographus ac bibliopola intercederet. Libet interim ejus hic atque doctrinæ majorem notitiam, lector, præbere, quam ulli nostrum hactenus habuerint: specimen quoque ex verbis ejus apponere, unde vel tueri ut orthodoxum virumque pium ac eximie spiritalem proclive sit, vel etiam ut hominem seductum nec sanæ mentis proscribere. Pontani conjectura in viri ætate, causa carceris, ejusque aliis non satis felix, quibus quædam illius Latine vulgavit ex codicibus Bavaricis. Leo Allatius ex Vitæ auctore Sthetato (nos Pectoratum dicimus), quem liquet adversus Latinos cum Michaele Cerulario plurimum decertasse, ac Cerularii partes fovisse, ejus propius ætatem venatus est; causam tamen carceris, quod eum monumenta defecerint, nec ipse assequi potuit; divinansque, nigriore forsitan calculo viri memoriam notavit. Ex Vita itaque hæc summa habeto.

Fuit Symeon Paphlago, oppido Galata (sic dicto) ingenuis parentibus, Basilio et Theophanone natus, Basilio et Constantino Porphyrogenitis; patruo in aula potente et a sacro cubiculo, ipse quoque spatharocubicularii munere inter senatores merens, etsi ætate juvenis, patruo brevi exstincto, Symeonis Studitæ dicti Venerabilis consilio atque opera (quem perpetuo magistrum ac patrem spiritalem vocat), servientis habitu in Studiano monasterio

(*a*) Vide inter Palamæ homilias quas in superiori tomo recudimus ex editione novissima Hierosolymitana. EDIT.

Digitized by Google

tyronem induit, subque illo exercuit. Eximiæ sanctitatis ipsa exordia : iis monachorum alii delectati, alii offensi. Præpositus a severiore disciplina conatus avocare, cum non pareret, e monasterio ejicit. Symeon Venerabilis Antonio sancti Mamantis in Xerocerco præposito commendat, ejusque in illo curam gerit, monastico habitu induit, sanctioribus documentis communit. Hic ille divinis recreatur visionibus, altiore contemplatione Deo conjungitur : cibus quotidianus, ὁ ζωποιὸς ἄρτος καὶ τὸ αἷμα τὸ τίμιον τοῦ Χριστοῦ · *Panis vivificus et Christi pretiosus sanguis ; herbæ et legumina, quibus solis vitam sustentabat exceptis diebus Dominicis.* Arctissima solitudo, orationis juge studium, Scripturæ sedula lectio, ac Vitarum monachorum, qui superiore ævo sanctitate claruissent ; diei omnis accuratissima exercitatio, ad sacram communionem inaudita præparatio, dierum Quadragesimæ, exceptis Sabbato et Dominica, inedia.

Defuncto Antonio, sancti Mamantis monasterio præficitur ac sacerdos ordinatur a Nicolao Chrysoberge patriarcha : Spiritus sancti, immensi luminis specie, descensus in caput ordinati : visio eidem familiaris inter rem sacram per annos quadraginta octo sui sacerdotii, καθὼς αὐτὸς πρός τινα, ὡς περὶ ἄλλου τινὸς ἔλεγεν ἑαυτὸν ὑποκρύβων· καὶ γέγραπται ἐν τοῖς αὐτοῦ Ἀπορθέγμασι, *ut ipse ad quemdam tanquam de alio quodam narrabat, seipsum tantisper occultans : habeturque scriptum inter ejus Apophthegmata.* Sic Nilus ad ipsum Chrysostomum refert, quod ille velut de alio loquitur, cernente locum altaris plenum cœlestibus Potestatibus sub ipsum sacrificii tempus. Porro sensibilis hic Spiritus adventus ac visio, etsi res insolita est, videaturque ad Massalianos nonnihil inclinare, qui sic divinas quasi juges visiones jactarent : non desunt tamen etiam inter catholicos similia exempla : in Basilio et Chrysostomo alioque episcopo, cujus jam non occurrit nomen, Agathone pontifice : qui omnes ministri lascivia, solita hac visione eisque familiari quandoque privati leguntur, ac donec illa fuit coercita. Putabant illi, non ipsum se Spiritum videre, quod Massalianorum hæresis sit, sed signum sensibile ejus præsentiæ, sive illud lumen, sive quodlibet aliud dicere necesse est.

Sacerdotalis muneris ingens existimatio : Πολλάκις ἐρωτώμενος παρά τινων, ὁποῖος εἶναι ὀφείλει ὁ ἱερεύς, μόλις μετὰ κατανύξεως ἀπεκρίνατο στένων, Οἴμοι ! ἀδελφοί· τί με περὶ τοιούτων ἐρωτᾶτε; Καὶ τὸ πρᾶγμά ἐστι φρικτὸν καὶ νοούμενον. Ἐγὼ μὲν ἱερεὺς οὐδαμῶς εἰμι ἄξιος, τὸ φρικτὸν τῆς ἱερᾶς ἐννοῶν ἀξίας· πλὴν ὅμως ἀσφαλῶς ὁ ταπεινὸς οἶδα, ποταπὸς ὀφείλει εἶναι ὁ ἱερεύς. Πρῶτον μὲν ἁγνός, οὐ τῷ σώματι μόνον, ἀλλὰ πολλῷ μᾶλλον καὶ αὐτῇ τῇ ψυχῇ. Οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ πάσης ἁμαρτίας ἀμέτοχος· καὶ τῷ μὲν ἔξωθεν ἦθει ταπεινός, τῷ δὲ ἔνδοθεν καταστήματι συντετριμμένος. Ὅταν δὲ τῇ ἱερᾷ τραπέζῃ παρίσταται, νοερῶς μὲν τὴν Θεότητα, αἰσθητῶς δὲ τὰ προκείμενα δῶρα ὀφείλει ὁρᾶν, καὶ αὐτὸν τὸν ἐν τοῖς δώροις ἀοράτως παρόντα, γνωστῶς κεκτῆσθαι ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, ἵνα μετὰ παῤῥησίας δύναται τὰς ἱκετηρίας προσφέρειν, καὶ ὡς φίλος φίλῳ διαλέγεσθαι τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ, καὶ ἀκατακρίτως λέγειν, « Πάτερ ἡμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, » ὡς τὸν ἀληθινὸν Θεὸν καὶ φύσει ὄντα Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἔχων οἰκοῦντα ἐν ἑαυτῷ, διὰ τοῦ οἰκοῦντος ἁγίου Πνεύματος ἐν ἑαυτῷ · *Sæpius rogatus, qualis debeat esse sacerdos, vix tandem compuncto animo gemens respondit : Heu me ! fratres, quid me de istiusmodi interrogatis ? Res est tremenda, vel ipso cogitatu. Sane ego haudquaquam dignus sacerdos sum, dum sacri muneris ac dignitatis tremendum fastigium reputo : certo tamen humilis ego novi, qualis debeat esse sacerdos. Primum quidem castus, non solum corpore, verum potiori longe ratione etiam animo ac mente : ac exteriori quidem compositione ac indole, humilis, animi autem ac interiori statu sensuque compunctus. Cum vero sacræ mensæ assistit, mente quidem Deitatem, sensu vero proposita dona contueri debet, ipsumque inaspectabili ratione in donis præsentem, scientiæ munere altaque contemplatione in corde suo possidere, ut cum fiducia liceat supplicationes offerre, ac sicut amicus amico loquitur, cum Deo sermonem conferre, nulloque judicii reatu dicere, « Pater noster, qui es in cœlis, » ut qui verum Deum et natura Dei Filium, in se habitantem, per Spiritus in ipso habitantis præsentiam habeat.* Deterret serio ab ejus ordinis ambitu, angelico pene vultu ipse celebrans, et in quem astantes vix possent aspicere. Visa sæpius nubes lucida quæ totum obtegeret stantem in bemate.

Instauratum ab eo sancti Mamantis, cui præerat, monasterium ; auctus illi monachorum grex ; visione nubis lucidæ alta quædam concessa sapientia, doctusque ξένα τινὰ καὶ κεκρυμμένα μυστήρια. Quamobrem ex eo tempore, οὐκ εἶχεν αὐτὸς ἑαυτὸν, ἀλλ' ἡ τοῦ Θεοῦ χάρις ὅλον αὐτὸν πρὸς ἑαυτὴν ἐπισπάσασα, τὴν μὲν γλῶτταν αὐτοῦ κάλαμον ὀξυγράφου, τὴν δὲ διάνοιαν πηγὴν σοφίας Θεοῦ ἀπεργάσατο. Διὰ τοῦτο καὶ ἀμαθὴς ὢν πάντη τῶν θύραθεν μαθημάτων, ὡς ὁ ἠγαπημένος, ἐθεολόγει, καὶ τὰ τῆς θεολογίας ὅλας νυξὶ ἀνετάττετο. *Ipse seipsum non habebat, sed Dei gratia ad se totum trahente, lingua quidem calamus scribæ velociter scribentis, mens vero, fons Dei sapientiæ effecta erat. Idcirco etiam, licet omnium prorsus ex sæculi usu disciplinarum rudis, perinde ac dilectus ille discipulus, quæ divinæ scientiæ sunt, edebat, totasque noctes theologica instruebat.* Hæc tantarum Symeonis lucubrationum origo. Hinc Θεοδίδακτος repente magister ac scriptor Symeon evasit : quanquam nihil vetat, vel si a Deo dederimus hanc visionem, eaque affusam sapientiam, aliquid ex genio ipsum addidisse, uti fere in Bernardo, nostroque Alberto, sic divinitus auctis scientia, quorum tamen omnia non probantur.

Hinc crebræ Symeonis ad suos catecheses seu

Digitized by Google

parænescs, Studianorum fere monachorum ritu; atque in eis magni præsertim confessoris Theodori, quo vel maxime antistite duceque monasticæ exercitationis, Symeon gloriabatur. Eorum pertæsa monachorum, sub eo merentium pars (triginta circiter monachi) discissis palliis una coitione vix non violentas injicientes manus, enectoque pastore, effractis monasterii foribus, tumultu in patriarchium irrumpunt, querelas effundunt. Audita Symeonis satisfactione, ejusque ad suos probata paræsi, damnati exsilio a patriarcha protervi monachi; vixque Symeonis rogatu permissi in urbe manere, monasterio tamen exclusi. Symeon sic per urbem dispersos singulos adiens demulcere, ad seque revocare, brevique tanta illa humanitate ac sedulitate ad officium caulamque universos cogit. Ἐν ὀλίγῳ πάντας συνήγαγεν ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, καὶ τὴν ἰδίαν αὐθις αὐλὴν τοῖς ἡμέροις καὶ πρὸ βραχέος ἀγριωθεῖσι προβάτοις ἐγέμισεν. *Brevi tempore bonus pastor cunctos congregavit, suamque rursus caulam mansuetis ovibus paulo ante efferis implevit.* Hoc sequentium Symeonis turbarum ac tentationum rudimentum, nec dispar admodum causa; improbata nimirum ejus vel disciplinæ vel doctrinæ quædam capita. Vitæ auctor unam arcessit Stephani Syncelli in eum invidiam; de quo postea.

Discipuli sanctitate ac moribus celebres; Arsenius ipse Paphlago, eunuchus, quem et abdicata demum præfectura, sui loco pastorem voluit. Viri institutio; fervoris coercita nimia vis; insinuata discretio ciborumque indulgentia, cum ita poscat necessitas corporis. Hierotheus ex episcopo monachus, Symeonis discipulus. Abdicata sedes dignitasque episcopalis, nepotis ex improviso casuque homicidio. Adita primum Roma pœnitentiæ causa; tum Constantinopolis ipsa nova Roma. Satis enim per ea tempora utrique Ecclesiæ conveniebat, sopito interim Photiano schismate, necdumque Cerularii turbulentissimi hominis artibus ac fraude instaurato. Hactenus enim, ut etiam auctor est Michael Psellus in Oratione, ejus pro funere Laudatoria, decessores mitius cum Latinis egerant, ac fere ἀδιάφορον, quidquid alterutri sentirent, integra Ecclesiarum communione, habuerant: quod nimirum eamdem utrosque fidem aliis aliisque verbis profiteri sentiebant, etsi non deerant qui Latinos roderent errorisque insimularent ac traducerent. Sic ergo auctor de episcopo, quem πάνυ θεοφιλῆ τὸν τρόπον, καὶ τὸν βίον μετὰ τοῦ λόγου καθαρὸν καὶ ἐνάρετον· *moribus religiosissimum, vitaque cum doctrina ac eloquio clarum studiosumque*, dixerat; quem et ab homicidio vix a se avelli ejus passus esset clerus, sic ille digne pastoris partes implebat: Διαδραμὼν οὖν τὸν τοσοῦτον δρόμον πεζῇ τῆς μακρᾶς ἐκείνης ὁδοῦ ὁ ἐπίσκοπος; μετὰ κοπετῶν καὶ δακρύων, καὶ τὴν Ῥώμην καταλαβὼν, ὑπὸ τοῦ δούλου ἐν ἁλύσει ἑλκόμενος, ἐξομολογεῖται τὸ πῶμα τῷ πάππᾳ καὶ τοῖς ἐν Ῥώμῃ ἀρχιερεῦσι, θοήνοις καὶ οἰμωγαῖς τὴν φωνὴν τῆς ἐξομολογήσεως ἐγκοπτόμενος. Τὴν ἄπειρον οὖν συντριβὴν εἰδότες τοῦ ἐπισκόπου, καὶ τὴν ἐν πένθει τούτου διάνοιαν, οὐ μόνον συγγνώμην ταχεῖαν τῷ πάθει διδοῦσιν, ἀλλὰ καὶ μυρίαις παρακλήσεσι τὸ κατώδυνον παρακαλοῦσιν αὐτοῦ τῆς ψυχῆς. Ἀλλὰ τῷ περικαρδίῳ κρατούμενος ὁ ἐπίσκοπος πόνῳ, ἀπαράκλητος ἔμενεν. Ἐκεῖθεν οὖν πρὸς τὴν Κωνσταντίνου μεγαλόπολιν τὸν ἕλκοντα ἀποστρέφει. Πεζῇ τοίνυν καὶ ταύτην ποιησάμενος; τὴν πορείαν, καταλαμβάνει τὴν βασιλεύουσαν· καὶ εἰς τὴν μεγάλην τοῦ Θεοῦ εἰσελθὼν Ἐκκλησίαν, ἐξομολογεῖται μετὰ δακρύων τῷ τε πατριάρχῃ καὶ τοῖς ἀρχιερεῦσι τὸ πτῶμα, καὶ σὺν τῷ λόγῳ τὸ τῆς ἐπισκοπῆς ἄξίωμα μετὰ τῆς ἀλύσεως ἀποτίθεται. *Episcopus ergo tanto pedes, viæ sic longæ, planctu luctuque decurso itinere, Romamque veniens, trahente ex catena famulo, delictum papæ confitetur, Romæque constitutis episcopis, lamentis et ejulatu crebrisque gemitibus intercisa illi confessionis voce. Immensam itaque episcopi contritionem videntes, luctuque oppressum animum, nedum veniam citius delicto indulgent, verum etiam ejus animi dolorem modis omnibus solantur ac deliniunt. Ille tamen graviore cordis dolore tentus atque obrutus, omnem respuit consolationem. Inde igitur versus magnam Constantini urbem, trahentem vertit. Hocque adeo iter pedes conficiens, in urbem augustam venit; ingressusque Majorem Ecclesiam, effusus lacrymis, delictum patriarchæ confitetur eique assidentibus episcopis; interque verba, cum catena, episcopalem dignitatem deponit.* Insigne hoc pœnitentiæ exemplum, ejusque disciplinæ, qua se ipsi Græci sacerdotes abdicant, ubi aliquid, etiam casu aut ignorantia, in canones deliquerint. Novum quoque pro ea ætate, observantiæ erga Ecclesiam Romanam ejusque antistitem, Ecclesiæ Græcæ documentum. Illi facta confessio, ab eo concessa indulgentia, oblataque, ut videtur, sedis dignitas, ni ipse sponte sese abdicare maluisset, ac vitæ reliquum inter monachos pœnitentiæ laboribus subducere: delecto in eam rem Symeone duce, sub quo etiam eximia illi edita sanctitatis exempla. Sed ad Symeonem revocanda oratio.

Annuente Sergio patriarcha, præfecturæ onus in Arsenium rejicit. Documenta illi pariter gregique egregia tradita. Ex illis disciplinæ caput non pigebit ascribere; quod ipsum, nec longe remotis verbis habetur orat. 24, ex editis a Pontano: Μὴ ἐν προσποιήσει πραότητος διὰ ἔπαινον τῶν ἀνθρώπων μικροῦ πράγματος ἐφ' ὕδρει γινομένου τοῦ εὐαγγελικοῦ βίου, καὶ τῆς τῶν μοναχῶν καταστάσεως, καταφρονήσεις· ἀλλὰ τὸν σὸν μιμούμενος Χριστὸν καὶ Θεὸν, ἐμβριμμένος, καὶ ἑαυτὸν ἀπαθῶς ἐκταράσσων, ἐκδίκησιν ποιοῦ τῶν ἐντολῶν τοῦ Θεοῦ. Ἔστω σοι ἐπὶ πάντων καὶ ἐπὶ τῇ ἐξετάσει τῶν λογισμῶν ἑκάστου ἀκρίβεια, ὡς ἂν εἰδείης τίνες μὲν αὐτῶν δίδονται τῆς τῶν εὐχομένων καὶ κοινωνούντων συστάσεως, τίνες δὲ ἀφορισμοῦ, καὶ τῆς μετὰ τῶν μετανοούντων τάξεως· ἵνα μὴ τὴν Ἐκκλησίαν Θεοῦ ἀντὶ ναοῦ ἁγίου σπήλαιον λῃστῶν, ἢ πορνεῖον, ἐν γνώσει ἢ

Digitized by Google

ἐν ἀγνοίᾳ, ποιήσῃς, καὶ τὸ φοβερὸν ἐπὶ τούτῳ κρῖμα οὐκ ἐκφεύξῃ τῆς ὀργῆς τοῦ Θεοῦ. Εὐλαβεῖς ποιήσεις, κατὰ τὸ γεγραμμένον, τοὺς πνευματικούς σου υἱούς, καὶ διδάξεις εὐλαβεῖσθαι αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ἱερῶν τοῦ Θεοῦ τόπων ὁμοῦ καὶ σκευῶν, καὶ λειτουργίας αὐτοῦ. Μόνοις γὰρ ἔσθι τοῖς ἱερωμένοις καὶ εὐλαβεστάτοις τῶν μοναχῶν, τοῖς καὶ τῶν μυστηρίων μετέχουσι, τὸ ἅπτεσθαι αὐτῶν παρὰ τῶν ἀποστόλων ἀφιερώθη. Διὰ ταῦτα οὐ συγχωρήσεις πᾶσι, καὶ τοῖς βεβυλομένοις, τὸν τοῦ θείου βήματος εἴσοδον, ἀλλ' ἢ μόνοις, ὡς εἴρηται, τοῖς ἱερωμένοις, καὶ ἡγιασμένοις τῶν ἀδελφῶν. Περὶ δὲ τῶν λοιπῶν τῶν λυσιτελούντων σῇ τῇ μονῇ ἔχεις τὴν διδασκαλίαν καὶ τὸν πατροπαράδοτον τύπον ἡμῶν ἐν τῇ Θεοπνεύστῳ διατυπώσει τοῦ μεγαλομάρτυρος Χριστοῦ καὶ ὁμολογητοῦ Θεοδώρου τοῦ κοινοῦ Πατρὸς καὶ διδασκάλου ἡμῶν τε τῶν δούλων αὐτοῦ, καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν τοῦ Στουδιώτου: *Ne lenitatis prætextu, humanam aucupando laudem, vel minimum quid, quod in cœlitæ evangelicæ statusque monastici injuriam cedat, negligeris, sed Christi tui Deique imitator, infremens, teque ipse imperturbate turbans, vindictam fac mandatorum Dei. In omnibus, singulorumque excutiendis animis, acrem diligentiam habe, ut noveris quinam illorum in precibus consistere ac communicare necesse habeant; quinam sint segregandi, eademque cum pœnitentibus classe collocandi; ne Dei Ecclesiam, pro sancto Dei templo, speluncam latronum aut lupanar, sciens vel ignorans efficias; eamque ob rem, tremendum iræ Dei judicium non effugias. Religiosos cautosque, sicut scriptum est* (*Levit.* xv, 31), *facies spiritales filios tuos, docebisque illos a sacris Dei locis vasisque, ac ejus ministerio, revereri atque timere. Scito enim, solis illis qui sacri ordinis sunt, reverentissimisque monachis, quibus et mysteriorum indulta perceptio, apostolicis sanctionibus concessum horum contactum. Idcirco non permittes omnibus, ac cuique collibitum sit, in divinum bema* (*locum scilicet altaris ac sacerdotum*) *intrare; sed iis duntaxat* (*uti dictum est*) *qui sacerdotalis sint ordinis, vel sanctis fratribus. Ad alia quod attinet, monasterio tuo utilia, doctrinam habes, Patrumque traditione acceptam normam in magni Christi martyris ac confessoris, communisque Patris atque doctoris, nostri pariter servorum ejus, ac sancti Patris nostri Studiotæ, divino afflatu conscripta Theodori informatione.* Studiota hic, seu Studianus, communis Symeonis ac Arsenii magister, Symeon ille Venerabilis est, cui Symeon acceptum referebat, quidquid monasticæ institutionis hauserat; cujus etiam gratia, ac quod vita functum annua celebritate coleret, tanta passus est. Sed præstat Sthetatum vitæ auctorem audire, ut liqueat, num in eo saltem contra disciplinam peccarit Symeon, dignusque inde irrogato et carcere et exsilio fuerit. Ait itaque, post relatas divinas ejus visiones, quibus in sensu quodam futuræ sanctorum beatitudinis, eorumque corporis levitatis ac claritatis fuit; qua Deus genus nostrum ἐδόξασε, καὶ κοινωνὸν τῆς αὐτοῦ Θεότητός τε καὶ βασιλείας ἀπειργάσατο, *glorificavit, sociumque suæ tum Deitatis tum regni effecit* (quod nihil cogit crasso Palamæ sensu intelligi, ac velut alia Deitas sit, quam divina ipsa essentia, ejusque in nobis bonitatis effectus) inque hunc modum Symeonis alterius res, juniorisque in eum theologi nostrique Symeonis officia describit.

Συμεὼν ὁ θεῖος ἐκεῖνος ἀνὴρ, ᾧ ἦν ἐπώνυμον φερωνύμως ὁ Εὐλαβῆς, ὁ καὶ τοῦ θαυμαστοῦ τούτου Συμεὼν πατὴρ χρηματίσας ὁμοῦ καὶ διδάσκαλος, ἐπεὶ πρὸς γῆρας ἦκεν ἤδη καλὸν, τεσσαρακονταπέντε *χρόνους* νομίμως τὸ τῆς συνειδήσεως ἀθλήσας μαρτύριον, χάριτος ἀποστολικῆς ἠξιώθη, ἰάσεις καὶ θαύματα πεποιηκὼς, καὶ βίβλον ὅλην ὠφελείας οὖσαν πνευματικῆς, ἀγράμματος ὤν, θείῳ Πνεύματι συνεγράψατο. Ἔδει δὲ αὐτὸν καταπαῦσαι τῶν μακρῶν ἐκείνων τῆς ἀσκήσεως πόνων, περὶ ὧν ὁ μαθεῖν ζητῶν ἐκ τῶν κατὰ πλάτος γεγραμμένων αὐτῷ εἴσεται ἀκριβῶς. Νενοσηκὼς τὰ τῆς λύσεως, πρὸς Κύριον ἐνεδήμησεν, ἐκδημήσας τοῦ πολυάθλου καὶ καρτερικοῦ αὐτοῦ σώματος. Τοῦτον οὖν καὶ τὰ τούτου λαμπρὰ κατορθώματα οἷα δὴ μαθητὴς ὁ μακάριος οὗτος εἰδὼς, καὶ τὸν ἀποστολικὸν αὐτοῦ βίον ἀκριβῶς ἐπιστάμενος, Θεοῦ ἔργα καὶ θεῖα χαρίσματα μὴ εἰκῇ κατορύττειν, ἀλλὰ ἀνακηρύττειν καὶ ἀνυμνεῖν, ὕμνους εἰς αὐτὸν καὶ ἐγκώμια ἐκ θείας ἀποκαλύψεως συνεγράψατο, καὶ ὅλον τὸν βίον αὐτοῦ. Ἵνα δὲ καὶ πρὸς ζῆλον ἐγείρῃ τινὰς, εἰς τὸ μιμήσασθαι τὸν ὑμνούμενον καὶ τῆς ἀρετῆς ἐργάτας γενέσθαι, τὴν μνήμην αὐτοῦ, κατὰ τὴν τῶν ἀποστόλων παράδοσιν, ἐτησίως μετὰ πάντων λαμπρῶς ἑώρταζε τῶν ἁγίων, στήλην ἀρετῆς γεγραμμένην, τὴν ἱστορίαν ἀναζωγραφήσας τῆς εἰκόνος αὐτοῦ· *Symeon, vir ille divinus, cui convenienter apteque Venerabilis cognomen fuit, qui et admirabilis hujus Symeonis Pater simul ac magister exstitit, cum in bonam jam senectutem venisset, annos quinque supra quadraginta, conscientiæ martyrio legitime perfunctus, apostolicam gratiam nactus erat, sanitatum patrator ac miraculorum, librumque spiritalis utilitatis confertissimum homo idiota ac litterarum rudis divino Spiritu conscripserat, necesseque erat ut a religiosæ exercitationis longis illis laboribus quiesceret* (*de quibus qui nosse quærat, ex iis quæ illi fuse scripta sunt, accurate pleneque intelliget*) *suprema laborans ægritudine, multis certaminibus victore tolerantissimoque corpore suo emigrans, ad Dominum commigrarat. Hunc itaque ejusque præclaras virtutes ac facinora, velut utique discipulus, vir hic beatus cum explorata haberet, ejusque vitam apostolicam perfecte nosset; Dei opera ac divina dona haud doctus defodere, sed prædicare ac collaudare, laudum in eum cantica ac encomia, divina revelatione conscripsit, ejusque Vitam omnem litterarum monumentis consignavit. Ut vero etiam aliquos ad æmulationem provocaret, atque viri laudibus ad imitationem, ac virtutis cultum accenderet, ejus quot annis memoriam preco ac apostolica traditione accepimus, cum sanctis omnibus, festis gaudiis celebrabat, conscripto*

Digitized by Google

virtutis titulo, illius simulacri ac imaginis depicta historia. Hactenus Symeon ex privata revelatione ac scientia, plusculum forte sibi indulsisse videatur, ut sanctorum plenos honores Patri suo spiritali deferret. Laudanda quidem illa œconomia ac consilii ratio, ut eos laudemus, quos nobis aliisque virtutis palæstra antistites volumus ac duces : præstantque egregie Romani pontifices, vindicatis ordinum religiosorum institutoribus, qui clariores in Ecclesia habentur, si qui sanctitatis radiis fulserunt ; nec Romanis duntaxat fastis ascriptis, sed et solemni officio, nedum apud suos, sed et toto orbe Romano ac Ecclesia Latina, donatis. Id tamen ut rite fiat, nec civilibus duntaxat, sed et sacris, publice saltem consecrentur honoribus, necessaria episcopalis cognitio est, ac probatio; quam impotentiori zelo non exspectavit Symeon, etsi ea secuta est. Subdit enim Sthetatus.

Ἤκουσε ταῦτα καὶ ὁ Σέργιος πατριάρχης ·, καὶ μεταπεμψάμενος τὸν ἅγιον, πυνθάνεται περὶ τῶν ἀκουσθέντων αὐτῷ. Ὡς δὲ περὶ πάντων ἀνεδίδαξεν αὐτὸν ὁ μακάριος, καὶ ὅπως ἐκ θείας ἀποκαλύψεως ἄνωθεν ἐμπνευσθείς, τοὺς ὕμνους τῷ Πατρὶ ἀνετάξατο, καὶ τὸν βίον αὐτοῦ συνεγράψατο. Ζητεῖ ταῦτα διελθεῖν, καὶ αὐτοῖς ἐντυχεῖν τοῖς ὑπ' αὐτοῦ γεγραμμένοις. Λαβὼν οὖν ἐπὶ χεῖρας ταὶ βίβλους ὁ πατριάρχης, καὶ ἅπασαν τὴν πραγματείαν φιλοπόνως διελθών, ἠγάσθη ἐπὶ τῷ πράγματι, καὶ πολλὰ προσεπαινέσας, καὶ τὸ βέβαιον τῆς αὐτοῦ πίστεως ἐγκωμιάσας, ἀπέλυσεν, ὑπομιμνήσκειν αὐτῷ προτρεψάμενος κατὰ τὸν καιρὸν τῆς τοῦ Πατρὸς μνήμης, ὡς ἂν καὶ αὐτὸς κηροὺς καὶ μύρα παρέχῃ, καὶ ἀφοσιοῦται τὴν τιμήν. *Audivit hæc et patriarcha ; accersitoque sancto, ex illo percontatur, de his quæ audierat. Docet ille omnium rationem, divinaque pridem revelatione atque afflatu, cantica composuisse, ac vitam illius conscripsisse. Quærit patriarcha hæc percurrere, ipsaque ab eo scripta pellegere. Sumptis itaque in manus libris, cunctisque diligenter pellectis ac evolutis, re gavisus est, multisque laudibus cumulans; firmamque ejus fidem magnifice commendans, dimisit, monens ipsum, jubensque, ut temporis quo celebranda foret Patris memoria certiorem faceret, ut et ipse cereos unguentaque conferret, ac sancto honorem impenderet.* Visa hæc, pro Ecclesiæ Constantinopolitanæ ritu sufficiens Symeonis Studitæ, dicti Venerabilis, vindicatio, et ut sancti titulo publicos in urbe (aut certe in sancti Mamantis monasterio) honores haberet. Inque hunc modum annos sexdecim ejus cultum illibatum perseverasse, celebrataque frequenti religioso conventu solemnia, auctor Sthetatus: donec Stephanus Alexinæ ex metropolita Nicomediensi, Sergii patriarchæ syncellus, eo nomine cœpit exagitare, inque Symeone venerabili quædam reprehendere, ipsumque proinde ejus religiosum cultum, sic præsertim tota urbe solemnem, improbare. Totum Sthetatus ascribit invidiæ, ac quod utriusque Symeonis sanctitas ac scientia, illius famæ scientiæ ac sanctitatis videretur officere. Nolim ego sic nigro virum lapide damnare. Præter Scylitz. et Cedr. ipse Sthetatus, clarissimi nominis, eoque nedum patriarchæ, sed et imperatori charissimum, magnæque apud eos auctoritatis, eum scribit, facillimum scilicet solvendis quibusque dubiis ac quæstionibus, λόγῳ καὶ γνώσει τῶν πολλῶν διαφέρων· *Longe vulgo præcellens eloquentia ac scientia.* Legatum ad Sclerum urbi jam imminentem, suæque tyrannidis terrorem illi inferentem, a Basilio et Constantino missum, qua suadendi vi, sapientiaque ac virtute præstabat, docent relati Scylitz. et Cedr. Ἐν ὅσῳ δὲ ταῦτα ἐπράττετο, ὁ σύγκελλος Στέφανος καὶ τῆς Νικομηδείας πρόεδρος, ἀνὴρ ἐλλόγιμος, καὶ ἐπὶ σοφίᾳ καὶ ἀρετῇ διαβόητος, καὶ πειθοῖ μαλάξαι ἱκανὸς γνώμην σκληρὰν καὶ ἀτίθασσον, πρέσβυς εἰς τὸν Σκληρὸν ἀποστέλλεται, εἴ πω δυνηθῇ πεῖσαι τοῦτον ἀποθέσθαι τὰ ὅπλα. *Interim Stephanus Syncellus, Nicomediæ præsul, vir eruditus et eloquens, sapientiaque ac virtute clarus, durumque animum ac indomitum suadæ vi emollire idoneus, legatus ad Sclerum mittitur, num forte ad arma ponenda verbis cogere possit.* Miratur P. Goar. Notis suis ad Cedr. quomodo syncellus Stephanus, quasi patriarchæ concellaneus, illique assiduus, qui Nicomediæ præsul esset, ibique pro officii munere, potius quam Constantinopoli in patriarchæ ædibus, vitam ageret ; nec patriarchæ successor, quod fere syncellorum videbatur, designatus esset. Potuisset Sthetatus si ejus copia fuisset, lucis aliquid afferre. Docet itaque eum, abdicato episcopatu sic assidue versatum cum patriarcha, ac vere syncelli partes implesse, non solo titulo atque nomine ornatum fuisse ; sive alias inhiabat sedi Constantinopolitanæ, eoque munere sibi ad eam gradum parabat : quam ne assequeretur, in causa esse potuit longa Sergii ætas ac sedes annorum viginti, intra quos nihil vetat Stephanum humanis excessisse, et ubi totam in Symeonem fabulam luserat, per cujus vel mortem vel ingravescentem ætatem, ille postmodum pace potitus sit, libereque Patri suo spiritali, Symeoni venerabili, solemnes annuos honores persolverit ; sive nihil eam sedem ambiens (ut non erat certa ullove jure sancita ac necessaria syncellorum in eam sedem successio) velut utiliorem rebus ecclesiasticis navaturus operam, sic a consiliis patriarchæ, in regenda universa diœcesi, quam si unam aliquam civitatem vel ipsam metropolim episcopus regeret ; vel ipse sponte, vel invitante patriarcha, sive etiam imperatoribus, pro ejus nominis celebritate, ea relicta, Constantinopoli quasi patriarchæ assessor, illique intimus ac familiaris, consederit. Quo fere modo, apud Latinos, etiam archiepiscopi in cardinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteros passim cooptantur ; vacantque ipso jure sic assumptorum sedes, quod non satis conveniat utrique muneri in uno homine : ut quis scilicet addictus sit Romanæ curiæ ejusque urbis clero, et ut pontificis partes sedulo exsequatur, in Ecclesia ac plebe, cui præfectus episcopus est ; juris tamen

Digitized by Google

fictione, ejusque velut fraude quadam, eædem illis, ac quandoque majores sedes commendantur; et si non desunt qui utroque munere præclare functi, tum purpuram ornarunt, tum et magis infulas, sanctis moribus composito grege peculiarius credito, nihilque illo secundum Deum, sive purpuram dicas, sive quid aliud humanæ dignitatis, antiquius habentes, ejusque cura pervigiles; veri scilicet Pastores, Christique Ἀρχιποίμενος vestigia sedulo prementes, decorarunt; in quibus sol quidam effulsit Carolus Borromæus; secuti plures eximio exemplo, Franciscus Sourdisius Burdigalensis, meus ipse metropolita vitæque regularis assertor et vindex in sanctissimi Rosarii FF. Prædicatorum Burdigalensi cœnobio, in quo et nomen sanctiori instituto (sancto vere tunc, modoque sodalitio) dedi; Galaminius noster, aliique.

Stephanus ergo, τὸν τῆς ἐπισκοπῆς παραιτησάμενος θρόνον, συνῆν ἀεὶ τῷ πατριάρχῃ, καὶ μεγάλην ἐφέρετο παρὰ πᾶσι τὴν φήμην τῆς γνώσεως. *Repudiata sede episcopali, cum patriarcha semper versabatur, magnaque apud omnes scientiæ æstimatione erat.* Potuit ergo vir eruditus suspectum habere, quod ambo Symeones viri illitterati ex solo quasi affatu de Deo divinisque tanta loquebantur; quodque alter, alterius jam defuncti memoriam consecrans, ad ejus solemnia totam fere cogeret civitatem; ut jam magna civium pars, nihil nisi sanctum haberent, quod illis auctoribus accepissent. Primum itaque illi tentata Symeonis de Deo doctrina: tum sollicitatum Patris ille honor, annum unum atque alterum, patriarcha ac episcopis ægre assentientibus, ut damnarent, quod jam ante ipsi approbarant. Raptus tandem in concilium eo nomine Symeon, ipsaque Patris imago divis honoribus consecrata: ejus in eo ventilata causa; et longa Symeonis satisfactio, pro se ac imagine: juxta ex illa oblini vox Ὁ ΑΓΙΟΣ; abolitæ et omnes aliæ ejus, in sancti Mamantis, imagines. Altera coacta synodo; jussus Symeon aut a Patris illis laudibus cessare, aut cœnobio; urbeque excedere. Nolenti cedere, decreta synodice exilii pœna. Deportatus ad Chrysopolim, in oppidulum quod Palusiatarum vocant. Nactus ibi oratorium pene dirutum atque desertum, in eo cum discipulo considet. A Christophoro senatorii ordinis viro, cujus possessionis erat, ipsum dono obtinet, ea conditione, ut si Deus mitius ipsi dederit, monasterium in eo exstruat. Per eum, aliosque ejus discipulos delatæ querelæ ad patriarcham. Revocatus ipse in urbem; tentata rursus constantia, oblati honores, metropolitica sedes, nobili aliqua civitate, modo tantisper contentionem remitteret. Cunctis immoto, facta licentia colendi Patrem ut libuerit ac vel in urbe, prioreque cœnobio degendi, vel in nova solitudine. Delecta solitudo; in ea coactus novus grex, exstructum egregiis ædibus nobile cœnobium, cunctis ad vitæ asceticæ necessariis satis instructum; sanctæ Marinæ vocant. In eo aucta Symeonis Venerabilis religio et cultus, confluente ex ipsa urbe Augusta, totaque vicinia, innumera hominum multitudine ad ejus quotannis solemnia. Derivata hæc eadem ad diversa alia cœnobia. Nulla deinceps Symeoni creata molestia. Exstinctus brevi post restitutum Symeonem patriarcha Sergius, eique subrogatus Eusthatius, cujus omne tempus videatur vixisse Symeon, et ad ipsum Alexii, qui fuerat Studianus monachus, pervenisse. Stephanus, vel ipse, quo tempore Sergius, diem obierit, vel eo sublato, animos posuerit; aliis jam patriarchis Symeoni æquioribus, majorisque præ Sergio firmitatis, qui probata Symeonis instituti ratione colendo Patrem suum, non debuit obtundente Syncello, eaque duntaxat ratione, ac nisi certo deprehenso errasse sibi calculum, nec eum sanctum, sed vel hypocritam vel hæreticum esse, a constantia resilire. Hæc summa Vitæ Symeonis, quæ longe multa impleret folia. Ex ea planum, quam non in obscuro manserint res ejus, post breve ipsius exsilium et carcerem, nec quasi oblivione ejus sepulta cantica, sermonesque, ac scripta alia; ut sibi visus fuerat divinare Leo Allatius, quod eum defecerint vetera monumenta. Ægre fero, ut tantum virum pro adversariis stare admittam, vel Palamitarum fontem esse, nisi hoc solum, quod illi simplicius ei dicta, nimiaque emphasi, de Dei unione ac visione, ejusque luce ac divinitate, in suam nisi sunt detorquere sententiam; uti et illo superiorum, Dionysii, Basilii, Greg. Chrys. Maximi: vixque ullus occurrat, eorum qui mysticam atque amoris theologiam propensius tradidere, cui non proclive sit eamdem prope ac Symeoni inferre calumniam. Sic et Thaulero nostro visi aliqui detrahere, quem Ludovicus Blosius vir eruditus ac pius, rite vindicat. Visio illa, aliaque ejus generis, gustus quidam est exspectatæ felicitatis, altiorque præsentiæ Deus ejusque unionis in perfectis, sensus, quam Symeon in eis negare, hæreseos notat; nec forte aliud in eo, ejusque Patre spirituali, Symeone Venerabili, Stephanus reprehendebat. Libet ex ejus Orat.: Περὶ γνώσεως ἀληθινῆς, cujus init. Καὶ νῦν εὐκαίρως καλὸν εἰπεῖν hæc exscribere. Τὸ μορφοῦσθαι ἐν ἡμῖν τὸν ὄντως ὄντα Θεὸν, τί ἐστιν, εἰ μὴ τὸ ἡμᾶς αὐτοὺς πάντως μεταποιεῖν τε καὶ ἀναπλάττειν καὶ εἰς τὴν τῆς θεότητος εἰκόνα μεταμορφοῦν; οἷον ἔγνωμεν ἄρα γεγονότα καὶ τὸν ἅγιον Συμεώνην τὸν Εὐλαβῆ, τὸν ἐν τῇ μονῇ τοῦ Στουδίου ἀσκήσαντα· τῇ πείρᾳ αὐτῇ τὰ περὶ αὐτοῦ βεβαιωθέντες. Τῇ γὰρ ἀποκαλύψει τοῦ ἐν αὐτῷ Πνεύματος, τὴν εἰς αὐτὸν πίστιν ἐπισφραγίσαντες, ἀναντιῤῥήτως ταύτην φυλάττομεν. Μᾶλλον δὲ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ φωτὸς, ὡς ἐκ λαμπάδος τινὸς, τὸν τῆς ψυχῆς ἡμῶν λύχνον μεταδοτικῶς ἀνάψαντες, ἄσβεστον διατηροῦμεν, ταῖς ἐκείνου εὐχαῖς καὶ πρεσβείαις φρουρούμενοι. *Quid est formari in nobis, eum, qui est vere, Deum; nisi nos ipsos omnino transmutare, et in imaginem divinitatis suæ transformare? Qualem utique etiam evasisse novimus sanctum Simeonem Venerabilem, qui in monasterio Studii exercuit; ipso periculo, rei ejus certo notitiam adepti. Divini enim in eo Spiritus*

Digitized by Google

revelatione, obsignatam in eum fidem, citra omnem hæsitationem servamus. Quinimo ex eadem luce, velut ex quadam lampade, mentis nostræ lucernam commercio quodam accendentes, ejus precibus ac intercessionibus, muniti inextinctam servamus.

Tumque de æmulis: Ἀπιστοῦσι καὶ ἀδύνατον εἶναι ἑαυτοὺς πείθουσι, τὸ καθαρεῦσαι ἄνθρωπον τελείως ἀπὸ παθῶν, καὶ ὅλον οὐσιωδῶς ἐν ἑαυτῷ δέξασθαι τὸν Παράκλητον. Διὰ τοῦτο τοίνυν καὶ κατὰ τῆς ἑαυτῶν σωτηρίας λαλοῦσι καὶ πράττουσι, κλείοντες ἐφ' ἑαυτοῖς τὰς πύλας τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, καὶ πάντας ἄλλους τοὺς εἰσελθεῖν βουλομένους κωλύοντες. Εἴ που δὲ καὶ ἀκούσωσι περὶ ἑτέρου τινὸς νομίμως ἀγωνισαμένου, καθαρεύοντός τε ἀπὸ πάντων παθῶν, καὶ πᾶσι τὰ μεγαλεῖα κηρύττοντος τοῦ Θεοῦ, ὅσα δηλονότι ἐποίησεν ἐπ' αὐτῷ ὁ Θεὸς, κατὰ τὰς ἀψευδεῖς ὑποσχέσεις αὐτοῦ· καὶ ὅπως μὲν λέγοντος πρὸς ὠφέλειαν τῶν ἀκουόντων, κατηξιώθη φῶς ἰδεῖν Θεοῦ καὶ Θεὸν ἐν φωτὶ δόξης· ὅπως δὲ γνωστῶς ἔργῳ ἐν ἑαυτῷ τὴν ἐπιφοίτησιν κατ' ἐνέργειαν τοῦ ἁγίου Πνεύματος, καὶ ἅγια ἐν ἁγίῳ Πνεύματι γέγονεν· εὐθὺς ὥσπερ κύνες λυσσῶντες καθυλακτοῦσιν αὐτοῦ, καὶ κατεσθίειν, εἰ δυνατὸν, τὸν ταῦτα λέγοντα σπεύδουσι· Παῦσαι, λέγοντες, πεπλανημένε καὶ ὑπερήφανε σύ. Τίς ἄρα τοιοῦτος ἄρτι γέγονεν, ὡς οἱ ἅγιον Πατέρες ἐγένοντο; Τίς δὲ Θεὸν εἶδεν, ἢ ἰδεῖν κἂν ὁπωστοῦν δύναται; Τίς Πνεῦμα ἅγιον ἐπὶ τοσοῦτον ἔλαβεν, ὡς δι' αὐτοῦ τὸν Πατέρα καὶ τὸν Υἱὸν ἀξιωθῆναι ἰδεῖν; Παῦσαι, μή σε λίθοις καταλευσθῆναι ποιήσωμεν. Ἐξ ὑμῶν μὲν, ὦ οὗτος, ὡς αὐτοί φατε, οὐδεὶς οὐδαμῶς· ἐκ δὲ τῶν προαιρουμένων τὸν σταυρὸν ἆραι καὶ τὴν στενὴν ὁδεῦσαι ὁδὸν, καὶ τὰς ἑαυτῶν ἀπολέσα ψυχὰς ἕνεκεν τῆς αἰωνίου ζωῆς, πολλοὶ μὲν εἶδον καὶ πρότερον· πλείους δὲ, οἶμαι, ὁρῶσι καὶ νῦν, καὶ τῶν βουλομένων ἕκαστος ὄψεται· πὰν ὑμεῖς σκαιότητι γνώμης καὶ βασκανίᾳ φαυλότητι τούτους ἰδεῖν οὐκ ἰσχύετε. *Non credunt, sibique persuadent fieri non posse, ut homo perfecte a libidinibus atque vitiis mundus sit, et ut totum substantialiter in se Paracletum recipiat. Idcirco etiam contra suam ipsorum loquuntur aguntque salutem, claudentes super se ipsos fores regni cœlorum, cunctosque reliquos, qui velint intrare, prohibentes. Sin autem etiam de alio quodam audierint, legitime eum certasse, mundumque a perturbatis omnibus affectibus esse, ac Dei mirabilia omnibus prædicare; quæcunque nimirum Deus in illo fecit juxta verissimas promissiones suas; dicentemque, ut auditorum saluti consulat, hoc se consecutum esse ut Dei lumen videret, Deumque in claritatis seu majestatis lumine, utque adeo sapienter actu Spiritus sancti in se adventum secundum operationem, sanctaque in sancto Spiritu facta conspiceret; statim velut canes rabidi adversus eum oblatrant, festinantque ut qui hæc loquitur, si fieri potest, devorent. Cessa aiunt, seducte tu ac superbe. Quis modo talis, ac sancti Patres exstitere? Quis vero Deum vidit, aut vel minimum videre potest? Quis tanta copia Spiritum sanctum accepit, ut per eum, Patrem Filiumque me-*

reretur videre? Cessa, ne te lapidibus obruamus. Ex vobis quidem, Amici, nemo prorsus, ut vos dicitis: Ex illis vero qui crucem tollere statuerunt, et arctam viam ambulare, atque suas animas propter vitam æternam perdere, viderunt multi etiam prius; pluresque etiamnum, uti arbitror, vident, ac visurus est quisquis voluerit; tametsi vos mentis perversitate livorisque malitia eos videre non valetis. Plura ejus generis toto illo sermone, quæ ipsa ejus causa ac crimen apud Syncellum videantur; quæ tamen sic ab eo diluta auctor est Sergius, ut mera calumnia visa sint synodi judicio, uno hoc in eo reprehenso, quod ita Patris, sicque ambitiose culti memoriam celebraret. Sic enim ille ad Proceres, Symeonisque discipulos. Ἐγὼ μὲν, ἐνδοξότατοι, οὐδεμίαν ἔλαβον πώποτε πονηρὰν ὑπόληψιν κατὰ τοῦ κυροῦ Συμεών· ἀλλὰ καὶ ἀναγνοὺς καταρχὰς τὰ εἰς τὸν Πατέρα τούτου ὑπ' αὐτοῦ γεγραμμένα, ἤσθην ἐπ' αὐτοῖς, τὸν ἐκείνου βίον εἰδὼς, καὶ ψάλλειν ἐπέτρεψα ἐπ' ἐκκλησίᾳ αὐτὰ, ὑπερεπαινέσας τὴν πίστιν αὐτοῦ. Ἀλλ' οὐκ οἶδ' ὅθεν, καὶ τίς γέγονεν ἀναμεταξὺ ἐκείνου καὶ τοῦ συγκέλλου διαφορὰ, καὶ μυρίας κατ' αὐτοῦ καὶ τοῦ Πατρὸς αὐτοῦ τὰς κατηγορίας ἐξήγειρεν, οὐδὲν πλέον ἐχούσα ἢ μόνον διαβολάς. Ἃ δὲ πέπονθε παρ' ἡμῶν, οὐχ ὡς παρασφαλεὶς ἐν τοῖς τῆς Ἐκκλησίας δόγμασι, δι' ὧν ἡ ὀρθὴ καὶ ἀμώμητος πίστις ὠχύρωται, πέπονθεν, ἀλλ' ἐπειδὴ ἐκεῖνος μὲν τοῦ ἰδίου ἀμεταθέτως εἶχε σκοποῦ, καὶ τιμῶν τὸν Πατέρα, τοῦ λαμπρῶς ἑορτάζειν οὐκ ἐπαύετο· οἱ κατήγοροι δὲ αὐτοῦ ἐταράσσοντο, καὶ δι' ὅλου καθεκάστην ἡμῖν ἐγίνοντο. Διὰ τοῦτο τῆς μονῆς αὐτοῦ καὶ τῆς πόλεως αὐτὸν παρεκίνησα. Νῦν δὲ, εἰ βούλεται, καὶ τοῖς ἐμοῖς εἴξει λόγοις, κύριος αὖθις καὶ τῆς ἰδίας μονῆς γενήσεται, καὶ ἀρχιερέα τοῦτον ἐν μιᾷ τῶν ὑψηλῶν μητροπόλεων, συνευδοκούσης πάσης τῆς ἱερᾶς συνόδου, χειροτονήσω, καὶ τὰ κακῶς ἐκβεβηκότα διορθώσεως τεύξεται τῆς προσηκούσης. *Ego sane, viri inclyti, nullam unquam malam suspicionem adversus dominum Symeonem admisi: sed et lectis initio quæ ab illo in Patrem suum conscripta erant, illis gavisus sum, qui illius vitam exploratam haberem, ejus fidem supra modum laudans. Verum unde, nescio, quæve inter eum acsyncellum orta discordia, innumeraque adversus eum ejusque patrem excita accusationum capita, nihil præter meras calumnias habentia. Quæ vero a nobis illi multa irrogata est, non eo irrogata est tanquam in ecclesiasticis dogmatis, quibus recta ac inculpata fides tota consistit, erraverit; sed quod in suo ille proposito immobilis persisteret, Patrisque honore, dies festos agitandi splendido cultu ac magnifico, nullum finem faceret; eaque re turbarentur illius accusatores, ac quotidie molesti nobis obtunderent. Hæc causa est, cur suo illum monasterio ac civitate moverim. Nunc vero si velit, meisque sermonibus acquieverit, tum rursus monasterii sui arbiter erit, tum universa comprobante sacra synodo, in una celsarum metropoleon episcopus a nobis ordinabitur; et quæ mala obtigerunt, convenienter emendabuntur.* Notabant superbiæ po-

Digitized by Google

tius, quam prorsus perversæ doctrinæ, quippe qui jactaret ipse, quod antiquis sanctis præ summa puritate non inficiabantur concessum esse, ut scilicet divinis potirentur visionibus ; pro eo tamen ac humana fert conditio, non Messalianorum errore, ut ad libitum ipsa eis conspicua fieret divina essentia, vel ipsa claritas eis visa, increata Dei gloria esset, non Dei in eis effectus et immutatio ac transformatio, uti ipse relatus Symeon satis expressit.

Quod ait, ὅλον οὐσιωδῶς ἐν ἑαυτοῖς δέξασθαι τὸν Παράκλητον, Clarius Serm. Περὶ τῶν δουλευόντων Θεῷ, τίνες ἂν εἶεν, expressit. Ὥσπερ ἐκκαιόμενος κλίβανος, ἐπὰν σφοδρῶς ἐκκαῇ, ὅλως διαυγὴς γίνεται καὶ τοῦ πυρὸς ὅμοιος · οὕτω δὴ καὶ ἡ τῆς ψυχῆς οὐσία, ἐπὰν μόνη χωρὶς πάθους ἐναπομείνῃ, τότε οὐσιωδῶς καὶ αὐτῇ ἑνοῦται τὸ θεῖον καὶ ἄϋλον πῦρ, καὶ εὐθὺς ἀνάπτεται καὶ διαυγάζει · καὶ μεταλαμβάνει, ὥσπερ ὁ κλίβανος τοῦ αἰσθητοῦ τούτου πυρὸς, οὕτω καὶ τὸ σῶμα τοῦ θείου καὶ ἀῤῥήτου φωτὸς, καὶ αὐτὸ πῦρ κατὰ μέθεξιν γίνεται. *Velut accensa fornax, cum valde accensa fuerit, prorsus lucida ignisque similis evadit ; sic nimirum etiam animi essentia, ubi sola absque affectibus vitiorumque expers remanserit, tunc illi quoque divinus extraque omnem materiam ignis essentialiter unitur, statimque accenditur et lucescit ; ac velut fornax, ignis hujus, qui sensu percipitur, commercio gaudet, sic et corpus divinæ ac arcanæ lucis ; ipsumque ignis evadit qua ignis particeps est.* His pene affinia Chrysostomus quibus præsertim locis divinæ in nobis Eucharistiæ effectus exaggerat : quæ sane intelligenda, ut sic nobis Deus, ipsaque ejus essentia, per sua dona, quibus comes est, illabatur, vereque copuletur, non ut una ejus nostraque essentia sit, quod nec poscit exemplum fornacis accensæ, sed ut intima quædam nullaque verborum vi explicabilis Dei unio ac præsentia in anima sic affecta, significetur ; quæ ipsa per gratiam est in justis omnibus, sed occulta et quasi habitu, nulloque vel exiguo illius sensu ; in perfectis longe notior actuque ac maximo quodam velut sensu, velut gustu quodam exspectatæ cum Deo θεώσεως ; cum eum videbimus sicuti est, indeque perfecte dii erimus, Deo perfecte similes ; cum tunc quoque Deus infinite emineat, sicque οὐσιώδης (vera scilicet unio futura sit) ut Dei nostraque discreta essentia ; tanquam ens a se, et ab alio, maneat.

Serm. Περὶ ἀπαθείας καὶ ἐναρέτου βίου, incip. Πολλοῖς τοῖς ἐν κόσμῳ πολλάκις προσομιλήσας, *De animo Dei amore ebrio ac vere exstatico.* Συνάπτεται τοῖς ἀγγέλοις, τῷ φωτὶ ἀναμίγνυται, ἀπογεύεται τῆς ζωῆς, τῇ ἀθανασίᾳ συμπλέκεται · ἐν ἀπολαύσει γίνεται τῆς τρυφῆς, εἰς τρίτον ἀνέρχεται οὐρανὸν, ἁρπάζεται εἰς παράδεισον, ἀκούει ἄῤῥητα ῥήματα, εἰς τὸν νυμφῶνα εἰσέρχεται, εἰς τὸν παστὸν παραγίνεται, τὸν Νυμφίον ὁρᾷ, τοῦ πνευματικοῦ γάμου ἐν μετοχῇ γίνεται, τοῦ μυστικοῦ κρατῆρος ἐμπίπλαται, τοῦ μόσχου τοῦ σιτευτοῦ, τοῦ ἄρτου τοῦ ζωηροῦ, τῷ πόματος τῆς ζωῆς, τοῦ ἀμώμου Ἀμνοῦ, τοῦ μάννα τοῦ νοητοῦ · πάντων τῶν ἀγαθῶν ἐκείνων ἐν ἀπολαύσει γίνεται, εἰς ἃ οὐδὲ τῶν ἀγγέλων αἱ Δυνάμεις ἀδεῶς ἐνατενίσαι τολμῶσιν. Οὕτως ἔχων, πυροῦται τῷ Πνεύματι, καὶ ὁρᾷ τὸ τῆς θεώσεως αὐτοῦ ἐντεῦθεν μυστήριον. Πῦρ ὅλως γίνεται τῇ ψυχῇ, μεταδιδοὺς καὶ τῷ σώματι τῆς οἰκείας λαμπρότητος · δίκην τοῦ ὁρωμένου πυρὸς, τῆς οἰκείας τῷ σιδήρῳ φύσεως μεταδιδόντος. Καὶ γίνεται ἡ ψυχὴ τῷ σώματι, ὅπερ γέγονε τῇ ψυχῇ ὁ Θεὸς, καθά φησιν ἡ Θεολόγος φωνή. Οὔτε γὰρ ψυχὴ ζῆν δύναται, μὴ φωτιζομένη παρὰ τοῦ κτίσαντος, οὔτε σῶμα, μὴ παρὰ τῆς ψυχῆς δυναμούμενον. Σκόπει ἀκριβῶς τῶν λεγομένων τὴν δύναμιν. Σῶμα, ψυχὴ καὶ Θεός · τὰ τρία ταῦτα. Θεὸς ἄναρχος, ἀτελεύτητος, ἀπρόσιτος, ἀνεξιχνίαστος, ἀόρατος, ἄῤῥητος, ἀναῤῥὴς, ἀψηλάφητος, ἀπαθὴς, ἀνεκδιήγητος, ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν φανεὶς ἡμῖν ἐν σαρκὶ δι' Υἱοῦ, καὶ γνωρισθεὶς διὰ τοῦ παναγίου αὐτοῦ Πνεύματος, ὡς πιστεύομεν, ἴσος ἡμῖν κατὰ πάντα χωρὶς ἁμαρτίας, ψυχῇ νοερᾷ μίγνυται διὰ τὴν ἐμὴν ψυχὴν, ὥς πού τις ἔφη, ἵνα καὶ τὸ πνεῦμα σώσῃ καὶ τὴν σάρκα ἀθανατίσῃ. Ἀλλὰ μὴν καὶ ἐπαγγέλλεται, λέγων, « Ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐμπεριπατήσω. » Ἀλλὰ πρόσεχε. Θεοῦ κατὰ τὰς ἀψευδεῖς ἐπαγγελίας ἐνοικοῦντος ἐν ἡμῖν τοῖς γνησίοις δούλοις αὐτοῦ, καὶ διὰ τῶν ἐνεργειῶν καὶ ἐλλάμψεων τοῦ παναγίου Πνεύματος ἐμπεριπατοῦντος ἐν ταῖς ἡμετέραις ψυχαῖς, ἀχωρίστους εἶναι τοῦ Θεοῦ τὰς ἁγίας τῶν τοιούτων ψυχὰς ὁμολογουμένως πιστεύομεν. Τῶν δὲ ψυχῶν πάλιν διικνουμένων ἐν ὅλῳ τῷ σώματι, καὶ μηδενὶ μέρει ἀπολειπανομένων, ἀνάγκη πάντως καὶ αὐτὴν τὴν σάρκα, ἀχώριστον οὖσαν τῆς ψυχῆς, μᾶλλον δὲ μηδὲ ζῆν χωρὶς αὐτῆς δυναμένην, ὅλην ἄγεσθαι τῆς ψυχῆς τῷ θελήματι · καὶ ὡς οὐκ ἔστι σῶμα ζῆν ἄνευ ψυχῆς, οὕτως οὐδὲ θέλημα ἑνὶ τὸ σῶμα ἔχειν τό τε παρεκτὸς ψυχῆς. *Consociatur angelis, commiscetur lumini, vitam degustat, immortalitati conseritur, deliciis fruitur, in tertium cœlum ascendit, rapitur in paradisum, audit arcana verba, in thalamum ingreditur, torum nuptialem adit, videt Sponsum, spiritalium nuptiarum communione donatur, mystico cratere impletur; vitulo saginato, vitali pane, vitæ poculo, Agno immaculato, manna spiritali reficitur; illis omnibus bonis potitur, in quæ nec angelicæ Potestates intrepide audent prospicere. Ita se habens, inflammatur Spiritu, indeque suæ deificationis mysterium cernit. Animo prorsus ignescit, ipsumque corpus sua claritate impartit ; haud secus ac ignis oculis conspicuus in naturæ suæ commercium ferrum asciscit. Hocque ipsum animus corpori efficitur, quod Deus animo existit, juxta ac Theologus loquitur. Neque enim fieri potest ut animus vivat, nisi ejus qui condidit fulgoribus illustretur, neque ut corpus, quin ab animo roboretur. Attende diligenter quo spectent ea quæ dicuntur. Corpus, anima, Deus. Tria hæc. Deus principii ac finis expers, inaccessus, imperscrutabilis, invisibilis, ineffabilis, qui nec tangi nec palpari potest, nullique obnoxius affectui est, nec enarrari potest, extremis temporibus apparens nobis*

Digitized by Google

in carne per Filium, ac manifestatus per sanctissimum suum Spiritum, uti fide docemur, æqualis nobis per omnia sine peccato, animæ intelligenti miscetur, mei animi causa, ut quidam ait, ut et Spiritum salvum faciat, et carni immortalitatem præstet. Quin et pollicetur, dicens, « Inhabitabo in eis, et inambulabo. » Verum animum attende. Deo, juxta quod vere pollicitus est, in nobis veris servis suis inhabitante, sanctissimique Spiritus afflatu et illustrationibus in animis nostris inambulante, qui talibus digni sunt animi, a Deo separari non posse explorate credimus. Cumque rursus animi per omne pervadant corpus, nec ulli desint parti, prorsus necesse est, ipsam quoque carnem, quæ ab animo inseparabilis sit, quin imo, quæ nec vivere absque illo possit, totam animi regi voluntate. Ac sicut non potest corpus vivere sine animo, sic neque tunc voluntatem habere potest sine illo. Hoc Christi, nostræque Trinitatis mysterium. Christi ut exemplaris, quod id eo Deus sit altiori aliaque ac in nobis ratione. In ipso enim, ipsa hypostasi unus, et in quo caro sit ipsa ὁμόθεος; ut loquitur Gregorius, *una Deus:* in nobis vero, ἐνεργείᾳ, ἐλλάμψει, *dono gratiæ, afflatu, illustratione,* ac quidquid in sanctis Deus operatur, ut peculiarius filiis ac diis, non tamen natura, φύσει, sed dono gratuito et adoptione, θέσει quod disertis verbis Symeon profitetur, ut non sit nævus in scirpo quarendus, tantisque vexanda hæc ejus creata Trinitas, divinæ imago, in qua ipsa, tria unus sint Deus, etsi sunt caute omnia ad probatæ theologiæ normam reducenda: quæ maxime cautio est mysticis adhibenda, cujus defectu possint simplicioribus offensioni esse, ac errorum illis ansam præbere infert ergo Symeon. Ἀποδέδεικται τοίνυν ὅτι ὥσπερ ἐν Πατρὶ καὶ Υἱῷ καὶ ἁγίῳ Πνεύματι, εἷς Θεὸς ἀσυγχύτως καὶ ἀδιαιρέτως προσκυνεῖται, οὕτω πάλιν ἐν Θεῷ καὶ ψυχῇ καὶ σώματι ἀδιαιρέτως καὶ ἀσυγχύτως κατὰ χάριν ὁ ἄνθρωπος γίνεται, μήτε τοῦ σώματος εἰς ψυχὴν μεταβαλλομένου, μήτε τῆς ψυχῆς εἰς θεότητα μεταποιουμένης· ἀλλὰ μένων ὁ Θεὸς καθὸ Θεός ἐστι, καὶ ἡ ψυχὴ καθὼς ἔχει φύσεως, καὶ τὸ σῶμα καθὼς ἐπλάσθη πηλός· ὁ παραδόξως συνδήσας αὐτὰ, καὶ τῷ πηλῷ συγκεράσας τὸ νοερόν τε καὶ ἄϋλον, αὐτὸς ἀμφοτέροις τούτοις ἀσυγχύτως ἑνοῦται· κἀγὼ κατ' εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν ἐκείνου, ὡς ὁ λόγος ἀπέδειξε, γίνομαι. Ἀλλὰ πάλιν, εἰ δοκεῖ, τὸν λόγον ἐπαναλάβωμεν. Ἡ τὴρ, Υἱὸς καὶ ἅγιον Πνεῦμα, εἷς Θεὸς, ὃν σεβόμεθα· Θεὸς, ψυχὴ καὶ σῶμα, ὁ κατ' εἰκόνα Θεοῦ κτισθεὶς ἄνθρωπος καὶ Θεὸς εἶναι καταξιούμενος. *Igitur probatum est, sicut in Patre et Filio et Spiritu sancto, unus Deus inconfuse ac indivise adoratur, sic rursus in Deo et anima et corpore qui per gratiam est, fieri hominem indivise ac inconfuse: ita nimirum ut neque corpus in animam mutetur, neque anima in deitatem confletur; sed manente Deo qualenus Deus est animaque, quomodo illi natura comparatum est, ac corpore, pro eo ac lutum formatum est; qui inaudita hæc ratione divinxit, mentemque ac quod omni vacat materia luto miscuit, ipse ambabus his inconfuse unitur; egoque uti sermo probavit, hoc nanciscor ut ad ejus imaginem ac similitudinem sim. Verum rursus si libet, sermonem resumamus. Pater, Filius et Spiritus sanctus, unus Deum, quem colimus. Deus anima et corpus, homo ad Dei imaginem conditus, et cui obtingit ut sit deus.*

Nec longe est locus ille ex orat. 27, Pontano durior visus, ac Leoni Allatio in eorum exemplum adductus, quæ nemo pius æquo animo ferat in Symeone. Ὦ τοῦ θαύματος! ὅτι ἄνθρωπος Θεῷ ἑνοῦται πνευματικῶς καὶ σωματικῶς, εἴπερ οὐ χωρίζεται τοῦ νοῦ ἡ ψυχὴ, οὐδὲ τῆς ψυχῆς τὸ σῶμα· ἀλλὰ τῇ οὐσιωδῶς ἑνώσει γίνεται τρισυπόστατος κατὰ χάριν καὶ ὁ ἄνθρωπος· εἷς θέσει Θεὸς, ἐκ σώματος καὶ ψυχῆς, καὶ οὗπερ μετεῖληφε, θείου Πνεύματος· καὶ πληροῦται τηνικαῦτα τὸ εἰρημένον ὑπὸ τοῦ προφήτου Δαβὶδ, « Ἐγὼ εἶπα, Θεοί ἐστε, καὶ υἱοὶ Ὑψίστου πάντες. » Κατ' εἰκόνα δηλαδὴ καὶ καθ' ὁμοίωσιν τοῦ Ὑψίστου, γεννήματα θεῖα ἐκ τοῦ θείου Πνεύματος. *O rem miram! Homo Deo spiritaliter corporaliterque unitur; siquidem anima non a mente nec ab anima corpus sejungitur: sed et essentialiter unione quæ est per gratiam homo* τρισυπόστατος (velut trium substantiarum dicas) *efficitur; unus scilicet adoptione Deus, ex corpore atque anima, et cujus factus est particeps, divini Spiritus. Tuncque impletur quod dictum est a Davide propheta, « Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes. » Filii Excelsi, imaginis scilicet ratione ac similitudinis Altissimi; divina progenies ex divino Spiritu.* Pont. et Aliat. ac si esset τῇ οὐσιώδει ἑνώσει, *unione essentiali;* monetque Pont. illud *nec ad Deum, nec ad gratiam referendum esse* (*Neque enim homo justus aut cum Deo, aut cum gratia essentialiter unitur*) *sed ad solam conjunctionem corporis et animæ, quæ utique essentialis est.* Malim ego τὸ οὐσιωδῶς, uti est, adverbialiter reddere, quo determinetur vox τρισυπόστατος, ut dicatur homo trium substantiarum (quasi scilicet in eis subsistens) similitudine quadam ad divinas personas, non quovis modo, sed οὐσιωδῶς, vere sane veraque unione, sed per gratiam, et qua unus θέσει fiat, non una essentia. Notum est sanctis Patribus pro eodem accipi οὐσίαν ac φύσιν. Sic passim exponunt Damasc., Maxim. et alii: idem itaque illis φυσικῶς et οὐσιωδῶς, atque unio φυσικὴ et οὐσιώδης. Uti igitur unio φυσικὴ in Christo, naturalis, sic dicta Cyrillo, anath. 3, non in eo conflat naturas, uti male carpit Theodoretus, vel unam, alia absorpta, factam astruit, Apollinarii errore; sed earum veram unionem, καθ' ὑπόστασιν tamen (subsistendi scilicet ratione) sic et significat Symeoni, trium essentialis unio, vel qua homo unus essentialiter deus, tribus constans fiat, vera unio est, et qua vere id fiat, κατὰ χάριν tamen (per gratiam) non ut ex illis una quædam essentia emergat. Sic superius semel et iterum usurpata ea vox Symeoni, in iis quæ ex illo attulimus; possitque Pontanus vel Theodoreti exemplo emendari, ejusque vocis usum, ut et illi

Digitized by Google

affinis, ex Cyrillo doceri : Φυσικὴν φαμεν γενέσθαι A τὴν ἕνωσιν, ἀλλ' ἐκ δύο πραγμάτων ἀνομοίων, Θεότητός τε καὶ ἀνθρωπότητος, τὸν ἕνα γενέσθαι Χριστὸν καὶ Υἱὸν καὶ Κύριον διαβεβαιούμεθα. *Naturalem dicimus factam esse unionem, sed ex duabus rebus dissimilibus, Deitate scilicet et humanitate, unum factum esse Christum et Filium et Dominum affirmamus.* Duabus, inquam, rebus dissimilibus, quæ et dissimiles reipsa ac essentia sua, ab unione maneant ; uti se res habet in illis exemplis quibus sancti unionem sive hypostaticam, sive quæ per gratiam est (amoris scilicet et charitatis, sive etiam visionis ac cognitionis) explicant.

Videtur ipse Cyrillus Symeoni præivisse lib. IX, *in Joan.* versus finem, ubi de prima creatione loquens, qua ad Dei imaginem homo conditus est, et B ad quam per Christum reformamur ; exclusa ea opinione, quæ spiraculum a Deo homini insufflatum, animam rationalem exponit ; ipse Spiritum sanctum interpretatur, velut signaculum perfectæ jam ex anima et corpore humanæ naturæ, a Deo impressum ; quo sic homo Deus unus θέσει sit, ac in tribus vere exsistens : Μέτοχον αὐτὸν τῆς ἰδίας φύσεως ἀποτελεῖ Θεός. Ἐνεφύσησε γὰρ εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς, τοῦτ' ἔστι, τὸ Πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ. Καὶ γάρ ἐστιν αὐτοῖς ἡ ζωὴ μετὰ Πατρὸς, συνέχων εἰ; τὸ εἶναι τὰ πάντα. Κινεῖται γὰρ ἐν αὐτῷ τε καὶ ζῇ, τὰ ζωῆς δεκτικά. *Participem eum Deus reddidit suæ naturæ.* « *Insufflavit enim in faciem ejus spiraculum vitæ,* » *hoc est, Spiritum Filii.* C *Ipse enim vita est cum Patre, in esse omnia continens. In eo quippe moventur et vivunt, quæ vitæ capacia sunt.* Aliisque in eam rem interjectis, Ὡς οὐκ ἂν, οἶμαι, τις εὖ φρονῶν τὸ ἐκ τῆς θείας οὐσίας προελθὸν ἐμφύσημα ψυχὴν οἴοιτο γενέσθαι τῷ ζώῳ· ψυχωθέντι δὲ μᾶλλον, καὶ πρὸς ἰδιότητα τῆς τελείας φύσεως δι' ἀμφοῖν ἀφιγμένῳ, ψυχῆς δὴ λέγω καὶ σώματος, καθάπερ τινὰ σφραγῖδα τῆς ἑαυτοῦ φύσεως ἐνέπηξεν ὁ Δημιουργὸς, τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον· τοῦτ' ἔστι τὴν πνοὴν τῆς ζωῆς, δι' ἧς πρὸς τὸ ἀρχέτυπον διεπλάττετο κάλλος· ἀπετελεῖτο δὲ κατ' εἰκόνα τοῦ Κτίσαντος πρὸς πᾶσαν ἰδέαν ἀρετῆς, δυνάμει τοῦ ἐνοικισθέντος αὐτῷ διακρατοῦμενος Πνεύματος. *Neminem sanæ mentis existimaturum unquam arbitror, afflatum ex divina substantia procedentem, animali animam exstitisse ; sed animato potius, et ad proprietatem naturæ perfectæ ex anima et corpore deducto, naturæ suæ veluti signaculum Creatorem impressisse, Spiritum sanctum, id est, spiraculum vitæ ; per quod ad archetypi pulchritudinem formaretur, et ad Creatoris imaginem, ad omne virtutis genus, inserti ei Spiritus inque eo locati, virtute conservatum, perficeretur.* Amissa hæc, per facultatem arbitrii (quæ ipsa in homine, ait Cyrillus, quædam imaginis portio est) ut in Christo unione itidem divinitatis cum humana natura, reparata sint, et per eum ipsoque Mediatore in nobis; idem pluribus prosequitur : sed hæc nobis sufficiant.

Possem alia afferre, ut quod habet *Serm. de prævaricatione Adæ*, ubi et illud οὐσιωδῶς recurrit. Ἑκστηθι τὸ φρικτὸν ἀκούων τοῦ μυστηρίου, καὶ τὸν λόγον πιστὸν ὄντα μετὰ πάσης ὑπόδεξαι πληροφορίας καὶ πίστεως. Συλλαμβάνομεν οὖν αὐτὸν οὐχὶ σωματικῶς, ὡς ἡ Παρθένος καὶ Θεοτόκος αὐτὸν συνέλαβεν, ἀλλὰ πνευματικῶς μὲν, οὐσιωδῶς δέ· καὶ ἔχομεν αὐτὸν ἐκεῖνον, ὃν καὶ ἡ ἁγνὴ Παρθένος συνέλαβεν, ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, καθὼς ὁ θεῖος Παῦλός φησιν· « Ὁ Θεὸς ὁ εἰπὼν ἐκ σκότους φῶς λάμψαι, αὐτὸς ἔλαμψεν ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν. » Οἷον εἰπεῖν, ἀντὶ τοῦ, Αὐτὸς ὅλος οὐσιωδῶς γέγονεν ἐν ἡμῖν. *Obstupesce tremendum audiens mysterium, ac sermonem, qui fidelis sit, omni certitudine ac fide suscipe. Illum itaque concipimus, non corporaliter, quemadmodum Virgo ac Deipara eum concepit, sed spiritaliter quidem, verum essentialiter ; eumdemque ipsum habemus (quem et Virgo castissima concepit) in nostris cordibus, uti beatus Paulus ait :* « *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ;* » *pro eo ac diceret : Ipse totus essentialiter in nobis versatus est.* Ergo, vult essentiale Deo in nobis esse? Nugæ. Vult certe ipsum revera Deum esse in nobis peculiari præsentiæ modo, nihil separatum a suis donis, quorum auctor est, supra omne debitum naturæ. Sequitur Ὅτι δὲ καὶ ἡμεῖς τὸ ἄστεκτον πῦρ τῆς Θεότητος ὡσαύτως δεχόμεθα, ἄκουσον τοῦ Κυρίου λέγοντος· « Πῦρ ἦλθον βαλεῖν ἐπὶ τῆς γῆς. Πῶ̃ον ἄλλο εἰ μὴ τὸ ὁμοούσιον αὐτοῦ τῆς Θεότητος Πνεῦμα, μεθ' οὗ συνεισέρχεται καὶ συνθεωρεῖται σὺν τῷ Πατρὶ καὶ αὐτὸς, καὶ ἔνδον ἡμῶν γίνεται; *Quod autem nos etiam importabilem Deitatis ignem suscipiamus, audi Dominum dicentem,* « *Ignem veni mittere in terram.* » *Quem ignem, nisi Spiritum Divinitati suæ consubstantialem, cum quo una cum Patre ipse quoque ingreditur et intelligitur, ac in nobis versatur?* Modumque specialem sequentibus explicat, qui est Eucharistiæ perceptione, qua extensio est, ejus quod in Maria peractum mysterium est ; et qua ejus carnem manducantes, ὅλαν τὸν σαρκωθέντα Θεὸν καὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν Υἱὸν αὐτὸν τοῦ Θεοῦ καὶ Υἱὸν τῆς Παρθένου καὶ παναμώμου Μαρίας, τὸν ἐν δεξιᾷ καθήμενον τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς, ἐν ἡμῖν ἔχομεν D κατὰ τὸ ὑπ' αὐτοῦ εἰρημένον· « Ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα, » κ. τ. ἑ· *Totum incarnatum Deum et Dominum nostrum Jesum Christum, eumdem Dei, Virginisque ac intemeratissimæ Mariæ Filium, eum qui sedet in dextera Dei et Patris, in nobis habemus, juxta ac dictum ab illo est.* « *Qui manducat meam carnem,* » *etc.* Quæ verba alibi sic exponit : *In me manet,* ἐν τῇ ἐμῇ δόξῃ, ἐν τῷ ἐμῷ φωτὶ, ἐν τῇ ἐμῇ Θεότητι· *In mea claritate, in meo lumine, in mea Deitate ;* quæ sunt digne communicantium, et eorum qui divino illo cibo vere mente reficiantur.

Nimium est, quod ita revelationem, notitiam, illustrationem, ac quæ ejusmodi sunt prædicat, ut et donum gratiæ, quod habentem lateat, videatur excludere, certamque omnino inhabitantis Dei cogni-

Digitized by Google

tionem invehere. Haud quidem inficiandum, viris perfectis ex divinorum in eis sensu ac gustu, ingentem quamdam oriri persuasionem, quod justi sint, ac vere sint templum Dei, ejusque esse quos patiuntur divinos ardores ac illustrationes : seclusa tamen revelatione, quam et Dei esse certo quis noverit, nemo se justum sic omnino existimare potest, ut non sit formido aliqua oppositi, ut necesse sit et illi dicere cum Apostolo : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* In actu tamen exercito, ut loquuntur, sic afficiuntur, ut unum Deum cogitent, nec ab eo ejusque amore se unquam divelli posse putent. Quem affectum expressit Paulus, cum ait : *Quis nos separabit a charitate Dei ?* Sicque sane intelligenda illa Symeonis, quæ plus aliquid emphasis habere videntur. Facit et illud ejusdem Apostoli : *Vos ipsos probate, si estis in fide, in dilectione.* Ad eam probationem spectant, quæ serm. de Judicio sic habet : « Ἕκαστος ἡμῶν ἑαυτὸν θεασάσθω, εἰ τὸν Θεὸν Λόγον ἐλθόντα ἔλαβεν, ἢ τέκνον Θεοῦ ἐγένετο, εἰ οὐκ ἐξ αἵματος καὶ σαρκὸς μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐκ Θεοῦ γεγένηται, εἰ ἔγνω τὸν σαρκωθέντα Λόγον σκηνώσαντα ἐν αὐτῷ, καὶ εἰ ἐθεάσατο τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς Μονογενοῦς παρὰ Πατρός. Ἰδοὺ γέγονε Χριστιανὸς, καὶ ἀναγεννηθέντα ἑαυτὸν ἐθεάσατο, καὶ τὸν γεννήσαντα αὐτὸν Πατέρα ἐγνώρισεν, οὐ λόγῳ μόνον, ἀλλ' ἔργῳ χάριτος καὶ ἀληθείας. Ἐμμένωμεν, ἀδελφοὶ, ἐν τούτῳ τῷ ἐσόπτρῳ τῆς ἀληθείας, καὶ ἀποστῶμεν τῆς βλαβερᾶς καὶ αἱρεσιώδους διδασκαλίας καὶ ἀπονοίας τῶν λεγόντων μὴ ἀποκαλύπτεσθαι νῦν ἐν ἡμῖν τοῖς πιστοῖς τὴν δόξαν τῆς Θεότητος τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ διὰ τῆς τοῦ ἁγίου Πνεύματος δωρεᾶς. Ἡ γὰρ δωρεὰ ἐν τῇ ἀποκαλύψει δίδοται· καὶ ἡ ἀποκάλυψις διὰ τῆς δωρεᾶς ἐνεργεῖται· *Quisque nostrum videat, num Deum Verbum venientem susceperit, num Dei Filius effectus sit ; an non ex sanguine solum et carne, sed et ex Deo natus sit ; num Verbum incarnatum in se habitans cognoverit, et gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre viderit ? Ecce Christianus evasit, seque regeneratum vidit, et quo natus est, Patrem cognovit, non verbo solum, sed opere gratiæ et veritatis. Perseveremus, fratres, in veritatis hoc speculo, et a noxia ac hæretica doctrina sententiaque eorum abscedamus, qui dicunt, non revelari nunc nobis fidelibus, Domini Jesu Deitatis claritatem, per donum sancti Spiritus. Donum enim in revelatione datur, et revelatio seu manifestatio, per donum præstatur.* Videntur hæc paulo duriora, nisi intelligantur de sensu quodam ac gustu in fidelibus, præsertim sapientibus et perfectis, quos Græci γνωστικοὺς vocant. Quandoque etiam in incipientibus et pœnitentibus in fervore animi, quos videre divinum lumen ait Symeon, sed non adipisci, quod ulteriores pœnitentiæ labores et certamina detrectent. Nec absque errore negari potest. Quod autem omnes, in quibus gratia secretius operatur ; nec est illa revelatio seu manifestatio, quod Symeon videtur exigere, mortuam fidem habeant, hocque ille velit, majoris erroris sit. Hæc-

que forte alter alteri Symeon et Synecllus opposuerint. Quod refert Symeon Eustratii martyris, virtute clarissimi, exemplum, rem non conficit ; quod scilicet dixerit : Νῦν ἔγνων ὅτι ναὸς Θεοῦ εἰμι, καὶ τὸ Πνεῦμα αὐτοῦ οἰκεῖ ἐν ἐμοί. « Ἀπόστητε ἀπ' ἐμοῦ πάντες οἱ ἐργάται τῆς ἀνομίας. » Πρὸς δὲ τὸν δικάζοντα τύραννον, Εἰ σοι τὰ αἰσθητήρια τῶν φρενῶν μὴ ἠλλοίωτο, καὶ τῷ τῶν παθῶν φυράματι μὴ κατεσκεύαστο πρὸς τὸ γεῦδες ἡ ψυχή σου, ἔδειξα ἄν σοι τὸν Ἐσταυρωμένον τοῦτον, Σωτῆρα καὶ λυτρωτὴν καὶ εὐεργέτην τυγχάνοντα. *Nunc cognovi, quod templum Dei sum, et Spiritus ejus habitat in me. « Discedite a me, omnes operarii iniquitatis. » Et ad Tyrannum judicem : Nisi tibi sensus mentis evariati essent, animusque vitiorum colluvie et affectuum in terrenum habitum transisset, ostendissem utique tibi hunc crucifixum, qui Salvator et redemptor ac beneficus sit.* Non enim sequitur, quod ita Symeon infert : Εἶδες πῶς ἡ πίστις τῶν ἔργων δίχα νεκρά ἐστι ; Πρὸ γὰρ τοῦ εἰσελθεῖν εἰς τοὺς τοῦ μαρτυρίου ἀγῶνας τὸν ἅγιον, ἐπειδὴ τὴν πίστιν μόνην εἶχεν, οὐκ εἶχε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν αὐτῷ· ὅτε δὲ ἐκ τῶν ἔργων τὴν πίστιν ἔδειξε, τότε καὶ ναὸν ἑαυτὸν Θεοῦ ἐπέγνω, καὶ τὸ Πνεῦμα αὐτοῦ τὸ ἅγιον οἰκοῦν ἐν ἑαυτῷ γνωστικῶς τοῖς νοεροῖς ὀφθαλμοῖς ἐθεάσατο. *Vides quomodo fides sine operibus mortua est ? Prinsquam enim sanctus martyrii certamina subiret, quod solam fidem haberet, non habebat in se Spiritum sanctum. Ubi autem ex operibus fidem ostendit, tunc et se Dei templum esse agnovit, ejusque Spiritum sanctum in se habitare, sapienter mentis oculis conspexit.* Unde enim vir ἐπ' ἀρετῇ περιβόητος, Christiana scilicet virtute conspicuus, sola fide, eaque adeo mortua prædituss? Imo habuit et Spiritum sanctum et donum, sed inter certamina magis habuit et agnovit, uti Augustinus, in Joan. de promissione Spiritus apostolis facta, exponit.

Unus locus est, quem refert Leo Allatius ex Symeonis Sermone 3 de Oratione seu Attentione, quem etiam Nipho Monachus adversus Palamam urget, qui nec apparentem medicinam, sensumve ullum commodum, videatur recipere. Non occurrit mihi ille Sermo in Cod. E. Card. Mazar. ac nec in illis quæ Pontanus latine edidit. Certe si ita scripsit Symeon, non divino Spiritu, sed suo, illoque errante, scripsit. Sic autem scripsisse; et in discipulos sparsisse quæ Messaliani et Omphalopsychi inter paucos duntaxat magisque fideles mussitabant, et in illis damnata erant, non facile mihi persuadeam ; quod in aliis locis nihil ejusmodi habeat. Exigit ille quidem, ut et reliqui mystici, ad recipiendum divinum lumen, aliquam in nobis præparationem ; puritatem cordis, contritionem, humilitatem ; omnem denique ἀπάθειαν, et ut homo sensibus excedat eisque moriatur, quæ sunt quasi removens, quod afflatum divinum prohibeat : qui nec ipse his necessario comes sit, sed prout sederit divinæ voluntati, ac se Sponsus dignabitur sponsæ manifestare. In qua ipsa re necessaria sit maxima

Digitized by Google

quædam modestia et cautio, ne dum sponsa nimium tenere cupit sibique addicere, et in ejus intrare secreta, Sponsum cogat avolare. Serm. Περὶ τῆς ζωποιοῦ νεκρώσεως, post exaggeratam Dei dignationem, quod in nobis per pœnitentiam inhabitare ac inambulare sustineat, redeuntibus occurrere, in collum ruere, osculo accipere, ac reliqua præstare, quæ sub Prodigi persona ac parabola perscripta sunt in Lucæ Evangelio; unde homo, quasi præ gnans Deo, eoque plenus, intra notitiam eum portat, qui ipsum portantem et omnia produxit creavitque, Θησαυρὸν ἄφατον, ἀνεκλάλητον, ἄπονον, ἀνίδεον, ἄϋλον, ἀσχημάτιστον, ἐν ἀμηχάνῳ κάλλει μεμορφωμένον, ὅλον ἁπλοῦν, ὥσπερ φῶς, τὸν ὑπὲρ πᾶν φῶς. *Thesaurum ineffabilem, nulla sermonis ei explicabilem, qualitatis, quantitatis, formæ, materiæ, figuræ expertem, immensa pulchritudine, totum simplicem, velut lumen, quod omne excedit lumen*; quo utique omnium ditissimus beatissimusque, nullius egens, et quem nulla foris desideria fatigent, evadit; ita sapienter admonet. Βλέπε ὁ τοιοῦτος γενέσθαι ἀξιωθείς, ὁ ἔνοικον κτησάμενος ὅλον ἐν σεαυτῷ τὸν Θεὸν, μήποτε ἀνάξιόν τι τοῦ θελήματος αὐτοῦ ἢ πράξεις, ἢ ἐκ χειλέων προφέρεις, καὶ εὐθὺς ἀπολέσεις τὸν ἐν σοὶ κεκρυμμένον θησαυρὸν, ἀπαναστάντος αὐτοῦ ἀπὸ σοῦ. Τίμησον αὐτὸν ὅσον εἰς δύναμιν, καὶ οὐδὲν τῶν αὐτῶν μὴ ἀρεσκόντων, μηδὲ προσόντων αὐτῷ φυσικῶς παρεισάξεις εἰς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ, καὶ ἐάσας σε ἀναχωρήσει ὀργισθεὶς μετὰ σοῦ. Μὴ πολυλόγει πρὸς αὐτὸν, μηδὲ πρόσπιπτε ἀναισχύντως, ἐν σεαυτῷ λογιζόμενος, καὶ λέγων· Ἐπιθεῖξομαι ὑπερβάλλουσαν θερμότητα, καὶ ζῆλον ἀγάπης πολὺν τῆς πρὸς αὐτὸν, ἵνα μου τὴν πρόθεσιν ἀποδέξηται, καὶ γνῷ ὅτι ἀγαπῶ καὶ τιμῶ αὐτόν. Ἴσθι οὖν ὅτι πρὸ τοῦ ταῦτα ἐννοῆσαί σε ἐκεῖνος πάντας τοὺς λογισμούς σου ἐπίσταται καὶ οὐδὲν αὐτὸν λέληθεν. Ἀλλὰ μηδὲ νοεραῖς χερσὶ χρατῆσαι αὐτὸν ἐπιχειρήσῃς· ἄληπτος γάρ ἐστι· καὶ ὅσον ἅψασθαι αὐτοῦ τολμήσεις ἢ κατασχεῖν αὐτὸν οἰηθῇς, ἔξεις ἔνδον οὐδέν· ἀλλ' εὐθὺς ὅλος ἀφαντωθήσεται ἀπὸ σοῦ, καὶ πολλὰ μεταμελήσῃ καὶ κλαύσεις συντρίβων σεαυτὸν καὶ μαστίζων, καὶ ὠφελήσεις ὄντως οὐδέν. *Vide cui obtigit ut talis fieres, qui totum in teipso nactus es Deum hospitem, ne quando indignum aliquid ejus voluntate aut egeris, aut ex labiis protuleris, moxque occulti in te thesauri jacturam feceris, abeunte illo a te. Cole eum pro virili tua, nec eorum quæ minus ei placent, nec ei natura insunt, in ejus domum aliquid intuleris, isque te relicto abscedat, iratus in te. Ne cum illo verbosior sis, neve impudenter irruas, apud temetipsum cogitans ac dicens: Eximium fervorem ostendam, multamque charitatis in ipsum æmulationem, ut meum propositum probet ac voluntatem, sciatque, quod eum diligam et colam. Scito igitur, priusquam hæc tibi in animum venerint, posse illum omnes tuas cogitationes, nec quidquam eum latere. At neque mentis manibus tenere eum molieris: incomprehensibilis enim est; quantumque attingere ausus fueris, aut detinere eum putaveris, intus nihil habebis: sed statim totus a te disparebit, multaque te pœnitudo tenebit, et lugebis, conteresque teipsum et cædes, nec plane quidquam commodi referes.* Quid hæc sic casta et elimata, cum Messalianorum nugis vere meretriciis et ex orco profectis? Vix ipse nisi aliis edita proferrem. Priora quidam tria documenta ad contemplationem non inutilia; otium quoddam ac vacatio a negotiis omnibus, iis etiam quæ honesta videantur; conscientia munda, et ut nullis rebus afficiaris, vel ipsi corpori. Hæc enim ἀπάθεια, et unde mentis tranquillitas, cui divini solis fulgor proclive illucet. Quod vero sequitur plenum ineptiæ est, cum pari impietate: Εἶτα καθίσας ἐν κελλίῳ ἡσύχως, καὶ ἐν μιᾷ καταμόνας γωνίᾳ πρόσεχε ποιῆσαι ὃ λέγω σοι. Κλεῖσον τὴν θύραν, καὶ ἔπαρον τὸν νοῦν σοῦ ἀπὸ παντὸς ματαίου, ἤγουν προσκαίρου. Εἶτα οὖν ἐρείσας τῷ στήθει τὸν πώγωνα, κινῶν τὸν αἰσθητὸν ὀφθαλμὸν σὺν ὅλῳ τῷ νοῒ ἐν μέσῃ κοιλίᾳ, ἤγουν ἐν τῷ ὀμφαλῷ, ἄγξον καὶ τὴν τῆς ῥινὸς τοῦ πνεύματος ὁλκὴν, τοῦ μὴ ἀδεῶς ἀναπνεῖν, καὶ ἐρεύνησον νοητῶς ἔνδον ἐν τοῖς ἐγκάτοις εὑρεῖν τὸν τόπον τῆς καρδίας, ἔνθα ἐμφιλοχωρεῖν πεφύκασι πᾶσαι αἱ ψυχικαὶ δυνάμεις. Καὶ πρῶτον μὲν σκότος εὑρήσεις, καὶ πάχος ἀνένδοτον. Ἐπιμένοντος δὲ σοῦ, καὶ τούτου τοῦ ἔργου νυκτὸς καὶ ἡμέρας ποιουμένου, εὑρήσεις, ὦ τοῦ θαύματος ἄληκτον εὐφροσύνην. Ἅμα γὰρ εὕρει ὁ νοῦς τὸν τόπον τῆς καρδίας, βλέπει παρευθὺς, ἃ οὐδέποτε ἠπίστατο· βλέπει γὰρ τὸν μεταξὺ τῆς καρδίας ἀέρα καὶ ἑαυτὸν, φωτεινὸν ὅλον καὶ διακρίσεως ἔμπλεων, κ. τ. ἑ. *Tum sedens quiete in cellula, inque uno seorsim angulo, animum adhibe ut facias, quod tibi dico. Clauso ostio, mentem eleva ab omni re vana, temporanea scilicet et caduca. Tumque innixa pectori barba, sensibilemque oculum cum omni mente, in ventris medium (id est, umbilicum) movens; comprime et narium spiritus attractionem, ne libera sit respiratio, mentisque indagine scrutare intus in visceribus, ut invenias locum cordis, ubi omnes facultates animæ immorari solent. Primumque tenebras offendes, et duram crassitiem. Verum ubi perseveraveris, ac opus hoc, diu noctuque continuaveris, invenies (rem miram!) jugem consolationem. Mox enim ac mens, cordis locum invenerit, confestim videt, quæ nunquam noverat. Videt enim interjectum aerem, ipsaque semetipsam lucidam totam ac discretionis plenam*, etc. Hæc sic affectata ac ridicula, ipsa se fatuæ mentis deliria produnt, et quibus malus spiritus illudat, non ipse bonus Spiritus cor hominis impleat, cui potius humilitas et compunctio ac cordis contritio, luctusque pœnitentiæ iter in animum pandant: quæ fere exigat Symeon, quo fit, ut hæc ejus non facile admittam. Hac regula sanctus Nicephorus patriarcha, Theodoto Ancyrano abrogat, quos ei sermones ascribebant Iconomachi, et quibus illi suo errori præsidium quærebant; quod nimirum *Orat. in Symeonem et Annam*, quæ ejus certum monumentum esset, ille aliter sensisset; quanquam ejus auctoritas

Digitized by Google

(quippe auctoris non omnino laudati) non admodum premeret. Potuerint æmuli, quos tantos Symeon passus est, hoc illi affingere, ut est facile, unum aliquem ejusmodi tractatum, vel sermonem vel epistolam, non tantæ molis aut industriæ, vel ejus infamandi causa, vel captandæ auctoritatis, alteri subdere. Hinc innumera illa ἐπιγραφομένων seges et ψευδεπιγράφων apud Græcos pariter et Latinos. Michael Psellus, orat. sua ad synodum in causa Cerularii, sede pulsi sæculari potestate, ac synodali cognitione damnandi, quam ille damnationem ac depositionem serio urgeret; visa illa, quibus aliquid non satis Christianam decens honestatem, exque Dei et sanctorum rationibus, immisceatur; diabolica commenta esse probat; cujusmodi ostendit, quibus se patronum Cerularius præberet, hinc gravissime arcessens Chaldaismi, ut vocat; superstitionis scilicet spirituum et animorum, quæ, aliaque in eum dicta scriptaque, nec injucunda lectu, nec inutilia fore spero, in vulgando a me *Historiæ Byzantinæ* exspectato tomo, quo suis coloribus egregie depicti atque expressi prodantur, qui Græcis schismatis auctores exstitere; nequissima vere capita, et qui tantæ gentis et Ecclesiæ labe ac ἀποστασίᾳ, ulti sint, quas videbantur injurias ipsi accepisse. Hæc hactenus, justo forte παρεκβατικώτερον, in quibus ipsis meliora exspecto, si quis docere habeat, ac vel Symeonem certius vindicare, vel etiam reum facere, superest pauca quædam in ipsam Calecæ lucubrationem ex more adnotare.

ΤΟΥ ΣΟΦΩΤΑΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ

ΜΑΝΟΥΗΛ ΤΟΥ ΚΑΛΕΚΑ

ΠΕΡΙ

ΟΥΣΙΑΣ ΚΑΙ ΕΝΕΡΓΕΙΑΣ

—

SAPIENTISSIMI VIRI

MANUELIS CALECÆ

ORDINIS PRÆDICATORUM

DE ESSENTIA ET OPERATIONE.

F. Francisco Combefisio, ejusdem Ordinis, interprete.

—

Id nobis hic loci, quasi defungentibus, finis propositus est, ut latam a synodo de divina *essentia* divinaque *operatione*, deque illis mota quæstione, sententiam, clarius retexamus; quo scilicet, ii qui æmulationem quidem habent, sed non secundum scientiam [1], erudiantur ad legitime certandum, unde sibi et coronam acquirant; qui autem ex simplicitate ignorant, doceantur; nam, ut auctor est divinus Apostolus: *Qui ignorat, ignorabitur* [2]; iique adeo etiam, qui proclive, seu potius temere ac maligne alios calumniantur, eisque detrahunt, injustitiæ arguantur. Hanc nimirum sententiam, universa synodus, præsidente imperatore, sæpius conveniens, ipsa promulgans atque conscribens, tanquam rectæ fidei columnam sibi proposuit, ac velut pietatis regulam, reliquis tenendam tradidit; nec non *Tomum Palamæ* appellandam sanxit. Id enim-

Σκοπὸς αὐτοσχεδιάζουσιν ἐνταῦθα, τὴν περὶ τοῦ ζητήματος τῆς θείας *οὐσίας* καὶ θείας *ἐνεργείας* παρὰ τῆς συνόδου προενεχθεῖσαν ἀπόφασιν, σαφέστερον ἐξυφάναι· ὡς ἂν, οἱ μὲν ζῆλον, οὐ κατ' ἐπίγνωσιν δὲ ἔχοντες, παιδευθῶσιν ἀγωνίζεσθαι νομίμως, ἐξ οὗ καὶ ὁ στέφανος· οἵ τε ἐξ ἁπλότητος ἀγνοοῦντες, μάθωσιν· ἐπεὶ κατὰ τὸν θεῖον Ἀπόστολον, *Ὁ ἀγνοῶν ἀγνοηθήσεται*· καὶ δὴ καὶ οἱ τοὺς ἄλλους προχείρως, ἢ μᾶλλον ἀλόγως καὶ κακοήθως συκοφαντοῦντες καὶ διαβάλλοντες ἐλεγχθῶσιν ἀδικοῦντες. Ἦν δῆτα ἀπόφασιν ὅλη σύνοδος βασιλέως προκαθεζομένου, πολλάκις συνελθοῦσα, ἀποφηναμένη καὶ συγγραψαμένη, ὡς στήλην ὀρθοδοξίας ἑαυτῇ προὔθηκε, τοῖς τε ἄλλοις κατέχειν αὐτὴν ὡς ὅρον εὐσεβείας παραδέδωκε· καὶ δὴ καὶ *Τόμον τοῦ Παλαμᾶ* ταύτην ἐπονομάζεσθαι διωρίσατο. Τοῦτο μέντοι γνώριμον ταῖς διανοίαις τῶν τὰ παρόντα

[1] Rom. x, 1. [2] I Cor. xiv, 38.

Digitized by Google

ἀναγνωσομένων προϋποκείσθω, ὡς ἦν καιρὸς, ὅτε ἡ Ἐκκλησία αὕτη τῆς ἀποφάσεως ταύτης πρότερον ἑτέραν ἐναντίαν ἐξήνεγκε· καὶ μαρτυροῦσιν οἱ καὶ νῦν ἔτι ζῶντες τῇ συνόδῳ τότε παραγενόμενοι, καὶ αἱ πραχθεῖσαι συνοδικαὶ πράξεις ἐπὶ τούτοις, βασιλεύοντος Ἀνδρονίκου, καὶ τὰ ἱστορούμενα περὶ τούτων· ὥστ' ἀμφίβολον εἶναι ποτέρα τῶν ἀποφάσεων τούτων τἀληθὲς μεθ' ἑαυτῆς ἔχει· τὴν γὰρ ἀντίφασιν μὴ δύνασθαι συναληθεύειν, καὶ ὅτι ἀδύνατον τὴν λεγομένην καὶ πιστευομένην καθολικὴν Ἐκκλησίαν αὐτὴν εἶναι, τὴν περὶ τῶν αὐτῶν τῆς πίστεως κεφαλαίων νῦν μὲν οὕτως, νῦν δ' ἐκείνως τἀναντιώτατα κρίνουσαν καὶ κρατοῦσαν, καὶ παῤῥησίᾳ γράμμασι καὶ πράγμασιν ἀποφαινομένην. Δεῖ γὰρ τὴν καθολικὴν Ἐκκλησίαν ἀληθεύειν ἀεί· ἐπεὶ καὶ τὸν παρακούοντα ταύτης ἐθνικὸν καὶ τελώνην ὁ Κύριος εἶναι διωρίσατο.

Ἵνα τοίνυν κατὰ σκοπὸν ἀρξάμενοι, τὴν περὶ τοῦ ζητήματος τῆς θείας οὐσίας καὶ ἐνεργείας νῦν κρατοῦσαν ἀπόφασιν ἐξυφάνωμεν, καὶ ταύτην αὐτὴν ἐφ' ἑαυτῆς ὅπως ἔχει θεωρῶμεν, εἰδέναι χρὴ· ὅτι τῷ ῥηθέντι Τόμῳ τῆς συνόδου ἓξ κεφάλαια καὶ ζητήματα καὶ συμπεράσματα πρόκειται δεῖξαι, καὶ περὶ τούτων καθόλου πραγματεύεται· ὧν πρῶτον, ὅτι ἔστιν ἐπὶ Θεοῦ διάκρισις οὐσίας καὶ ἐνεργείας· δεύτερον ὅτι ἐνέργεια αὕτη ἐστὶν ἄκτιστος· τρίτον, ὅτι· ἡ διάκρισις αὕτη καὶ ἡ διαφορὰ ἐν τῷ Θεῷ οὐ ποιεῖ σύνθεσιν ἐν αὐτῷ· τὸ τέταρτον, ὅτι τὸ ὄνομα τῆς Θεότητος οὐκ ἐπὶ τῆς οὐσίας μόνον τοῦ Θεοῦ λέγεται, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῆς θείας ἐνεργείας αὐτοῦ· πέμπτον, ὅτι ἡ οὐσία τοῦ Θεοῦ ὑπέρκειται τῆς ἐνεργείας αὐτοῦ· ἕκτον, ὅτι ὁ Θεὸς οὐ μετέχεται κατὰ τὴν οὐσίαν αὐτοῦ, ἀλλὰ κατὰ τὴν ἐνέργειαν. Ἐκ δὴ τῶν τοιούτων ζητημάτων, ἃ καὶ φιλοτιμότερον ἀποδεικνύουσιν, ὡς οἶονται, ἡ τῶν ἀνδρῶν τούτων πίστις φαίνεται· ὅμως δὲ καὶ ἐξ ὧν λέγουσι, σαφέστερον αὐτοὶ ῥήμασι δειχθήσεται· ὡς ἂν ὁ τῶν προτεθέντων σκοπὸς λαμπρότερον ἀναφανῇ, καὶ ἅμα μηδεὶς αὐτοὺς συκοφαντεῖσθαι ἢ διαβάλλεσθαι νομίσῃ.

Φανερὸν μὲν οὖν ἐκ τῆς ἐν τῷ Τόμῳ ἀποφάσεως ὅτι οὐ περὶ τῆς διακρίσεως ἐκείνης προτιθέασι, καθ' ἣν ὁ εἷς Θεὸς ἀφθέγκτως ταῖς ὑποστάσεσι διακρίνεται· τουτέστι κατὰ τὰς τρεῖς ὑποστάσεις καὶ τὰ τρία πρόσωπα· τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος· μᾶλλον δὲ, τὸν Πατέρα καὶ Υἱὸν καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα, ἐπείπερ ἡ μὲν ἁγία Τριὰς ἓν ἐστι πρᾶγμα ὅ τί ποτέ ἐστι καὶ μία οὐσία· καὶ οὐ τὸ μὲν τῶν προσώπων ὑφέστηκε καθ' ἑαυτὸ, τὸ δὲ οὐχ ὑφέστηκεν· οὐδὲ τὸ μὲν μεθεκτὸν καθ' ἑαυτὸ, τὸ δὲ ἀμέθεκτον· καὶ παρίημι τὰ πλείω, ἃ περὶ οὐσίας καὶ ἐνεργείας λέγουσι διακρίνοντες, ὡς δειχθήσεται· ἀλλὰ κατά τινα ἄλλην διάκρισιν ἐπινοηθεῖσαν αὐτοῖς· καθ' ἣν ὡς βούλονται, διακρίνεται αὐτὸς ὁ τρισυπόστατος Θεὸς εἰς οὐσίαν καὶ ἐνέργειαν· μᾶλλον δὲ οὐσίαν καὶ ἐνεργείας. Φανερὸν δὲ καὶ ὅτι τὴν ἐνέργειαν ταύτην καὶ Θεότητά φασι· μᾶλλον δὲ

A vero eorum qui ista lecturi sunt, ante omnia animis ratum esto ac constitutum, fuisse tempus cum hæc Ecclesia, sententiam aliam huic contrariam ante edidit; ac testantur, qui etiam num superstites, synodo illi interfuerunt, Actusque ipsi eo in negotio synodales, Andronico imperatore, habiti: ac denique quæ de illis gestorum monumentis conscripta sunt: quocirca dubium est, utra harum sententiarum veritate nitatur. Liquet enim fieri non posse ut affirmatio et negatio simul veræ sint, vel ut illa dicatur atque credatur Ecclesia catholica, quæ de iisdem fidei capitulis modo sic, modo aliter, maxime contraria decernat, teneatque et palam scriptis factisque enuntiet. Necesse est enim, ut Ecclesia catholica verum semper dicat; nam et qui eam non B audierit, ethnicum et publicanum fore, Dominus statuit [3].

Ut igitur certa ad destinata ratione ordientes, ejus quæ nunc obtinet, de divina essentia ac operatione, quæstionis sententiam retexamus, hancque ipsam in seipsa, cujusmodi sit, contueamur, observandum est; illi quem dixi, synodi Tomo, sex capita ac quæstiones conclusionesque, ostendenda proposita esse, deque illis universim tractare. Primum est, esse in Deo distinctionem essentiæ et operationis. Alterum, hanc operationem increatam esse. Tertium, discretionem hanc ac distinctionem in Deo non facere in eo compositionem. Quartum, Deitatis nomen non solum dici de Dei essentia, verum etiam C de divina operatione. Quintum, Dei essentiam illius operationi eminere ac superiorem esse. Sextum, non participari Deum ratione essentiæ, sed ratione operationis. Ex ejusmodi sane quæstionibus, quas et luculentius, ut sibi videntur, ostendunt ac probant, quænam sit istorum hominum fides patet; quanquam etiam ex his quæ dicunt, ipsis eorum verbis, a nobis monstrandum est; quo nimirum, eorum quæ proposita sunt, scopus clarius ipse elucescat, nec quisquam per calumniam aliquid eis a nobis objici arbitretur.

Liquet autem, ex ea quæ in Tomo habetur, sententia non proposuisse eos, de illa distinctione, qua unus Deus, nullis verbis explicabili ratione, hypostasibus discernitur; tribus scilicet subsistentiis ac tribus D personis, Patris et Filii et Spiritus sancti; quin potius Patre et Filio et Spiritu sancto, quandoquidem sancta Trinitas una res est quæcunque tandem illa sit, unaque essentia; nec personarum alia quidem per se subsistit vereque est, alia non per se subsistit nec est vere; vel alia sui ipsa ratione participabilis est, alia ex se participari non postet. Aliaque complura missa facio, quæ de essentia et operatione loquuntur, distinguendo ac discernendo, ut monstrabitur; sed secundum aliam distinctionem ac discretionem, cujus ipsi auctores exsistunt: quæ utique, ut illi existimant, ipse Deus trine subsistens in essentiam et operationem (seu magis in essen-

[3] Matth. xviii, 17.

Digitized by Google

tiam et operationes) discernitur. Manifestum autem est hanc operationem etiam Deitatem illis nuncupari ; quinimo Deitates ; quod ipsum ex iis quæ credunt ac scribunt clarius innotescet. Etenim de hac ipsa re in eodem Tomo , ante earum quas diximus quæstionum editionem, aiunt : *Cœpisse venerabilissimum chartophylacem et principem philosophorum ut est ecclesiastica consuetudo, ex unoquoque sciscitari, quænam ejus esset sententia, de dogmaticis illis capitibus, de quibus sigillatim sermo habitus, atque examen institutum esset ; omnesque uno ore, tanquam uno afflatos Spiritu, cum eo quod unitum est, eam quoque quæ Deum deceat, discretionem ac distinctionem divinæ essentiæ ac operationis palam confessos esse ; increatamque divinam operationem , haud secus ac essentiam, amplexos esse ; audientesque hanc quoque a theologis vocari Deitatem, quod sic dicatur libenter habuisse. Inter quæ sanctissimus quoque ac œcumenicus patriarcha rogatus, ut et ipse sententiam suam proferret, ubi prius disseruisset de distinctione divinæ essentiæ et operationis, ac quos sancti dicunt, distinctionis modos omnes pulchre sigillatim distinxisset ; præterea unitam eam et inseparabilem a divina essentia monstrasset (in quibus etiam increatam divinam operationem , ac sanc is Deitatem vocatam, asservit), totus deinde ad eos qui dissiderent admonendos atque hortandos versus est.*

Hinc liquet, operationem, quam discretam ab essentia dicunt, eamdem illos et Deitatem fateri et increatam. Unde etiam de duabus multisque Deitatibus distinctis illis sermo est. Apertiusque monstratur, et ex iis quæ scripsit Palamas, qui hujus sententiæ ac opinionis antistes fuit, ac fere quidem in omnibus astruit, maxime vere in ea oratione, cujus initium istud est: *Afflante Spiritu prolatas Patrum sententias secuti.* Hic enim, Barlaamum et Acindynum in illis traducens, ait: *Vociferantur in eos qui eamdem ac Patres confessionem colunt ac servant, ut qui duas increatas Deitates quovis modo dicant, quorum altera emineat, altera inferior exsistat: non intelligentes nimirum crimen hoc in sanctos Patres nostros intorqueri, seu ad illos spectare.* Item rursus : *Ignorant itaque miseri, sanctorum sic accusatores fieri, ut est auctor theologus ; idipsumque fere illis accidit, ac iis qui metu mortis, ipsi sibi guttur frangunt ; ne scilicet parum aliquid laboris ponant atque operæ, exquirendo quæ nam hæ deitates, et quidnam in eis pie eminens superiusque.* Rursus in dialogo, cujus titulus, *Barlaamites et orthodoxus ; aliæ autem, quas dicunt sancti. Deitates, sive una, sive duæ, sive plures.*

Ex his igitur manifestum est, loqui eos de multis Deitatibus. Quod autem discreta hæc in Deo (id est, Deitates hæ) non sola ratione discreta sint, sed et tres exsistant, et non simpliciter nomina ; hoc quoque multis astruunt, dum ante quæstiones sic aiunt : *Orsi sunt qui dissentiunt, accusare archiepiscopum Thessalonicensem. Erat autem ejusmodi*

Θεότητας, ὡς καὶ αὐτὸ ἐξ ὧν πιστεύουσι καὶ γράφουσι καθαρώτερον φανήσεται. Καὶ δὴ καὶ περὶ αὐτοῦ τούτου ἐν αὐτῷ τῷ Τόμῳ πρὸ τῆς τῶν ῥηθέντων ζητημάτων ἐκθέσεως φασὶν, *Ὅτι ἤρξατο ὁ τιμιώτατος χαρτοφύλαξ καὶ ὕπατος τῶν φιλοσόφων, κατὰ τὸ ἐκκλησιαστικὸν ἔθος, ἐρωτᾶν ἕκαστον, ὅπως ἔχει γνώμης περὶ τῶν κατὰ μέρος λαληθέντων τε καὶ ἐξετασθέντων δογματικῶν κεφαλαίων καὶ πάντες ἑνὶ στόματι, ὡς ἐξ ἑνὸς κινούμενοι Πνεύματος, μετὰ τοῦ ἡνωμένου, καὶ θεοπρεπῆ διάκρισιν καὶ διαφορὰν τῆς θείας οὐσίας καὶ ἐνεργείας φανερῶς ὡμολόγησαν· ἄκτιστόν τε τὴν θείαν ἐνέργειαν, καθὰ δῆτα καὶ τὴν οὐσίαν, ἵστερξαν· καὶ Θεότητα καὶ ταύτην ἀκούσαντες παρὰ τῶν θεολόγων, ἀσμένως ἐδέξαντο· ἐπὶ τούτοις ἐρωτηθεὶς καὶ ὁ ἁγιώτατος καὶ οἰκουμενικὸς πατριάρχης, καὶ αὐτὸς τὴν οἰκείαν γνώμην ἐξενεγκεῖν· λόγον τε διεξελθὼν πρότερον περὶ διαφορᾶς θείας οὐσίας καὶ θείας ἐνεργείας, καὶ τοὺς παρὰ τῶν ἁγίων λεγομένους τῆς διαφορᾶς τρόπους πάντας καλῶς κατὰ μέρος διευκρινήσας, ἔτι τε τὸ ἡνωμένον καὶ ἀχώριστον ταύτης πρὸς τὴν θείαν οὐσίαν ἀποδείξας (ἐν οἷς καὶ ἄκτιστον τὴν θείαν ἐνέργειαν καὶ Θεότητα παρὰ τῶν ἁγίων εἰρῆσθαι ἀπεφήνατο), τῆς πρὸς τοὺς διαφερομένους ἔπειτα παραινέσεως ὅλος γέγονεν.*

Ἐκ τούτων δῆλον ὅτι τὴν ἐνέργειαν, ἣν διακρίνεσθαι τῆς οὐσίας λέγουσι, ταύτην καὶ Θεότητα καὶ ἄκτιστον ὁμολογοῦσι· διὸ καὶ περὶ δύο καὶ πολλῶν Θεοτήτων διαφερουσῶν αὐτοῖς ἐστιν ὁ λόγος. Σαφέστερον δὲ δείκνυται, καὶ ἀπὸ τῶν λόγων τοῦ Παλαμᾶ, τοῦ ταύτης τῆς ἀποφάσεως καὶ δόξης προστάντος, σχεδὸν μὲν ἐν ἅπασι τοῦτο κατασκευάζοντος, οὐχ ἧττον δὲ καὶ ἐν λόγῳ, οὗ ἡ ἀρχὴ, *Ταῖς πνευματοκινήτοις τῶν Πατέρων ἑπόμενοι ψήφοις.* Βαρλαὰμ γὰρ οὗτος καὶ Ἀκίνδυνον ἐν τούτοις διασύρων, φησὶ, *Καταβοῶσι τῶν στεργόντων τὴν πρὸς τοὺς ἁγίους ὁμολογίαν, ὡς δύο Θεότητας ἀκτίστους ὁπωσδήποτε λεγόντων, ὑπερκειμένην καὶ ὑφειμένην, μὴ συνορώντες ὅτι πρὸς τοὺς ἁγίους ἡμῶν Πατέρας ἀναφέρεται τὸ δηθὲν ἔγκλημα τοῦτο.* Καὶ πάλιν, *Ἀγνοοῦντες τοιγαροῦν ὅτι τῶν ἁγίων οἱ ταλαίπωροι γίνονται κατήγοροι, κατὰ τὸν Θεολόγον, ὁμοιόν τε πάσχουσι τοῖς διὰ θανάτου φόβον ἀπαγχομένοις· ἵνα μὴ κάμωσι μικρὸν ἐκζητήσαντες, τίνες αἱ Θεότητες αὗται, καὶ τί τὸ ἐν αὐταῖς εὐσεβῶς ὑπερκείμενον.* Πάλιν ἐν διαλόγῳ, οὗ ἡ ἐπιγραφὴ, *Βαρλααμίτης καὶ Ὀρθόδοξος, Αἱ δὲ ἄλλαι παρὰ τοῖς ἁγίοις λεγόμεναι Θεότητες, εἴτε μία, εἴτε δύο, εἴτε πλείους.*

Ἐκ μὲν οὖν τούτων δῆλον ὅτι περὶ δύο καὶ πολλῶν Θεοτήτων αὐτοῖς ὁ λόγος. Ὅτι δὲ τὰ διακρινόμενα ταῦτα ἐν τῷ Θεῷ, εἴτ' οὖν αἱ Θεότητες αὗται, οὐ λόγῳ διακρίνονται μόνον, ἀλλὰ καὶ πράγματα τυγχάνει ὄντα, καὶ οὐχ ἁπλῶς ὀνόματα, καὶ τοῦτο διὰ πολλῶν κατασκευάζουσι, ἐν οἷς πρὸ τῶν ζητημάτων οὕτω φασὶν, *Ἤρξαντο οἱ διαφερόμενοι τῆς*

Digitized by Google

κατὰ τοῦ Θεσσαλονίκης κατηγορίας· ἡ δὲ ἦν τοιάδε, ὡς ἄρα ἔν τισι τῶν ἑαυτοῦ συγγραμμάτων γράφει δύο καὶ πολλὰς Θεότητας, καὶ ταύτας ὑπερκειμένας καὶ ὑφειμένας. Καὶ τοῦτον δὴ τὸν λόγον πολλάκις εἰπόντων καὶ περικροτησάντων, καὶ ταύτας δὴ τὰς φωνὰς καταιτιωμένων, ὁ Θεσσαλονίκης ἔφη, « Λέξεων ὀλίγος ἐμοὶ λόγος· περὶ δὲ δογμάτων καὶ πραγμάτων τὸν ἀγῶνα ποιοῦμαι. » Καὶ μετ' ὀλίγα, Δύο μὲν ἐγὼ Θεότητας ἢ πολλὰς καὶ διαφόρους ἐπὶ τῆς ἁγίας Τριάδος, ὡς ἄλλην μὲν εἶναι τοῦ Πατρὸς, ἄλλην δὲ τοῦ Υἱοῦ, ἄλλην δὲ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, οὔτε ἐφρόνησα, οὔτε φρονῶ· ἀλλ' ἐνεργείας καὶ πρόοδους τινὰς, φύσει καὶ ἐξ ἀϊδίου προσούσας τῷ Θεῷ, τῷ τῆς Θεότητος ὀνόματι προσηγόρευσα, τοῖς ἁγίοις οἰόμενος σύμφωνα λέγειν.

Ὥστε ἐκ τῶν εἰρημένων δῆλον γέγονεν ὅτι καὶ πολλὰς Θεότητας ἀκτίστους ὁμολογοῦσι, καὶ ὅτι τὰς αὐτὰς καὶ πράγματα βεβαιοῦσιν. Ὃ δὲ ἠρνήσατο λέγων· Οὔτε ἐφρόνησα, οὔτε φρονῶ, πρὸς ἀπάτην μόνον τῶν ἁπλουστέρων, καὶ ἐν οἷς οὐ κατηγορεῖτο, ταῦτα ἠρνήσατο. Οὐδὲ γὰρ ὡς ἄλλην αὐτὸν λέγοντα τοῦ Πατρὸς Θεότητα, καὶ ἄλλην τοῦ Υἱοῦ, καὶ ἄλλην τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ἠτιῶντο, ἀλλ' ὅτι τὸν ἕνα Θεὸν εἰς οὐσίαν καὶ ἐνέργειαν, ἢ καὶ ἐνεργείας, διεῖλεν, ἑκάστην τούτων ἄκτιστον Θεότητα καλῶν, καὶ πρᾶγμα ἐν τῷ Θεῷ τῆς αὐτοῦ οὐσίας ἕτερον. Καὶ μέντοι τοῦ τὰς Θεότητας ταύτας καὶ πράγματα εἶναι κατασκευάζειν διὰ τῶν ἑπομένων τὴν αἰτίαν ἐπήγαγεν εὐθύς. Ἐπάγει γάρ· Καὶ ταῦτα εἶπον, ἀγωνιζόμενος πρὸς ἐκεῖνον τὸν Βαρλαὰμ καὶ Ἀκίνδυνον, λέγοντας μόνην ἄκτιστον τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ, ὡς οὖσης δηλαδὴ καὶ λοιπῆς παρ' αὐτὴν· μᾶλλον δὲ πολλῶν, ὡς αὐτὸς ὁμολογεῖ. Ὥστε ὃ ἀρνεῖται, ὁμολογεῖ. Καὶ ἴσον ἐστὶν, ὡς εἰ ἔλεγε· Μίαν λέγω, καὶ οὐ μίαν· καὶ μίαν λέγω, καὶ πολλάς. Λαμπρῶς γὰρ ἐβεβαίωσε λέγων· Ἀλλ' ἐνεργείας θείας καὶ προόδους, φύσει καὶ ἐξ ἀϊδίου προσούσας τῷ Θεῷ, τῷ τῆς Θεότητος ὀνόματι προσηγόρευσα· αὗται δέ εἰσιν αἱ ἐνέργειαι, ἃς τῆς οὐσίας διαφέρειν, καὶ ἀκτίστους εἶναι, ὡς φύσει καὶ ἐξ ἀϊδίου προσούσας τῷ Θεῷ, καὶ Θεότητας διαῤῥήδην προσαγορεύει.

Ταῦτα βεβαιοῦσι καὶ ἐν τοῖς ἀναθεματισμοῖς, οὓς ἐν τῷ Συνοδικῷ κατὰ τῶν μὴ ὁμολογούντων τὰς πολλὰς αὐτῶν Θεότητας προσέθεσαν. Βοῶσι γάρ· Τοῖς φρονοῦσι καὶ λέγουσιν ἐπὶ τῆς θείας οὐσίας μόνης τὸ τῆς Θεότητος ὄνομα λέγεσθαι, μὴ ὁμολογοῦσι δὲ, κατὰ τὰς τῶν ἁγίων θεοπνεύστους θεολογίας, καὶ τὸ τῆς Ἐκκλησίας εὐσεβὲς φρόνημα, καὶ ἐπὶ τῆς θείας ἐνεργείας οὐχ ἧττον αὐτὸ τίθεσθαι, καὶ οὕτω πάλιν μίαν Θεότητα πάσι τρόποις πρεσβεύουσι Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος, εἴτε τὴν ἐνέργειαν εἴποι τις, ἀνάθεμα.

Ἀλλ' ὅτι μὲν οὐ δυνατὸν τὰς δύο ταύτας καὶ πολλὰς Θεότητας εἰς μίαν τῷ ἀριθμῷ συνελθεῖν, ὡς ὑπερπολήσαντες οὗτοι ψυχροῖς ῥηματίοις, καὶ λόγῳ μόνον μίαν εἶναι κατ' ἐξουσίαν φασὶ, τοὺς διδασκάλους ἐπὶ τούτοις συκοφαντοῦντες, προῖοῦσι φανήσεται.

A accusatio: *Quod nimirum ille, in quibusdam eorum librorum, quos scripsit, duas ac plures Deitates scribat, quæ emineant, et quæ inferiores exsistant. Huncque sæpius sermonem ac dicam repetentibus ac concrepantibus, hasque utique voces accusantibus, ait Thessalonicensis:* « *Exigua mihi verborum ratio est: de dogmatis rebusque certamen habeo.* » Paucisque interjectis: *Ego sane duas aut plures distinctas Deitates in sancta Trinitate, ita nimirum ut alia quidem Patris sit, alia Filii, alia Spiritus sancti, nec sensi unquam, nec sentio; sed operationes quasdam et processiones natura et ab æterno Deo competentes, Deitatis nomine appellavi, existimans me consentanee sanctis loqui.*

B

Quamobrem ex dictis clare liquet, plures eos Deitates increatas fateri, easdemque illas res esse affirmare. Quod autem negavit, dicens: *Nec sensi unquam, neque sentio*, ut solummodo simplicioribus fucum faceret, et in quibus minime accusabatur, illa inficiatus est. Neque enim crimen inferebant, quasi aliam Patris aliamque Filii, atque aliam Spiritus sancti Deitatem diceret, sed quod unum Deum in essentiam et operationem, seu etiam operationes, divideret, quas singulas increatam Deitatem, et rem in Deo ab ejus distinctam essentia, ac ab ea aliam, vocaret. Denique, cur has Deitates reque esse affirmet, in sequentibus statim subjecit rationem. Subdit enim: *Hæc vero dixi, decertans adversus Barlaamum illum et Acindynum, qui solam Dei essentiam increatam dicant*; tanquam nimirum etiam alia sit præter ipsam, quin et multæ, uti ipse fatetur. Itaque quod it inficias, id fatetur; perindeque est ac si diceret: Unam dico, et non unam; et, unam dico et plures. Clare enim affirmavit, dicens: *Sed divinas operationes ac processiones, natura et ab æterno Deo competentes, Deitatis nomine appellavi.* Hæ autem sunt operationes, quas ab essentia distinguit, et esse increatas ait, ut quæ natura et ab æterno Deo competant, ac diserte Deitates vocat.

C

Hæc ipsa confirmant in anathematismis, quos Synodico adjunxerunt, adversus eos qui multas eorum deitates non confitentur. Clamant enim: *His qui sentiunt ac dicunt, Deitatis nomen duntaxat dici de divina essentia, et non confitentur, juxta sanctorum divinitus inspiratas de Deo sententias ac voces, nec non Ecclesiæ pium sensum, nihilominus etiam de divina operatione dici; sicque unam rursus modis omnibus Deitatem asserunt, Patris et Filii et Spiritus sancti, sive operationem quis dicat, anathema sit.*

D

Enimvero fieri non posse ut duæ hæ ac plures Deitates in unam numero coeant, uti frigidis voculis isti somniantes affirmant, solumque ratione unam esse secundum potestatem, quod ita sentiunt ac docent magistros calumniantes, ex sequentibus

Digitized by Google

liquebit. Nec enim satis illis fuit, ut sic quovis modo Dei essentiam et operationem inter se dividerent easque distingui dicerent; verum etiam multos in eis discretionis ac oppositionis modos adhibuerunt, quorum nullo fieri potest, ut essentia et operatio reipsa in unum conveniant, unaque Deitas exsistant, uti hi simplicioribus falso suadent. Porro examinemus. Horum enim nonnullos, illorum probro, seu potius ut eorum falsa opinio ac sententia palam fiat ac evertatur, ex iis quos confessi sunt creduntque, in ea quam synodice ediderunt, ipsorum religionis atque fidei nova regula (tomo scilicet) hic loci exponemus.

Primus itaque discretionis essentiæ et operationis modus, ut illi suo de Deo sensu existimant, in eo est, quod in Deo aliud essentia Dei est, aliud in eo non est ejus essentia. Secundus, quod in Deo aliud est trine subsistens ejus natura, atque aliud non subsistens aut persona. Unde et aiunt in Tomo, velut ex persona eorum qui hanc tueantur positionem, sic eis concepto sermone hacque verborum forma: *Sed neque aliud quid aio Deitatem præter trine subsistentem Deitatem, nec essentiam divinam aut angelicam, nec hypostasin seu personam, sed operationes quasdam ac processiones seu emanationes, natura et ab æterno Deo competentes, Deitatis nomine appellavi.* Rursumque in eodem Tomo, post jam dicta quæsita, de luce in monte Thaborio (etenim hanc quoque unam multarum numeroque superiorum operationum statuunt, cujus per se vis circa ea quæ collucebant ac illustrabantur) in hæc verba concludunt: *Increatum esse lumen Dominicæ Transfigurationis, nec illud Dei essentiam esse.* Itemque in suis Anathematismis, qui dicant ac confiteantur: *Lumen quod in Dominicæ Transformationis monte eluxit, increatum esse;* negent tamen *illud esse superessentialem Dei essentiam, quod hæc omnino invisibilis, extraque omne commercium maneat, sed potius claritatem naturalem seu gloriam esse dicant superessentialis essentiæ, ex illa indivise manantem, Deique clementia ac benignitate illis factam conspicuam, qui mente purgati essent; cum qua gloria ac claritate, Dominus noster ac Deus venturus est in secundo tremendoque suo adventu, ut judicet vivos et mortuos.* Rursumque in iisdem: *His qui non confitentur, juxta divinas sanctorum voces ac sententias, piumque Ecclesiæ sensum, nec creaturam esse divinissimum illud lumen, nec Dei essentiam, sed increatam ac naturalem gratiam illustrationemque et operationem, ex ipsa divina essentia inseparabiliter semper manantem, anathema sit.* Rursumque in eodem Tomo circa finem quæstionum: *Nobis vero omnino sermo est, non de hac operatione atque virtute (de Filio scilicet et Spiritu) sed de communi trine subsistentis Deitatis, quæ non est hypostasis ac persona, sed natura, altiorique supra naturam ratione, unicuique divinarum hypostaseon seu personarum inest.* Hæc quidem communiter sentiunt ac

A Οὐδὲ γὰρ ἁπλῶς οὕτως τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ καὶ τὴν ἐνέργειαν πρὸς ἄλληλα διελόντες, καὶ διαφέρειν εἰπόντες ἠρκέσθησαν· ἀλλὰ καὶ πολλοῖς τρόποις ἐπ' αὐτῶν διακρίσεως καὶ ἀντιθέσεως ἐχρήσαντο, ὧν κατ' οὐδένα δυνατὸν τὴν οὐσίαν καὶ τὴν ἐνέργειαν πραγματικῶς εἰς ἓν συμβῆναι καὶ μίαν εἶναι θεότητα, ὡς οὗτοί γε τοὺς ἁπλουστέρους ἐξαπατῶσι. Σκοπῶμεν δέ. Τούτων γὰρ ἑνίους εἰς αἰσχύνην αὐτῶν, μᾶλλον δὲ τῆς ψευδολογίας τῶν ἀνδρῶν παράστασιν καὶ ἀνατροπὴν, ἐξ ὧν ὡμολόγησαν καὶ πιστεύουσιν ἐν τῷ ἐκτεθέντι συνοδικῶς τῆς θρησκείας καὶ πίστεως αὐτῶν καινοφωνεῖ ὅρῳ τῷ Τόμῳ ἐνθήσομεν.

Πρῶτος μὲν οὖν τρόπος διακρίσεως οὐσίας καὶ ἐνεργείας ἔστιν, ὡς αὐτοὶ θεολογοῦσιν, ὅτι τὸ μὲν B ἐπὶ Θεοῦ ἡ οὐσία ἐστὶ τοῦ Θεοῦ, τὸ δὲ οὐκ ἔστιν ἐπ' αὐτοῦ ἡ οὐσία αὐτοῦ· δεύτερος, ὅτι τὸ μὲν ἐπὶ Θεοῦ ἡ τρισυπόστατός ἐστιν αὐτοῦ φύσις· τὸ δ' οὐκ ἔστιν ὑπόστασις· καὶ διὰ τοῦτό φασιν ἐν τῷ Τόμῳ ὡς ἀπὸ τῶν τῆς θέσεως ταύτης προστάντων, σχηματίζοντες τὸν λόγον· *Ἀλλ' οὐδὲ ἄλλο τί φημι θεότητα ἐκτὸς τῆς τρισυποστάτου θεότητος, οὔτε οὐσίαν θείαν ἢ ἀγγελικὴν, οὔτε ὑπόστασιν, ἀλλ' ἐνεργείας καὶ προόδους τινὰς, φύσει καὶ ἐξ ἀϊδίου προσούσας τῷ Θεῷ, τῷ τῆς θεότητος ὀνόματι προσηγόρευσα.* Πάλιν ἐν τῷ αὐτῷ Τόμῳ μετὰ τὰ προειρημένα ζητήματα περὶ τοῦ ἐν τῷ Θαβωρίῳ φωτὸς (καὶ τοῦτο γὰρ μίαν τῶν πολλῶν καὶ ἀναριθμήτων ἐνεργειῶν τιθέασιν, ἐνεργοῦσαν καθ' ἑαυτὴν C περὶ τὰ ἐλλαμπόμενα καὶ φωτιζόμενα), συμπεραίνουσιν οὕτως· *Ὅτι ἄκτιστόν ἐστι τὸ φῶς τῆς τοῦ Κυρίου Μεταμορφώσεως· καὶ ὅτι οὐκ ἔστι τοῦτο ἡ οὐσία τοῦ Θεοῦ.* Πάλιν ἐν τοῖς Ἀναθεματισμοῖς αὐτῶν, τῶν ὁμολογούντων. *Τὸ ἐκλάμψαν φῶς ἐπὶ τοῦ ὄρους τῆς τοῦ Κυρίου Μεταμορφώσεως ἄκτιστον· μὴ μέντοι γε αὐτὸ εἶναι λεγόντων τὴν ὑπερούσιον τοῦ Θεοῦ οὐσίαν, ὡς ἐκείνης ἀοράτου παντάπασι καὶ ἀμεθέκτου μενούσης, δόξαν δὲ μᾶλλον λεγόντων αὐτὸ φυσικὴν τῆς ὑπερουσίου οὐσίας, ἐξ ἐκείνης προιοῦσαν ἀδιαιρέτως, καὶ ἐπιφαινομένην διὰ φιλανθρωπίαν Θεοῦ τοῖς κεκαθαρμένοις τὸν νοῦν· μεθ' ἧς δόξης ὁ Κύριος ἡμῶν καὶ Θεὸς ἥξει κατὰ τὴν δευτέραν καὶ φρικτὴν αὐτοῦ παρουσίαν, κρίνων* D *ζῶντας καὶ νεκρούς.* Πάλιν ἐν τοῖς αὐτοῖς. *Τοῖς μὴ ὁμολογοῦσι κατὰ τὰς τῶν ἁγίων θεολογίας καὶ τὸ τῆς Ἐκκλησίας εὐσεβὲς φρόνημα μήτε κτίσμα εἶναι τὸ θειότατον ἐκεῖνο φῶς, μήτε οὐσίαν Θεοῦ, ἀλλ' ἄκτιστον καὶ φυσικὴν χάριν καὶ ἔλλαμψιν καὶ ἐνέργειαν, ἐξ αὐτῆς τῆς θείας οὐσίας ἀχωρίστως ἀεὶ προιοῦσαν, ἀνάθεμα.* Πάλιν ἐν αὐτῷ τῷ Τόμῳ περὶ τὸ τέλος τῶν ζητημάτων. *Ἡμῖν δὲ ἀρτίως ὁ λόγος οὐ περὶ ταύτης τῆς ἐνεργείας καὶ δυνάμεως, ἤγουν τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος, ἀλλὰ περὶ τῆς κοινῆς τῆς τρισυποστάτου θεότητος, ἥτις οὐχ ὑπόστασίς ἐστιν, ἀλλὰ φύσει καὶ ὑπερφυῶς πρόσεστιν ἑκάστῃ τῶν θεαρχικῶν ὑποστάσεων.* Ταῦτα μὲν κοινῇ θεολογοῦσιν· ἰδίως δὲ ὁ τῶν δογμάτων τούτων πα-

Digitized by Google

τὴρ, ἐν τῷ κατὰ *Θεοφάνην καὶ Θεότιμον* αὐτοῦ Διαλόγῳ οὕτω μεγαληγορεῖ· *Εἰ γὰρ μήτε ὑπόστασις μήτε οὐσία ἡ Θεότης αὕτη πέφυκεν, ἀλλ' οὐδὲν ἧττον ἄκτιστός ἐστι καὶ συναΐδιος τῇ οὐσίᾳ τοῦ Θεοῦ.*

docent; seorsim vero ac privatim horum dogmatum auctor ac pater, in suo, *Theophanes ac Theotimus*, dialogo, sic magnificis verbis effert: *Quanquam enim neque hypostasis seu persona, neque essentia hæc Deitas est, nihilominus tamen increata ac Dei essentiæ coæterna est.*

Τρίτος τρόπος τῆς διαφορᾶς αὐτοῖς ἐπινενόηται ὅτι ἡ μὲν οὐσία ἔχει, ἡ δὲ ἔχεται. Μετὰ γὰρ τὰ ζητήματα ἡ σύνοδός φασιν· *Εἰ δὲ καὶ τισι τῶν ἁγίων δύναμις καὶ ἐνέργεια εἴρηται ὁ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλὰ τοῦ Πατρός· καὶ οὕτως, ἑκάτερον, ὑπόστασις τελεία, καὶ ἐνέργειαν ἢ δύναμιν ἔχον.* Πάλιν ἐν τῷ πρώτῳ τῶν ζητημάτων, *Τὸ δὲ ἔχον, οὗ ἔχει, κατά τι διαφέρει πάντως. Εἰ οὖν οὐκ ἔστι διαφορά τις θείας οὐσίας καὶ θείας ἐνεργείας, οὐκ ἔστιν ἔχειν τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ ἐνέργειαν· τὸ δὲ μὴ ἔχον ἐνέργειαν ἀνενέργητόν ἐστι· τὸ δὲ ἀνενέργητον καὶ ἀνύπαρκτον.*

Tertius modus distinctionis illis excogitatus ac adinventus, in eo positus est, quod essentia quidem habet; operatio vero habetur. Post quæstiones enim ait synodus: *Quanquam enim quidam sanctorum, potentiam dixerunt seu virtutem et operationem Filium et Spiritum sanctum, verum ut Patris, eaque ratione, quod unusquisque hypostasis seu persona perfecta est, atque operationem seu potentiam ac virtutem habens.* Rursusque in prima quæstione: *Porro quod habet ab eo quod habet, aliqua ratione prorsus distinguitur. Siquidem igitur nulla est distinctio divinæ essentiæ et divinæ operationis, fieri non potest ut Dei essentia habeat operationem. Quod autem non habet operationem, iners ac inefficax est. Quod vero iners et inefficax nullius actionis est, illud neque in rerum natura ac vere est.*

Τέταρτος τρόπος διαφορᾶς, ὅτι ἡ μὲν θεία οὐσία μοναδικῶς προφέρεται, ἡ δὲ ἐνέργεια πληθυντικῶς. Καὶ φασὶν ἡ σύνοδος ἐν τῷ Τόμῳ πρὸ τῶν ζητημάτων· *Διαφορὰν μέντοι θείας οὐσίας καὶ θείας ἐνεργείας, ἢ καὶ θείων ἐνεργειῶν, καὶ μάλα νοεῖσθαι καὶ λέγεσθαι προετρέψαντο.* Καὶ πάλιν ἐν τῷ ἕκτῳ τῶν ζητημάτων, ῥητόν τι τοῦ μεγάλου συκοφαντήσαντες Διονυσίου, φασὶ, *Πληθυντικῶς μὲν αὐτὰς προσενεγκών, ἔδειξεν οὐκ οὐσίαν οὖσας Θεοῦ· οὐδέποτε γὰρ ἐκείνη πληθυντικῶς προφέρεται· ἐλλάμψεις δὲ καλέσας, καὶ ἀνάρχους καὶ ἀτελευτήτους προσειπών, θείας καὶ ἀκτίστους ταύτας ἔδειξεν.* Ἀλλὰ καὶ ὁ ἐκ Θεσσαλονίκης μεγαλώνυμος Νεῖλος ἐν λόγῳ, οὗ ἡ ἀρχὴ, *Κανὼν ἐστὶ θεολογικὸς*, φησὶ, *Περὶ δὲ διαφορᾶς θείας οὐσίας καὶ θείας ἐνεργείας ἐκεῖνο λέγομεν, Μία μὲν ἡ οὐσία, ταῦτα δὲ πολλά· ἕν δὲ καὶ πλῆθος ἕτερα.*

Quartus modus distinctionis est, quod divina quidem essentia singulariter, operatio vero pluraliter enuntietur. Atque synodus in Tomo ante quæstiones: *Distinctionem tamen divinæ essentiæ ac divinæ operationis, sive etiam divinarum operationum, utique sane intelligendam atque dicendam hortati sunt.* Ac rursus in sexta quæstione locum quemdam magni Dionysii calumniantes, aiunt: *Plurali numero eas proferens, ostendit non esse Dei essentiam. Nunquam enim illa plurali numero profertur. Vocando autem illustrationes, omnique principio ac fine carentes (æternas scilicet ac immortales cognominans) divinas ac increatas illas ostendit.* Sed et celeberrimus Nilus Thessalonicensis, in oratione seu libro, cujus initium, *Regula est theologica*, ait, *De distinctione autem divinæ essentiæ et divinæ operationis istud dicimus; essentia quidem una est; hæc vero, plura; unum vero et multitudo, alia ac diversa.*

Πέμπτος τρόπος διαφορᾶς, ὅτι τὴν μὲν θείαν οὐσίαν αἰτίαν λέγουσι, τὴν δὲ ἐνέργειαν αἰτιατήν. Ἕκτος, ὅτι τὴν μὲν ἐνεργοῦσαν, τὴν δὲ ἐνεργουμένην. Ἕβδομος, ὅτι τὴν μὲν οὐσίαν χαρακτηριζομένην, τὴν δὲ ἐνέργειαν χαρακτηρίζουσαν.

Quintus modus distinctionis in eo est, quod divinam quidem essentiam causam vocant; operationem vero, quod est ex causa operatum. Sextus quod essentiam quidem operantem, operationem vero, (ut sic dicam) ἐνεργουμένην vocitant. Septimus, quod essentiam quidem aiunt quæ insigniatur, operationem vero, quæ insigniat, notaque ac character seu dos insignitæ exsistat.

Περὶ μὲν οὖν τοῦ πέμπτου ἐν τῷ πρώτῳ τῶν ζητημάτων μετὰ πολὺν τὸν περὶ τούτου λόγον συμπεραίνοντες ἐπιφέρουσιν· *Ἓν μὲν δὲ καὶ πρῶτον καὶ κύριον ἂν τις φαίη διακρίσεως εἶδος, τὸ κατὰ τὸ αἴτιον καὶ αἰτιατόν.*

De quinto igitur illo distinctionis modo, in prima quæstione, post longum de illo disputationem, concludentes adjiciunt: *Unum vero ac primum propriumque quis dicat distinctionis genus, penes scilicet causam et quod est ex causa, seu effectum.*

Περὶ δὲ τοῦ ἕκτου ἐν τῷ τετάρτῳ τῶν ζητημάτων οἱονεί τι πόρισμα ἀναβλαστάνουσι, καὶ φασὶ· *Συναπεδείχθη ὅτι τὸ ἐνεργεῖν καὶ τὸ ἐνεργεῖσθαι οὐ μόνον ἐπὶ κτιστῶν, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ ἀκτίστων καὶ ἀϊδίων δύναται λέγεσθαι· ἐπεὶ καὶ τὴν χάριν ἐνεργουμένην ἀκούοντες οἱ διαφερόμενοι κτιστὴν εὐθὺς εἶναι νομίζουσι.*

De sexto autem in quarta quæstione velut corollarium quoddam edunt aiuntque: *Pariter quoque ostensum est, τὸ ἐνεργεῖν et ἐνεργεῖσθαι* (quasi dicas habere operationem ac edere, et quod operatio habeatur atque edatur) *non solum in creatis, verum etiam in increatis atque æternis dici posse. Nam et qui dissentiunt, dum gratiam* ἐνεργουμένην *audiunt* (ac si operatum dicas) *confestim creatam esse sentiunt.*

Digitized by Google

De septimo autem in quarta quæstione aiunt: *Qui autem creatam divinam operationem dicunt, qua insignitur divina natura, ipsam quoque necessario divinam naturam creatam exhibent ac repræsentant.*

A Περὶ δὲ τοῦ ἑβδόμου ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν ζητημάτων λέγουσιν, *Οἱ δὲ λέγοντες κτιστὴν τὴν θείαν ἐνέργειαν, ἀφ' ἧς ἡ θεία φύσις χαρακτηρίζεται, κτιστὴν ἐξ ἀνάγκης παριστῶσι καὶ τὴν θείαν φύσιν.*

Octavus modus distinctionis essentiæ et operationis, quod divina essentia omnino imparticipabilis est; ejus vero operatio, participabilis. Nonus, quod essentiam quidem indivisibilem statuant, operationem vero divisibilem. Decimus, quod essentiam innominabilem dicant, operationem vero ejusmodi quæ nomen habeat. Undecimus, quod essentiam quidem inintelligibilem omnique conceptu majorem asserant, operationem vero quæ intelligatur ac mente concipiatur. Duodecimus, quod essentiam quidem invisibilem, operationem vero visibilem doceant.

Ὄγδοος τρόπος διαφορᾶς οὐσίας καὶ ἐνεργείας, ὅτι ἡ μὲν θεία οὐσία παντάπασιν ἀμέθεκτός ἐστι· μεθεκτὴ δὲ ἡ ἑαυτῆς ἐνέργεια. Ἔννατος, ὅτι τὴν μὲν ἀμέριστον τίθενται, τὴν δὲ μεριστήν. Δέκατος, ὅτι τὴν μὲν οὐσίαν ἀνώνυμον φασι, τὴν δὲ ἐνέργειαν ὀνομαζομένην. Ἑνδέκατος, ὅτι τὴν μὲν ἀπερινόητον τὴν δὲ νοουμένην λέγουσι. Δωδέκατος, ὅτι τὴν μὲν οὐσίαν ἀόρατον, τὴν δὲ ἐνέργειαν ὁρατὴν δογματίζουσιν.

In prima enim quæstione, ubi distinctionem quæ est penes causam et quod est ex causa, seu effectum, ostendissent, aiunt: *Distinguuntur vero inter se, ea etiam ratione, quod divina operatio participetur ac indivise dividatur et nominetur, ac quodammodo, quamvis obscure, ex effectibus suis intelligatur; essentia vero imparticipabilis et indivisibilis ac innominabilis sit, ut quæ nimirum omni nomine sit superior ac prorsus inintelligibilis*, quibus quatuor istos oppositionum modos una contexunt.

B Ἐν γὰρ τῷ πρώτῳ τῶν ζητημάτων, μετὰ τὸ ἀποδεῖξαι τὴν κατὰ τὸ αἴτιον καὶ αἰτιατὸν διαφοράν, φασί· *Διενηνόχασι δὲ ἀλλήλων καὶ τῷ τὴν μὲν θείαν ἐνέργειαν μετέχεσθαι ἀμερίστως, καὶ ὀνομάζεσθαι καὶ νοεῖσθαί πως, εἰ καὶ ἀμυδρῶς, ἐκ τῶν αὐτῆς ἀποτελεσμάτων· τήν γε μὴν οὐσίαν ἀμέθεκτον καὶ ἀμέριστον καὶ ἀνώνυμον εἶναι, ὡς ὑπερώνυμον δῆλον ὅτι καὶ ἀπερινόητον παντελῶς*, ἅμα τοὺς τέσσαρας ἐν τούτοις συνεξυφάναντες τῶν ἀντιθέσεων τρόπους.

De duodecimo autem in ultima quæstione, de lumine scilicet Thaborio sermonem habentes, aiunt: *Sed et omnes sancti, illustrationem et claritatem seu splendorem, et Deificationem et Deitatem ipsum vocant, paulo etiam visu firmiorem.* Nimirum visibile illud, quod *paulo etiam visu firmiorem* dicunt, C astruentes. Clarius enimvero horum dogmatum Pater, in suo *Barlaamites et Orthodoxus* dialogo, in hæc verba rem interpretatus est: *Vides hunc Theologum (nempe Gregorium) non solum invisibilem Deitatem novisse, sed et visibilem? quæ et ipsa increata sit, quandoquidem est et ejus lumen.* Ac rursus in eodem dialogo: *Vides aperte, nedum quæ omnimodis invisibilis et inintelligibilis est ac imparticipabilis, sed et quæ sanctis duntaxat videri potest et participari et intelligi, Dei Deitatem esse.*

Περὶ δὲ τοῦ δυοκαιδεκάτου ἐν τῷ τελευταίῳ τῶν ζητημάτων περὶ τοῦ ἐν τῷ Θαβωρίῳ φωτὸς τὸν λόγον δῆθεν ποιούμενοι, φασίν· *Ἀλλὰ καὶ πάντες αὐτὸ οἱ ἅγιοι ἔλλαμψιν λέγουσι καὶ λαμπρότητα καὶ θέωσιν, καὶ θεότητα, μικροῦ στερρότερα καὶ δύσεως*· τὸ ὁρατὸν δῆθεν, ἀπὸ τοῦ *μικροῦ στερρότερα καὶ δύσεως* κατασκευάζοντες. Σαφέστερον δ' ὅμως ὁ τῶν δογμάτων τούτων Πατὴρ ἐν τῷ κατὰ *Βαρλααμίτην καὶ Ὀρθόδοξον* διαλόγῳ αὐτοῦ τοῦτ' ἡρμήνευσεν οὕτως· *Ὁρᾷς ὅτι οὗτος ὁ Θεολόγος (δηλαδὴ Γρηγόριος) οὐ μόνον ἀόρατον οἶδε τὴν Θεότητα, ἀλλὰ καὶ ὁρατὴν ἄκτιστον καὶ ταύτην οὖσαν, ἐπειδήπερ καὶ τὸ κατὰ αὐτὴν φῶς. Πάλιν ἐν τῷ αὐτῷ· Ὁρᾷς σαφῶς ὡς οὐ μόνον ἡ παντάπασιν ἀόρατος καὶ ἀπερινόητος καὶ ἀμέθεκτος, ἀλλὰ καὶ ἡ τοῖς ἁγίοις μόνοις ὁρατὴ καὶ μεθεκτὴ καὶ νοητὰ θεότης τοῦ Θεοῦ ἐστιν.*

Tertius decimus discretionis modus est, quod Dei essentiam immobilem dicunt; operationem vero motum quartus decimus, quod essentiam absolutam; operationem vero, habitudinem seu relationem. Quintus decimus, quod essentiam inimitabilem; operationem vero, imitationem ac quod imitatione editur portento comminiscuntur.

D Τρισκαιδέκατος τρόπος διακρίσεως ἐστι, ὅτι τὴν μὲν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ ἀκίνητόν φασι, τὴν δὲ ἐνέργειαν κίνησιν. Τεσσαρεσκαιδέκατος, ὅτι τὴν μὲν ἄσχετον, τὴν δὲ σχέσιν. Πεντεκαιδέκατος, ὅτι τὴν μὲν ἀμίμητον, τὴν δὲ μίμησιν ὁμοῦ καὶ μίμημα τερατεύονται.

Sane talia asserunt in prima quæstione; aiunt enim: *Sed neque tanquam extra divinam essentiam sit, esse illam existimavimus, sed qui essentialem et naturalem hunc Dei motum esse, ut theologi sentiunt, sciamus, ex divina essentia tanquam ex jugi fonte progredi dicimus ac scaturire.* Manifestum ergo est, tanquam ex immobili divina essentia, ejuscemodi motum procedere. Non enim motus

Τὰ δὴ τοιαῦτα ἐν τῷ πρώτῳ τῶν ζητημάτων κατασκευάζουσι· φασὶ γάρ, *Ἀλλ' οὐδ' ὡς ἔξω τῆς θείας οὐσίας αὐτὴν ὑπειλήφαμεν εἶναι, ἀλλ' οὐσιώδη καὶ φυσικὴν ταύτην τοῦ Θεοῦ κίνησιν οὖσαν κατὰ τοὺς Θεολόγους, εἰδότες, ὡς ἐκ πηγῆς ἀενάου φαμὲν τῆς θείας οὐσίας προέρχεσθαί τε καὶ πηγάζειν.* Δῆλον οὖν, ὡς ἐξ ἀκινήτου τῆς θείας οὐσίας ἡ τοιαύτη προέρχεται κίνησις. Οὐ

Digitized by Google

γὰρ ἂν ὡς ἀπὸ κινήσεως κίνησις εἴη· δεήσειε γὰρ ἂν καὶ ταύτης ἐπιζητεῖν κίνησιν, καὶ οὕτω μέχρις ἀπείρου. Δηλοῖ ὅμως ἐν πολλαῖς τῶν ἑαυτοῦ καὶ ὁ ταῦτα τὴν ἀρχὴν ἀνευρηκώς. Ἐν γὰρ λόγῳ, ὃν ἐπιγράφει *Ἐλέγχους καὶ ἄτοπα*, φησὶ, *Καὶ ὡς ἀκινήτου τῆς θείας οὐσίας μενούσης, ἡ Θεότης αὐτὴ κινεῖσθαι καὶ μεταδίδοσθαι πέφυκε.* Καὶ πάλιν ἐν τῷ αὐτῷ, *Οὐ γὰρ δὴ τῆς οὐσίας τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἡ Ἐλισάβετ ἐπλήσθη· ἀκίνητος γὰρ ἐκείνη καὶ ἀναφὴς καὶ ἀχώρητος.*

Οὐ μόνον τοίνυν οὕτω τῇ κινήσει καὶ τῷ ἀκινήτῳ τὴν θείαν διακρίνουσιν οὐσίαν καὶ ἐνέργειαν, ἀλλ' ὥσπερ εἴρηται, καὶ τῇ σχέσει καὶ τῷ ἀσχέτῳ, καὶ τῇ μιμήσει καὶ τῷ ἀμιμήτῳ, ἐν ἅπασι μετὰ παρ- B ρησίας ταῦτα κατασκευάζοντες, ἀφ' ὧν ὁ θεῖος καλῶς λέγων ἐπ' ἄλλων εἴρηκε Διονύσιος, *Ὅτι καθόσον ὁ ἄσχετος καὶ ἀμίμητος ὑπερέχει τῶν μιμήσεων καὶ τῶν σχέσεων.* Τὸ γὰρ ἄσχετον καὶ τὸ ἀμίμητον ἐπὶ τῆς θείας οὐσίας ἐξέλαβον, τὰς δὲ σχέσεις καὶ τὰς μιμήσεις ἐπὶ τῶν ἀκτίστων καὶ φυσικῶν καὶ οὐσιωδῶν, ὡς φασὶν, ἐνεργειῶν τοῦ Θεοῦ, αὐτῷ ἐνυπαρχουσῶν.

Καὶ μέντοι λαμπρότερον καὶ ἐν τῷ τετάρτῳ τῶν ζητημάτων περὶ τούτων διεξιασι. *Ζητηθέντος γάρ*, φασὶ, *καὶ τούτου παρὰ τῆς θείας συνόδου, Εἴπερ εἰπέ τις τῶν ἁγίων ἄκτιστον εἶναι τὴν Θέωσιν· καὶ εἴπερ ἡ σχέσις καὶ τὸ μίμημα καὶ ὑπέστη,* C *καὶ ἐπὶ τῶν ἀκτίστων λέγεται, προεκόμισαν ῥήσεις τῶν ἁγίων, οὐκ ἀεὶ ἐπὶ τῶν κτιστῶν δηλούσας ταῦτα λέγεσθαι.* Καὶ μετ' ὀλίγα, *Ὥστε οὐδὲ ἡ θεοποιὸς δωρεὰ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, αὐτὴ ἡ Θέωσις, ἔστι κτιστὴ, διότι σχέσις ἐστὶ πρὸς τὰ θεοποιούμενα.*

ἱερσχελιῶν, ἀλλὰ καὶ ἀσφαλέστατον τῆς Ἐκκλησίας καὶ τῆς εὐσεβείας πρόμαχον καὶ προαγωνιστὴν καὶ βοηθὸν ταύτης ἀποφαινόμεθα. Τούτων δὲ οὕτως ἐκβάντων, λοιπὸν ἦν ἔτι προθυμουμένοις πᾶσιν αἰτίαν τῶν βουλομένων αἰτιᾶσθαι περιαιρεῖν· μηδὲ ἅπερ τῶν ἐν τοῖς τοῦ ἱερωτάτου Θεσσαλονίκης συγγράμμασιν ἐν αἰτίαις ἐποιοῦντο οἱ τῆς Ἐκκλησίας πολέμιοι, μηδὲ ταῦτα παραδραμεῖν ἀβασάνιστα, εἰ καὶ ἀπὸ τῶν ἐξετασθέντων ἐν τῇ θείᾳ συνόδῳ καὶ ταῦτα πάντα περιειλήφθησαν. Εὐρόντος οὖν ταῦτα τοῦ πρατίστου καὶ ἀγίου ἡμῶν αὐθέντου καὶ βασιλέως καταγεγραμμένα κατὰ μέρος παρὰ τῆς ἐκείνου χειρὸς, καὶ πρὸς ἡμᾶς ταῦτα δόντος, ἡμεῖς ἕκαστον τούτων, ἐν τοῦ ἱερωτάτου Θεσσαλονίκης βιβλίῳ ἀνέγνωμέν τε καὶ ἐξετάσαμεν, συνελθόντες κατὰ τὴν μεγάλην Ἐκκλησίαν, καὶ συνδιημερεύσαντες, οὐχ ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ δίς, καὶ τρὶς, καὶ πολλάκις, καὶ τὸν μὲν Θεσσαλονίκης ἱερώτατον μητροπολίτην καὶ ἐν τούτοις σύμφωνον τοῖς ἱεροῖς θεολόγοις εὕρομεν, καὶ συνήγορον Χριστοῦ χάριτι τῆς κατ' εὐσέβειαν ἀληθείας· αὐτοὺς δὲ πολλαῖς καὶ μεγάλαις αἱρέσεσι περιπίπτοντας, καὶ τοις παρὰ τῶν θεολόγων εἰρημένοις φανερῶς ἀντιλέγοντας· εἶτα ἐπιφέρουσι τὰ καὶ τά· καὶ ὅσα ἄλλα φλυαροῦσιν, ὥσπερ αἱ φαῦλαι τῶν γυναικῶν, ἑτέροις τὴν ἑαυτῶν αἰσχημοσύνην ἀνατιθέντες.

A et Ecclesiæ ac pietatis tutissimum defensorem et propugnatorem adjutoremque decernimus ac pronuntiamus. His autem eo eventu peractis, adhuc reliquum erat, nobis hoc satagentibus, ut scilicet dicam inferre volentium crimen omne dilueremus, nec ea quæ in sacratissimi Thessalonicensis lucubrationibus ac scriptis, Ecclesiæ hostes erroris nota aspergerent ac sugillarent, indiscussa omittere; quanquam ex iis quæ in sancta synodo examinata sunt, hæc etiam omnia merito videri possint comprehensa. Cum itaque potentissimus ac sanctissimus dominus noster ac imperator hæc seorsim illius conscripta manu nactus esset, ac nobis ea porrexisset; nos singula quæque in sacratissimi Thessalonicensis codice legimus serioque examinavimus, convenientes in Magnam ecclesiam, diemque in ea communi conventu, non semel, sed bis, terque ac sæpius transigentes, sacratissimumque Thessalonicensis Ecclesiæ metropolitam, in his quoque sacris theologis consentaneum invenimus, ejus vero accusatores, multis magnisque hæresibus obnoxios, dictisque theologorum palam contradicentes; tumque hæc illaque subjiciunt, compluraque alia nugantur, haud secus ac impudicæ mulieres, suam ipsorum turpitudinem aliis tribuentes.

B

Ἀναγορεύουσι δὲ αὐτὸν καὶ ἐν οἷς ἀναθεματίζουσι τοὺς μὴ πειθομένους ταῖς αὐτῶν βλασφημίαις. Φασὶ γοῦν, Γρηγορίου τοῦ ἁγιωτάτου μητροπολίτου Θεσσαλονίκης, τοῦ συνοδικῶς ἐπ' ἐκκλησίας Μεγάλης Βαρλαάμ τε καὶ Ἀκίνδυνον, τοὺς ἀρχηγοὺς καὶ ἐφευρετὰς τῶν αἱρέσεων, καθελόντος σὺν τῇ περὶ αὐτοὺς πονηρᾷ συμμορίᾳ· εἶτα ἐπάγοντες, ἐν οἷς συκοφαντοῦντες καὶ ψευδόμενοι οὐκ αἰσχύνονται, προσεπάγουσι, Τῆς δὲ κοινῆς τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίας, καὶ τῶν ἀληθινῶν καὶ ἀκριβῶν περὶ Θεότητος δογμάτων σοφῶς καὶ γενναίως ἅπαν προπολεμήσαντος, καὶ συγγράμμασι καὶ λόγοις καὶ διαλέξεσι, καὶ μίαν Θεότητα, καὶ Θεὸν ἕνα τρισυπόστατον, ἐνεργῆ, θελητικὸν, παντοδύναμον, ἄκτιστον διὰ πάντων, κατὰ τὰς Γραφὰς καὶ τοὺς θεολόγους καὶ ἐξηγητὰς τούτων ἀνακηρύξαντος· κοῦ καὶ κοινωνοῦ καὶ συνῳδοῦ, καὶ συμφώνου καὶ σπουδαστοῦ καὶ συναγωνιστοῦ πάντων τούτων ἀναφανέντος καὶ λόγοις καὶ πράγμασιν ἀοιδίμοις ἡ μνήμη, ὡς αὐτοὶ βούλονται. Πῶς δὲ ἕνα Θεόν φησι, δῆλον ἐκ τῶν προειρημένων· ὅτι ὡς τὸ ἐκ τῶν πολλῶν καὶ διαφερόντων ἕν. Πῶς δὲ θελητικὸν καὶ ἐνεργῆ, ὡς πολλὰς καὶ διαφόρους ἐνεργείας ἐν ἑαυτῷ περιέχοντα, καὶ ὡς πολλαχοῦ ἐν ἑαυτοῦ λόγοις παντοδύναμόν φησι, οὐχ ὅτι ἡ θεία οὐσία καὶ ἄπειρος καὶ ὑπερπλήρης ἐκείνη πάντα δύναται, καὶ πάντα ἐστὶ, καὶ ζωὴ καὶ σοφία καὶ ἀγαθότης καὶ δύναμις, καὶ εἴ τι τοιοῦτον ἀπολελυμένως ἀποδίδοται αὐτῇ, καὶ καθὼς ὁ Δαμασκηνὸς λέγει· Θεός ἐστιν οὐσίαν δημιουργικὴ τῶν ὅλων διὰ ὑπεροχὴν τελειότητα καὶ ἁπλότητα καὶ ἕνωσιν· ἀλλ' οὕτω φησὶ παντοδύναμον, ὡς ἐν ἑαυτῷ πολλὰς καὶ πάσας περιέχοντα δυνάμεις, διαφερούσας πρός

C

Celebrant vero eum in iis etiam, in quibus non credentes ipsorum blasphemiis anathemate feriunt. Aiunt itaque, *Gregorii sanctissimi metropolitæ Thessalonicensis, qui synodice in Majori ecclesia Barlaamum et Acindynum, hæreseon auctores ac inventores, abdicavit*; tumque adjectis, in quibus eos calumniæ non piget, nec mendacii, abunde subjiciunt: *Qui pro communi Christi Ecclesia verisque ac certis de Deitate decretis sapienter admodumque strenue scriptorum monumentis, sermonibusque ac disputationibus depugnavit, unamque Deitatem et Deum unum trine subsistentem, operationis ac voluntatis facultate præditum, omnipotentem, per omnia increatum, secundum Scripturas et theologos harumque interpretes, prædicavit, quique horum omnium et verbis et factis et consociis et astipulator et consentiens diligensque curator ac propugnator enituit, æterna memoria*, ut volunt ipsi. Quomodo autem unum Deum dicat, manifestum est ex ante dictis; velut nimirum, quod ex multis atque diversis seu distinctis unum conflatur. Quomodo vero voluntatis ac operandi vi præditum, velut scilicet qui multas atque diversas seu distinctas operationes in se contineat; atque ut multis suorum scriptorum locis, omnipotentem eum vocat, non quia divina essentia et infinita, omnemque vincens plenitudinem omnia potest, estque omnia, et vita et sapientia et bonitas et virtus seu potentia, ac si quid aliud absolute illi tribuitur; ac sicut Damascenus dicit: *Deus est essentia omnium creatrix ob summam perfectionem et simplicitatem et unitatem*; sed ita dicit Omnipotentem, velut qui in seipso multas omnesque complectatur virtutes, seu vires, tum ipsas inter se, tum ab essentia divi-

D

Digitized by Google

nis, quomodo in superioribus rectissimus, distinctus. Hoc vero est, divinæ essentiæ, quæ sit perfectissima, ac qua nihil perfectius, perfectionem quasi a tectore, adjunctis illi dotibus, ac si oculis videndi vim, ac quod videant, adjungas; cujus nec meminisse decet in divina natura, quæ nullius auxilio egeat.

Quia igitur universa ejus Ecclesiæ synodus, in ea, quam edidit, suæ fidei Regula, profitetur, nihil se dissonum ab eloquiis divinis, aut scribentem Palamam aut sentientem, ejus discussa causa deprehendisse, quinimo pietatem pro officii ratione propugnantem; quodque sæpius convenientes in Magnam ecclesiam, singulaque in ejus libris ac scriptis contenta legentes ac examinantes, sacris theologis consentientem, consociumque ac compugilem, nec non veritatis fidei defensorem, ipsum invenerunt; ex ejusmodi hisque affinibus liquet, qui ejus Ecclesiæ cum censeantur, hunc Tomum velut catholicæ ac inculpatæ fidei confessionem servant, negare non posse, quæ usquam gentium dicta Palamæ sunt, hanc quoque eorum fidem esse. Ac forte qui post illum ipsius dictis patrocinari in animum induxerunt, partim quidem argumentis in contrarium impares, partim vero sic palam absurda erubescentes, ex ejusmodi non pauca sustulerunt. Verum ejus ipsa pauca residua, illius de divinis opinionem, ut ea habuerit, abunde testabuntur. Nam etsi nihil ejus sermonum exstaret litteris consignatum, quod communi ac receptæ fidei traditioni dissonum videretur, unus ipse Tomus, sufficiens de viro ejusque fidei testimonium præbens, atque illo contentæ quæstiones, probationesque ac sigillatim sententiæ distinctionesque, abunde essent, ut omnem illius horumque fidei novationem repræsentaret. Idque adeo ex iis quæ dicta sunt, liquet.

Quæ igitur mota quæstione de divina essentia et operatione, universa synodus sæpius conveniens disceptansque decreverit ac pronuntiarit: quomodo item de Palamæ fide in illo contenta Tomo prædicet, ac quænam illa sit, quasi compendio ac rudi minerva dictum est. Quod vero hujus synodi Tomus, consentire cum sacris doctoribus palam mentitur; primumque inter absurda ipsa conspicua, ac quo dato secuta sunt reliqua, istud est, quod penes essentiam et operationem Deum diviserunt, tanquam penes ens et non ens, vere exsistens seu subsistens, et non vere exsistens aut subsistens, quod oculis videri non potest et quod oculis videri potest; perindeque dicas, penes Dei essentiam, ejusque vitam et sapientiam et virtutem seu potentiam et bonitatem, aliaque similiter; qua nimirum Dei essentia, sive Deus, vivit, et sapiens et potens et bonus per seipsum est, in æterna et immobili identitate, una eademque stabilitate, consistens; cuncta ipse exsistens, eaque omnia quæ sunt, citra omnem comparationem excedens; necessarium est hoc loco, ut sacrorum doctorum

A τε ἑαυτὰς καὶ πρὸς τὴν θείαν οὐσίαν, τὸν προηρημένον τρόπον. Τὸ δέ ἐστιν τῇ θείᾳ οὐσίᾳ τῇ τελειοτάτῃ, καὶ ἧς οὐδὲν τελειότερον, τελειότητα προσάπτειν, προστιθέντας αὐτῇ καθάπερ ὀφθαλμοῖς ὁρατικὴν δύναμιν, καὶ τὸ ὁρᾷν· ὅπερ ἑατέον ἐπὶ τῆς θείας φύσεως, μηδεμιᾶς ἐπικουρίας δεομένης.

Ἐπεὶ τοίνυν ὅλη σύνοδος τῆς Ἐκκλησίας ταύτης ἀποφαίνεται ἐν τῷ ἐκτεθέντι τῆς ἑαυτῆς πίστεως ὅρῳ ὅτι τὸν Παλαμᾶν μηδὲν ἀπᾴδον τῶν θείων λογίων γράφοντά τε καὶ φρονοῦντα μετ' ἐξετάσεως κατέλαβε, μᾶλλον δὲ τῆς εὐσεβείας· ὡς προσῆκεν ὑπερμαχοῦντα· καὶ ὅτι συνελθόντες πολλάκις κατὰ τὴν Μεγάλην ἐκκλησίαν, ἕκαστον τῶν ἐν τοῖς αὐτοῦ γράμμασιν ἀναγνόντες καὶ ἐξετάσαντες, σύμφωνον B καὶ κοινωνὸν καὶ συναγωνιστὴν τοῖς ἱεροῖς θεολόγοις καὶ συνήγορον κατ' εὐσέβειαν ἀληθείας εὗρον· ἐκ τῶν τοιούτων καὶ τῶν ὁμοίων φανερὸν ὡς οἱ τῆς Ἐκκλησίας ταύτης περιεχόμενοι, καὶ τὸν Τόμον τοῦτον καθάπερ ὁμολογίαν τῆς καθολικῆς καὶ ἀμωμήτου πίστεως φυλάσσοντες, οὐ δυνήσονται ἀρνεῖσθαι τὰ ὁπουδήποτε τῷ Παλαμᾷ εἰρημένα μὴ καὶ ἑαυτῶν πίστιν ὁμολογεῖν. Καὶ ἴσως μετ' ἐκεῖνον οἱ τοῖς ἐκείνου συνηγορεῖν βουλόμενοι, τοῦτο μὲν πρὸς τοὺς ἐλέγχους ἀπαγορεύοντες, τοῦτο δὲ πρὸς τὸ φανερὸν τῶν προφαινομένων ἀτόπων αἰσχυνόμενοι, οὐκ ὀλίγον τῶν τοιούτων ὑφεῖλον. Πλὴν καὶ μικρὰ τῶν ἐκείνου τὴν ἣν εἶχε περὶ τῶν θείων μαρτυρήσει δόξαν. Ὅπου γε εἰ καὶ μηδὲν τῶν αὐτοῦ λόγων προὔκειτο γράμματι, κοινῇ καὶ ὁμολογουμένῃ παρα- C δόσει τῆς πίστεως ἀπᾴδον, αὐτὸς ὁ Τόμος, ἱκανὴν παρεχόμενος περὶ τοῦ ἀνδρὸς καὶ τῆς ἐκείνου πίστεως μαρτυρίαν, καὶ τὰ ἐμπεριεχόμενα τούτῳ ζητήματα, αἵ τε κατασκευαί, καὶ αἱ κατὰ μέρος ἀποφάσεις καὶ διαφοραί, ἀρκούντως ἂν εἶχε τὴν ὅλην τῆς πίστεως αὐτοῦ καὶ αὐτῶν καινοτομίαν παραστῆσαι. Καὶ τοῦτο ἐκ τῶν εἰρημένων δῆλον.

Ἃ μὲν οὖν περὶ τοῦ ζητήματος τῆς θείας οὐσίας καὶ ἐνεργείας ὅλη σύνοδος πολλάκις συνελθοῦσα, καὶ συσκεψαμένη διέκρινε καὶ ἀπεφήνατο, καὶ ὅπως περὶ τῆς ἐν τῷ Τόμῳ τούτῳ περιεχομένης τοῦ Παλαμᾶ πίστεως κηρύττει, καὶ ἥτις ἐστὶν αὕτη, ὡς ἐν τύπῳ περιλαβεῖν εἴρηται· ἐπεὶ δ' ἐκεῖνον μὲν σύμφωνον τοῖς ἱεροῖς διδασκάλοις ὁ Τόμος τῆς συνόδου ταύτης D φανερῶς καταψεύδεται· τὸ δὲ πρῶτον τῶν προφαινομένων ἀτόπων, καὶ οὗ δοθέντος τἄλλα ἠκολούθησε, τοῦτ' ἔστιν, ὅτι τὸν Θεὸν εἰς οὐσίαν καὶ ἐνέργειαν διεῖλον, ὡς τὸ ὂν καὶ μὴ ὄν, καὶ ὑφεστὼς καὶ μὴ ὑφεστὼς, καὶ τὸ ἀόρατον καὶ ὁρατόν· ἴσον δ' εἰπεῖν τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν ζωὴν καὶ σοφίαν καὶ δύναμιν αὐτοῦ καὶ ἀγαθότητα, καὶ τἆλλα ὁμοίως καθ' ἣν ἡ οὐσία τοῦ Θεοῦ, εἴτουν ὁ Θεὸς, ζῇ, καὶ σοφὸς καὶ δυνατὸς καὶ ἀγαθός ἐστι καθ' ἑαυτὸν, ἐν αἰωνίῳ καὶ ἀμεταβλήτῳ ταυτότητι κατὰ μίαν ἕδρασιν ἑστηκὼς, πάντα ὢν ὁ αὐτὸς καὶ τῶν ὄντων πάντων. ἀσυγκρίτως ὑπεραφωρισμένος· ἀναγκαῖον ἐν ταῦθα τῶν ἱερῶν διδασκάλων ἐκθεῖναί τινα, ἐν ᾧ ταὐτὸν καὶ ἀδιάφορον ἐπὶ τοῦ Θεοῦ τὴν ἐνέργειαν τῇ οὐσίᾳ φασὶ, καὶ τὴν ζωὴν καὶ σοφίαν καὶ δύν-

Digitized by Google

μεν καὶ ἁπλᾶ καὶ ἁπλῶς τὰ ἀπολελυμένως ἀποδιδόμενα αὐτῷ, ταυτὸ εἶναι κατὰ τὸ πρᾶγμα, καὶ μηδὲν διαφέρειν τῆς οὐσίας αὐτοῦ· ὡς ἂν καὶ τὸ ἀπᾷδον καὶ ἀσύμφωνον τῶν τοῦ Παλαμᾶ δογμάτων πρὸς τὴν τῶν ἁγίων διδασκαλίαν καὶ παράδοσιν ἀναφανῇ (ἴσον δὲ εἰπεῖν, ἡ τοῦ Τόμου ψευδολογία παραδειχθῇ), καὶ ἡμεῖς ἁλμυρὰν ἀκοὴν, τὴν προεκτεθεῖσαν βλασφημίαν, ἀποκλύσωμεν πρτίμιῳ λόγῳ τῇ τῶν ἁγίων ἀληθεῖ διδασκαλίᾳ.

A quædam repræsentemus, in quibus idem in Deo ac indistinctum asserunt operationem et essentiam, vitamque et sapientiam et virtutem, cunctaque omnino quæ absolute ei tribuuntur, idem esse reipsa, nihilque distincta esse, seu differre ab ejus essentia; ut et Palamæ decreto dissentanea esse et abhorrere a sanctorum doctrina et traditione eluceat (perindeque dicas, Tomi hujus ostendatur falsitas), nosque adeo amaram falsamque auditionem (eam scilicet, quam modo exposuimus, blasphemiam) dulci sermone ac potabili (vera nimirum sanctorum doctrina) eluamus.

Τοῦτο μέντοι προϋποκείμενον εἰδέναι χρεὼν, ὅτι τριχῶς λέγεται ἡ ἐνέργεια παρὰ τοῖς ἁγίοις. Κατὰ γὰρ τὸν θεῖον Ἀναστάσιον Ἱεροσολύμων (7), τριχῶς λέγεται ἡ ἐνέργεια· ἥ τε δύναμις καθ' ἣν ὁ Θεὸς ἐνεργεῖν πέφυκε· καὶ ἡ σχέσις ἡ ἀπὸ τοῦ ἐνεργοῦντος πρὸς τὸ ἐνεργούμενον, καὶ αὐτὸ τὸ ἀποτελούμενον ἐκ τῶν ἡγουμένων. Καὶ δὴ καὶ ὁ θεῖος Ἰωάννης ὁ Δαμασκηνὸς οὕτω. Ἡ οὖν ἐνέργεια ποτὲ μὲν σημαίνει τὴν ἐνεργητικὴν δύναμιν, ποτὲ δὲ τὸ ἐνεργεῖν, ποτὲ δὲ τὸ ἐνέργημα. Οὔτε τοίνυν ὁ λόγος τοῖς διαφερομένοις περὶ τοῦ τρίτου, τοῦ ἐνεργήματος, γέγονεν, οὔτε περὶ τοῦ τῆς ἀφ' ἡμῶν μέσον Θεοῦ τοῦ ἐνεργοῦντος, καὶ τῶν ἐνεργημάτων νοουμένης σχέσεως· ταῦτα γὰρ ἐκτὸς τοῦ Θεοῦ· τὰ δὲ ἔξω τοῦ Θεοῦ κτίσματα, κἂν ἄλλα ἄλλων διαφορᾷς ἀξιωμάτων προτετιμημένα τυγχάνῃ, ὡς ἐν τοῖς Ἀντιῤῥητικοῖς ὁ μέγας ἔφη Βασίλειος· ἀλλὰ περὶ τῆς δυνάμεως καὶ ἐνεργείας, καθ' ἣν ἐνεργεῖν πέφυκε, καὶ καθ' ἣν ἐστιν ἐνέργεια καὶ ὂν καὶ εἶδος καὶ ζωὴ καὶ σοφία καὶ ἀγαθότης, ἢ ὅ τί ποτ' ἐστιν ἐκεῖνο τὸ

Id enimvero ante omnia, velutque in antecessum, sciendum est, operationem (ἐνέργειαν Græci vocant) tribus modis apud sanctos dici. Ut enim auctor est divus Anastasius Herosolymitanus, ἐνέργεια (id est, operatio) tripliciter dicitur; tum nimirum virtus seu potentia qua Deo comparatum ut operetur; tumque habitudo ab operante ad id quod operatione præstatur, ac denique qui ex illis effectus consequitur. Sed et sanctus Joannes Damascenus[a] eodem modo. Operatio igitur (id est, ἐνέργεια) modo quidem facultatem operandi significat; modo vero, operari; modo autem, quod operatione efficitur, et ἐνέργημα dicunt. Neque igitur dissidentibus de tertio illo seu effectu, sermo fuit, neque vero de secundo (de habitu scilicet seu habitudine, quæ a nobis Deum inter operantem, effectusque illi editos media intercedere intelligitur). Hæc enim sunt extra Deum. Quæ autem sunt extra Deum, creaturæ sunt, quanquam alia aliis dignitatum præstantia nobiliora sunt, ut ait magnus Ba-

[a] Lib. III, c. 26.

(7) *Κατὰ τὸν θεῖον Ἀναστάσιον Ἱεροσολύμων.* Nullus adduci possim, ut non putem esse mendum, ac laborare alterutram vocem. Ut enim Ἀναστάσιον retineamus, plane movendum τὸ Ἱεροσολύμων. Nullos enim Calecas profert auctores, quam qui Græcis noti sunt, probatique magistri apud illos audiunt; quorum proinde auctoritate premantur. At Anastasium Hierosolymitanum apud Græcos doctrina ac fide clarum, nulla nobis monumenta, nulli eorum libri, aut saltem fama prodiunt, sed solum Sinaitam, τοῦ Σιναίου, qui et Theopolitanus dici potest (episcopus scilicet Antiochenus), nusquam vero Hierosolymitanus. Scripserit ergo Calecas Ἀνδρέαν, ex quo proclive obrepserit transscribenti Ἀναστάσιον. Andream autem archiepiscopum Cretensem, virum sane scholasticum præstantissimumque oratorem, ipsum spectantem ad tempora Monothelitarum, quo sic περὶ ἐνεργείας ecclesiasticis viris disceptatum est, Monothelitis unam in Christo ponentibus ut et unum θέλημα (unam voluntatem) τὸν Ἱεροσολύμων dictum esse, eoque cognomento passim in Græcis intelligi, etiam non ascripto nomine, notum est. Sic possim in Nicetæ Catena in Lucam, ejus prioribus capitibus quibus ejus fere continua exposito est, τοῦ Ἱεροσολύμων, haud scrupulose, τοῦ Βουλγαρίας iidem Theophylactum dicunt, et τὸν Δαμασκοῦ, Joannem, ipsum presbyterum Hierosolymitanum, Damasco tamen oriundum. Andream, nec Hierosolymitanum episcopum, ut somniavit Hopperus, nec ea urbe natum, ex Triodio certioribusque monumentis alias mihi probatum: dictus ergo ὁ Ἱεροσολύμων, quod ejus Ecclesiæ presbyter seu clericus, cum patria Damascenus esset, Constantinopolim fidei subsidio missus sit, uti postea missi sunt Theophanes et Theodorus fratres monachi S. Sabæ, grassante iterum Cpoli Iconomachorum hæresi. Qua legatione sic emerunt, ut pace Ecclesiæ reddita, compressaque hæresi Monothelitarum, Cretæ archiepiscopus creatus sit: quem thronum ornabat Bardane imperatore, sedente Germano Cyzici, qui ipse postea translatus est Constantinopolim, ubi præclare fulsit confessionis titulo; ac liquet ex opusculis mihi adjectis Actis VI synodi. Potuit Andreas præter orationes a me productas et quas passim habent Græcorum libri ecclesiastici, alia plura scripsisse etiam polemica pro ejus temporis usu: unde hoc ipsum Calecæ petitum sit, quæ nobis interierunt, ut et Theodori jam laudati scripta egregia, quantum probant pauca eorum electa, apud ipsum Calecam, aliosque nonnullos nobis residua. Vel magis uno alteroque volumine ipsa plena latent in bibl. Regia. Num et Theophanes scripserit, qui ipse simili fere Andreæ exemplo, Nicænam ornavit sedem compressa hæresi Iconomachorum, cum jam Theodorus ad Deum commigrasset, ex nullis hactenus monumentis liquet. Ejus mihi ἀκριβεστέρα probatior, quam Methodii ac Patrum reliquorum οἰκονομία, de Theophilo salutem consecuto sanctorum precibus, cujus in sanctos sævientis, ipsumque Theophanem ac fratrem, tanta essent nomina; deformi, adhuc ipsius jambis inscripto vultu, ob cultum ac defensionem sanctarum imaginum. Qua de re videri possunt mihi producta ad testum τῆς Ὀρθοδοξίας, Auctarii primi t. II, qui est de hæresi Monothelitarum.

Digitized by Google

silius in *Antirrheticis*, sed de virtute et operatione, per quam habet operari, et secundum quam est operatio ceu actus, et ens et forma et vita et sapientia et bonitas, vel si quid aliud est, quod omni semper mentis comprehensione superius inveniitur. Hoc enim quod rei cuique est ἐνεργείᾳ (quasi *operationé*, actu scilicet) esse; quidquid tandem illud sit, quod velut perfectio et forma, et (ut quidam vocant) ἐντελέχεια, actus nimirum subjectæ cujusque rei consideratur; in iis quidem quæ creata sunt, a subjecto, in quo est, distinguitur, pro rerum creatarum duplicitate et distinctione ac compositione; velut scilicet ens et non ens, perfectum et imperfectum, quod tribuit formam et quod recipit: in Deo autem, qui totus operatio subsistens ac perfecta est, actusque, et a quo procul abest quod est potentia, ac imperfectum est, ob summam perfectionem et simplicitatem, idem est ejus operatio, seu actus, cum essentia, qua est. Perindeque dicas, idem esse vitam cum ejus essentia; sic similiter in aliis, quæ essentiæ Dei tribuuntur: alioqui enim, tum ejus vita, expers essentiæ esset, tum essentia, vitæ; quodque alterum altero ad existentiam ac perfectionem vicissim indigeat, primum summumque bonum compositum atque imperfectum exhibet. Quocirca non est dicendum Deum habere operationem aut vitam aut bonitatem (id enim esse Deum quidpiam particulare ac imperfectum designat), sed totum esse operationem, et totum vitam, et totum bonitatem per se subsistentem, ob summam perfectionem et simplicitatem et unitatem. Habens enim, ab eo distinguitur, quod habetur. In Deo autem nulla realis distinctio est, alioqui non esset Deus una essentia, unumque, quidquid tandem illud sit, excepta duntaxat personarum seu hypostaseon distinctione ac discretione, quæ non rerum per se differentiam et distinctionem facit, sed numerum discretionis personalis penes Trinitatem inducit. Nam, ut auctor est Damascenus [10], in his duntaxat tribus hypostaticis proprietatibus distinguuntur inter se, tres sanctæ hypostases seu personæ, paternitate, filietate et processione. Ac sicut ridiculum esset dicere, quod mare aquam habeat, quandoquidem mari omnis coalitio aqua est; sic magis ridicule dicatur, habere Deum essentiam et intelligentiam, aut vitam, sed esse totum essentiam et totum intelligentiam et totum vitam. Idemque de reliquis dicendum, quæ simpliciter et absolute Deo tribuuntur. Ac liquet ex subjunctis. Theologia enim propositam veritatem probabit.

Ac sane primum ipse Dominus ait: *Ego sum vita et veritas, et lumen* [9]. Si igitur non erat Filius ac Verbum Dei, qui hæc loquebatur, sed aliud quid præter ejus essentiam, essentiæ expers, nec vere exsistens aut subsistens; quale denique volunt esse vitam et veritatem, ac prorsus operationem, qui hæc aliud quid ab essentia esse statuunt, cujusmodi etiam dicunt lumen, quod in Thaborio, in Dominica transformatione apparuit? Sic vero, si hoc dederimus ac supponamus, consequens est actum esse de divinæ incarnationis mysterio; aut, siquidem ipsum

πάσης καταληπτικῆς ἐπινοίας ἀνώτερον ἀεὶ εὑρισκόμενον. Αὐτὸ γὰρ τὸ ἐνεργείᾳ εἶναι ἑκάστῳ ὅ τί ποτ' ἐστιν, ὅπερ ὡς τελειότης καὶ εἶδος, καὶ ὥς τινες εἶπον, ἐντελέχεια οὐτινοσοῦν ὑποκειμένου πράγματος θεωρεῖται, ἐπὶ μὲν τῶν κτισμάτων τοῦ ὑποκειμένου ἐν ᾧ ἐστι διαφέρει διὰ τὴν ἐν τοῖς κτιστοῖς διπλόην καὶ διαφορότητα καὶ σύνθεσιν, ὡς τὸ ὂν τοῦ μὴ ὄντος, καὶ τὸ τέλειον τοῦ ἀτελοῦς, καὶ τὸ εἰδοποιοῦν τοῦ εἰδοποιουμένου· ἐπὶ δὲ τοῦ Θεοῦ, ὃς ἐστιν ὅλος ἐνέργεια ὑφεστῶσα καὶ τελεία, καὶ ἀπ' αὐτοῦ τὸ δυνάμει καὶ τὸ ἀτελὲς πόρρω ἀπελήλαται διὰ τὴν ἄκραν τελειότητα καὶ ἁπλότητα, ταυτόν ἐστιν ἡ ἐνέργεια αὐτοῦ, ᾗ ἐστι τῇ οὐσίᾳ αὐτοῦ· ἴσον δὲ εἰπεῖν, ταυτόν ἐστιν ἡ ζωὴ αὐτοῦ τῇ οὐσίᾳ αὐτοῦ· καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὡσαύτως τῶν ἀποδιδομένων τῇ οὐσίᾳ τοῦ Θεοῦ. Ἄλλως γὰρ ἥ τε ζωὴ αὐτοῦ ἀνούσιος ἂν ἦν, ἥ τε οὐσία ἄζωος· θάτερόν τε θατέρου πρὸς ὕπαρξιν καὶ τελειότητα δεόμενον σύνθετον καὶ ἀτελὲς παρίστη τὸ πρῶτον καὶ ἄκρον ἀγαθόν. Ὥστε οὐ ῥητέον ὅτι ὁ Θεὸς ἔχει ἐνέργειαν ἢ ζωὴν ἢ ἀγαθότητα· τοῦτο γὰρ μερικόν τι καὶ ἀτελὲς δείκνυσι τὸν Θεὸν, ἀλλ' ὅλος ἐστὶν ἐνέργεια καθ' ἑαυτὴν ὑφεστῶσα, καὶ ὅλος ζωὴ, καὶ ὅλος ἀγαθότης, δι' ἄκραν τελειότητα καὶ ἁπλότητα καὶ ἕνωσιν. Τὸ γὰρ ἔχον, οὗ ἔχει διαφέρει· ἐκεῖ δὲ οὐδεμία ἐστὶ διαφορὰ πραγματική. Ἐπεὶ οὐκ ἂν ᾖ ὁ Θεὸς μία οὐσία καὶ ἕν, ὅ τί ποτ' ἐστιν ἐκεῖνο πρᾶγμα· πλὴν τῆς κατὰ τὰ πρόσωπα ἢ τὰς ὑποστάσεις διαφορᾶς καὶ διακρίσεως, ἥτις οὐ διαφερόντων πραγμάτων καθ' αὐτὰ ποιεῖ διαφοράν, ἀλλ' ἀριθμὸν διακρίσεως προσωπικῆς κατὰ τὴν Τριάδα εἰσάγει. Ἐπεὶ κατὰ τὸν Δαμασκηνὸν ἐν μόναις ταύταις ταῖς ὑποστατικαῖς ἰδιότησι διαφέρουσιν ἀλλήλων αἱ ἅγιαι τρεῖς ὑποστάσεις, πατρότητι, υἱότητι καὶ ἐκπορεύσει. Καὶ ὥσπερ γελοῖον ἂν εἴη λέγειν, ὅτι ἡ θάλασσα ἔχει ὕδωρ, εἴγε τὸ σύστημα τῆς θαλάσσης ὅλον ὕδωρ ἐστίν· οὕτω γελοιότερον λέγειν ὅτι ὁ Θεὸς ἔχει οὐσίαν καὶ νόησιν, ἢ ζωήν· ἀλλ' ὅλος ἐστὶν οὐσία, καὶ ὅλος νόησις, καὶ ὅλος ζωή. Ὡσαύτως καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τῶν ἁπλῶς καὶ ἀπολελομένως ἀποδιδομένων τῷ Θεῷ ῥητέον. Τοῦτο δὲ δῆλον ἐκ τῶν ὑποκειμένων. Ἡ γὰρ θεολογία τὸ προτεθὲν ἀληθὲς ἀποδείξει.

Καὶ δὴ πρῶτον αὐτὸς ὁ Κύριος λέγει, *Ἐγώ εἰμι ἡ ζωὴ καὶ ἡ ἀλήθεια καὶ τὸ φῶς*. Εἰ τοίνυν οὐκ ἦν ὁ Υἱὸς καὶ Λόγος τοῦ Θεοῦ, ὁ ταῦτα λέγων, ἀλλ' ἕτερόν τι παρὰ τὴν οὐσίαν αὐτοῦ, ἀνούσιον καὶ ἀνυπόστατον, καὶ οἷον βούλονται εἶναι τὴν ζωὴν καὶ τὴν ἀλήθειαν, καὶ ὅλως τὴν ἐνέργειαν, οἵ ταῦτα τῆς οὐσίας ἕτερον τιθέμενοι, οἷον καὶ τὸ ἐν τῷ Θαβωρίῳ φανὲν λέγουσιν ἐπὶ τῆς τοῦ Κυρίου μεταμορφώσεως φῶς· οὕτω δὲ ἀναίρεσις ἐκ τῆς ὑποθέσεως ταύτης ἕπεται τοῦ τῆς θείας σαρκώσεως μυστηρίου· ἢ, εἴπερ αὐτὸς ἦν ἀληθῶς ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος, ὁ εἷς

[10] Lib. I, c. 8. [9] Joan. XIV, 6, 8, 12.

Digitized by Google

τῆς ἁγίας Τριάδος, ὁ ταῦτα περὶ ἑαυτοῦ λέγων, A ὥσπερ οὖν καὶ ἦν καὶ ἔστιν (ὅλη γὰρ ἡ θεία φύσις ἐν μιᾷ τῶν αὐτῆς ὑποστάσεων σεσάρκωται, κατὰ τὴν τῶν ἁγίων παράδοσιν), ὁμολογεῖν ἐξ ἀνάγκης ἀκολουθεῖ τῇ οὐσίᾳ τὴν ἀλήθειαν καὶ τὴν ζωὴν ἐπὶ Θεοῦ ταυτὸν εἶναι.

vere erat Dei Verbum, unus scilicet sanctæ Trinitatis, qui hæc de seipso loquebatur, uti profecto et erat et est (tota enim divina natura in una suarum hypostaseon seu personarum incarnata est, uti sanctorum traditio habet), sequitur necessario confitendum, veritatem ac vitam idem in Deo esse ac essentiam.

Ἔπειθ' ὁ μακάριος Παῦλος φησὶ *Χριστὸν Θεοῦ δύναμιν καὶ Θεοῦ σοφίαν*. Εἰ δὲ λέγοι τις δύο σοφίας ἐν τῷ Θεῷ εἶναι, τὴν μὲν ὑφεστῶσαν, τὴν δὲ ἀνούσιον, οὐδὲν λέγει. Ἐπεὶ γὰρ ἐντελεστάτη καὶ ὑπερπλήρης ἐστὶν ἡ τοῦ Θεοῦ σοφία, ἡ ἐνυπόστατος δύναμις, ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, περιττὸν καὶ ἑτέραν αὐτῷ προσάπτειν ἀνούσιον, ὡς ἂν τῆς ὑφεστώσης καθ' αὐτὴν ἐλλιπῶς B ἐχούσης· καὶ ἅμα τὰ τῆς συνθέσεως καὶ τοῦ ἀτελοῦς ἄτοπα ἀναχύπτει· οὐ γὰρ δύναιτ' ἂν ἐνταῦθα λέγειν μίαν τῷ ἀριθμῷ τὰς δύο σοφίας εἶναι, καθάπερ τὸν Υἱὸν σοφίαν φαμὲν ἐκ σοφίας τοῦ Πατρὸς, ὥσπερ καὶ ζωὴν ἐκ ζωῆς, καὶ φῶς ἐκ φωτός· μίαν μέν οἱ εἶναι τῷ ἀριθμῷ ὁμολογοῦμεν σοφίαν καὶ ζωὴν, καὶ ἓν πρᾶγμα. Οὔκουν τοῦτο δυνατὸν ἐνταῦθα λέγεσθαι. Διατί; Ὅτι ταύτας μὲν ἀλλήλων πραγματικῶς φασι διαφέρειν· ὡς τὴν μὲν οὐσίαν εἶναι, τὴν δὲ ἀνούσιον· καὶ τὰ ἐπὶ τοσοῦτον διαφέροντα οὐδέποτ' ἂν δυνηθῆναι συστῆναι καὶ ἓν τῷ ἀριθμῷ γενέσθαι πρᾶγμα· τὸν δὲ Πατέρα καὶ Υἱὸν (8) μηδὲν μηδαμῇ πραγματικῶς καὶ ὁπωσοῦν διαφέρειν κατὰ τὴν τῆς πίστεως θέσιν φαμέν. Ἀλλὰ C καὶ τὸν ταῦτα λέγοντα ἐν τοῖς κατὰ Ἀρειανῶν ὁ Ἀθανάσιος (9) ἐξελέγχει, λέγων οὕτως· *Ποῦ γὰρ ὅλως εὗρον παρὰ τῇ θείᾳ Γραφῇ λεγόμενον, ἢ παρὰ τίνος ὅλως ἠκουσαν ὡς ὄντος ἄλλου Λόγου παρὰ τοῦτον τὸν Υἱὸν, ἵνα καὶ τοιαῦτα ἑαυτοῖς ἀναπλάσωνται; Πῶς οὐ τερατολογία αὐτῶν καὶ ταῦτα, λέγειν μὲν σοφίαν συνυπάρχουσαν τῷ Πατρὶ, μὴ εἶναι δὲ ταύτην τὸν Χριστόν;* Καὶ πάλιν, *Οὐ γὰρ ἡ ζωὴ ἐν ζωῇ ζῇ· ἐπεὶ οὐκ ἂν εἴη ζωή.* Καὶ ἔτι ἐν τῷ περὶ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας (10) αὐτοῦ λόγῳ, *Εἰ γὰρ αὐτὸς ἐστιν ἡ ζωὴ, ζωὴν πῶς ἡ ζωὴ λαμβάνει;* Ἔτι ὁ Ἀπόστολος περὶ τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ φησιν, *Ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ.* Ὥστε ταυτόν ἐστιν ἐνταῦθα χαρακτὴρ καὶ ἀπαύγασμα, καὶ ὑπόστασις καὶ δόξα ταυτὸν τῇ οὐσίᾳ. Καὶ πάντες δὲ οἱ τῆς τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίας

Deinde, beatus Paulus ait *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* [10]. Quod si quis duas in Deo esse sapientias dicat, unam quidem subsistentem, alteram vero quæ essentiæ expers exsistat, nihil dicit. Cum enim perfectissima sit, omnemque excedens plenitudinem Dei sapientia, virtus ipsa subsistens, Dei Filius, per quem facta sunt omnia, superfluum est aliam quoque essentiæ expertem nec vere exsistentem, ac si ipsa per se subsistens non sufficeret, illi adjungere; simulque emergunt compositionis Deique imperfecti absurda. Non enim hic possint dicere unam numero esse geminam sapientiam, quemadmodum Filium sapientiam ex Patris sapientia dicimus; velut etiam vitam ex vita, et lumen de lumine; unam tamen numero sapientiam consiteatur et vitam, unamque rem. Haud tamen hoc loco id dici queat. Quid ita? Quod nimirum hos dicant inter se realiter distingui; ita nimirum, ut altera essentia sit, altera essentiæ expers. Quorum autem tanta distinctio est, nunquam contingat una consistere, remque unam numero fore. Patrem vero et Filium dicimus nihil prorsus realiter ullove modo distingui juxta fidei assertionem. Sed et qui hæc dicat, reprehendit Athanasius in suis *Adversus Arianos* libris, hisce verbis: *Ubi enim prorsus invenerunt in divina Scriptura dictum, vel ab ullo omnino audierunt, tanquam alius sit Verbum, præter hunc Filium, ut et talia ipsi comminiscantur? Quomodo vero non hæc quoque portentosa eorum ludificatio, quod dicant Sapientiam quidem Patri coexsistere, eam tamen Christum non esse?* Et rursus: *Non enim vita in vita vivit; nam alioqui vita non fuerit.* Præterea quoque in libro, *De* ipsius *Verbi in carne dispensatione: Si enim ipse Vita est, quomodo Vita vitam accipit?* Ad hæc Apostolus de Filio Dei dicit *Cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus* [11]. Quamobrem idem sunt hoc loco figura et splendor, substantiaque et gloria idem ac essentia. Omnesque adeo Christi Ecclesiæ magistri, omnem diver-

[10] 1 Cor. 1, 24. [11] Hebr. 1, 3.

(8) *Τὸν δὲ Πατέρα καὶ Υἱόν.* Quod Patrem et Filium nullo modo realiter distingui asserit noster Calecas, satis liquet quo sensu dixerit; in quantum scilicet sapientia et lumen, ac reliqua absoluta. Sic enim Pater realiter distinctum personali proprietate producit, quod nempe Filius sit, ipse Pater exsistat; ut una sit amborum natura seu essentia, una sapientia, ac reliqua. Ac bene Damasc. de divina generatione loquens, l. 1 c. 8, Οὐκ εἶπον ὁμοιότητα, ἀλλὰ ταυτότητα· μία γὰρ οὐσία, κ. τ. ἑ. *Non dixi similitudinem, sed identitatem. Eadem enim est essentia*, etc. Ariani, quod Athanasius exagitat, alium τὸν Λόγον, alium Christum asserebant, quod longe a fide est, ac mysterium Trinitatis prorsus evertit. Vid. ipse Athan. Orat. 3, in qua hæc prosequitur.

(9) Orat. 3, p. 409.

(10) *Περὶ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας.* Prænotatur editis hæc Oratio, Περὶ τῆς ἐνσάρκου ἐπιφανείας, *De apparitione in carne*, quam ipsam Græci οἰκονομίαν vocitant; nostri *dispensationem*, omneque salutis nostræ negotium per Christum, ejusque Incarnationem complectitur; idque in causa est, ut ea vox non raro *Incarnatio* reddatur. Locus ipse Athanasii mutilus erat, sensu etiam laborante, quem restitui ex editis. Eodem modo Chrys. et alii exponunt, accipere vitam, quod vita genitus est.

Digitized by Google

sitatem ac duplicitatem, realemque distinctionem in Deo tollunt. Magnus Basilius dum scribit *Adversus Eunomium*, ait : *In Dei forma, in Dei essentia est. Nec enim aliud forma est, aliudque essentia, ne sit compositus. Omnis imago, aut essentiæ aut formæ, aut figuræ, aut speciei, aut coloris imago est : Deus autem in nullo horum, sed in essentia solummodo est.* Beatus quoque Joannes Damascenus ait : *Essentia et forma et natura idem sunt in Deo.* Et rursus, *Deus simplex est omnisque expers compositionis.* Quod autem ex multis atque distinctis conflatum est, compositum est. Si igitur increatum, immortale, principii expers, esse creatorem, æternum, habere providentiam, essentiales in Deo differentias dixerimus, ex tam multis conflatum, ipsum compositum, non simplex erit, quod extremæ impietatis est. Idem : *Non debet in Deo dici qualitas, ne eum compositum dicamus ex essentia et qualitate.*

Sanctus Maximus, Capitibus suis ad Elpidium : *Omnis intellectio, sicut in substantia omnino exsistentiam habet velut qualitas, sic et circa substantiam qualitatibus imbutam motum habet. Non enim aliquid absolutum ac simplex, per seipsum subsistens, potest eam recipere, quod nec ipsa absoluta ac simplex est. Deus autem utroque modo omnino simplex exsistit ; ac tum substantia est sine subjecto, tum intellectio, omni prorsus carens subjecto.* Idem in iisdem Capitibus : *Deus, sive substantiam dicamus, non habet potentiam intelligendi (ut sic dicam) passive, quæ ei naturaliter cointelligatur, ne inde compositus exsistat ; sive dicamus intellectionem, non habet naturaliter sibi subjectam substantiam, in qua recipiatur : sed ipsum secundum essentiam Deus intellectio est, totusque ac solum intellectio, ipsumque secundum intellectionem essentia, et totus essentia et solum, et super essentiam totus, et super intelleetionem totus, eo quod unitas indivisa et impartibilis et simplex exsistat.* Idem : *Ne habitus et habilitates quæras in simplici et infinita substantia (sancta nimirum Trinitate), ne illam creatorum more compositam facias.* Idem in Scholiis in sanctum Dionysium : *Solus Deus vere ac proprie simplex est, vereque ac proprie unum et unitas et monas : cuncta vero a Deo secunda, dualitates sunt (ut sic dicam) et composita. Etenim spiritalia et quæ mente intelligimus, ex substantia sunt et constituente differentia, qua res singulæ discernuntur. Quidquid enim aliquid habet quod una intelligatur ad substantiæ suæ seu essentiæ manifestationem, non vere ac proprie simplex est. Quæ vero in sensum cadunt, ex materia et forma sunt composita.*

Præterea divus Dionysius : *Non dividendum*, ait,

διδάσκαλοι, πᾶσαν ἑτερότητα καὶ διπλόην, καὶ πραγματικὴν διαφορὰν ἐπὶ Θεοῦ ἀφαιροῦντες · ὁ μὲν μέγας Βασίλειος, κατ' Εὐνομίου γράφων, φησὶ, *Τὸ ἐν μορφῇ Θεοῦ οὐσία ἐστὶ Θεοῦ. Οὐδὲ γὰρ ἄλλο μορφὴ, καὶ ἄλλο οὐσία, ἵνα μὴ σύνθετος ᾖ.* Πάλιν ὁ αὐτὸς, *Πᾶσα εἰκὼν ἢ μορφῆς, ἢ σχήματος ἢ εἴδους, ἢ χρώματός ἐστιν εἰκών · Θεὸς δὲ ἐν οὐδενὶ τούτων, ἐν δὲ οὐσίᾳ μόνῃ.* Καὶ ὁ Θεῖος Ἰωάννης Δαμασκηνὸς φησι, *Οὐσία καὶ μορφὴ καὶ φύσις ἐπὶ Θεοῦ ταυτόν ἐστι.* Καὶ πάλιν, *Τὸ Θεῖον ἁπλοῦν ἐστι καὶ ἀσύνθετον.* Τὸ δὲ ἐκ πολλῶν καὶ διαφόρων συγκείμενον σύνθετον. Εἰ οὖν τὸ ἄκτιστον καὶ ἀθάνατον καὶ ἄναρχον καὶ δημιουργικὸν καὶ αἰώνιον, καὶ προνοητικὸν οὐσιώδεις διαφορὰς εἴπομεν ἐπὶ Θεοῦ, τὸ ἐκ τοσούτων συγκείμενον σύνθετον ἔσται, οὐχ ἁπλοῦν · ὅπερ ἐσχάτης ἀσεβείας ἐστίν. Ὁ αὐτὸς, *Οὐ χρὴ λέγειν ἐπὶ Θεοῦ ποιότητα, ἵνα μὴ σύνθετον αὐτὸν εἴπωμεν ἐξ οὐσίας καὶ ποιότητος.*

Ὁ ἅγιος Μάξιμος ἐν τοῖς πρὸς Ἐλπίδιον (11) κεφαλαίοις, *Πᾶσα νόησις, ὥσπερ ἐν οὐσίᾳ πάντως ἔχει τὴν θέσιν ὡς ποιότης, οὕτω καὶ περὶ οὐσίαν πεποιωμένην ἔχει τὴν κίνησιν. Οὐ γὰρ ἄφετόν τι καὶ ἁπλοῦν, καθ' αὐτὸ ὑφεστὼς δυνατὸν αὐτὴν ἐπιδέξασθαι, ὅτι μὴ ἄφετός ἐστι καὶ ἁπλῆ. Ὁ δὲ Θεὸς κατ' ἄμφω πάμπαν ὑπάρχει ἁπλοῦς, καὶ οὐσία ἐστὶ τοῦ ἐνυποκειμένου χωρὶς, καὶ νόησις μὴ ἔχουσα καθάπαξ ὑποκείμενον.* Ὁ αὐτὸς ἐν τοῖς αὐτοῖς, *Τὸν Θεὸν εἴτε οὐσίαν εἴπωμεν, οὐκ ἔχει φυσικῶς αὐτῷ συνεπινοουμένην τὴν τοῦ νοεῖσθαι δύναμιν, ἵνα μὴ σύνθετος ᾖ · εἴτε νόησιν, οὐκ ἔχει φυσικῶς δεκτικὴν τὴν τῆς νοήσεως ὑποκειμένην οὐσίαν, ἀλλ' αὐτὸ κατ' οὐσίαν νόησίς ἐστιν ὁ Θεὸς, καὶ ὅλος νόησις, καὶ μόνον καὶ αὐτὸ κατὰ τὴν νόησιν οὐσία · καὶ ὅλος οὐσία καὶ μόνον, καὶ ὑπὲρ οὐσίαν ὅλος, καὶ ὑπὲρ νόησιν ὅλος, διότι μονὰς ἐστιν ἀδιαίρετος καὶ ἀμερὴς καὶ ἁπλῆ.* Ὁ αὐτὸς, *Μὴ ἕξεις καὶ ἐπιτηδειότητας ζητήσῃς ἐπὶ τῆς ἁπλῆς καὶ ἀπείρου οὐσίας, τῆς ἁγίας Τριάδος, ἵνα μὴ σύνθετον αὐτὴν ποιήσῃς ὥσπερ τὰ κτίσματα.* Ὁ αὐτὸς ἐν τοῖς εἰς τὸν ἅγιον Διονύσιον Σχολίοις, *Μόνος ὁ Θεός ἐστιν ἁπλοῦς κυρίως, καὶ ἑνὰς καὶ μονάς · πάντα δὲ μετὰ Θεὸν δυάδες εἰσὶ καὶ σύνθετα, εἰ καὶ μὴ ἐπίσης. Τὰ μὲν γὰρ νοητὰ ἔκ τε οὐσίας ὑπάρχουσι, καὶ συστατικῆς διαφορᾶς ἀφοριζούσης ἕκαστον. Πᾶν γὰρ τὸ ἔχον συνεπιθεωρούμενόν τι πρὸς δήλωσιν τῆς οἰκείας ὑπάρξεως οὐχ ἁπλοῦν κυρίως · τὰ δὲ αἰσθητὰ ἐξ ὕλης καὶ εἰδους.*

Ἔτι ὁ Θεῖος Διονύσιος, *Οὐ διαιρετέον*, φησὶ, τὸ

(11) *Ἐν τοῖς πρὸς Ἐλπίδιον.* Capita Maximi ad Elpidium sunt quater centena de Charitate, quibus præfixa ad Elpidium epistola. In illis tamen non occurrunt hæc Maximi, ut neque in quingentis aliis Pico vulgatis ; præter quæ alia ducentena sunt vere γνωστικὰ, ac multis subtiliora, mihi producenda, exceptis etiam iis, quæ Roma accepi, ipsa bene multa : quibus omnibus nihil præfatur Maximus, fere contra morem. Num vero et illa Elpidio inscripta habuerit Calecas, vel eum fefellit, quod capitibus de Charitate ad Elpidium habuerit subjecta ? Quæ tamen exstat præfatio, ad sola spectat quadringenta illa capita de Charitate, in quibus Photius præ omnibus aliis Maximi ingenium laudat.

Digitized by Google

καλὸν καὶ κάλλος ἐπὶ τῆς ἓν ἐπὶ τὰ ὅλα συνει- A
ληφυίας αἰτίας. Ταῦτα γὰρ ἐπὶ μὲν τῶν ὄντων
ἀπάντων εἰς μετοχὰς καὶ μετέχοντα διαιροῦντες,
καλὸν μὲν εἶναι λέγομεν τὸ κάλλους μετέχον,
κάλλος δὲ τὴν μετοχήν· τὸ δὲ ὑπερούσιον κάλ-
λος τὸ αὐτὸ καὶ κάλλος καὶ καλὸν λέγεται. Καὶ
πάλιν, Οὐκ ἄλλο δέ εἶναι τἀγαθόν φημι, καὶ
ἄλλο τὴν ζωήν· οὐδὲ πολλὰ τὰ αἴτια, καὶ ἄλλων
ἄλλας πρακτικὰς θεότητας, ὑπερεχούσας καὶ
ὑπεριμένας. Καὶ πάλιν, Εἰ δ' ἐν τῷ Θεῷ τὸ ἀγαθὸν
ὕπαρξίς ἐστιν, ἔσται ὁ μεταβάλλων ἐκ τοῦ ἀγα-
θοῦ ποτὲ μὲν ὤν, ποτὲ δὲ μὴ ὤν. Ὁ αὐτὸς, Εἴεν
οὖν, ἐπ' αὐτὴν ἤδη τῷ λόγῳ τὴν ἀγαθωνυμίαν
χωρῶμεν, ἣν ἐξηρημένως οἱ θεολόγοι τῇ ὑπερθέῳ
θεότητι καὶ ἀπὸ πάντων ἀφορίζουσιν, αὐτὴν, B
οἶμαι, τὴν θεαρχικὴν ἀγαθότητα λέγοντες. Πάλιν,
Τῷ εἶναι τἀγαθὸν ὡς οὐσιῶδες ἀγαθὸν, εἰς
πάντα τὰ ὄντα διατείνει τὴν ἀγαθότητα.

Ἔτι ἡ κατὰ Μανιχαίων γενομένη σύνοδός φησι,
Τὸ ἀγαθὸν οὐσία ἐστὶν ἐπὶ Θεοῦ· ἐπὶ δὲ τῶν
γεννητῶν συμβεβηκός. Ἔτι ὁ μέγας Βασίλειος ἐν
τοῖς πρὸς Ἀμφιλόχιον περὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος,
Ἀγαθὸν τὸ Πνεῦμα, ὡς ἀγαθὸς ὁ Πατὴρ, καὶ
ἀγαθὸς ὁ ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ γεννηθείς, οὐσίαν ἔχων
τὴν ἀγαθότητα. Πάλιν, Διαφορὰ δὲ ταῖς θείαις
δυνάμεσι πρὸς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον αὕτη, ὅτι τῷ
μὲν φύσις ἡ ἁγιωσύνη, τοῖς δὲ ἐκ μετουσίας
ὑπάρχει τὸ ἅγιον. Καὶ ταῦτα τοῦ αὐτοῦ ἐν τῇ πρὸς
τοὺς Νεοκαισαρέας ἐπιστολῇ, Εἰ μὴ ἁπλοῦν ἐστι
τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐξ οὐσίας καὶ ἁγιασμοῦ C
συνέστη. Καὶ τίς οὕτως ἀνόητος, ὥστε σύνθετον
εἰπεῖν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον;

Ἔτι ὁ θεῖος Χρυσόστομος ἐξηγούμενος τὸ, Ἐγώ
εἰμι τὸ φῶς τοῦ κόσμου, φησὶν, Εἰ οὖν ἄλλο ζωὴ,
ἕτερον δὲ τὸ φῶς, ἕτερον δὲ ἡ οὐσία, σύνθετος
ἔσται καὶ οὐχ ἁπλοῦς. Καὶ πάλιν, ἐξηγούμενος
τὸ, Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, Τοῦτον. Ἴδοι τις ἂν
μικρὸν ὕστερον καὶ φῶς λεγόμενον, καὶ τὸ φῶς
πάλιν ὀνομαζόμενον ζωὴν, καὶ τὴν ζωὴν ἀλή-
θειαν. Πάλιν ἐν τοῖς αὐτοῖς, Τοῦτο δὲ εἶπε, τό,
« Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν » δηλονότι, οὐχ ἵνα σύνθεσιν
ὑποπτεύσωμεν, ἀλλ' ἵνα μετὰ μικρὸν ἀναχθῶ-
μεν εἰς τὸ τῶν δογμάτων ὕψος. Ἐπεὶ γὰρ οὐκ D
ἂν ἐνενόησέ τις εὐκόλως τῶν πολλῶν πῶς ἐστιν
ἐνυπόστατος αὐτοῦ ἡ ζωὴ, πρότερον ἐκεῖνο
εἶπε, τὸ ταπεινότερον, ἔπειτα παιδευθέντα πρὸς
τὸ ὑψηλότερον ἄγει. Ὁ γὰρ εἰπὼν, Ὅτι ἔδωκεν
αὐτῷ ζωὴν ἔχειν· οὗτος πάλιν φησὶν, Ἐγώ εἰμι
ἡ ζωή. Καὶ σημείωσαι, πῶς σύνθεσιν ὁ ἅγιος
ἐκτρέπει, εἴ τι; ἄλλο μὲν τὴν ζωὴν ἐπὶ Θεοῦ λέγοι,
ἕτερον δὲ τὸ φῶς, ἕτερον δὲ τὴν οὐσίαν, ὡς ἀνωτέ-
ρω εἶπεν.

Ἔτι ὁ θεῖος Κύριλλος ἐν τοῖς Πρακτικοῖς τῆς
τρίτης συνόδου φησὶν. Ὥσπερ ἡ μονὰς οὐκ ἂν
τμηθείη εἰς μονάδας δύο· ἡ γὰρ εἰς ταῦτα διαι-
ρουμένη οὐκ ἂν εἴη μονὰς, ἀλλὰ δυάς· οὕτω

pulchrum et pulchritudinem, in auctore et causa, quæ universa in uno comprehendit. Hæc enim in quovis ente in participationes, et ea quæ participant dividentes, pulchrum dicimus, quod pulchritudinis particeps est, pulchritudinem vero, participationem : superessentialis autem pulchritudo, eadem et pulchritudo et pulchrum nuncupatur. Rursumque : *Porro non aliud bonum esse dico, atque aliud vitam, neć plures auctores seu causas, aliasque aliarum effectrices deitates, quæ supereminent, et quæ inferiores exsistant.* Et rursus : *Sin autem in Deo bonum substantia est, is qui a bono mutatur, quandoque quidem ens, quandoque vero nihil erit.* Idem : *Esto igitur, ad ipsam jam sermone procedamus boni nuncupationem, quam singulariter theologi supra quam Deo deitati et ex omnibus tribuunt, ipsam puto divinam substantiam Bonitatem vocantes.* Rursus : *Quod bonum sit, tanquam essentiale bonum, in ea quæ sunt omnia, bonitatem extendit.*

Præterea, quæ adversus Manichæos synodus coacta est, ait : *Bonum in Deo essentia est; in genitis autem seu creatis accidens.* Ad hæc magnus Basilius in suis ad Amphilochium de Spiritu sancto capitulis : *Spiritus sanctus bonus est, sicut bonus est Pater, et bonus qui ex bono natus est, essentiam habens bonitatem.* Rursus : *Interest autem hoc divinis potestatibus ac Spiritui sancto, quod huic quidem natura sanctitas est; illis vero ex commercio ac participatione est, quod sunt sanctæ.* Hæc quoque ipsius sunt in Epistola ad Neocæsarienses : *Nisi Spiritus sanctus simplex est, ex essentia et sanctitate constat. Ecquis vero sic demens, ut Spiritum sanctum compositum dicat?*

Præterea divus Chrysostomus exponens illud : « *Ego sum lux mundi* [12], ait : *Igitur si vita aliud est, aliud vero lux, aliud autem essentia aut substantia, compositus erit et non simplex.* Et rursus exponens illud : *In principio erat Verbum* [13] : » *Istud brevi post viderit quis etiam lucem dictum; lucemque rursus vitam nuncupatam, et vitam veritatem.* Rursus ibidem : *Hoc autem dixit, nempe « In ipso erat, » non ut compositum opinemur, sed ut paulatim ad celsa decreta provehamur. Quia enim nemo vulgi facile in animum inducturus erat, quomodo ejus vita ipsa per se ac vere existeret, prius dixit quod erat humilius, moxque eruditum auditorem, ad id quod sublimius provehit. Nam qui dixerat : « Dedit ei vitam habere* [14];» *hic rursus ait :* «Ego sum vita [15].» Porro observa, quemadmodum sanctus compositionem existimet, si quis aliud quid vitam in Deo, aliud lucem, aliudque essentiam existimet, uti superius dixit.

Præterea divus Cyrillus in Actis tertiæ synodi ait : *Quemadmodum unitas nunquam dividatur in duas unitates. Quæ enim in hæc dividatur, non unitas fuerit, sed binitas, ut sic loquar : sic et unum,*

[12] Joan. VIII, 12. [13] Joan. I, 1. [14] Joan. V, 16. [15] Joan. XIV, 6.

Digitized by Google

quod summa consertum unione est, haud in duo di vidi possit, quippe cum simplex sit universorum Deus. Idem in *Thesauris*, exponens illud : « *Sicut Pater habet vitam in semetipso* [16], » ait, *Hoc loco, his qui nolunt recte intelligere ingentis blasphemiæ periculum oritur. Si enim Pater dicitur habere vitam in semetipso, aliud quidpiam est, præter vitam quæ in ipso est. Hoc autem si dederimus, quædam velut duplicitas ac compositio circa illum intelligetur. Atqui id est absurdum.* Idem alibi : *Si enim aliud quidem est Deus, aliaque præter ipsum, quæ in eo est, scientia, erit compositus et non simplex. Quod vero exploratum sit esse simplicem, non aliud quid præter ipsum quæ in eo scientia est. Nos autem non sic, alioqui essemus aliquid per essentiam ab æterno ; sed in essentia positam habemus bonitatem.* Et rursus : « *Deus charitas est,* » *juxta Joannis vocem* [17] ; *nec ipse quidem aliud quid, aliud vero quod in ipso est. Est enim simplex, omnique carens compositione.* Rursus : *Non enim erit natura simplex universorum Deus ; sed magis compositus exque duobus constans, siquidem quæ in eo vita est, alia ab ipso est.*

Præterea Nyssenus in *Confutationibus : Igitur si etiam Filius una vita sincera ac pura est, ab omni duplici ratione ac compositione remota, nullaque præter ejus vitam res subjecta est. Quomodo enim in eo qui simplex est, alienæ rei commistio ulla existimari possit ? etc.* Idem, in *Oratione catechetica : Non enim compositione vacat, quod alterum in altero dicatur esse. Sed omnino necessarium, cum explorata simplicitas sit, ipsum Verbum vitam esse, non vitæ participationem.*

Præterea sanctus Augustinus, quem œcumenicæ

καὶ τὸ ἓν, κατὰ τὴν ἄκραν ἕνωσιν, οὐκ ἂν εἰς δύο διαιρεθείη· καὶ γὰρ ἁπλοῦς ἐστιν ὁ τῶν ὅλων Θεός. Ὁ αὐτὸς ἐν τοῖς Θησαυροῖς ἐξηγούμενος τὸ, Ὥσπερ ὁ Πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, φησὶν, Ἐνταῦθα τοῖς ὀρθῶς οὐκ ἐθέλουσι νοεῖν εἰς πολλὴν ὁ λόγος κινδυνεύσει δυσφημίαν. Εἰ γὰρ ἔχειν ἐν ἑαυτῷ λέγεται ζωὴν ὁ Πατὴρ, ἑτερόν τί ἐστι παρὰ τὴν ἐν αὐτῷ ζωήν. Εἰ δὲ τοῦτο, διπλόη τις ὥσπερ καὶ σύνθεσις περὶ αὐτὸν νοηθήσεται. Ἀλλὰ τοῦτο ἄτοπον. Ὁ αὐτὸς ἐν τοῖς ἄλλοις, Εἰ γὰρ ἕτερον μέν τις ἐστιν ὁ Θεὸς, ἑτέρα δὲ παρ' αὐτὸν ἡ ἐν αὐτῷ γνῶσις, σύνθετος ἔσται καὶ οὐχ ἁπλοῦς. Ἐπεὶ δὲ ἁπλοῦς ὁμολογούμενος, οὐχ ἕτερόν τι παρ' αὐτὸν ἡ ἐν αὐτῷ γνῶσις. Ἡμεῖς δὲ οὐχ οὕτως· ἐσμὲν γάρ τι κατ' οὐσίαν ἀδίδως ἐν δὲ τῇ οὐσίᾳ κειμένην ἔχομεν τὴν γνῶσιν. Καὶ πάλιν, Ὁ Θεὸς ἀγάπη ἐστὶ, κατὰ τὴν τοῦ Ἰωάννου φωνὴν, καὶ οὐχ ἕτερον μέν τι αὐτὸς, ἕτερον δέ τι τὸ ἐν αὐτῷ· ἁπλοῦς γὰρ καὶ ἀσύνθετος. Πάλιν, Οὐ γὰρ ἁπλοῦς ἔσται τὴν φύσιν ὁ τῶν ὅλων Θεός· σύνθετος δὲ μᾶλλον καὶ ἐκ δύο συγκείμενος, εἴπερ ἐστὶν ἑτέρα παρ' αὐτὸν ἡ ἐν αὐτῷ ζωή.

Ἔτι ὁ Νύσσης ἐν τοῖς Ἀντιῤῥητικοῖς, Εἰ οὖν καὶ ὁ Υἱὸς μία ζωή ἐστιν εἰλικρινὴς, πάσης συνθέσεως καὶ διπλόης κεχωρισμένη, καὶ οὐδὲν ὑπόκειται πρᾶγμα παρὰ τὴν ζωὴν αὐτοῦ. Πῶς γὰρ ἐν τῷ ἁπλῷ μίξις ἀλλοτρίου πράγματος ὑποπτεύοιτ' ἄν ; καὶ τὰ ἑξῆς. Ὁ αὐτὸς ἐν τῇ Κατηχητικῇ, Οὐ γὰρ ἂν ἐκτὸς εἴη συνθέσεως τὸ ἕτερον ἐν ἑτέρῳ λέγειν εἶναι· ἀλλ' ἀνάγκη πᾶσα, τῆς ἁπλότητος ὁμολογουμένης, αὐτὸν ζωὴν εἶναι τὸν Λόγον, οὐ ζωῆς μετουσίαν.

Ἔτι ὁ ἅγιος Αὐγουστῖνος (11), ὃν αἱ οἰκουμενικαὶ

[16] Joan. v, 26. [17] I Joan. iv, 8.

(11) Ὁ ἅγιος Αὐγουστῖνος, ὃν αἱ οἰκουμενικαὶ σύνοδοι. Merito Calecas Augustini firmissima auctoritate nititur, sic concilii V generalis sententia firmata, qua probati fidelibus magistri proponuntur, utriusque Ecclesiæ præcipua lumina, ut est reipsa una Ecclesia, unoque Spiritu locuti sunt, sive qui in Oriente, sive qui in Occidente. Ecclesiæ doctores fulserunt. Eamdem Augustini auctoritatem urget Calecas in opere suo Κατὰ Γραϊκῶν· τουτέστιν περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ, *De processione Spiritus sancti etiam ex Filio* : quod Latine solum prodiit, sed locos Patrum Græce nobis servavit Regius codex, ex quo licet petere, cui et Hieronymi et Ambrosii singulares locos præmittit ; ex quibus Ambrosius ejusdem synodi decreto inter magnos Ecclesiæ doctores celebratur : Ἀκολουθοῦμεν ἐν ἅπασι καὶ τοῖς ἁγίοις διδασκάλοις τῆς τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας, Ἀθανασίῳ, Βασιλείῳ, Γρηγορίῳ τῷ Θεολόγῳ, τῷ Νύσσης, Ἀμβροσίῳ, Αὐγουστίνῳ, Θεοφίλῳ, Κυρίλλῳ, Ἰωάννῃ τῷ Κωνσταντινουπόλεως, Πρόκλῳ· καὶ πάντα τὰ παρ' αὐτῶν συγγράφεντα περὶ τῆς ὀρθῆς πίστεως καὶ πρὸς κατάκρισιν τῶν αἱρετικῶν δεχόμεθα. Hac se concilii auctoritate premi Photius fortasse videns, epistola ad episcopum Aquileiensem, mihi dum Græce edita, Latine vero Baron. repræsentata an. 863, sic velut lubricus anguis effugium quærit, protervumque ac vere hæreticum ingenium prodit : Ναὶ, φησὶν· ἀλλ' Ἀμβρόσιος ὁ μέγας καὶ Αὐγουστῖνος καὶ Ἱερώνυμος, καὶ τινες τούτοις ὁμοταγεῖς τε καὶ ἰσοστάσιοι, μέγα ὄνομα ἐπ' ἀρετῇ καὶ βίου λαμπρότητι λαχόντες, τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐν πολλοῖς αὐτῶν λόγοις συνέταξαν ἐκπορεύεσθαι. Καὶ δὴ τούτοις πειθόμεθα οὕτω καὶ λέγειν καὶ φρονεῖν· καὶ μὴ ἀτιμάζειν Πατέρας εἰς αἱρετικὴν δόξαν διαβάλλοντας. Ἔστι δὲ πρῶτον μὲν τὸ πᾶσι πρόδηλον πρὸς αὐτοὺς εἰπεῖν, Ὡς εἰ δέκα ἢ καὶ εἴκοσί τινες τῶν Πατέρων ταύτην εἶπον τὴν φωνὴν, μυρίοι δὲ οὐκ ἐφθέγξαντο, τίνες οἱ Πατέρας ἐξυβρίζοντες· οἱ τὸ πᾶν αὐτῶν τῆς εὐσεβείας ἐν ὀλίγοις περιγράφοντες, καὶ τούτους ἀντιφθεγγομένους καὶ ἀντιτασσομένους ; οἰκουμενικαῖς συνόδοις καὶ ἀναριθμήτῳ πλήθει θεοφόρων ἀνδρῶν προβαλλόμενοι, ἢ οἱ τοὺς πολλαπλασίους συνηγόρους παραλαμβάνοντες ; Ὑβρίζει τις Πατέρας, ὡς φῄς, μὴ λέγων τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι ; καὶ γὰρ οὕτως ἐκεῖνοι ἐφθέγξαντο. Καὶ πῶς οὐχ ὑβρίζει πολλαπλασίοις ὁ τοῦτο λέγων ; Οὐ γὰρ οὔμενουν οὐδαμοῦ τοῦτο φθέγξασθαι κατεδέξαντο. *Sane, inquit, magnus Ambrosius et Augustinus et Hieronymus, aliique quidam ejusdem ordinis parisque dignitatis, virtute vitæ quæ merito clarissimi, in multis suorum librorum conscripserunt, Spiritum sanctum ex Filio procedere. Iisque adeo credimus, ut sic dicamus et sentiamus, nec Patres, hæreticæ opinionis nomine traducentes, probro afficiamus. Porro licet ad eos primum dicere, quod omnibus liquet. Nempe si decem aut viginti Patres eam locuti sunt vocem, sexcenti vero non locuti sunt, quinam quæso sunt, qui Patres probro af*

Digitized by Google

σύνοδοι διδάσκαλον τῆς Ἐκκλησίας ἐξοχώτατον μαρτυροῦσι, καὶ τὸν μὴ τοὺς λόγους τούτου καταδεχόμενον ἀναθέματι ὑποβάλλουσιν· οὗτος οὖν ἐν ζ τῷ περὶ Τριάδος φησὶν, *Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἁπλότητι οὐκ ἔστιν ἕτερον τὸ σοφὸν εἶναι παρὰ τὸ εἶναι· ἀλλ' ἡ αὐτὴ ἐκεῖ σοφία, ἥτις καὶ οὐσία.* Ἔτι ἐν τῷ αὐτῷ, *Ἀθέμιτον δὲ λέγειν ὑφίστασθαι καὶ ὑποκεῖσθαι τὸν Θεὸν τῇ ἀγαθότητι αὐτοῦ· καὶ τὴν ἀγαθότητα μὴ μᾶλλον οὐσίαν εἶναι, μηδὲ τὸν Θεὸν εἶναι τὴν ἀγαθότητα αὐτοῦ, ἀλλ' ἐν αὐτῷ εἶναι ὡς ἐν ὑποκειμένῳ.*

A synodi præcellentissimum doctorem testantur, eumque qui ejus sermones non recipiat, anathemati subjiciunt. Is igitur, libro VII *De Trinitate*, ait : *In illa simplicitate non aliud est sapientem esse, quam esse, sed eadem ibi sapientia, quæ et essentia.* Adhuc in eodem libro : *Nefas est dicere, substare Deum ac subjici bonitati suæ; et non potius bonitatem substantiam esse; nec bonitatem esse Deum, sed in eo ut in subjecto esse.*

Ἔτι ὁ μέγας Ἀθανάσιος ἐν τοῖς περὶ Υἱοῦ, *Εἰ γὰρ μὴ οὐσιώδης ἐστὶ σοφία καὶ ἐνούσιος λόγος καὶ ὢν ὁ Υἱὸς, ἀλλ' ἁπλῶς σοφία καὶ λόγος, καὶ Υἱὸς ἐν τῷ Πατρὶ, εἴη ἂν αὐτὸς ὁ Πατὴρ σύνθετος ἐξ οὐσίας καὶ λόγου.* Ὁ αὐτὸς ἐν τῷ ὑπὲρ τῆς συνόδου Ἀπολογητικῷ, *Εἰ μέν οὖν ἡγεῖταί τις τὸν Θεὸν εἶναι σύνθετον, ὡς ἐν τῇ οὐσίᾳ τὸ συμβεβηκὸς, ἢ ἔξωθέν τινα περιβολὴν ἔχειν καὶ καλύπτεσθαι· ἢ εἶναί τινα τὰ συμπληροῦντα αὐτοῦ τὴν οὐσίαν, ὥστε λέγοντας ἡμᾶς Θεὸν καὶ ὀνομάζοντας Πατέρα, μὴ αὐτὴν τὴν ἀόρατον αὐτοῦ καὶ ἀκατάληπτον οὐσίαν σημαίνειν, ἀλλά τι περὶ αὐτὸν μεμφέσθω μὲν τὴν σύνοδον, γράψασαν ἐκ τοῦ Πατρὸς τὸν Υἱόν· καταγνώτωσαν δὲ ὅτι δύο ταῦτα βλασφημοῦσιν, οὕτω διανοούμενοι· τόν τε γὰρ Θεὸν σωματικόν τινα εἰσάγουσι· καὶ τὸν Κύριον οὐκ αὐτοῦ τοῦ Πατρὸς, ἀλλὰ τῶν περὶ αὐτὸν εἶναι Υἱόν, καταψεύδονται.* Καὶ ταῦτα τοῦ αὐτοῦ ἐν τῷ περὶ τοῦ, Ὅτι καλῶς εἴρηται τοῖς ἐν Νικαίᾳ Πατράσιν ἡ λέξις τοῦ ὁμοουσίου· *Διὸ οὐδὲ τὴν κτίσιν αὐτοῦ τοῦ ὄντος Θεοῦ δημιούργημα φήσατε, εἴ γε τὸ Πατὴρ καὶ τὸ Θεὸς οὐκ αὐτὴν τὴν τοῦ ὄντος οὐσίαν σημαίνουσιν, ἀλλ' ἕτερόν τι, ὅπερ ὑμεῖς ἀναπλάττετε. Εἰ δὲ τοῦτο ἀπρεπὲς, καὶ μᾶν ἀσεβές ἐστι καὶ μόνον ἐντεθυμῆσθαι.* Καὶ μετ' ὀλίγα πάνυ· *Κἂν γὰρ ἀδυνάτως ἔχωμεν καταλαβεῖν ὅ τι ποτ' ἔστι, ἀλλ' ὅμως ἀκούοντες τὸ Πατὴρ καὶ τὸ Υἱὸς, καὶ τὸ Παντοκράτωρ, οὐχ*

Ad hæc magus Athanasius, *Orat. de Filio : Nisi enim substantialis sapientia ac verbum essentia præditum et qui sit vere, Filius est, sed simpliciter sapientia et verbum et Filius in Patre est, fuerit ipse Pater compositus ex essentia et verbo.* Idem, in *Oratione apologetica pro synodo : Si quis igitur Deum compositum esse existimat, quasi accidens in substantia, aut externo quasi involucro occultari? vel esse quædam quæ ejus essentiam compleant, ut cum Deum dicimus, ac Patrem vocamus, non ipsam ejus invisibilem et incomprehensam essentiam significemus, sed aliquid circa ipsum, is synodum reprehendat, quæ scripserit Filium ex Patre esse; intelligant tamen, qui sic opinantur, duo se hæc blasphemare; quod nempe tum Deum, corporeum quemdam induunt, tum Dominum, non ipsius Patris, sed eorum quæ sunt circa ipsum, Filium esse mentiuntur.* Sunt et ista ejusdem Athanasii, illa oratione, qua ostendit *homousii* vocem rite positam esse a Patribus Nicænis : *Proinde nec creaturam ipsius veri Dei opus esse dicetis, siquidem quod Pater quodque Deus dicitur, non ipsam ejus qui vere esse essentiam significant, sed aliud quidpiam, quod vos confingitis. Si autem hoc valde indecens, sane vel cogitatu impium est.* Paucisque admodum interjectis : *Quamvis enim comprehendere non possumus quidnam tandem est, dum tamen Pater et Filius atque omnium conservator audimus, non aliud quid, sed ipsam beatam simplicemque et incomprehensam, ejus qui vere est, essen-*

Ad hæc magnus Dionysius cap. 2, *De conjuncta ac discreta theologia*, divina omnia nomina dicit, ipsumque adeo bonitatis nomen, nisi quis de tota Deitate dici fateatur, ipsum blasphemare, ac, quod nefas, superunitam unitatem audere dissecare.

Ἔτι ὁ μέγας Διονύσιος ἐν β' *Περὶ ἡνωμένης καὶ διακεκριμένης θεολογίας* (13), *Τὰς θεωνυμίας ἁπάσας, καὶ δὴ τὸ τῆς ἀγαθότητος ὄνομα*, φησὶν, *εἰ μὴ περὶ τῆς ὅλης Θεότητος φαίη τις τοῦτο εἰρῆσθαι, βλασφημεῖν καὶ ἀποσχίζειν ἀθέσμως τολμᾷ τὴν ὑπερηνωμένην ἑνάδα.*

Hæc item de operatione adjiciamus. Sanctus Cyrillus *Thesaur.* lib. II, ait: *Si igitur Filius omnis Patris operatio est ac virtus, per quam omnia operatur, quisnam fiat ut naturæ creatæ sit?* Idem: *Igitur Filius ejusdem ac Pater naturæ est, ut qui eamdem potestatem habeat ac virtutem; quinimo, qui*

Ἔτι καὶ ταῦτα περὶ ἐνεργείας προσκείσθω. Ὁ ἅγιος Κύριλλος ἐν β' τῶν *Θησαυρῶν* φησιν, *Εἰ τοίνυν πᾶσα ἐνέργεια καὶ δύναμις τοῦ Πατρὸς ὁ Υἱός ἐστι, δι' ἧς τὰ πάντα ἐργάζεται, πῶς ἂν εἴη φύσεως γεννητῆς; Ὁ αὐτὸς, Οὐκοῦν ὁμοφυὴς ὁ Υἱὸς τῷ Πατρὶ, ὡς τὴν αὐτὴν ἔχων ἐξουσίαν καὶ*

(13) *De div. nom.*

Digitized by Google

δύναμιν· μᾶλλον δὲ αὐτὸς ὢν ἡ ζῶσα καὶ οὐσιώδης ἐνέργεια, καὶ δύναμις καὶ σοφία τοῦ Πατρός. A *ipse vivens et essentialis operatio et virtus et sapientia Patris exsistat.*

Ὁ ἁγιος Ἀθανάσιος ἐν τῇ πρὸς Σεραπίωνα ἐπιστολῇ, Ἑνὸς γὰρ ὄντος τοῦ Υἱοῦ τοῦ ζῶντος λόγου, μίαν εἶναι δεῖ τελείαν καὶ πλήρη τὴν ἁγιαστικὴν καὶ φωτιστικὴν αὐτοῦ ζωὴν, οὖσαν ἐνέργειαν αὐτοῦ καὶ δωρεὰν, ἥτις ἐκ Πατρὸς λέγεται ἐκπορεύεσθαι, ἐπειδὴ παρὰ τοῦ Υἱοῦ, τοῦ ἐκ Πατρὸς ὁμολογουμένου, ἐκλάμπει καὶ ἀποστέλλεται καὶ δίδοται.

Sanctus Athanasius, in epistola ad Serapionem: *Cum enim unus sit Filius, vivens scilicet Verbum, una sit necesse est perfecta plenaque sanctificans et illuminans ejus vita, quæ ipsius operatio donumque est, ac ex Patre procedere dicitur; idcirco quod ex Filio, quem ex Patre esse exploratum est, elucet atque mittitur, daturque.*

Δῆλον τοίνυν ἐκ τῶν εἰρημένων γέγονε καὶ τοῦτο, ὅτι ἡ ἐνέργεια τοῦ Θεοῦ, καθ' ἣν ἐνεργητικός ἐστιν, οὐ διαφέρει τῆς οὐσίας αὐτοῦ, ἀλλὰ ταυτό ἐστιν οὐσία καὶ ἐνέργεια. Ἐπὶ γὰρ τῆς ἁπλῆς καὶ ἀσωμάτου φύσεως τὸν αὐτὸν τῇ οὐσίᾳ ἐπιδέχεται λόγον B ἡ ἐνέργεια, ἵνα μὴ σύνθετον τὸ ὑπὲρ πᾶσαν ἁπλότητα νοεῖτο, κατὰ τὴν ἐκτεθεῖσαν τῶν ἁγίων διδασκαλίαν· ὃ προέκειτο δεῖξαι.

Manifeste igitur ex dictis hoc quoque ostensum est, Dei operationem seu virtutem qua est efficax ac vi agendi pollet, non distingui ab ejus essentia; sed idem esse essentiam et operationem seu virtutem. In natura enim simplici et incorporea operatio eamdem ac essentia rationem recipit, ne quod omnem excedit simplicitatem, compositum intelligatur, juxta nobis expositam sanctorum doctrinam; quod nobis probandum propositum erat.

Οὗ τοὐναντίον ἡ σύνοδος ἐν τῷ Παλαμητικῷ Τόμῳ ἀπεφήνατο. Καὶ οὐ μόνον ἁπλῶς διαφέρειν, ἀλλὰ καὶ τὸν προηριθμημένον τρόπον διηρῆσθαι καὶ ἀντικεῖσθαι ἐκαινοτόμησεν. Ἐπεὶ δὲ τὴν οὕτω διαιρουμένην ἐπὶ Θεοῦ τῆς οὐσίας αὐτοῦ ἐνέργειαν, μᾶλλον δὲ ἐνεργείας, ταύτας Θεοὺς καὶ θεότητας ὁμολογοῦντες, οὐκ αἰσχύνονται, αὐτόθεν καὶ τοῦτο φανερὸν, ὅτι πρὸς τὴν κοινὴν τῶν Χριστιανῶν περὶ Θεοῦ δόξαν ἐναντίον ἐστίν. Ἡ γὰρ καθολικὴ πίστις ἕνα Θεὸν καὶ μίαν Θεότητα πρεσ- C βεύειν παραδίδωσι· καὶ τοῦτ' ἔστιν ἔμφυτον, ὥς τις ἔννοια κοινὴ καὶ πρώτη ταῖς διανοίαις τῶν ἕνα θεὸν ὁμολογούντων· ὡς εἴ τις πολλὰς θεότητας παραδέξαιτο, τοῦτον ἀνάγκη καὶ πολλοὺς θεοὺς ὁμολογεῖν. Διὸ οὐδὲ τρεῖς θεότητας ἐπὶ τῆς ἁγίας Τριάδος ὁμολογοῦμεν διὰ τὸ τριττὸν τῶν ὑποστάσεων, ἵνα μὴ καὶ τρεῖς θεοὺς, τὸν Πατέρα καὶ Υἱὸν καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα προσομολογεῖν ἀναγκασθῶμεν. Οἱ δὲ πολλὰς θεότητάς φασιν, ὡς ἐκ τῶν προτεθέντων δῆλον· ὥστε καὶ πολλοὺς θεοὺς ὁμολογεῖν ἀναγκάζονται. Φανερώτερον δὲ καὶ παρὰ τῶν ἁγίων ἐκτεθήσεται.

Manifeste igitur ex dictis hoc quoque ostensum est, Dei operationem seu virtutem qua est efficax ac vi agendi pollet, non distingui ab ejus essentia; sed idem esse essentiam et operationem seu virtutem. In natura enim simplici et incorporea operatio eamdem ac essentia rationem recipit, ne quod omnem excedit simplicitatem, compositum intelligatur, juxta nobis expositam sanctorum doctrinam; quod nobis probandum propositum erat.

Ejus contrarium synodus in Palamæ Tomo decrevit ac sanxit; nec quovis modo solum distingui, sed eo qui superius recensitus est, dividi atque opponi, nova fide conscripsit. Quod vero non illos pudet, quod sic divisam in Deo ab ejus essentia operationem, seu magis operationes, Deos illas ac Deitates fatentur, inde id quoque manifestum est, communi Christianorum de Deo opinioni eorum commentum hoc contrarium esse. Fides enim catholica unum Deum unamque Deitatem tradit; idque innatum velut communis quædam primaque conceptio eorum animis est, qui unum Deum confitentur. Quamobrem si quis plures Deitates admiserit, hunc necesse est plures quoque Deos confiteri. Hincque est ut nec plures Deitates in sancta Trinitate confiteamur, eo quod tres sunt hypostases ac personæ, ne et tres Deos Patrem et Filium et Spiritum sanctum perinde confiteri necesse habeamus. Illi autem plures admittunt Deitates, ut ex dictis manifestum est, quocirca etiam necesse est ut plures Deos fateantur. Clariusque ex sanctorum dictis monstrabitur.

Αὐτίκα ὁ Θεολόγος μέγας φησὶν, Ἡμῖν δὲ εἷς θεὸς, ὅτι μία Θεότης. Καὶ δῆλον ἐντεῦθεν ὡς οἷς οὐ μία Θεότης, τούτοις οὐδὲ εἷς Θεός. Τίς δέ ἐστιν D ἡ Θεότης; Αὕτη ἡ τοῦ ἑνὸς Θεοῦ τριυπόστατος οὐσία. Οὕτω γὰρ ὁ αὐτός φησιν, Ἓν γὰρ ἐν τρισὶν ἡ θεότης, καὶ τὰ τρία ἕν, τὰ ἐν οἷς ἡ Θεότης, ἤ, τό γε ἀκριβέστερον εἰπεῖν, ἃ ἡ Θεότης. Ἐξέργει τὸ ἐν οἷς, ἵνα μὴ σύνθεσις ὑπονοηθῇ, ὡς ἄλλο τῆς Θεότητος ἐν τοῖς προσώποις, καὶ ἐπήγαγεν, ἃ ἡ Θεότης, αὐτὰ τὰ πρόσωπα Θεότητα λέγων, τὸν Πατέρα καὶ Υἱὸν καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα.

Statim namque ait magnus Theologus: *Nobis vero unus Deus, quod una divinitas.* Hincque adeo liquet, quibus non sit una Divinitas, nec unum esse Deum. Quænam vero est divinitas? Ipsa nimirum unius Dei trine subsistens essentia. Sic enim idem ait, *Unum enim in tribus Deitas, et tria unum, in quibus est Deitas, aut, quod verius ac proprie magis dicatur, quæ est Deitas.* Consulto vocem *in his* cavit, ne qua compositio existimaretur, velut Deitas aliud esset in personis; adjecitque, *quæ est Deitas;* nimirum ipsas personas Deitatem vocans, Patrem scilicet et Filium et Spiritum sanctum.

Ἀλλὰ τί δεῖ τοῦτο τὸ ἄτοπον αὐτοῖς ἐπάγειν, οἵ γε διαῤῥήδην ὁμολογοῦσι καὶ γράφουσιν ἐπιβεβαιοῦντες ὅτι ἑκάστην τῶν ἐνεργειῶν ἐκείνων καὶ δυνάμεων οὐδὲν ἄτοπον καὶ Θεὸν ἀναγορεύειν· καὶ τοῦτ' ἀναφέρουσιν ἐν τοῖς ὕμνοις καὶ ταῖς ὁμολογίαις τῷ

Sed quid necesse hoc eis absurdum imponere, cum ipsi diserte confiteantur ac scribant, asserantque, quamlibet harum operationum atque virtutum, nullo inconvenienti Deum prædicandam esse; idque in canticis et confessionibus Deo tribuant?

Digitized by Google

Non enim velut sequatur ex eorum positionibus, deorum illis multitudinem tribuimus, sed ex illorum ipsa confessione repræsentamus. Cum autem hasce operationes ac Deitates multas esse dicant ac increatas, et quæ numerum superent, quæ utique etiam aliæ ab aliis, simulque ab essentia distinguantur, sicut quod essentiæ expers est ab essentia, quodque subsistens est ab eo quod non ipsum vere exsistat, quod est visibile ab eo quod invisibile est, quod est inferius ab eo quod eminet, et infinities infinite eminet, juxta oppositionum quas commenti sunt genera, liquet fore, ut et in Deo, dii (ut eorum verbis loquar) tantum inter se et ab essentia distinguantur.

Hi tamen divinum Maximum audiant, dicentem: *Quod substantiam non habet, Deitas non est.* Gregorium item Theologum, partim quidem oratione funebri in suum patrem, dicentem: *Quonam vero modo mensuram admittit, quod est infinitum; ut quæ rerum fluitarum affectio est, eâ sit et Deitatis, gradibus superioribus inferioribusque commensæ?* partim vero in prima *de pace* oratione: «*Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium*[10], *ut non unam, aut simplicem Deitatis naturam inducatis, sed tres nimirum inter se peregrinas ac abhorrentes et dissipatas, nec mirum dictu, excessibus defectibusque pugnantes?*

Præterea sancta et œcumenica prima synodus in hunc modum in Actis pronuntiat: *Fides autem catholica unam Deitatem novit, Patris et Filii et Spiritus sancti, præter quam non reputabitur alia.* Ad hæc sancta et œcumenica tertia synodus sic et ipsa in Actis pronuntiat: *Si quis non confitetur in sancta Trinitate unam Deitatem, unum regnum et dominationem, anathema sit.*

Gregorius Nyssenus, in orat. *Quæ sit Christiani professio, Deitatum numerum in multitudinem turbamque producere eorum duntaxat est, qui multitudinis deorum errore laborant; Deitatem autem prorsus negare, illorum sit impietatis, qui Deum tollant.* Idem in Confutationibus: *Excepta duntaxat divina natura, quod sit increatum, nihil est; increatumque inter et increatum nihil quis interesse putaverit.* Quibus item ad Pulcheriam scribit: *Nihil aliud præter unum est, præter Patrem et Filium et Spiritum sanctum.*

Sanctus Sophronius patriarcha Hierosolymitanus: *Sicut unum Deum, ut sentiamus, accepimus, sic et unam Deitatem confiteri docti sumus.* Ejusdem, *Unam confiteor sanctæ Trinitatis Deitatem. Unam hanc agnosco æternam, ingenitam, principii expertem, increatam.* Idem in dicta jam suæ fidei professione: *Numeratur sanctissima Trinitas, non essentiis ac naturis, vel distinctis Deitatibus, absit; sed hypostasibus duntaxat seu personis, et proprietatibus.* Sanctus Joannes Damascenus: *Non Deita-*

[10] Psal iv, 3.

Θεῷ; Οὐδὲ γὰρ ὡς ἑπόμενον ταῖς θέσεσιν αὐτῶν ἐξ ἀνάγκης τὸ τῶν Θεῶν πλῆθος αὐτοῖς ἐπιφέρομεν, ἀλλ' ἐξ ὧν ὁμολογοῦσι παριστῶμεν. Εἰ δὲ τὰς ἐνεργείας ταύτας καὶ Θεότητας πολλὰς εἶναί φασι καὶ ἀκτίστους, καὶ ἀριθμὸν ὑπερβαινούσας, αἳ δὴ καὶ ἀλλήλων πραγματικῶς διαφέρουσι, καὶ τῆς οὐσίας ὁμοῦ, ὡς τὸ ἀνούσιον τῆς οὐσίας, καὶ τὸ ὑφεστὼς τοῦ μὴ ὑφεστῶτος, καὶ τὸ ὁρατὸν τοῦ ἀοράτου, καὶ τὸ ὑφειμένον πρὸς τὸ ὑπερκείμενον, καὶ ἀπειράκις ἀπείρως ὑπερκείμενον κατὰ τὰ τῶν ἀντιθέσεων ὅσα ἐξεῦρον εἴδη, φανερὸν ὅτι καὶ οἱ ἐν τῷ Θεῷ θεοί, κατ' αὐτοὺς εἰπεῖν, τοσοῦτον ἀλλήλων καὶ τῆς οὐσίας διοίσουσιν.

Ἀλλ' ἀκουέτωσαν τοῦ θείου Μαξίμου, λέγοντος, *Ὅτι τὸ ἀνούσιον οὐ Θεότης* · καὶ Γρηγορίου τοῦ Θεολόγου, τοῦτο μὲν ἐν τῷ εἰς τὸν ἑαυτοῦ πατέρα Ἐπιταφίῳ, φάσκοντος, *Πῶς δὲ μετρεῖται τὸ ἄπειρον, ὑφ' ὃ τῶν πεπερατωμένων ἐστὶ, τοῦτο πάθη Θεότητος, βαθμοῖς μετρουμένη καὶ ὑποβάσεσι;* τοῦτο δὲ ἐν τῷ Εἰρηνικῷ πρώτῳ, *Ἵνα τί ἀγαπᾶτε ματαιότητα καὶ ζητεῖτε ψεῦδος, οὐ μίαν οὐδὲ ἁπλῆν Θεότητος φύσιν εἰσάγοντες, ἀλλ' ἤτοι τρεῖς ἀπεξηνωμένας ἀλλήλων καὶ διεσπαρμένας, οὐ θαυμαστὸν δὲ εἰπεῖν, καὶ μαχομένας ὑπερβολαῖς καὶ ἐλλείψεσιν;*

Ἔτι ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ πρώτη σύνοδος οὕτως ἐκφωνεῖ ἐν τοῖς Πρακτικοῖς· *Ἡ δὲ καθολικὴ πίστις μίαν οἶδε Θεότητα, τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, παρ' ἧς οὐ λογισθήσεται ἑτέρα.* Ἔτι ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ τρίτη σύνοδος οὕτως ἐν τοῖς Πρακτικοῖς· καὶ αὕτη ἐκφωνεῖ· *Ὅστις οὐχ ὁμολογεῖ ἐπὶ τῆς ἁγίας Τριάδος μίαν Θεότητα καὶ μίαν βασιλείαν καὶ μίαν δυναστείαν, ἀνάθεμα.*

Ὁ Νύσσης Γρηγόριος ἐν τῷ, *Τί τοῦ Χριστιανοῦ ἐπάγγελμα· Τὸ εἰς πλῆθος ἐκτείνειν τὸν ἀριθμὸν τῶν Θεοτήτων μόνων τῶν τὴν πολύθεον πλάνην νενοσηκότων ἐστί· τὸ δὲ καθόλου ἀρνεῖσθαι τὴν Θεότητα ἄθεον ἂν εἴη.* Ὁ αὐτὸς ἐν τοῖς Ἀντιῤῥητικοῖς· *Ἄκτιστον δὲ, πλὴν τῆς θείας φύσεως, οὐδέν· καὶ ἀκτίστου πρὸς ἄκτιστον οὐδὲ μίαν ἂν ἐννοήσειέ τις διαφοράν.* Καὶ ἐν τοῖς πρὸς Πουλχερίαν· *Οὐδὲν ἄλλο προαιώνιον, πλὴν Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος.*

Ὁ ἁγίος Σωφρόνιος πατριάρχης Ἱεροσολύμων, *Ὥσπερ ἕνα Θεὸν φρονεῖν παρελάβομεν, οὕτω καὶ μίαν Θεότητα ὁμολογεῖν ἐδιδάχθημεν.* Τοῦ αὐτοῦ· *Μίαν ὁμολογῶ τῆς ἁγίας Τριάδος Θεότητα. Ταύτην μόνην γινώσκω, ἄϊδιον, ἄναρχον, ἄκτιστον.* Ὁ αὐτὸς ἐν τῇ προῤῥηθείσῃ ὁμολογίᾳ αὐτοῦ· *Ἀριθμεῖται ἡ παναγία Τριὰς οὐκ οὐσίαις καὶ φύσεσιν, ἢ διαφόροις θεότησιν, ἄπαγε, ἀλλ' ὑποστάσεσι μόνον καὶ ἰδιότησιν.* Ὁ ἅγιος Ἰωάννης ὁ Δαμασκηνός· *Οὐ Θεοτήτων Τριάδα, ἀλλ'*

Digitized by Google

ὑποστάσεων, οὐδὲ μονάδα προσώπων, ἀλλὰ Θεότητος σέβοντες, τέμνομεν τοὺς ταύτην διαιροῦντας.

Καὶ μὴν καὶ οἱ πολιτικοὶ νόμοι οὐ μικρὰν περὶ τῆς μιᾶς Θεότητος πρόνοιαν ποιοῦνται. Οὕτω γὰρ ἐν τῇ νομικῇ ἑξηκονταβίβλῳ κεῖται, *Χριστιανός ἐστιν ὁ πιστεύων μίαν εἶναι Θεότητα ἐν ἴσῃ ἐξουσίᾳ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος· ὁ δὲ παρὰ τὰ εἰρημένα δοξάζων αἱρετικός ἐστιν.* Ἐκ τοῦ αὐτοῦ βιβλίου τοῦ Κώδικος· *Ὁ μὴ δοξάζων τὴν ἁγίαν Τριάδα ἐν μιᾷ Θεότητι ἰσοδύναμον οὔτε Χριστιανὸς λέγεται, ἀλλ' ἄφρων ἐστὶ καὶ αἱρετικός, καὶ ἄτιμος, καὶ τιμωρεῖται.*

Ὅτι μὲν οὖν ἡ περὶ οὐσίας καὶ ἐνεργείας τῆς συνόδου ἀπόφασις, κατὰ τὴν ἐν τῷ Τόμῳ τοῦ Παλαμᾶ πίστιν, ἐναντία καὶ πολέμιός ἐστι τῇ κοινῇ καὶ ὁμολογουμένῃ περὶ τοῦ ἑνὸς Θεοῦ δόξῃ, τῇ τε παρὰ τῶν ἁγίων πάντων ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ τοῦ Χριστοῦ κηρυττομένῃ πίστει, ἱκανὰ τὰ εἰρημένα, εἰ μή τις ἐκκεκώφωται, καὶ τυφλώττειν ἐθέλοι. Ἴσως δέ τις θαυμάσειεν, πῶς εἰς τοσοῦτον κατηνέχθησαν ἀνοίας καὶ ἀπονοίας· καὶ τίς ἡ αἰτία τοῦ τοιαῦτα περὶ Θεοῦ καὶ οὕτως ἐναντία ψηφίσασθαι. Περὶ δὴ τούτου, εἰ θαυμάζειν ἄξιον, ἀλλ' ὅμως οὐδὲν θαυμαστόν· πολλὰς γὰρ τοιαύτας διαφθορὰς εὑρήσει τις ἐν τῷ κόσμῳ γενομένας καὶ οὔσας· ἐπεὶ καὶ ῥᾴδιον κακίας μεταλαβεῖν ἢ ἀρετῆς μεταλοῦναι· καὶ, *Ἀνάγκη ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα·* καὶ, *Δεῖ αἱρέσεις εἶναι, ἵνα οἱ ἐν ἡμῖν δόκιμοι φανερωνται,* ὥς φησι Παῦλος. Ἔπειτα παρ' Ἐκκλησίας τὰ τοιαῦτα, ἡ πολλαῖς πολλάκις καὶ μεγάλαις καὶ φανεραῖς ἐνέπεσε ταῖς αἱρέσεσι, καὶ πολλοῖς πολλῶν κακῶν αἰτία γεγένηται, αὐτή τε ἐπὶ μακρὸν ναυαγήσασα, καὶ πολλοὺς ἄλλους συγκαταδύσασα. Εἰ δὲ τοῦτο ἔθος ἔδον ἀρχαῖον αὐτῇ, τί καὶ νῦν θαυμαστὸν ὁμοιόν τι συμβῆναι, ὅτε τῷ γένει σοφία καὶ μελέτη τῶν θείων ἀπέλιπε; Εἰ δὲ καί τινα αἰτίαν εἰπεῖν δεῖ, ἡ μὲν ὑπερηφανία καὶ δοξοσοφία τῆς φθορᾶς· ταύτης αἰτία γεγένηται, ὧν τὸ μὲν τοῖς ἀνθρώποις τὸν Θεὸν πολέμιον καθιστᾷ· *Κύριος γὰρ ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται·* καὶ, *Εἰς ἀσύνθετον καρδίαν* (14) *Θεὸς οὐκ εἰσελεύσεται·* τὸ δὲ φρονήματος καὶ φιλονεικίας ἐμπίπλησι τοὺς ἔχοντας, πειθομένους ἑαυτῶν κουφοπρεπῶς οἴεσθαι εἶναί τι, μὴ ὄντας· ἐξ οὗ συμβαίνει τῶν ἄλλων πάντων καταφρονεῖν, καὶ δοκεῖν μήτε ὁρᾶν καὶ ἀκούειν, *καθάπερ ἀσπίδος κωφῆς καὶ βυούσης τὰ ὦτα αὐτῆς, ἥτις οὐκ εἰσακούσεται τῶν ἐπᾴδοντων,* καὶ ἐπαοιδοῦ σοφοῦ ἐπᾳδοντος. Ἀλλ' ἐκεῖνα μὲν ἐπὶ τοῖς ἀσεβέσι καὶ ἀπολλυμένοις· ἡμεῖς δὲ τὰ τῆς ἀληθείας ἐπὶ τοῖς σωζομένοις καὶ ἀκούουσι τῆς φωνῆς τοῦ Κυρίου λέγοντος· *Ἐγὼ εἰμι ἡ ὁδὸς καὶ ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωή·* καὶ, *Ἐγὼ εἰμι τὸ φῶς τοῦ κόσμου·* καὶ, *Ἐγὼ εἰμι ἡ θύρα·* καὶ, *Ἐγὼ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός·* καὶ, *Ἐγὼ εἰμι ἡ ἀνάστασις καὶ ἡ ζωή·* καὶ, *Ἐγὼ εἰμι ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή·* καὶ, *Ἐγὼ εἰμι ὁ ἄρτος ὁ ζῶν ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς·* καὶ, *Ἐγὼ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς·* καὶ, *Ἐγὼ εἰμι ὁ ἄρτος ὁ ζῶν·* καὶ, *Ἐγὼ εἰμι ἡ ἀνάστασις καὶ ἡ ζωή·* καὶ, *Ἐγὼ εἰμι ἡ ὁδὸς καὶ ἡ ἀλήθεια

ment [24]. Hinc que adeo contingit, ut reliquos omnes contemnant, ac neque videre neque audire videantur.; *velut aspidis surdæ similes et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium* [25]; de quibus etiam dixit Psalmista : *Cecidit ignis super eos, et non viderunt solem* [26]; et : *Propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiæ* [27]; *Propter quæ tradidit illos in passiones ignominiæ* [28], juxta quod Scripturæ verbis proditum est.

A σεται φωνῆς ἐπᾳδόντων· περὶ ὧν καὶ ὁ Ψαλμῳδὸς εἶπεν, Ἔπεσε πῦρ ἐπ' αὐτοὺς, καὶ οὐκ εἶδον τὸν ἥλιον· καὶ, Δι' ἃ ἔρχεται ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας· καὶ, Δι' ἃ παρέδωκεν αὐτοὺς εἰς πάθη ἀτιμίας, κατὰ τὸ γεγραμμένον.

Hæc itaque, num hujus corruptionis causæ fuerint, indeque illa ortum habuerit, aliis dicendum relinquo; ad præsens autem quod attinet, ex subjecta quæstionis materia, corruptionis causa exstitisse videtur; primum quidem, quod cum illis constitutum esset, ut de essentia et operatione loquerentur, non ante distinxerunt quot modis operatio dicatur, cum illa tribus modis et dicatur et intelligatur, ut dictum est, nec statuerunt de qua illis B sermo erat; quod ipsum in causa fuit, ut non composite apteque de proposita quæstione loquerentur. Ex quo illis contigit, ut non recte decernerent; operationem, qua Deus agendi vi præditus ac efficax est, ab ejus realiter distinctam essentia temere pronuntiantes, ac ipsum suam esse operationem negantes. Qua utique ratione, ipsum hoc secundum se impossibile videtur, ut dicatur, Dei essentiam non esse ejus operationem. Est enim contradictio, ac si quis dicat, Dei essentiam non esse ejus essentiam. Dictum est enim, operationem, qua Deus agendi vi præditus ac efficax est, ejus essentiam esse.

Εἰ τοίνυν ταῦτα τῆς φθορᾶς ταύτης αἴτια, ἄλλοις λέγειν παρίημι· ὅσον δ' οὖν πρὸς τὸ παρὸν, ἐκ τῆς περὶ τὸ ζήτημα ὑποκειμένης ὕλης αἰτία τῆς διαφθορᾶς ταύτης γεγενῆσθαι δοκεῖ, πρῶτον μὲν, ὅτι περὶ οὐσίας καὶ ἐνεργείας προθέμενοι εἰπεῖν, οὐ προδιωρίσαντο ποσαχῶς ἡ ἐνέργεια, τριχῶς αὐτῆς λεγομένης καὶ νοουμένης, ὡς εἴρηται· οὐδὲ διωρίσαντο περὶ ποίας αὐτοῖς ὁ λόγος, ὃ καὶ αἰτία γέγονε τοῦ μὴ εὐτάκτως περὶ τοῦ προβλήματος διαλεχθῆναι. Ἐξ οὗ τούτοις συνέβη μηδὲ ὀρθῶς ἀποφήνασθαι τὴν ἐνέργειαν, καθ' ἣν ἐνεργητικός ἐστιν ὁ Θεὸς τῆς οὐσίας αὐτοῦ, κατὰ τὸ πρᾶγμα διακεκρίσθαι ἁπλῶς ἀποφαινόμενοι, μηδὲ εἶναι αὐτὸν τὴν ἐνέργειαν αὐτοῦ. Καθ' ὃν δὴ λόγον καὶ δοκεῖ καθ' αὐτὸ ἀδύνατον τὸ λέγειν τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ μὴ εἶναι τὴν ἐνέργειαν αὐτοῦ. Ἔστι γὰρ ἀντίφασις, καὶ ταυτὸν, ὡς εἴ τις λέγοι τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ μὴ εἶναι τὴν οὐσίαν αὐτοῦ. Εἴρηται γὰρ τὴν ἐνέργειαν, καθ' ἣν ἐνεργητικός ἐστιν ὁ Θεὸς, τὴν οὐσίαν εἶναι αὐτοῦ.

Secundo, quod cum operatio, uti dictum est, C multipliciter dicatur, quæ ubivis locorum sancti de operatione uno sensu locuti sunt, illi alio acceperunt, idemque pene illis accidit, ac si qui de cane loquentes, alter quidem de cane terrestri disputet, alter de marino aut sidereo sermonem instruat. Hoc enim alii aliis furere videantur, belloque implacabili pugnare, eo scilicet errore qui ex varia ejus vocis acceptione est.

β'. Ὅτι τῆς ἐνεργείας πολλαχῶς, ὡς εἴρηται, λεγομένης, τὰ ὁπουδήποτε τοῖς ἁγίοις εἰρημένα ἐφ' ἑτέρου σημαινομένου τῆς ἐνεργείας, οὗτοι ἐφ' ἑτέρου ἐδέξαντο· καὶ παραπλήσιον συνέβη, ὥσπερ ἂν εἴ τινες περὶ κυνὸς τὸν λόγον ποιούμενοι, ὁ μὲν περὶ τοῦ χερσαίου κυνὸς διελέγετο, ὁ δ' ἐπὶ τοῦ θαλαττίου ἢ ἀστρώου τὸν λόγον ἐξήκουε· τοῦτο δ' ἂν ἦν ἀλλήλους μαίνεσθαι δοκεῖν, καὶ πόλεμον ἀκήρυκτον ἔχειν διὰ τὴν ἐκ τῆς ὁμωνυμίας πλάνην.

Tertio, quod quam sancti secundum rationem distinctionem dixerunt, ipsi in Deo secundum rem intellexerunt : inque eum modum, distincta ratione, distinctas illi res tradiderunt.

γ'. Ὅτι τὴν παρὰ τῶν ἁγίων κατὰ λόγον λεγομένην διαφορὰν οὗτοι διαφορὰν ἐπὶ Θεοῦ κατὰ τὸ πρᾶγμα ἐνόησαν· καὶ οὕτω τὰ διάφορα τῷ λόγῳ διάφορα οὗτοι πράγματα παρέδοσαν.

Quarto, quod ea quæ sanctis dicta sunt de discretione divinarum personarum, velut de discretione essentiæ et operationis in Deo dicta acceperunt; D nempe nescientes duorum alterum necesse esse, ut vel operationem personam subsistentem ponant, vel etiam Filium et Spiritum sanctum non subsistentes, quod ita opinantur, dicant; et ut per se vere actu exsistere, ut ipsi loquuntur, non existimentur.

δ'. Ὅτι τὰ περὶ διακρίσεως εἰρημένα τοῖς ἁγίοις τῶν θεαρχικῶν ὑποστάσεων ὡς περὶ διακρίσεως οὐσίας καὶ ἐνεργείας εἰρημένον ἐπὶ Θεοῦ ἐδέξαντο· ἀγνοήσαντες ὡς δυοῖν θάτερον ἀναγκαῖον, ἢ καὶ τὴν ἐνέργειαν ὑφεστὼς εἶναι τίθεσθαι πρόσωπον, ἢ καὶ τὸν Υἱὸν καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀνυπόστατα· κατ' αὐτοὺς εἰπεῖν, καὶ οὐ καθ' ἑαυτὰ ὑφεστηκότα κατὰ τὴν ἐνέργειαν, ὡς αὐτοί φασιν, ἡγεῖσθαι.

Quinto, quod ea quæ dicta sunt per circumlocutionem, de distinctis rebus intellexerunt. Velut cum Damascenus ait : *Trinæ lucis Deitatem, singularem, ex una trine subsistente natura effulgentem nitorem, Genitorem principii expertem, ejusdemque naturæ Verbum Patris, et Spiritum sanctum coregnantem*, qua nempe hæc circumloquendo gra-

ε'. Ὅτι τὰ περιφραστικῶς εἰρημένα ἐπὶ πραγμάτων διαφερόντων ἐνόησαν. Οἷον ὡς ὅταν ὁ Δαμασκηνὸς λέγει, *Τρισσοφαῆ Θεότητα, ἀτιάλαν ἐκλάμπουσαν αἴγλην ἐκ μιᾶς τρισυποστάτου φύσεως, Γεννήτορα ἄναρχον, ὁμοφυᾶ τε Λόγον Πατρὸς, καὶ συμβασιλεῦον ὁμοούσιον Πνεῦμα*, περιφραστικῶς ταῦτα χαριέντως καταποικίλλων. Οὐ γὰρ

[24] Galat. vi, 3. [25] Psal. lvii, 3. [26] ibid. 9. [27] Ephes., v, 6 [28] Rom. i, 26.

Digitized by Google

ἄλλο χρὴ νοεῖν, ἄλλο μὲν πρᾶγμα τὴν τρισσοφαῆ Θεότητα, ἄλλο δὲ τὴν ἑνιαίαν ἐκλάμπουσαν αἴγλην· ἄλλο δὲ τὴν μίαν τρισυπόστατον φύσιν· ἄλλο δὲ τὸν Γεννήτορα καὶ τὸν Λόγον καὶ τὸ Πνεῦμα. Οὐδ' ὅταν ὁ μέγας Ἱερόθεος ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς Ὕμνοις λέγει, *Ὅτι μία τίς ἐστιν ἁπλῆ δύναμις ὁ Θεὸς, δηλονότι ἐξ ἑαυτῆς καὶ δι' ἑαυτῆς καὶ ἐφ' ἑαυτῆς ἑαυτὴν ἀνακυκλοῦσα, καὶ εἰς ἑαυτὴν ἀεὶ ταυτῶς ἀνελιττομένη*, κατὰ τὰς διαφόρους ταύτας προθέσεις, εἰς διάφορα τὸν Θεὸν ἀναγκασθησόμεθα διαιρεῖν· οὐδ' ὅταν λέγεται τῷ θείῳ Διονυσίῳ, ὡς ἄρα ὁ *Θεὸς ἐξ ἑαυτοῦ πρόεισιν.*

ς'. Ὅτι τὰ ἐπὶ οὐσίας καὶ ἐνεργείας εἰρημένα τοῖς ἁγίοις ἐπὶ τῶν κτισμάτων, ὥσπερ ἂν εἰ ἐπὶ Θεοῦ εἴρητο, καὶ οὕτω καὶ ἐπ' αὐτοῦ ἠξίωσαν ἔχειν. Οἷον ὡς ὅταν ὁ ἅγιος λέγει Διονύσιος, *Οὐδὲν τῶν ὄντων ἐστὶ φυσικῆς ἐνεργείας χωρίς*· καὶ αὖθις, *Τὸ μηδεμίαν ἐνέργειαν ἔχον οὔτε ἔστιν, οὔτε τί ἐστιν, οὐδὲ ἔστιν ὅλως αὐτοῦ θέσις.* Ταῦτα γὰρ ἐπὶ τῶν ὄντων εἴρηται· *Οὐδὲν* γὰρ, φησὶ, *τῶν ὄντων.* Ὁ δὲ Θεὸς οὐδὲν τῶν ὄντων ἐστὶν, οὐδ' ὁμόστοιχος οὐδὲ συναριθμούμενος αὐτοῖς ἐστιν, ἀλλὰ ὑπὲρ τὰ ὄντα ἀσυγκρίτως ὑπερανῳκημένος. Καὶ ὁ Δαμασκόθεν Ἰωάννης οὕτως λέγει, *Ἄλλο ἐνέργεια, καὶ ἄλλο ἐνεργητικὸν, καὶ ἄλλο ἐνέργημα, καὶ ἄλλο ἐνεργοῦν. Ἐνέργεια μὲν ἡ δραστικὴ καὶ οὐσιώδης τῆς φύσεως κίνησις· ἐνεργητικὸν δὲ ἡ φύσις, ἐξ ἧς ἡ ἐνέργεια πρόεισιν· ἐνέργημα δὲ τὸ τῆς ἐνεργείας ἀποτέλεσμα· ἐνεργῶν δὲ ὁ κεχρημένος τῇ ἐνεργείᾳ, εἴτουν ἡ ὑπόστασις, αὐτὸ τὸ ὑφεστὼς πρόσωπον.* Καὶ τοῦτο γὰρ πρὸς τὰ ὄντα ὁ αὐτὸς ἀποβλέπων διωρίσατο. Ὅτι γὰρ οὐ περὶ τῆς ἐνεργείας καθ' ἣν ἐστιν ἐνεργητικὸς ὁ Θεὸς; ταῦτα διαλέγεται· περὶ δὲ τῶν τοῖς κτίσμασιν ἀριθμουμένων ποιεῖται τὸν λόγον, πρῶτον μὲν δῆλον ἀπὸ τοῦ μὴ προστεθεῖναι τὸν ἅγιον ταῦτα λέγοντα ὅτι ἐπὶ Θεοῦ ἄλλο ἐνέργεια, καὶ ἄλλο ἐνεργητικὸν, καὶ τὰ ἑξῆς, ἢ ὅτι ἐπὶ Θεοῦ τοῦτο λέγω, ἀλλ' ἁπλῶς οὕτως, ἔπειτα καὶ ἀπὸ τοῦ κεχρῆσθαι τῇ ἑαυτοῦ ἐνεργείᾳ τὸν ἐνεργοῦντα εἰπεῖν· ὁ γὰρ Θεὸς οὐ χρῆταί τινι εἰς τὸ δημιουργεῖν ἐξ οὐκ ὄντος, ἢ ποιεῖν ἁπλῶς, ὥσπερ ἂν εἰ μὴ αὐτὸς ἑαυτῷ ἤρκει. Τὸ γὰρ τὸν Θεὸν καὶ Πατέρα διὰ τοῦ ἰδίου Υἱοῦ δημιουργεῖν οὐδὲν τῷ λόγῳ λυμαίνεται· *Οὐ γὰρ ὡς δι' ὀργάνου ἢ δούλου, ἀλλ' ὡς φυσικῆς καὶ ἐνυποστάτου δυνάμεως*, ὁ αὐτὸς ἁγιός φησι· καὶ ἴσον ἐστὶ λέγειν αὐτὸν δι' ἑαυτοῦ δημιουργεῖν τε καὶ ποιεῖν. *Ὁ γὰρ Πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι*, φησί, *Μία* γὰρ οὐσία ὁ Πατὴρ καὶ ὁ Υἱὸς, καὶ μία δύναμις, καὶ ἓν πρᾶγμα· ὅπερ ἐπὶ τῆς ἐνεργείας καὶ τῆς οὐσίας οὐ φασιν αὐτοί. Φανερώτερον δὲ καὶ ἀπὸ τοῦ κίνησιν ταύτην τὴν ἐνέργειαν εἰπεῖν. Ἐν γὰρ τῷ Θεῷ κίνησιν οὐ φαμέν. Ἡ γὰρ κίνησις καθ' ἑαυτὴν ἀτελής· τοῦ γὰρ τέλους ἕνεκα γίνεται· ὁ δὲ Θεὸς, τέλος ὢν τὸ πάντων τελικώτατον, ἔστι μὲν τοῖς ἄλλοις αἴτιος κινήσεως, αὐτὸς δὲ ἀκίνητος. Διὸ καὶ ἐν

A te variat. Non enim aliud intelligendum; ita nimirum ut rem aliam velit, trinæ lucis Deitatem; aliam vero, singularem effulgentem nitorem; aliam autem, unam trine subsistentem naturam; ac postremo aliam, Genitorem, Verbumque et Spiritum. Nec cum magnus Hierotheus in amatoriis Canticis dicit: *Quod Deus una quædam simplex virtus est, ex seipsa et per seipsam et in seipsa seipsam revolvens, atque in seipsam semper eodem modo revertens*, juxta diversas has propositiones necesse habebimus Deum in diversa atque distincta dividere; ac neque cum ait beatus Dionysius, *Deum ex seipso procedere.*

B 6. Sexto, quod ea quæ dicta sunt sanctis de essentia et operatione, in rebus creatis, ac si dicta in Deo essent, sic et in eo se habere voluerunt. Ut cum sanctus Dionysius dicit, *Nihil in rebus esse absque naturali operatione*; ac rursus: *Quod nullam habet operationem, neque est, neque aliquid est, neque ulla prorsus ejus positio, seu affirmatio est.* Hæc enim de rebus (id est, iis quæ sunt) dicta sunt. *Nihil* enim, inquit, *in rebus.* Deus autem nulla rerum est, nec ejusdem ac illæ ordinis, aut qui rebus connumeretur, sed supra res, ac ea quæ sunt, incomparabiliter eminens. Cum item Joannes Damascenus sic ait: *Aliud est operatio, aliudque operativum* (ut sic dicam), *atque aliud opus, et aliud operans. Est enim operatio, efficax ac substantialis naturæ motus; operativum autem, natura, ex qua operatio procedit; opus vero, operationis effectus; operans denique, qui utitur operatione; id est, hypostasis, ipsa scilicet subsistens persona.* Nam et ipse ad ea quæ sunt, seu ad res attendens, hoc ita distinxit. Quod enim non hæc loquatur de operatione, qua Deus vi agendi præditus est, sed de illis sermonem habeat, quæ creatis adnumerantur, primum liquet ex eo quod sanctus hæc loquens, non addiderit: In Deo aliud est operatio, aliud quod vi agendi præditum est, et quæ sequuntur, vel in Deo se hoc dicere; sed sic simpliciter. Deinde ex eo quod dixit operantem uti sua operatione. Deus enim non utitur aliquo, in eo quod condit ex nihilo vel quod omnino facit vel creat, ac si ipse non sibi D sufficeret. Nam quod Deus et Pater per Filium suum operetur, nihil doctrinæ officit. *Non enim tanquam per instrumentum aut servum, sed tanquam per naturalem virtutem*, ait idem sanctus, idemque est ac si dicas, eum per seipsum condere, seu facere et creare. Ait enim: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* [39]. Una enim substantia est Pater et Filius, unaque virtus et una res; quod illi de operatione et essentia non dicunt. Magis autem etiam ex eo liquet, quod hanc operationem motum vocant. Nam in Deo non dicimus motum. Etenim motus secundum se imperfectus est; fit enim alicujus finis gratia. Deus autem, cum sit omnium finis finalissimus (ut sic loquar), aliis quidem auctor est ut mo-

[39] Joan. v, 17.

Digitized by Google

veantur; ipse vero, immobilis est. Unde etiam cap. 9 libri *De divinis nominibus*, ait D. Dionysius: *Quid vero etiam cum rursus aiunt theologi procedere atque moveri eum, qui immobilis est?* Si enim est in illo operationis motus, erit communis forma patibilis virtutis rerum, et factricis ejus virtutis. Motus enim actus est et perfectio ac forma utriusque virtutis seu potentiæ, quatenus potentia est; velut ædificatio ejus quod ædificari habet, et quod vim habet ædificandi. Nulla autem Dei ac rerum est communis forma.

Septimo, quod de ipsa quidem operatione, qua Deus agendi vi præditus est, quandoque sanctis dicta; ad hæcque de vita et sapientia et potentia seu virtute et bonitate, nempe, potentia seu virtus et vita et sapientia et bonitas; quin imo, ipsa per se sapientia, ipsa vita, ipsaque potentia seu virtus; quæ videlicet pro humanæ locutionis modo, humanius (ut ita dicam) crassiusque tradita sunt, cum non contingat aliter eam, quam pro eo ac illi comparatum est, conceptus atque nomina proferre, sic ut dicta sunt, etiam in Deo se proprie habere crediderunt. Ut, verbi gratia, quia dicitur Deum habere vitam, aut virtutem aut sapientiam aut operationem; et: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso* [30], et quæ sunt ejusmodi; ex his illi, aliud quidem quod habet, aliud id quod habetur, esse statuerunt, sanctorum de his expositionibus animum minime attendentes, aut vero attendere nolentes; id quidem quod habet, Patrem verbi gratia, aut Deum, vel essentiam esse decernentes; quod vero habetur, vitam aut sapientiam, aut potentiam seu virtutem, aut operationem, qua Deus (quidquid tandem actu est) in æterna immutabilique identitate consimiliter subsistit. Ita nimirum illis fere evenit, ac si, quia etiam Scriptura dicit: *Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me* [31]; vel, *Audivi vocem tuam deambulantis in paradiso ad vesperam, et abscondi me* [32]; sive: *Odoratus est Dominus odorem suavitatis* [33]; aut, *Pergam ad vos in furore obliquo, dicit Dominus* [34]: ex his utique et similibus, Deum statuerint rem quamdam esse humana præditam forma, et sentientem ac irascentem ac quæcunque alia divina Scriptura loquitur ob auditorum imbecillitatem, ex his ad alia nobis altiora iter pandens. Tametsi Deus, nedum vitam habere dicatur aut operationem, verum etiam essentiam, seu substantiam, ut auctor est Justinus in libro *Adversus Græcos*; totumque comprehensum in seipso esse habere, ut sentit Gregorius Theologus. Quandoquidem igitur aliud esse dicunt id quod habetur, remque aliam id quod habet, consequens fit in illorum sententia, aliud esse Deum, atque aliud ejus essentiam ac substantiam, ac rursus ipsum aliud esse, aliudque esse illius.

Præterea juxta eorum theologiæ regulas, Deus expers essentiæ erit; nec essentia Dei seu substantia Deus futura est. Juxta enim divisionem, quam induxerunt, habentis, et ejus quod habetur nun-

A θ' τοῦ *Περὶ θείων ὀνομάτων* φησὶν ὁ θεῖος Διονύσιος: *Τί δὲ καὶ ὅταν αὖθις οἱ θεολόγοι προϊόντα καὶ κινούμενον φασὶ τὸν ἀκίνητον;* Εἰ γὰρ ἔστιν ἐπ' ἐκείνου ἡ ἐνεργείας κίνησις, ἔσται κοινὸν εἶδος τῆς παθητικῆς δυνάμεως τῶν ὄντων, καὶ τῆς ποιητικῆς δυνάμεως αὐτοῦ. Ἡ γὰρ κίνησίς ἐστιν ἡ ἐντελέχεια καὶ τὸ εἶδος ἑκατέρας δυνάμεως, καθ' ὃ δύναμις· ὥσπερ ἡ οἰκοδόμησις τοῦ τε οἰκοδομητοῦ καὶ οἰκοδομητικοῦ. Οὐδὲν δὲ εἶδος τοῦ Θεοῦ καὶ τῶν ὄντων.

ζ'. Ὅτι τὰ περὶ αὐτῆς μὲν τῆς ἐνεργείας, καθ ἣν ὁ Θεὸς ἐνεργητικός ἐστιν, ἐνιαχοῦ τοῖς ἁγίοις εἰρημένα· ἔτι δὲ περὶ τῆς ζωῆς καὶ σοφίας καὶ δυνάμεως καὶ ἀγαθότητος, ἡ δύναμις καὶ ζωὴ καὶ σοφία καὶ ἀγαθότης, μᾶλλον δὲ αὐτοσοφία καὶ αὐτοζωὴ καὶ αὐτοδύναμις· κατὰ δὴ τὸν τρόπον τῆς ἀνθρωπίνης διαλέξεως, ἀνθρωπινώτερον παραδεδομένα, οὐκ ἄλλως ἐγχωρούσης, ἢ ὡς πέφυκε, προφέρειν τὰ νοήματα καὶ τὰ ὀνόματα, οὕτως ὡς εἴρηται, καὶ ἐπὶ τοῦ Θεοῦ κυρίως ἔχειν ἐπίστευσαν. Οἷον, ἐπειδὰν λέγεται τὸν Θεὸν ἔχειν ζωὴν, ἢ δύναμιν ἢ σοφίαν ἢ ἐνέργειαν· καὶ, *Ὥσπερ ὁ Πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, οὕτως ἔδωκε καὶ τῷ Υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ*, καὶ ὅσα τοιαῦτα· ἐξ ὧν ἄλλο μὲν τὸ ἔχον, ἄλλο δὲ τὸ ἐχόμενον ἔθεντο εἶναι, μὴ ταῖς περὶ τούτων ἐξηγήσεσι τῶν ἁγίων προσσχόντες, ἢ προσσχεῖν μὴ βουληθέντες, τὸ μὲν ἔχον τὸν Πατέρα φέρε εἰπεῖν, ἢ τὸν Θεὸν, ἢ τὴν οὐσίαν εἶναι ὁρισάμενοι· τὸ δὲ ἐχόμενον τὴν ζωὴν ἢ τὴν σοφίαν, ἢ τὴν δύναμιν ἢ τὴν ἐνέργειαν, καθ' ἣν ὑφέστηκεν, ὅ τί ποτ' ἔστιν ἐνεργείᾳ, ὁ Θεὸς, ἐν αἰωνίᾳ καὶ ἀμεταβλήτῳ ταυτότητι παραπλήσιον πεπονθότες, ὥσπερ ἂν εἰ καὶ τῆς Γραφῆς λεγούσης, *Αἱ χεῖρές σου ἐποίησάν με καὶ ἔπλασάν με*· ἢ, *Τῆς φωνῆς σου ἤκουσα περιπατοῦντος ἐν τῷ παραδείσῳ τὸ δειλινὸν, καὶ ἐκρύβην*· ἢ, *Ὅτι ὠσφράνθη Κύριος ὀσμὴν εὐωδίας*· καὶ, *Ὅτι πορεύσομαι πρὸς ὑμᾶς ἐν θυμῷ πλαγίῳ, λέγει Κύριος*· ἐκ δὴ τούτων καὶ τῶν τοιούτων ἀνθρωπόμορφόν τι εἶναι τὸν Θεὸν ἐτίθεντο, καὶ αἰσθανόμενον καὶ θυμούμενον, καὶ ὅσα ἄλλα διὰ τὴν τῶν ἀκουόντων ἀσθένειαν ἡ θεία Γραφὴ διαλέγεται, διὰ τούτων ἐφ' ἕτερα ἡμᾶς ἀνάγουσα. Καίτοι οὐ μόνον ὁ Θεὸς λέγεται ὅτι ἔχει ζωὴν ἢ ἐνέργειαν, ἀλλ' ὅτι ἔχει καὶ οὐσίαν, κατὰ τὸν ἅγιον Ἰουστῖνον ἐν τῷ κατὰ Ἑλλήνων αὐτοῦ λόγῳ· καὶ ὅτι ὅλον ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ εἶναι, κατὰ τὸν Θεολόγον Γρηγόριον. Ἐπεὶ οὖν φασιν ἄλλο μὲν εἶναι τὸ ἐχόμενον, ἄλλο δὲ τὸ ἔχον πρᾶγμα, ἔψεται κατ' αὐτοὺς ἄλλο μὲν εἶναι τὸν Θεὸν, ἕτερον δὲ τὴν οὐσίαν αὐτοῦ, καὶ αὖ ἄλλο μὲν αὐτὸν, ἕτερον δὲ τὸ εἶναι αὐτοῦ.

Ἔτι κατὰ τοὺς ὅρους τῆς θεολογίας αὐτῶν, ὁ Θεὸς ἀνούσιος ἔσται· καὶ ἡ οὐσία τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔσται Θεός· κατὰ γὰρ τὴν τοῦ ἔχοντος καὶ ἐχομένου, ἣν εἰσήγαγον, διαίρεσιν, οὐκ ἂν εἴη τὸ ἕτερον οἷον τὸ ἕτερον

[30] Joan. v 26. [31] Psal. cxviii, 73. [32] Gen. iii, 10. [33] Gen. viii, 21. [34] Levit. xxvi, 24, 28.

Digitized by Google

κατὰ τὸ εἶναι, ἐπεὶ καὶ τὴν ἐνέργειαν οὐ βούλονται A quam fiat ut alterum ejusmodi exsistat quale alterum, quod attinet ad esse ; etenim nolunt operationem esse essentiam, neque vero essentiam id esse admittunt quod operatio est.

Ἔτι, ἐπεὶ τὴν ἐνέργειαν καθ' ἣν ἐστιν ὁ Θεὸς ἐνεργητικὸς, ἢ τὴν ζωὴν καθ' ἣν ζῶν, ὡς ἐχόμενον ἀνυπόστατον ἔθεσαν, ἕψεται αὐτοῖς καὶ τὴν οὐσίαν ἀνυπόστατον τιθέναι, ἐπειδὰν αὐτὴ ὡς ἐχόμενον προφέρεται, κατὰ τὸ λεγόμενον, *Ὡς ἄρα ὁ Θεὸς οὐσίαν ἔχει.*

Ad hæc, quandoquidem operationem qua Deus operativus (ut sic dicam) est, sive etiam vitam, qua vivit, ut quæ habeatur, non vere esse aut subsistere posuerunt, sequetur illis ut nec essentiam vere esse aut subsistere ponant, siquidem ipsa quoque sic profertur, ut quæ habeatur, juxta quod dicitur : *Utique Deus essentiam habet.*

Εἰ δὲ τὸ ἀνυπόστατον ἀνούσιον, ἕπεται αὐτοῖς καὶ τοῦτο βλασφημεῖν, τὸ τὴν οὐσίαν εἶναι τοῦ Θεοῦ ἀνούσιον· τὸ δὲ ἀνούσιον μὴ ὄν· καὶ οὕτω τὰ ὄντα ἐκ μὴ ὄντος· καὶ ἅμα συμβαίνει αὐτοῖς πιστεύειν εἰς τὸ μὴ ὄν. Καὶ δὴ καὶ, κατὰ τὸν ἅγιον Μάξιμον, B τὸ ἀνούσιον οὐ Θεός.

Sin autem quod non vere ac per se est, expers essentiæ est, consequens erit ut id quoque blasphement, nempe ut Dei essentiam dicant essentiæ expertem esse. Quod vero expers essentiæ est, nihil est ; sicque ea quæ sunt, ex non ente atque nihilo erunt. Simulque eis accidit ut credant in non eus. Ac sane, quod expers essentiæ est, auctore sancto Maximo, Deus non est.

Ἔτι, ἐπεὶ τὸ Θεός ὄνομα τῆς οὕτω τιθεμένης παρ' αὐτοῖς ἐνεργείας ὄνομα εἶναί φασι, καὶ ἔστι κατ' αὐτοὺς ἐνέργεια, λέγεται δὲ ὅτι Θεὸς ἔχει οὐσίαν· διὰ τοῦτο τὸ μὲν ἔστιν ἔχον ἡ ἐνέργεια, ἡ δὲ οὐσία τὸ ἐχόμενον· καὶ ψεῦδος λοιπὸν ὃ φασιν, ὡς ἄρα ἡ οὐσία ἔχει ἐνέργειαν, καὶ ἡ ἐνέργεια ἔχεται. Τοὐναντίον δὲ μάλιστα ἀληθὲς, τὸ τὴν μὲν ἐνέργειαν ἔχειν, τὴν δὲ οὐσίαν ἔχεσθαι· καὶ ἐπεὶ τὸ ἐχόμενον ἐκ τοῦ ἔχοντός ἐστι, καὶ πρόεισιν ὡς αἰτιατὸν, καὶ τοῦτο γὰρ ἐν τῇ ἑαυτῶν πίστει φασὶ, συνομολογήσουσιν ἐκ τῆς ἐνεργείας εἶναι τὴν οὐσίαν· καὶ πῶς φασι τὴν μὲν οὐσίαν αἰτίαν, τὴν δὲ ἐνέργειαν αἰτιατὴν, ἐκ τῆς οὐσίας; Τοῦτο γὰρ καὶ ταῖς αὐτῶν θέσεσιν ἐναντίον.

Item, quandoquidem nomen Deus ejus quam sic ponunt operationis nomen est, atque ut illi tradunt, operatio est, diciturque Deum habere essentiam ; idcirco id quod habet, operatio est ; essentia vero est id quod habetur, falsumque jam est quod dicunt, quod nimirum essentia operationem habeat, et quod operatio habeatur. Secus vero maxime verum est, habere quidem operationem, essentiam vero haberi. Cumque adeo id quod habetur, ab eo sit quod habet, procedatque tanquam id quod a causa est (nam hoc quoque in sua fide dicunt) simul fatebuntur C essentiam ex operatione esse. Et quomodo aiunt essentiam quidem causam esse ; operationem vero, quod est ex causa, nempe essentia ? Hoc enim etiam illorum positionibus contrarium est.

Περὶ δὲ τῶν τοιούτων ἁπάντων ῥητῶν, ὅσα ἀνθρωπινώτερον εἴρηται, ὅτι διὰ τὸ τῆς διαλέξεως ἔθος καὶ τὴν ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν οὕτω τὰ τοιαῦτα εἴρηται, ἀρκέσει ἡμῖν ὁ μακάριος Χρυσόστομος, ἐξηγούμενος τὸ, *Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν*, ἐν ὁμιλίᾳ ἕκτῃ τοῦ κατὰ Ἰωάννην. Ἐπεὶ γὰρ ἐκ τοῦ εἰπεῖν, *Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν*, εἵπετο σύνθεσιν ὑπονοεῖν περὶ τὸν Θεὸν, ὡς ἐξ οὐσίας καὶ ζωῆς συγκείμενον, δίδωσι τὴν αἰτίαν, τί δήποτε τὴν ἀνυπόστατον ζωὴν ἔχειν ζωὴν εἶπε· φησὶ γοῦν· *Ταῦτα δὲ πάντα εἶπεν οὐχ ἵνα σύνθεσιν ὑπολάβωμεν, ἀλλ' ἵνα κατὰ μικρὸν* D *ἀναχθῶμεν πρὸς τὸ τῶν δογμάτων ὕψος. Ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἂν ἐνόησέ τις εὐκόλως τῶν πολλῶν, πῶς ἐστιν ἀνυπόστατος αὐτοῦ ἡ ζωὴ, πρότερον μὲν ἐκεῖνο εἶπε τὸ ταπεινότερον· ἔπειτα παιδευθέντα, πρὸς τὸ ὑψηλότερον ἄγει. Ὁ γὰρ εἰπὼν,* « *Ὅτι ἔδωκεν αὐτῷ ζωὴν ἔχειν,* » *οὗτος πάλιν φησὶ,* « *Ἐγώ εἰμι ἡ ζωή·* » *καὶ πάλιν,* « *Ἐγώ εἰμι τὸ φῶς.* » *Ὥστε τὸ φῶς καὶ τὴν ζωὴν καὶ τὸ κάλλος καὶ τὴν ἀγαθότητα οὐ τί ἔν τινι ὑπολητέον, εἰ καὶ οὕτω λέγεται διὰ τοὺς μὴ δυναμένους εὐκόλως νοεῖν, πῶς τούτων ἕκαστον ἀνυπόστατόν ἐστι.* Τὸ δὲ παρὸν ῥητὸν ἱκανόν ἐστι πρὸς

Ad omnes vero auctoritates, in quibus sermo ex humana ratione humilior est, quod ex consueto loquendi more, obque humanam imbecillitatem, talia per eum modum dicta sint autdicantur, satis nobis erit unus beatus Chrysostomus, exponens illa verba : *In ipso vita erat*, homilia sexta expositionis suæ in Joannem. Quod enim ex eo quod dixerat : *In ipso vita erat*, sequebatur compositionem in Deo opinari, tanquam ex essentia et vita ille conflaretur ; causam assignat, cur ipsam vere ac per se exsistentem vitam, dixerit vitam habere. Ait itaque : *Hæc vero omnia dixit, non ut compositionem opinemur, sed ut paulatim ad celsa dogmatum provehamur. Quia enim non facile quis e vulgo intellexerit, quomodo ejus vita ipsa vere ac per se exsistat, prius quidem illud dixit, quod humilius est ; deinde eum qui eruditus sit, ad id ducit quod sublimius est. Nam qui dixerat,* « *Dedit ei vitam habere*[35], » *hic rursus dixit :* « *Ego sum vita*[36] ; » *ac rursum :* « *Ego sum lux*[37]. » *Quocirca illud lux et vita et pulchritudo et bonitas, non sic intelligenda sunt, quasi aliquid in aliquo, tametsi ita dicantur, pro eorum captu et imbecillitate, qui non facile intelligere pos-*

[35] Joan. v, 26. [36] Joan. xi, 25. [37] Joan. viii, 12.

Digitized by Google

sunt, quomodo horum quodlibet, ipsum vere et per se existentia gaudeat. Hic porro locus unus sufficiens est ad solvenda omnia, quæ dicunt, Deum habere operationem, et esse aliquid in eo; esseque operationem ex essentia, ac si qua alia sunt ejus generis. Liquet autem etiam eos qui necdum intelligere possunt, vitam ac lucem ipsam vere ac per se existentem, eorum classis esse atque generis, quibuscum in Scriptura indulgentius, pro eorum captu, agitur, quorum etiam causa, tali sermonis demissione illa utitur: alioque modo theologiam illis loqui qui rudimentarii sunt ac inducuntur, alioque iis qui sunt perfecti; nec semper discendum esse, ac nunquam intelligendum[38]; puerorumque immanentes disciplinis, perfecta defici par est doctrina, qui ex Paulo audiamus, *Littera occidit, spiritus autem vivificat*[39]; et: *Omnes qui in lege gloriamini, a gratia excidistis*[40]; tametsi tot in divina Scriptura continentur voces, quibus ab humilioribus ad sublimiora mente erigamur. Quare, quod fieri nequeat ut hæc omnia per se exsistant ut res propriæ, unum quid per se exsistens necesse est ut ea omnia existimemus, quæcunque scilicet in nobis et subjecta sunt ac prædicata, infinitiesque plura secundum unum ac idem exsistens.

λύσιν πάντων, α φασιν ἔχειν τὸν Θεὸν ἐνέργειαν, καὶ εἶναι ἐν αὐτῷ τι· καὶ εἶναι ἐκ τῆς οὐσίας τὴν ἐνέργειαν, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα· φανερὸν δὲ καὶ ὅτι οἱ μηδὲ νῦν πω δυνάμενοι νοεῖν τὴν ζωὴν, καὶ τὸ φῶς καθ' ἑαυτὸ ὑφεστὼς, καὶ τὰ ἄλλα, τῆς ἑταιρίας εἰσὶ τῶν οἰκονομουμένων ἐν τῇ θείᾳ Γραφῇ, δι' οὓς ἡ συγκατάβασις γέγονε τῆς τοιαύτης ἀπαγγελίας· καὶ ὅτι ἑτέρως ἡ θεολογία τοῖς εἰσαγωγικοῖς διαλέγεται, καὶ ἑτέρως τοῖς τελείοις· καὶ οὐ δεῖ πάντοτε μανθάνοντας οὐδέποτε συνιέναι, καὶ παραμένοντας τοῖς τῶν παιδαρίων μαθήμασιν, ἀπολιμπάνεσθαι τῆς τελείας διδασκαλίας, ἀκούοντας τοῦ Παύλου, λέγοντος, *Ὅτι τὸ γράμμα ἀποκτείνει, τὸ δὲ πνεῦμα ζωογονεῖ*· καὶ, *Ὅσοι ἐν νόμῳ καυχᾶσθε* (15). *τῆς χάριτος ἐξεπέσατε*· καίτοι τοσούτων φωνῶν ἐμπεριειλημμένων τῇ θείᾳ Γραφῇ, ἀπὸ τῶν ταπεινοτέρων ἐπὶ τὰ ὑψηλότερα ἡμᾶς ἀναγουσῶν· διὸ καὶ ἐπεὶ οὐ δύναται ταῦτα πάντα ἐνυπόστατα εἶναι, ὡς ἴδια πράγματα, ἓν τι πάντα ταῦτα ἐνυπόστατον πρᾶγμα ὑπολητπέον· ὅσα τὰ ἐν ἡμῖν ὑποκείμενα καὶ κατηγορούμενα, καὶ ἀπειράκις πλείω ὄν κατὰ τὸ αὐτό.

Octava hujus corruptionis causa, quod ea, quæ quibusdam locis a sanctis dicta sunt de Dei essentia tanquam de operatione, qua ille vi agendi præditus ac efficax est (id enim sanctis promiscuum habetur, uti probatum est), ipsi pro libito de operatione, quæ a Dei essentia dividitur, modo superius relato, acceperunt. Ait enim magnus Dionysius, quod et postea illi secundus Joannes Damascenus iisdem verbis exposuit, nempe: *Divinam illustrationem atque virtutem, una cum sit et simplex et indivisa et boniformis, in dividuis variantem cunctisque tribuentem quibus propria natura præstatur incolumis, simplicem manere: quæ multiplicetur quidem in dividuis indivise, dividuaque in suam ipsa simplicitatem colligat atque convertat. Cuncta enim illius desiderio tenentur, et in ipsa existentiam habent, cunctisque esse, pro eo ac illis natura comparatum est, impartit; estque ea, eorum quæ sunt, esse, eorum quæ vivunt, vita, eorum quæ ratione utentium more sunt, ratio, eorumque quæ intelligentium more, intelligentia, cum ipsa supra mentem, supraque rationem, et supra vitam, ac supra essentiam exsistat.*

Ὄγδοον τῆς διαφθορᾶς ταύτης τὸ αἴτιον, ὅτι τὰ ἐνιαχοῦ τοῖς ἁγίοις εἰρημένα ἐπὶ τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ, ὡς ἐπὶ ἐνεργείας καθ' ἣν ἐνεργητικός ἐστιν· τοῦτο γὰρ παρὰ τοῖς ἁγίοις ἀδιάφορον, ὡς δέδεικται, ὡς ἐπὶ ἐνεργείας αὐτοὶ ἐδέξαντο, διαιρουμένης ἀπὸ τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ, τὸν προηριθμημένον τρόπον, ὥσπερ ἐβουλήθησαν· φησὶ γὰρ ὁ μέγας Διονύσιος, ὃ καὶ ὁ Δαμασκόθεν Ἰωάννης ὕστερον ἐκδεξάμενος, αὐτοῖς ὀνόμασιν ἐξέθηκεν, *Ὅτι ἡ θεία ἔλλαμψις καὶ ἐνέργεια, μία οὖσα καὶ ἁπλῆ καὶ ἀμερὴς καὶ ἀγαθοειδὴς, ἐν τοῖς μεριστοῖς ποικιλλομένη, καὶ πᾶσι τὰ τῆς οἰκείας φύσεως σωστικὰ νέμουσα μένει ἁπλῆ· πληθυνομένη μὲν ἐν τοῖς μεριστοῖς ἀμερίστως, καὶ τὰ μεριστὰ πρὸς τὴν ἑαυτῆς ἁπλότητα συνάγουσα καὶ ἐπιστρέφουσα. Πάντα γὰρ αὐτῆς ἐφίεται, καὶ ἐν αὐτῇ ἔχει τὴν ὕπαρξιν, καὶ αὐτὴ τοῖς πᾶσι τὸ εἶναι, καθὼς ἔχει φύσεως, μεταδίδωσι· καὶ αὐτή ἐστι τῶν ὄντων τὸ εἶναι, καὶ τῶν ζώντων ἡ ζωὴ, καὶ τῶν λογικῶς ὄντων ὁ λόγος, καὶ τῶν νοερῶς ὄντων ἡ νόησις, αὐτὴ ὑπὲρ νοῦν οὖσα, καὶ ὑπὲρ λόγον, καὶ ὑπὲρ ζωὴν, καὶ ὑπὲρ οὐσίαν.*

His itaque ut validissimis utuntur, ad probandum, divinam essentiam, nullius eorum quæ extra sunt esse effectricem, sed operationem seu virtutem, quam tantopere ab essentia distingui dixerunt, illaque infinities infinite inferiorem esse; hanc nempe creatis propinquare, eaque incolumia præstare, atque ad creaturam inferius ventitare, ejusque illam participem esse, et sanctificare, et illuminare, et insidere, et eos qui digni sint deificare, propric-

Τούτοις οὖν ὡς ἰσχυροτάτοις χρῶνται πρὸς ἀπόδειξιν τοῦ ὅτι ἡ θεία οὐσία οὐδενὸς ἀπεργαστικὴ τῶν ἐντός ἐστιν, ἀλλ' ἡ ἐνέργεια, ἣν ἐπὶ τοσοῦτον τῆς οὐσίας διαφέρειν ἔφασαν, καὶ αὐτῆς ὑφεῖσθαι ἀπειράκις ἀπείρως, προσπελάζει τοῖς κτίσμασι, καὶ σώζει ταῦτα, καὶ φοιτᾷ κάτω πρὸς τὴν κτίσιν, καὶ μετέχεται ὑπ' αὐτῆς καὶ ἁγιάζει καὶ φωτίζει καὶ ἐνιδρύει καὶ θεοῖ τοὺς ἀξίους, καὶ κυρίως ἐστὶ θεότης καὶ ζωὴ καὶ σοφία καὶ δύναμις· καὶ κληρονομία

[38] II Tim. III, 7. [39] II Cor. III, 6. [40] Galat. V, 4.

(15) *Ἐν νόμῳ καυχᾶσθε.* Lapsus memoriæ Calec. Locus Pauli ἐν νόμῳ δικαιοῦσθε. *In Lege justificamini.* Τὸ, ἐν νόμῳ καυχᾶσθαι alio spectat Rom. II, 26.

Digitized by Google

τῶν ἁγίων, καὶ μακαριότητος τέλος· καὶ τῶν ἐφετῶν τὸ ἀκρότατον· διὸ καὶ ὁ ταύτης κληρονόμος κληρονόμος λέγεται Θεοῦ, καὶ ὅσα ἄλλα ἐν τῷ πρώτῳ προείρηται, ἐν ᾧ τὴν πίστιν τῶν ἀνδρῶν, ἐξ ὧν ἀνέγραψαν, ἐδείκνυμεν. Τούτῳ γοῦν πρὸς ἀπόδειξιν τῶν εἰρημένων χρῶνται, ἀγνοοῦντες ὅτι τὸ, *Ἡ θεία ἔλλαμψις καὶ ἐνέργεια, μία οὖσα, πάντα τοῖς πᾶσι γίνεται*, περὶ τῆς θείας οὐσίας εἴρηται, ὡς καὶ αὐτὰ τὰ ῥήματα μαρτυρεῖ, ἀντίκρυς ἐφαρμοζόμενα κατὰ τὸ τῆς θεολογίας ἔθος τῇ τοῦ Θεοῦ οὐσίᾳ, καὶ αὐτῇ πᾶσαν ὑπεροχὴν ἀπονέμοντα, ὥσπερ καὶ ὁ μέγας εἶπε Διονύσιος ἐν τῷ *Περὶ θείων ὀνομάτων*· *Ὅτι πᾶσι προνοητικῶς ὁ Θεὸς πάρεστι, καὶ πάντα ἐν πᾶσι διὰ τὴν πάντων σωτηρίαν γίνεται, μένων ἐφ' ἑαυτοῦ, καὶ τῆς οἰκείας ταυτότητος ἀνεκφοιτήτως κατ' ἐνέργειαν μίαν καὶ ἄπαυστον ἑστηκώς*· καὶ αὖθις ἐν τοῖς αὐτοῖς φησιν, *Ὡς αὐτὴ περὶ ἑαυτῆς ἐν τοῖς ἱεροῖς λογίοις παρέδωκεν, ὅτι πάντων ἐστὶν αἰτία, καὶ ἀρχὴ, καὶ οὐσία καὶ ζωή*, καὶ τἆλλ' ὅσα καθ' ἕκαστον ἐξαριθμεῖται, τὸν Θεὸν ἡμῖν γίνεσθαι, ὡς ἀρχῆς ἁπάσης ὑπεράρχιος ὢν ἀρχή. Οὕτω γὰρ καὶ ὁ Δαμασκόθεν ἐν ιβ' τῶν αὐτοῦ Θεολογικῶν, ὡς ἀπ' ἐκείνου τοῦ μακαρίου ἐξέδοτο, λέγων, *Ὁ Θεὸς πάντων ἐστὶν οὐσία καὶ ἀρχή· τῶν ὄντων οὐσία, τῶν ζώντων ζωή. Ὅπερ οὖν ἐν τούτοις θείαν ἔλλαμψιν καὶ ἐνέργειαν* εἰρηκεν, ἐν ἐκείνοις, *Ὁ Θεὸς*, φησὶν, δηλονότι κατὰ τὸν Νύσσης Γρηγόριον, ἐν τῷ κατὰ Ἑλλήνων, οὕτω λέγοντα, *Εἰ δὲ τὸ Θεὸς ὄνομα οὐσίας σημαντικόν ἐστι, μίαν ὁμολογοῦντες οὐσίαν τῆς ἁγίας Τριάδος, ἕνα Θεὸν εἰκότως δοξάζομεν· ἐπεὶ μιᾶς οὐσίας ἓν ὄνομα τὸ Θεὸς ἐστι.* Δῆλον οὖν ὡς τὸ, *Ἡ θεία ἔλλαμψις καὶ ἐνέργεια, μία οὖσα καὶ ἁπλῆ καὶ ἀμέριστος*, περὶ τῆς θείας οὐσίας εἴρηται. Οὕτω γὰρ καὶ ὁ θεῖος περὶ αὐτῆς εἴρηκε Μάξιμος, *Ἡ αὐτοϋπεραγαθότης, νοῦς οὖσα καὶ ὅλη ἐνέργεια, εἰς ἑαυτὴν ἐστραμμένη ἐνέργειά ἐστι.*

Καθόλου μὲν τύπῳ περιλαβεῖν, ταῦτα τῆς φθορᾶς ταύτης αἴτια ἐγένετο, καὶ τοῦτο ἔπαθον, βουλόμενοι τὸ φῶς ἐκεῖνο τὸ ὁρατὸν, ὅπερ ἑαυτοῖς ἀνέπλασαν, βεβαιῶσαι Θεότητα καὶ Θεόν· καὶ φῶς ἀληθινὸν, καὶ τῶν ἐφετῶν τὸ ἀκρότατον, μήτε οὐσίαν Θεοῦ, μήτε ὑπόστασιν, ἀλλ' ἐνέργειαν, καὶ τὴν ὅλην ἐνέργειαν αὐτὸ τιθέμενοι· ὅπερ εἴτε ἔκ τινων ποτε γενομένων Μασσαλιανῶν λεγομένων ἑαυτοῖς ἐπεσώρευσαν, οἳ πρότερον βλασφημοῦντες ὁρατὴν εἶναι τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ, εἶτα ἐλεγχθέντες ὑπὸ καθολικῆς συνόδου, καταφυγὴν τῆς αἱρέσεως ἐξεῦρον μὴ εἶναι αὐτοῖς τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ ὁρατὴν, ἀλλ' ὁρᾶσθαι φῶς ἄκτιστον, ἐνυπάρχον ἐξ ἀϊδίου τῷ Θεῷ, μήτε οὐσίαν Θεοῦ, μήτε ὑπόστασιν, ἀλλ' ἐνέργειαν οὖσαν· εἴτε ἔκ τινων μοναχῶν, ἀρετὴν ὑποκρινομένων, ἀλόγων καὶ πεπλανημένων (16), οἰομένων εἶναι τὸ Θεῖον

A quo deitatem et vitam et sapientiam et virtutem et hæreditatem sanctorum esse, ac beatitudinis finem, ac quæcunque alia in priori parte ante dicta sunt, in qua eorum fidem, ex iis quæ illis scripta sunt ostendimus. His itaque utuntur, ut ea probent quæ dicta sunt, ignorantes quod ita dicitur: *Divina illustratio ac virtus, cum una sit, omnia omnibus fit*, de essentia divina dictum esse, ut et ipsamet abunde testantur verba, quæ palam theologiæ explicandi more Dei essentiæ congruant, ac omnem illi excellentiam tribuant, uti etiam dixit magnus Dionysius in libro *De divinis nominibus: Deum* nimirum *providentia cunctis rebus adesse, omniaque in omnibus omnium salutis causa fieri, cum in se ipse maneat, inque sua identitate nullo extra processu*
B *secundum unam incessabilemque virtutem consistat.* Ac rursus in iisdem ait: *Ipsam de se in sacris tradidisse Eloquiis, esse se omnium causam seu auctorem, et principium et essentiam et vitam*, et quæcunque alia sigillatim Deum nobis fieri recenset, tanquam qui principium sit, omni principio eminens. Sic enim etiam Damascenus in duodecimo capitum suorum theologicorum, ut a beato illo editum est, dicens: *Deus omnium essentia ac principium est; eorum quæ sunt, essentia, eorum quæ vivunt, vita.* Quod itaque in illis *divinam* dixit *illustrationem atque virtutem*, in his *Deus* dicit; juxta quod nimirum sentit Gregorius Nyssenus, Oratione adversus Græcos, dum sic ait: *Sin*
C *autem Deus nomen est essentiam significans, qui unam sanctæ Trinitatis essentiam confiteamur, unum merito Deum sentimus: quandoquidem unius essentiæ nomen unum Deus est.* Liquet igitur, quod ita dictum est: *Divina illustratio et virtus, quæ una sit et simplex et indivisa*, de essentia divina dictum esse. Sic enim etiam de illa dixit beatus Maximus: *Ipsa supra quam bonitas, quæ mens exsistat, totaque operatio seu virtus, in seipsam conversa, virtus seu operatio est.*

Sic quasi universim delineando, rudique penicillo complectendo, hæc hujus corruptionis causæ exstiterunt. Idque illis ita evenit, qua lumen illud oculis aspectabile, quod sibi confinxerunt, Deita em et Deum, ac lumen verum supremumque
D appetibilium ut assererent, in animam induxerunt; quod utique, nec Dei essentiam, neque personam, sed virtutem seu operationem, ac quicquid in Deo virtutis est seu operationis, statuerunt: sive eum errorem ex quorumdam olim Massalianorum, sic dictorum, delirlis, sibi acervarunt, qui prius quidem visibilem Dei essentiam blasphemia dicerent, tumque catholicæ synodi auctoritate censuraque revincti, hoc hæreseos invenerunt confugium, ut dicerent, non sibi oculis aspectabilem divinam essentiam, sed videri lumen increatum,

(16) *Ἀλόγων καὶ πεπλανημένων.* Symeonem notat ejusque discipulos; nam sic rudem litterarum, ejusque Patrem spiritalem, Symeonem item Studiotam, observat Sthetatus ipsius discipulus; ut essent, vellentque haberi θεοδίδακτοι, quasi divino afflatu et revelatione docti: quibus sane pro-

Digitized by Google

quod ab æterno inest Deo, ac neque Dei essentia, nec hypostasis seu persona, sed virtus ac operatio est; sive ex quorumdam monachorum, virtutem simulantium (rudium scilicet hominum ac seductorum) haud sanæ mentis insomniis qui Numen ipsum se capere posse arbitrarentur, ac corporeis oculis comprehendere; modo in angulo tenebricoso sedentes, nixaque pectori barba ac mento, oculumque sensibilem cum omni mente in ventris medio (circa nimirum umbilicum) continentes, aeriscque nare attractionem, ne libera prodeat respiratio, cohibentes, intus in visceribus rimentur, ut inveniant locum cordis, huicque se exercitio diu noctuque impendant. Sic enim inventuros aiunt indeficientem jugemque lætitiam; ac mentem confestim visuram, quæ nunquam hactenus noverat. Videt enim interjectum cordi aerem, seque totam lucidam ac discretionis plenam.

A ἀλώσιμον, καὶ αἰσθητοῖς ὀφθαλμοῖς ληπτὸν, ἂν ἐν γωνίᾳ πλήρει σκότους καθίσαντες, καὶ τὸν μὲν πώγωνα τῷ στήθει ἐρείσαντες, τὸν δὲ αἰσθητὸν ὀφθαλμὸν σὺν ὅλῳ νοῒ ἐν μέσῳ τῆς κοιλίας, ἤγουν κατὰ τὸν ὀμφαλὸν, ἐπέχοντες, καὶ τὴν τῆς ῥινὸς τοῦ πνεύματος ὁλκὴν τοῦ μὴ ἀδεῶς πνεῖν, ἐρευνῶσιν ἔνδον ἐν τοῖς ἐγκάτοις εὑρεῖν τὸν τόπον τῆς καρδίας, καὶ τῷ ἔργῳ τούτῳ προσέχωσι νύκτα καὶ ἡμέραν. Οὕτω γὰρ εὑρίσκειν τότε φασὶν ἄληκτον εὐφροσύνην, καὶ τὸν νοῦν βλέπειν παρευθὺς ἃ οὐδέποτε ἠπίστατο. Βλέπει γὰρ τὸν μεταξὺ τῆς καρδίας ἀέρα, καὶ ἑαυτὸν φωτεινὸν ὅλον καὶ διακρίσεως ἔμπλεων.

Ex his autem colligimus, Deum ubique esse. Ei enim qui incircumscriptus sit ac infinitus, cunctaque noverit, comes est, ut ubique præsens sit. Nam, ut auctor est divinarum rerum scientia clarissimus Dionysius, *Divinum individuum est, totum prorsus ubique exsistens. Neque pars in parte corporum more dividitur ; sed totum in omnibus, totumque universis præstans ac eminens. Ac videtur quidem esse, dicturque unius Dei discretio longeque fusa multiplicatio ; est tamen Deus ejus deitatis origo eique eminens, superessentialiter unus Deus, sibi ipse individue in dividuis unitus, irque multis incommistus ac immultiplicabilis.* Rursusque illo prior ait Scriptura : *Nonne cœlum et terram ego impleo ? dicit Dominus* [11]. Cœlum quoque ejus sedes dicitur, terra vero scabellum ; quibus Scriptura significat esse illum ubique ac cuncta replere, nec quidquam extra ambitum efficacissimæ summæque comprehensionis et virtutis ejus excedere.

Adhæc, quoniam videmus esse in mundo viventia, sapientiaque ac bonitate prædita, eorumque in se rationes, ut omnium auctor, Deus præhabet ; ait namque Apostolus, ipsum omnia esse, exque ipso facta esse, et in eo constare [12] ; atque ut divinissimus Joannes in Apocalypsi ait quemdam de senioribus sibi dixisse : *Cuncta erant, et facta sunt*, idque exponens divinus Maximus, Ideas ait, quod erant, imagines vero et simulacra idearum, seu exemplarium, quod facta sunt ; intelligimus eum qui viventia condidit [13], et creata omnia in sapientia fecit, angelosque et homines sapientia imbuit, ac qui lucem oculis subjectum produxit, vitam esse et lucem et sapientiam ; hæcque adeo longe illic perfectius, quam in rebus oculis subjectis elucere. Ait namque divinus Dionysius, quæ in effectis perfectiones exsistunt, longe prius in causis exsistere, iisque abunde ac essentialiter effecta inesse ; cuncta denique in omnium Auctore exsistere, quæque alia aliis contraria sunt, comprehensione singularique una ratione et uniformiter ac unite. Etenim Deus cuncta producens, illis omnibus, tum nimirum inanimis, tum stirpibus, tumque præditis ratione, tum ea carentibus, pro ipsorum ratione convenientes perfectiones tribuit, resque singulæ Auctori suo Deo uniuntur, quantum ejus participes sunt. Participant autem magis et minus, pro suæ nimirum perfectionis rata ratione, nempe inanima, ea duntaxat ratione, qua sunt, stirpes vero, etiam qua

A καὶ ἡ Γραφὴ κηρύττει. Οὐκ ἄρα λύσις ἐπ' αὐτοῦ· τοῦτο γὰρ ἀλλότριον Θεοῦ.

Ἐκ δὲ τούτων συνάγομεν ὅτι πανταχοῦ ἐστιν ὁ Θεός. Τῷ γὰρ ἀπεριγράπτῳ καὶ ἀπείρῳ καὶ πάντα εἰδότι τὸ πανταχοῦ παρεῖναι ἀκολουθεῖ. Κατὰ γὰρ τὸν θεολογικώτατον Διονύσιον (14), *Τὸ θεῖον ἀμερές ἐστιν, ὅλον ὁλικῶς πανταχοῦ ὄν· καὶ οὐ μέρος ἐν μέρει σωματικῶς διαιρούμενον· ἀλλ' ὅλον ἐν πᾶσι, καὶ ὅλον ὑπὲρ τὸ πᾶν.* Καὶ δοκεῖ μὲν εἶναι καὶ λέγεται τοῦ ἑνὸς Θεοῦ διάκρισις καὶ πολλαπλασιασμός· ἔστι δὲ οὐδὲν ἧττον ὁ ἀρχίθεος καὶ ὑπέρθεος (15) ὑπερουσίως εἷς Θεός, ἀμέριστος ἐν τοῖς μεριστοῖς ἡνωμένος B ἑαυτῷ, καὶ τοῖς πολλοῖς ἀμιγὴς καὶ ἁπλήθυντος. Καὶ πάλιν πρὸ αὐτοῦ φησιν ἡ Γραφή, *Οὐχὶ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν ἐγὼ πληρῶ; λέγει Κύριος.* Καὶ θρόνος μὲν ὁ οὐρανὸς αὐτοῦ λέγεται, ἡ δὲ γῆ ὑποπόδιον, τοῦ λόγου δεικνύντος ὅτι πανταχοῦ πάρεστι καὶ πάντα πληροῖ, καὶ οὐδέν ἐστιν ἔξω πίπτον τῆς δραστικωτάτης καὶ συνεκτικωτάτης περιοχῆς καὶ ἐνεργείας αὐτοῦ.

Ἔτι, ἐπεὶ βλέπομεν ὅτι εἰσὶν ἐν τῷ κόσμῳ ζῶντα καὶ σοφὰ καὶ ἀγαθά, τούτων δὲ τοὺς λόγους ἐν ἑαυτῷ προέχει ὡς πάντων αἴτιος· καὶ γάρ φησιν ὁ Ἀπόστολος, *Αὐτός ἐστι τὰ πάντα, καὶ ἐξ αὐτοῦ γέγονε, καὶ ἐν αὐτῷ συνέστηκε·* καὶ ὡς ὁ θειότατος ἐν τῇ Ἀποκαλύψει Ἰωάννης φησί, τινὰ τῶν πρεσβυτέρων εἰπεῖν (16) αὐτῷ, *Πάντα ἦσαν, καὶ γεγόνασιν·* ὅπερ ὁ Θεῖος σαφηνίζων Μάξιμος τὰς ἰδέας λέγει ὅτι ἦσαν, καὶ τὰς εἰκόνας καὶ τὰ ὁμοιώματα τῶν ἰδεῶν, ἤτοι παραδειγμάτων, ὅτι γεγόνασιν· ἐννοοῦμεν ὅτι ὁ τὰ ζῶντα δημιουργήσας, καὶ πᾶσαν τὴν κτίσιν ἐν σοφίᾳ κατασκευάσας, καὶ ἀγγέλους καὶ ἀνθρώπους σοφοὺς ἐργασάμενος, καὶ τὸ ὁρώμενον φῶς ὑποστήσας, ζωή ἐστι καὶ φῶς καὶ σοφία· καὶ πολλῷ τελειότερον ἐκεῖ ταῦτα ἢ ἐν τοῖς ὁρωμένοις φαίνεται. Καὶ γάρ φησιν ὁ θεῖος Διονύσιος, Αἱ ἐν τοῖς αἰτιατοῖς τελειότητες πολλῷ πρότερόν εἰσιν ἐν τοῖς αἰτίοις· καὶ τοῖς αἰτίοις τὰ αἰτιατὰ περισσῶς καὶ οὐσιωδῶς ἔνεστι· καὶ ὅτι πάντα ἐν τῷ πάντων αἰτίῳ· καὶ τὰ ἀλλήλοις ἐναντία συνειλημμένως καὶ ἑνικῶς καὶ μονοειδῶς καὶ ἡνωμένως. D Καὶ γὰρ ὁ Θεὸς τὰ πάντα παραγαγών, πᾶσι τούτοις ἀψύχοις καὶ φυτοῖς καὶ λογικοῖς καὶ ἀλόγοις ἀναλόγους δέδωκε τὰς τελειότητας· καὶ ἕκαστον τῶν ὄντων ἑνοῦται τῷ Θεῷ τῇ ἑαυτοῦ αἰτίᾳ καθόσον αὐτοῦ μετέχει. Μετέχουσι γὰρ αὐτοῦ κατὰ τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον, ἀναλόγως δηλονότι τῇ ἑαυτῶν τελειότητι· τὰ μὲν γὰρ ἄψυχα κατὰ τὸ εἶναι μόνον, τὰ δὲ φυτὰ καὶ κατὰ τὸ ζῆν· τὰ δὲ ἄλογα κατὰ τὸ

[11] Isa. LXVI, 1. [12] I Cor. I, 30; Coloss. I, 16, 17. [13] Psal. CIII, 24.

(14) *De divin. nom.* II, § 11.

(15) Ὁ ἀρχίθεος καὶ ὑπέρθεος. Dicitur Deus ἀρχίθεος, ea ratione qua auctor est Deitatis, qua angeli et homines participatione dicuntur dii. Sequiturque unum ex alio ; ex eo quod ὁ ἀρχίθεος sit, *deorum auctor*, quod sit ὑπέρθεος, *illis superior atque eminens* ; qui ita producat et in eis velut multiplicetur, ut a sua unitate nihil excedat.

(16) *De div. nom.*, cap. 5.

Digitized by Google

εἶναι καὶ ζῆν καὶ αἰσθάνεσθαι· τὰ δὲ λογικὰ κατὰ τὸ εἶναι καὶ ζῆν, καὶ αἰσθάνεσθαι καὶ διανοεῖσθαι· καὶ ἀρετῆς μετέχειν, σοφίας τε καὶ δικαιοσύνης καὶ τῶν ἄλλων. Ἔστι δὲ καὶ ἐν τοῖς λογικοῖς διαφορὰ καὶ πρακτέα. Οἱ μὲν γὰρ ἄγγελοι τελεώτεροί εἰσι, τῆς τῶν θνητῶν σωμάτων συζυγίας ἀπηλλαγμένοι· οἱ δὲ ἄνθρωποι ἀτελέστεροι ἐκείνων, τὰ ἐκ τοῦ σώματος ὑπομένοντες κακά. Δύνανται δὲ καὶ οὗτοι ἀλλήλων ὑπερέχειν, εἰ πρὸς τὸν Θεὸν ἀφορῶντες, διὰ συντόνου σπουδῆς ὁμοιοῦσθαι αὐτῷ σπουδάζουσιν. Ὅσον γὰρ πρὸς αὐτὸν ἐπιστρέφομεν, τοσοῦτον αὐτῷ ὁμοιούμεθα· καὶ ὅσον αὐτῷ ὁμοιούμεθα, τοσοῦτον αὐτοῦ μετέχομεν· καὶ ὅσον αὐτοῦ μετέχομεν, τοσοῦτον αὐτῷ ἑνούμεθα τῇ ἀνάρχῳ πάντων αἰτίᾳ καὶ μονῇ καὶ στάσει.

A vivunt : brutæ animantes, quod et sunt et vivunt et sentiunt ; ratione prædita, quod et sunt et vivunt, et sentiunt et intelligunt, virtutisque et sapientiæ et justitiæ ac reliquorum commercium ineunt. Sed et utentium ratione distinctio est, aliorumque præ aliis major præstantia. Angeli enim perfectiores sunt, a mortalium scilicet corporum conjunctione liberi ; homines vero illis imperfectiores, qui subjaceant malis corporis. Quin et hi quoque alii aliis præstare possint, si modo, in Deum conversis animis, acri diligentia illi similes effici studuerint. Quantum enim ad ipsum convertimur, tantum similes ei efficimur ; quantumque ei efficimur similes, tantum illius participes reddimur ; ac quantum illius reddimur participes, tantum ipsi

B unimur, æterno nimirum omnium auctori, qui omnium sedes ac quies est.

Οὐ δήπου οὖν φήσομεν ὅτι αἱ ἐν ἡμῖν τελειότητες αἱ αὐταί εἰσι τῇ ἀκροτάτῃ τοῦ Θεοῦ τελειότητι. Οὐ γὰρ τῇ αὐτῇ ζωῇ ὁ Θεὸς καὶ οἱ ἄνθρωποι ζῶσιν, ἢ τῇ αὐτῇ σοφίᾳ ἐστὶν αὐτὸς καὶ ἄγγελοι καὶ ἄνθρωποι σοφοί· τοῦτο γὰρ ἄτοπον· οὐδὲ τῇ αὐτῇ ἀγαθότητι ἡμεῖς τε κἀκεῖνός ἐσμεν ἀγαθοί. Εἴπετο γὰρ ἂν καὶ ἡμᾶς Θεοὺς κατ' ἐκεῖνον εἶναι. Ὧν γὰρ αἱ τελειότητες ἴσαι, καὶ αἱ οὐσίαι ἴσαι. Διὸ καὶ ἡμῶν καὶ τῶν ἐν ἡμῖν πάντων ὁ Θεὸς ἀσυγκρίτως ὑπέρκειται. Ἡμεῖς μὲν γὰρ χρονικῶς καὶ μετοχικῶς τὰ πάντα ἐσμέν, ὅσαπερ ἂν ἔχωμεν· ὁ δὲ ἀϊδίως καὶ φυσικῶς καὶ κυρίως καὶ πρώτως ἐστὶν ἀγαθός, σοφός, δημιουργός, ζωή, ἁγιασμός, πᾶν

C ὅτιπερ ἂν εἴποι τις, ὡς αἰτία πρώτη καὶ ἀρχοειδεστάτη τῶν ὄντων. Ἀγαθὸς δὲ φύσει ὢν ὁ Θεός, οὐδέποτ' ἂν εἴη τῶν κακῶν αἴτιος. Τοῦ γὰρ κυρίως ἀγαθοῦ ἴδιον ἀεὶ παρέχειν ἀγαθά. Εἰ δέ τινα κακὰ ὁρῶμεν ἐν τῷ κόσμῳ γινόμενα, ἀλλ' οὔτ' αὐτός ἐστιν αἴτιος τούτων, οὔθ' ἑτέρα τις ἀντικειμένη δύναμις· ἀλλ' ἀποχωροῦντες ἀπὸ τοῦ ἀγαθοῦ, ἐν τῷ κακῷ εὑρισκόμεθα· καὶ τοῦτό ἐστιν ἡ γένεσις τοῦ κακοῦ, ὥσπερ καὶ σκότους, ἡ τοῦ φωτὸς ὑποχώρησις. Ἡμεῖς οὖν ἐσμεν αἴτιοι. Τὸν γὰρ ἀπαθῆ παροργίζοντες διὰ πονηρῶν ἔργων, κολαζόμεθα κατὰ τὴν τῶν ἁμαρτημάτων ἀναλογίαν· ἃ δὴ παρ' ἡμῖν μὲν κακὰ εἶναι δοκοῦσι, τὰς αἰτίας αὐτῶν οὐκ οἴδασιν· εἰ δέ τις ἐπίσταιτο διακρίνειν ὀρθῶς, καὶ ταῦτα ἀγαθὰ εὑρήσει. Καὶ γὰρ διὰ συμφέρον γί-

D νονται ἡμῶν· ἐπεὶ καὶ οἱ ἰατροὶ τέμνουσι καὶ καίουσι τὸν νοσοῦντα, ἵνα ἀπολάβῃ τὴν ἐξαρχῆς ὑγείαν. Εἰ μὲν οὖν λογιζόμενοι τὰς αἰτίας ὑπομένωμεν εὐχαριστοῦντες, ὠφελούμεθα ἐκ τούτων· καθαιρόμεθα γὰρ τῶν ἡμαρτημένων, καὶ σωφρονιζόμεθα, καὶ οὕτω γινόμεθα βελτίους· εἰ δ' ὥσπερ λίθοι σκληροὶ διαμένομεν, καὶ ἔτι πταίομεν τοῖς κατὰ θεραπεύτως ἐπεκτεινόμενοι, ἐγκαταλιμπανόμεθα ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, καὶ ἀλλοτριούμεθα ἀπ' αὐτοῦ, καὶ ἀγόμεθα καὶ φερόμεθα ὑπὸ τοῦ διαβόλου, ᾧ διὰ τῶν φαύλων ἔργων προσφκειώθημεν.

Absit itaque unquam dicamus, quæ in nobis perfectiones ac dotes sunt, easdem ac supremam Dei perfectionem esse. Non enim eadem vita Deus et homines vivunt, aut eadem sapientia ipse et angeli atque homines sunt sapientes (est enim id absurdum), nec eadem bonitate ille ac nos boni sumus. Consequens enim foret, nos quoque, perinde ac ille, deos esse. Quorum enim pares dotes sunt ac perfectiones, pares sunt et essentiæ. Quamobrem Deus citra omnem comparationem, tum nobis, tum iis omnibus, quæ in nobis sunt, eminet. Nos enim ex tempore ac participatione omnia sumus, quæcunque tandem habuerimus, Deus autem æterne atque natura vereque ac primo bonus est, sapiens, conditor, vita, sanctimonia (quidquid denique aliquis eum dicat), ut rerum prima causa summaque origo. Cumque Deus natura bonus sit, nunquam malorum auctor exstiterit. Ejus enim qui vere ac proprie bonus sit, id proprium est, ut quæ bona sunt, semper præbeat. Sin autem videmus quædam mala in mundo evenire, eorum tamen nec ipse auctor est, nec ulla alia contraria potestas, sed cum ipsi a bono recedamus, in malo invenimur : isque adeo mali ortus est ac effectio, uti etiam tenebrarum, lucis abscessus. Nos ipsi itaque ejus auctores sumus. Qui enim eum qui ab omni immunis affectu est, per prava opera ad iracundiam provocamus, pro delictorum ratione pœnas luimus. Atque hæc quidem apud nos usuque humano mala videntur, qui eorum causas nesciamus : sin autem quis recte judicare noverit, ipsa quoque bona offendet, quippe cum nostræ causa fiant utilitatis. Nam et medici ægrotum secant ac urunt, ut pristinæ sanitati restituant. Siquidem igitur causas reputantes, gratias agentes sustinemus, commodum ex illis reportamus : emundamur enim a delictis ac castigamur, atque adeo melioris frugis inde efficimur. Sin autem velut saxa duri perseveramus, adhucque offendimus, qui irremediabiliter in mala intenti simus, a Deo derelinquimur, ipsoque abs se alienos effectos abdicante, a diabolo, cui nos per mala opera devinximus, agimur ferimurque.

Τὰ οὖν γινόμενα παρὰ τοῦ Θεοῦ, τὰ μέν εἰσι

Quæ igitur a Deo fiunt, alia propensioris sunt

Digitized by Google

voluntatis, cum ejus faciendo voluntates, bona ab eo atque munera consequimur; alia secundum permissionem ac quasi indulgentiam, cum peccantes, emendationis causa punimur, et ut ad meliorem frugem reducamur; alia secundum derelictionem, per eum, quem diximus, modum. Atque alia quidem ut alii erudiantur, contingunt; alia vero ad probationem ac copiosiorem mercedem, ut res se in apostolis habuit ac sanctis reliquis. Prorsusque nihil citra causam contingit, tametsi illorum nos rationes lateant. Nam ne passerem quidem in laqueum incidere sine Patris nostri voluntate, in Evangeliis audivimus [14]. Cum autem nos Deum contristare, aut ad iracundiam provocare dicimus, haud necesse ut aliquam ei passionem affingamus, uti neque ut manus aut pedes, juxta quod scriptum est: *Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me* [15], et: *Audivi vocem tuam deambulantis in paradiso ad meridiem, et abscondi me* [16], neque vero oculos palpebrasque et visum et os, atque talia (hæc enim ex corporibus assumentes, humanoque ritu usurpantes, occulto quodam pioque intellectu de Deo dicimus. Fieri enim non potest, cum simus homines, ut aliter Deum intelligamus, deque eo loquamur, nisi pro humano ritu simulacris figurisque ac symbolis usi fuerimus, inquit Damascenus), sed, quia perversa voluntate malisque operibus ab eo ipsi abscedimus, *ob quæ venit ira Dei in filios inobedientes*, uti scriptum est [17], hinc que adeo contingit in doloribus ac ærumna versari malisque affici, uti etiam apud homines usuvenit, cum servi heris immorigeri fuerint; idcirco humana usi consuetudine, dicimus, contristasse nos Deum, Deumque nobis iratum esse. Non igitur quæ extra rationem exsistat, ulla ejusmodi affectio Deo tribuenda sit. Nam Deus quidem ab omni immunis affectu ac labe est; nos vero iis obnoxii atque mortales sumus, ex quibus hæc sumpta sunt. Velut etiam cum dicimus: *Dominus propitius factus est nobis* [18]; et: *Domine refugium factus es nobis* [19]; et: *Dominus dilexit nos* [20]; nullum in eo accidens ponendum est. Non enim cum ante non esset, postea refugium factus est; nec cum prius non diligeret, postea dilexit; quomodo enim qui ante mundi constitutionem dilexit, quos prædestinavit, quemadmodum Scriptura testis est? sed motus omnis ac mutatio circa nos contingit. Postquam enim, ad eum conversi, ipsum invenerimus, ab eo nos dicimus cœpisse diligi, cujus humanitatis ac clementiæ periculum faciamus, qui nimirum recedendo a Deo et ad eum accedendo, odio habeamur, aut diligamur. Rursus vero ad eum accedimus, vel ab eo recedimus, non locorum intervallis (nam Deus ubique est), sed accedimus similitudine, recedimus vero ac elongamur dissimilitudine. Etenim naturæ conditor velut semen ad eum eniteudi animis nostris inseruit, quo

κατ' εὐδοκίαν, ὅταν αὐτοῦ τὰ θελήματα πράττοντες εὐεργετώμεθα ὑπ' αὐτοῦ· τὰ δὲ κατὰ παραχώρησιν, ὅταν ἁμαρτάνοντες κολαζώμεθα δι' ἐπανόρθωσιν· τὰ δὲ κατὰ ἐγκατάλειψιν, τὸν τρόπον ὃν εἴπομεν. Καὶ τὰ μὲν γίνονται διὰ σωφρονισμὸν ἑτέρων, τὰ δὲ διὰ δοκιμὴν καὶ πλείονα τὴν ἀντιμισθίαν, ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν ἄλλων ἁγίων. Καὶ ὅλως οὐδέν ἐστι χωρὶς αἰτίας γινόμενον, εἰ καὶ ἡμεῖς τοὺς λόγους αὐτῶν οὐκ ἴσμεν. Οὐδὲ γὰρ στρουθίον εἰς παγίδα πεσεῖται ἄνευ θελήματος τοῦ Πατρὸς ἡμῶν, ἐν Εὐαγγελίοις ἠκούσαμεν. Ὅταν δὲ λέγωμεν ὅτι λυποῦμεν καὶ παροργίζομεν τὸν Θεόν, οὐ δεῖ τι πάθος περιάπτειν ἐκείνῳ, ὥσπερ οὐδὲ χεῖρας καὶ πόδας, κατὰ τὸ γεγραμμένον, *Αἱ χεῖρές σου ἐποίησάν με καὶ ἔπλασάν με*, καὶ, *Τῆς φωνῆς σου ἤκουσα περιπατοῦντος ἐν τῷ παραδείσῳ τὸ δειλινόν, καὶ ἐκρύβην*· οὐδὲ ὀφθαλμοὺς καὶ βλέφαρα καὶ ὅρασιν καὶ στόμα, καὶ τὰ τοιαῦτα (ταῦτα γὰρ ἀπὸ σωματικῶν λαμβάνονται, καὶ τοῖς ἀνθρωπίνοις ἤθεσι χρώμενοι, λέγομεν ἐπὶ Θεοῦ κατά τινα κεκρυμμένην καὶ εὐσεβῆ διάνοιαν. Ἀδύνατον γὰρ ἀνθρώπους ὄντας νοεῖν ἢ λέγειν περὶ Θεοῦ, εἰ μὴ εἰκόσι καὶ τύποις καὶ συμβόλοις τοῖς καθ' ἡμᾶς χρησαίμεθα, ὁ Δαμασκηνὸς λέγει)· ἀλλ' ὅτι ἡμεῖς ἀφιστάμεθα ἀπ' αὐτοῦ, διεστραμμένα προαιρούμενοί τε καὶ πράττοντες, *δι' ἃ ἔρχεται ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας*, κατὰ τὸ γεγραμμένον· κἀντεῦθεν ὀδυνώμεθα καὶ πιεζόμεθα, ὅπερ καὶ ἐπ' ἀνθρώπων συμβαίνει, ὅταν τοῖς δεσπόταις αὐτῶν ἀπειθῶσι· διὰ τοῦτο λέγομεν ἀνθρωπίνῃ συνηθείᾳ ὅτι ἐλυπήσαμεν τὸν Θεὸν, καὶ ὠργίσθη ἡμῖν ὁ Θεός. Οὐ προσαπτέον οὖν τῷ Θεῷ πάθος ἄλογόν τι τοιοῦτον. Αὐτὸς μὲν γὰρ ἀπαθής ἐστιν· ἡμεῖς δέ ἐσμεν οἱ ἐμπαθεῖς καὶ θνητοὶ, ἀφ' ὧν ταῦτα εἴληπται· ὥσπερ καὶ ὅταν λέγωμεν, *Ἵλεως ἡμῖν ὁ Κύριος ἐγένετο*, καὶ, *Κύριε, καταφυγὴ ἐγενήθης ἡμῖν*, καὶ, *Ὁ Θεὸς ἠγάπησεν ἡμᾶς*, οὐ δεῖ τι συμβεβηκὸς ἐπ' ἐκείνου τιθέναι. Οὐ γὰρ μὴ ὢν πρότερον καταφυγὴ, ἐγένετο ὕστερον· οὐδὲ μὴ πρότερον ἀγαπῶν, μετὰ ταῦτα ἠγάπησεν· πῶς γάρ, ὃς πρὸ καταβολῆς κόσμου ἠγάπησεν, οὓς προώρισε, καθὼς ἡ Γραφὴ διδάσκει; ἀλλὰ περὶ ἡμᾶς γίνεται ἡ κίνησις καὶ ἡ μεταβολή. Ἐπειδὰν γὰρ ἐπιστρεφώμεθα πρὸς αὐτὸν, καὶ εὑρίσκωμεν αὐτὸν, τηνικαῦτα λέγομεν ὅτι ἠρξάμεθα ἀγαπᾶσθαι ὑπ' αὐτοῦ, πεῖραν τῆς φιλανθρωπίας αὐτοῦ λαμβάνοντες, τῇ ἀποστάσει δηλονότι καὶ τῇ ἐγγύτητι τῇ πρὸς αὐτὸν ἢ μισούμενοι ἢ ἀγαπώμενοι. Πάλιν δὲ ἐγγίζομεν καὶ ἀφιστάμεθα αὐτοῦ οὐ τόπων διαστήμασι· καὶ γὰρ ὁ Θεὸς πανταχοῦ· ἀλλ' ὁμοιότητι προσερχόμεθα αὐτῷ καὶ ἀνομοιότητι ἀφιστάμεθα αὐτοῦ. Καὶ γὰρ οἱονεὶ σπέρμα ταῖς ἡμετέραις ψυχαῖς ὁ δημιουργὸς τῆς φύσεως ἐνεφύτευσε τῆς πρὸς αὐτὸν ἀνατάσεως· καὶ ὑπ' αὐτοῦ νυττόμεθα πρὸς Θεοῦ μίμησιν. *Γίνεσθε* γάρ, φησὶν, *οἰκτίρμονες, ὡς ὁ Πατὴρ*

[14] Matth. x, 29. [15] Psal. cxvIII, 73. [16] Gen. III, 10. [17] Ephes. v, 6. [18] Psal. xcvIII, 8 [19] Psal. LXXXIX, 1. [20] Rom. VIII, 29.

Digitized by Google

ἡμῶν ὁ σύραγγος· καὶ, *Γίνεσθε μιμηταὶ Θεοῦ* A velut stimulo ad Dei imitationem urgemur. Ait enim : *Estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis*[21]; et : *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi*[22]. Divinus quoque Dionysius, in libro *De divinis nominibus : Deum*, inquit, *qui est super omnia, aiunt nulli esse similem ; largiri tamen divinam similitudinem, his qui ad ipsum convertantur.* Ac rursus : *Hæc itaque dicenda Deo similia, quæ sunt ad Dei imaginem et similitudinem. Neque enim Deum eis similem dixerimus, nam nec homo suæ similis imagini est. Sed similitudo primum est eorum bonorum, quæ nobis a Deo insunt.* Sive enim sancti, sive dii, sive servi sumus, sive domini, ad similitudinem sumus conditi. Hoc enim sensu ait Apostolus, *Reformamini in novitate sensus vestri*[23]. Hæc enim novo homini dicuntur, qui renovatur in agnitione Dei secundum imitationem ejus, qui eum ad imaginem creavit. Non itaque Deus mutatur, quemadmodum dicebamus; sed nos sumus quos mutatio attingit; uti etiam lumen ægris oculis grave est ac molestum, sanis vero atque robustis, lene ac suave, non pro sua, sed pro eorum imbecillitate ac mutatione.

Simili quoque ratione, cum et Creator Rexque ac Dominus dicatur, non hæc illi postea advenium; sed motus iis in rebus intelligitur, quæ ex tempore sunt, cum ipse ab æterno ante omnia sæcula, et Creator et Provisor et Dominus atque Rex sit. Hæc vero illi a nobis tribuuntur, posteaquam in tempore conditi sumus; quod et illa ad nos dicantur. Etenim præerat quidem creatura in rerum auctore, sed non ut creatura atque factio seu opus, sed ut ratio ac exemplar. Ideirco erat Deus ante omnia sæcula rerum opifex ac conditor, nulla tamen relatione ac absolute : quam vero ad creata relationem habet, cum ad terminum temporaneum dicatur, propter illa est ac nuncupatur. Sin autem quis eam in Deo ab æterno putaverit, necessario etiam creata Deo coæterna dabit. Deus itaque cum perfectus sit, et ab æterno condendi pariter ac providendi potestate fultus, postea etiam conditor atque provisor, rebus conditis a nobis appellatus est, quod relatio hæc ad eas attineat. Cum enim creata non essent, liquet quod nec eorum creatio dicebatur, nec conservatio. Ait enim cui cum fratre inscriptus Iambis vultus, Theodorus : *Quorum enim fuerit providentia, cum nemo sit qui per eam salvus ac incolumis præstetur? Providentia enim eorum est, quæ in singulis geruntur.* Sed et divinus Gregorius Nyssenus, *Quemadmodum*, inquit, *haud utique nisi ægrotantium causa esset medicus, nec misericors atque humanus ac ejusmodi nominaretur, nisi cui illa opus essent : ita neque omnium conservator ac cuncta tenens, nisi omnis creatura, ipsam continente ac conservante in*

ὡς τέκνα ἀγαπητά. Καὶ ὁ θεῖος Διονύσιος (17) ἐν τῷ *Περὶ θείων ὀνομάτων, Τὸν ὑπὲρ πάντα*, φησὶ, *θεὸν καθὸ αὐτός ἐστιν, οὐδενὶ φασιν ὅμοιον· αὐτὸν δὲ ὁμοιότητα θείαν δωρεῖσθαι τοῖς ἐπ' αὐτὸν ἐπιστρεφομένοις.* Καὶ πάλιν, *Ταῦτα γοῦν ῥητέον ὅμοια Θεοῦ, τὰ κατὰ θείαν εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν· οὐδὲ γὰρ αὐτοῖς τὸν Θεὸν ὅμοιον, ὅτι μηδὲ ἄνθρωπος τῇ ἰδίᾳ εἰκόνι ὅμοιος· ἀλλ' ἡ ὁμοίωσις τὸ πρώτως ἐστὶ τῶν ἐν ἡμῖν παρὰ Θεοῦ ἀγαθῶν.* Εἴτε γὰρ ἅγιοι, εἴτε θεοὶ, εἴτε δοῦλοι ὄντες, εἴτε κύριοι, καθ' ὁμοίωσιν ἐδημιουργήθημεν· κατὰ τοῦτο γάρ φησιν ὁ Ἀπόστολος, *Ἀναμορφοῦσθε ἐν καινότητι τοῦ νοὸς ὑμῶν.* Τῷ γὰρ καινῷ ἀνθρώπῳ λέγονται ταῦτα, τῷ ἀνακαινιζομένῳ ἐν τῇ ἐπιγνώσει τοῦ Θεοῦ κατὰ μίμησιν αὐτοῦ, τοῦ κατ' εἰκόνα κτίσαντος αὐτόν. Οὐ τοίνυν ὁ Θεὸς μεταβάλλει, καθάπερ ἐλέγομεν· ἀλλ' ἡμεῖς ἐσμεν οἱ μεταβάλλοντες, καθὰ δὴ καὶ τὸ φῶς, τραχὺ μὲν τοῖς ἀσθενέσιν ὀφθαλμοῖς, λεῖον δὲ τοῖς καλῶς ἔχουσι διὰ τὴν ἑαυτῶν ἀσθένειαν καὶ μεταβολὴν, οὐ μὴν διὰ τὴν ἐκείνου.

Τὸν ὅμοιον δὴ τρόπον, ὅταν καὶ δημιουργὸς λέγηται καὶ βασιλεὺς καὶ Κύριος, οὐχ ὕστερον αὐτῷ ἐπεγένοντο· ἀλλὰ περὶ τὰ ἐν χρόνῳ ἡ κίνησις θεωρεῖται, αὐτοῦ ἀϊδίως ὄντος πρὸ πάντων τῶν αἰώνων καὶ δημιουργοῦ καὶ προνοητοῦ καὶ Κυρίου καὶ βασιλέως. Λέγονται δὲ ὑφ' ἡμῶν αὐτῷ, ὅτε ἐν χρόνῳ ἐκτίσθημεν· ἐπεὶ καὶ πρὸς ἡμᾶς ταῦτα λέγεται. Ἡ γὰρ κτίσις προῆν μὲν ἐν τῷ δημιουργῷ, ἀλλ' οὐχ ὡς κτίσις καὶ ποίησις, ἀλλ' ὡς λόγος καὶ παράδειγμα. Ὥστε δημιουργὸς ἦν ὁ Θεὸς πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ἀσχέτως καὶ ἀπολύτως· ἡ δὲ σχέσις, ἣν πρὸς τὰ δημιουργηθέντα ἔχει, πρὸς ὅρον ἔγχρονον λεγομένη, δι' αὐτὰ καὶ ἔστι καὶ λέγεται. Εἰ δέ τις ταύτην ἀϊδίως ἐν τῷ Θεῷ θεωρεῖ, ἀναγκασθήσεται καὶ τὰ δημιουργήματα τῷ Θεῷ λέγειν συναΐδια. Τέλειος οὖν ὁ Θεὸς ὑπάρχων καὶ ἀϊδίως δυνάμενος καὶ κτίζειν καὶ προνοεῖσθαι, ὕστερον καὶ δημιουργὸς παρ' ἡμῶν καὶ προνοητὴς ἐκλήθη, δημιουργηθέντων τῶν ὄντων, ἐπεὶ ἡ σχέσις αὕτη πρὸς αὐτὰ ἀποδίδοται. Τῶν γὰρ δημιουργηθέντων οὐκ ὄντων, δῆλον ὡς οὐδὲ δημιουργία ἂν ἐλέγετο, οὔτε μὴν συντήρησις αὐτῶν. Καὶ γάρ φησιν ὁ τῶν Γραπτῶν Θεόδωρος (18), *Τίνων γὰρ εἴη πρόνοια, μὴ ὄντος τοῦ σωζομένου; Τῶν γὰρ ἐν ἑκάστῳ ἡ πρόνοια.* Ὁ δὲ θεῖος Γρηγόριος ὁ Νύσσης, *Ὥσπερ οὖν οὐκ ἂν ἰατρὸς ἦν, φησὶν, εἰ μὴ τῶν νοσούντων χάριν· οὐδ' ἂν ἐλεήμων καὶ οἰκτίρμων καὶ τοιοῦτος κατωνομάζετο εἰ μὴ διὰ τὸν οἰκτιρμοῦ τε καὶ ἐλέους δεόμενον· οὕτως οὐδὲ παντοκράτωρ, εἰ μὴ πᾶσα ἡ κτίσις τοῦ περιχρατοῦντος αὐτὴν ἐδέετο.* Καὶ ὁ Δαμασκηνός (19) φησι, *Πρό-*

[21] Luc. VI, 36. [22] Ephes. V, 1. [23] Rom. XII, 2; Coloss. III, 10.

(17) *De divin. nom.* c. 9. p. 151 Lanselii edit.
(18) Theodori Grapti Vitam repræsentavimus in tomo CXVI. EDIT.
(19) Libr. II, c. 30.

Digitized by Google

digeret. Postremo Damascenus : *Providentia,* inquit, *est quam Deus curam adhibet rebus.*

Pedes autem atque incessum, manusque ac talia, cum de Deo, humano more, uti dicebamus, assumimus, certa quadam ratione cum iis quæ crassius pro corporum ratione sumpta sunt, etiam conceptus exponimus. Nempe hoc vult Scriptura, ut ex pedum gressu Dei adventum et præsentiam significet, sive ut his qui egent, opituletur, sive ut inimicos ulciscatur, vel aliorum aliquid operetur; quod nimirum pedum officio atque munere accedere ipsi soleamus. Manus autem cum dicimus, divinæ virtutis ac potentiæ vim in omnibus efficacissimam promptissimamque innuimus; quod nos etiam necessaria munia longeque præstantiora manibus nostris impleamus. Porro dexteram vocamus, quo ejus in sanctos opem significemus; ea scilicet ratione quod nos quoque in iis quæ majorem honestatem habent suntque præstantiora ac maximo egent robore, proclive dextera utamur. Cum autem Dei oculos, visumque et palpebras dicimus, ejus vim omnium inspectricem, ac, quam nihil lateat, scientiam significare volumus; quod hoc potissimum sensu perfectiorem scientiam ac certitudinem nanciscamur. Os autem orisque sermonem seu locutionem, ejus voluntatis manifestationem vocamus, quod scilicet usu humano oris munere ac locutione animi sensa aperiamus. Atque ut summa dicam, ejusmodi omnia in Deo dicimus, ut ex nostris operationibus ac virtutibus, quæ nobis superiora sunt, intelligamus, resque humanas eorum quæ majora sunt exemplum faciamus; uti fere illis accidit, qui in exiguo laterculo ac tabella, cœli orbem depingunt; idemque in aliis omnibus nominibus quæ de Deo dicuntur.

Vere itaque (quod initio dicebamus) Deus innominabilis est, ut qui omni nomine superior sit; nec ejus essentiæ terminus, seu definitio est. Nam si ea vis definitionis est, ut rem, de qua dicitur, contineat ac manifestet, quinam fiat, ut quod infinitum est ac incircumscriptum, ulla definitionis vi atque nominis manifestetur ac comprehendatur? Ac si rerum notitiæ sunt, quonam modo intelligetur, quod rebus omnibus omni quoque substantia (seu essentia) ac ipso postremum esse, superius est? Quod si supra omnem essentiam, palam est et supra omnem esse notitiam. Alio autem modo ex virtutibus ac operationibus, tum intelligitur, tum et nominatur, multisque nominibus dicitur. Etenim dum affirmando eum esse dicimus, ut est illud, *Ego sum qui sum*, ac simpliciter, ut rerum auctorem, et qui erat estque et futurus est, nominamus, non ipsum quidnam sit repræsentamus. Si quidem Deum (*Græce* Θεὸν) appellamus, non ejus declaramus naturam, sed quod vel currat (ὅτι θέει) resque obeat ac curet; vel ἐκ τοῦ αἴθειν, quod scilicet comburat, sumpta nominis appellatio est

A νειά ἐστιν· ἡ ἐκ Θεοῦ εἰς τὰ ὄντα γινομένη ἐπιμέλεια.

Πόδας δὲ καὶ βάδισιν καὶ χεῖρας καὶ τὰ τοιαῦτα, ὅταν ἐπὶ Θεοῦ λέγωμεν, κατὰ τὸ ἡμέτερον, ὡς ἔφαμεν, ἔθος, ἀναλόγως τοῖς κατὰ τὸ σωματικώτερον εἰλημμένοις καὶ τὰ νοήματα ἐκλαμβάνομεν. Ἀπὸ μὲν γὰρ τῆς τῶν ποδῶν βαδίσεως τὴν παρουσίαν δηλοῦν ἡ Γραφὴ βούλεται, ἢ τὴν πρὸς ἐπικουρίαν τῶν δεομένων, ἢ τὴν πρὸς ἄμυναν τῶν ἐχθρῶν, ἢ ἄλλην τινὰ πρᾶξιν, ἐκ τοῦ παρ' ἡμῖν διὰ τῆς τῶν ποδῶν χρήσεως ἐπιτελεῖσθαι τὴν ἄφιξιν· χεῖρας δὲ τὸ ἀνυσιμώτατον ἐν πᾶσι καὶ ἀθρόον αἰνιττόμεθα τῆς τοῦ Θεοῦ ἐνεργείας καὶ δυνάμεως. Καὶ γὰρ ἡμεῖς τὰ χρειώδη, καὶ μάλιστα τὰ τιμιώτερα διὰ τῶν οἰκείων κατορθοῦμεν χειρῶν. Δεξιὰν δὲ λέγομεν
B τὴν ἐπὶ τοῖς ὁσίοις παρ' αὐτοῦ βοήθειαν ἐνδεικνύμενοι· ἀπὸ τοῦ καὶ ἡμᾶς μᾶλλον ἐπὶ τῶν εὐσχημονεστέρων καὶ τιμιωτέρων καὶ πλείστης ἰσχύος δεομένων τῇ δεξιᾷ κεχρῆσθαι. Ὀφθαλμοὺς δὲ, ὁρᾶσιν καὶ βλέφαρα λέγοντες, τὴν περὶ ἅπαντα ἐποπτικὴν αὐτοῦ δύναμιν, καὶ τὸ ἀλάθητον τῆς αὐτοῦ γνώσεως βουλόμεθα νοεῖν· ἀπὸ τοῦ παρ' ἡμῖν διὰ ταύτης τῆς αἰσθήσεως ἐντελεστέραν γνῶσίν τε καὶ πληροφορίαν ἐγγίνεσθαι. Στόμα δὲ καὶ λαλιὰν λέγομεν τὸ ἐνδεικτικὸν τῆς βουλήσεως αὐτοῦ, ἐκ τοῦ παρ' ἡμῖν διὰ στόματος καὶ λαλιᾶ; σημαίνεσθαι τὰ ἐν καρδίᾳ νοήματα. Καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, τὰ τοιαῦτα πάντα ἐπὶ Θεοῦ λέγομεν, ἀπὸ τῶν καθ' ἡμᾶς ἐνεργειῶν τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς βουλόμενοι
C νοεῖν· καὶ τὰ καθ' ἑαυτοὺς μειζόνων ὑπόδειγμα ποιούμεθα, καθάπερ οἱ ἐν μικρῷ πίνακι τὸν οὐράνιον καταγράφοντες κύκλον· τὸ δ' αὐτὸ καὶ ἐπὶ πάντων ὀνομάτων συμβαίνει, τῶν ἐπὶ Θεοῦ λεγομένων.

Ἀληθῶς οὖν, ὅπερ ἐξαρχῆς ἐλέγομεν, ἀνώνυμός ἐστιν ὁ Θεὸς (20), ὡς ὑπὲρ πᾶν ὄνομα· καὶ τῆς οὐσίας αὐτοῦ οὐκ ἔστιν ὅρος. Εἰ γὰρ ὁ ὅρος περιεκτικός ἐστι καὶ δηλωτικὸς, ἐφ' ᾧ λέγεται, πῶς τὸ ἄπειρον καὶ ἀπερίγραπτον ὑπό τινος ὅρου καὶ ὀνόματος δηλωθήσεται καὶ περιληφθήσεται; Καὶ, εἰ τῶν ὄντων αἱ γνώσεις, πῶς νοηθήσεται τὸ ὑπὲρ πάντα τὰ ὄντα καὶ πᾶσαν οὐσίαν, καὶ ὑπὲρ αὐτὸ τὸ εἶναι ὄν; Εἰ δὲ ὑπὲρ πᾶσάν ἐστιν οὐσίαν, δῆλον ὅτι
D ὑπὲρ πᾶσάν ἐστι γνῶσιν (21). Τρόπον δὲ ἕτερον ἀπὸ τῶν ἐνεργειῶν καὶ νοεῖται καὶ ὀνομάζεται, καὶ πολυώνυμος λέγεται. Καὶ γὰρ εἰ καταφατικῶς τὸν αὐτὸν ὄν εἶναι λέγομεν, ὡς τὰ, *Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν*, ἁπλῶς ὄν λέγομεν, ὡς παραγωγέα τῶν ὄντων, καὶ ὅτι ἦν καὶ ἔστι καὶ ἔσται, οὐ τὸ τί ὂν ἐστι παριστῶμεν. Εἰ Θεὸν ὀνομάζομεν, οὐ τὴν φύσιν αὐτοῦ δηλοῦμεν, ἀλλ' ἢ ὅτι θέει καὶ περιέπει τὰ ὄντα, ἢ ἐκ τοῦ αἴθειν, ὃ ἐστι καίειν, εἴληπται τὸ ὄνομα. Καὶ γὰρ ὁ Θεὸς πῦρ, πᾶσαν μοχθηρίαν καταναλίσκον, ὅτι τῶν πραγμάτων σωστικός ἐστι, καθὸ πεφύκασιν· ἢ ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι τὰ πάντα. Ἀλάθητος γάρ ἐστι καὶ πάντων ἐπόπτης. Εἰ σοφὸν λέγομεν,

(20) Perinde Dionysius, Gregorius et Damascenus.
(21) Damasc. l. i, c. 9 et 11. Exod. iii, 14.

Digitized by Google

ἀπὸ τῆς ἐμφαινομένης τῷ κόσμῳ σοφίας τοῦτο λαμ- A
βάνομεν, ὡς ὁ μέγας Βασίλειος ἐν πρώτῳ τῶν Παροιμιῶν εἴρηκεν. Καὶ ὅλως τὸ, *Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ*, περὶ τῆς ἐμφαινομένης τῷ κόσμῳ σοφίας φησί· μονονουχὶ φωνὴν ἀφιείσης διὰ τῶν ὁρωμένων ὅτι παρὰ Θεοῦ γέγονε. Περὶ ταύτης γὰρ καὶ οἱ προφῆται διαποροῦσιν, ὁπόση τις οὖσα τυγχάνει, καθάπερ καὶ ὁ πολυμαθέστατος ἔφησε Σιράχ· *Ῥίζα σοφίας τίνι ἀπεκαλύφθη, καὶ τὰ πανουργεύματα αὐτοῦ τίς ἔγνω; Εἷς ἐστι σοφὸς, φοβερὸς σφόδρα, καθήμενος ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ. Αὐτὸς ἔκτισεν αὐτὴν, καὶ ἐξέχεεν ἐπὶ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ.* Εἰ δύναμιν εἴποιμεν αὐτὴν, τοῦτο δηλοῦμεν, ὅτι συντηρητικὸς τῶν γενομένων ἐστὶ, καὶ τὴν τοῦ συνέχεσθαι ταῦτα χορηγεῖ δύναμιν. Καὶ πάλιν ἀπὸ τῆς συντηρήσεως τῶν ὄντων πρόνοιαν αὐτὸν καλοῦμεν. Ὁ γὰρ Θεὸς τὴν ἀπάντων πρόνοιαν ποιεῖται, ὡς ὁ μέγας φησὶν Ἀθανάσιος ἐν τῷ κατὰ Ἀρειανῶν τρίτῳ. Φῶς δὲ, ὡς ποιητικὸν φωτὸς, λέγομεν, καὶ ὡς λαμπρότητα ψυχῶν καὶ λόγῳ καὶ βίῳ καθαιρομένων. Εἰ γὰρ καὶ σκότος λέγεται ἡ ἄγνοια καὶ ἁμαρτία, φῶς ἂν εἴη ἡ γνῶσις καὶ βίος ὁ ἔνθεος. Καὶ γὰρ καὶ ὁ θεῖος Διονύσιος (22) ἐν τῇ ἀναπτύξει τῆς θεωνυμικῆς φωτωνυμίας, *Φῶς*, φησὶ, *λέγεται τὸ ὑπὲρ πᾶν φῶς ἀγαθὸν, διὰ τὸ ἄγνοιαν καὶ πλάνην ἀπελαύνειν, καὶ γνώσεως τοὺς νοεροὺς ὀφθαλμοὺς ἐμπιπλᾶν. Ἐγὼ γὰρ*, φησὶ, *φῶς εἰς τὸν κόσμον ἐλήλυθα.* Καὶ, *Λύχνος τοῖς ποσί μου ὁ νόμος σου, καὶ φῶς τοῖς τρίβοις μου.* Καὶ, *Φῶς τὰ προστάγματά σου ἐπὶ τῆς γῆς.* Ζωὴν δὲ πάλιν λέγομεν (23), ὅτι φύσις ἐστὶ καὶ πάσης φύσεως λογικῆς καὶ ἀλόγου σύστασις. *Ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμέν.*

(*Deus* enim *ignis est, consumens* [21] omnem pravitatem), quod nempe res pro eo ac natæ sunt, præstet incolumes; vel ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, quod scilicet omnia contueatur: nihil quippe eum latere potest, omniumque inspector est. Sapientem dum dicimus, quod ita nuncupamus, ex sapientia quæ in mundo elucet, accipimus, uti magnus Basilius dixit primo capite libri Proverbiorum; prorsusque textus ille, *Dominus creavit me initium viarum suarum* [25], de sapientia sic in mundo elucente loquitur; quæ vix non vocem emittat, per ea quæ oculis conspicua sunt, factaque hæc Deo auctore loquatur. De hac enim etiam prophetæ quænam sit in quæstionem vertunt ac disputant, uti etiam eruditissimus Sirach ait: *Radix sapientiæ cui revelata est, et astutias* B *ejus quis novit? Unus est sapiens, metuendus nimis, sedens super thronum suum; ipse creavit eam, et effudit illam super omnia opera sua* [24]. Si potiamur ac virtutem eum dicimus, hoc significamus, esse nimirum eorum quæ facta sunt conservatorem, vimque qua hæc contineantur ac incolumia perstent, subministrare. Ac rursus, ex rerum conservatione Providentiam ipsum appellamus. *Deus enim rerum omnium curam gerit*, ut ait magnus Athanasius, libro III *contra Arianos*. Lucem vero dicimus, ut auctorem lucis, et ut animorum, ratione vitaque nitentium, splendorem. Nam si ignorantia et peccatum tenebræ dicuntur, plane fit ut scientia vitaque religiosis moribus instituta, lux sit. Nam et divinus Dionysius, quo loco divinam lucis nuncupationem exponit, *Bonum*, inquit, *quod omni luci* C *eminet, lux nuncupatur, eo quod ignorantiam ac errorem fugat, mentisque oculos scientia impleat. Ego enim*, inquit, *lux veni in mundum* [27]; et: *Lucerna pedibus meis lex tua, et lumen semitis meis* [28]; et: *Lux mandata tua super terram* [29]. Deinde vero vitam dicimus, quod natura, omnisque naturæ utentis ratione ac quæ ejus expers exsistat, vigor ac constitutio sit: *In ipso* enim *vivimus et movemur et sumus* [30].

Πάντα οὖν ὡς πάντων αἴτιος λέγεται. Οὐ μὴν ἡ οὐσία αὐτοῦ διὰ τούτων δείκνυται. Οὕτω γάρ φησιν ὁ Δαμασκηνὸς (24), ὅτι *Ὡς αἴτιος πάσης οὐσίας καὶ πάντων τῶν ὄντων, λέγεται καὶ ὢν καὶ οὐσία.* Καὶ ὡς αἴτιος λόγου παντὸς καὶ σοφίας, λογικοῦ τε καὶ σοφοῦ, λέγεται λόγος καὶ λογικὸς, σοφία καὶ σοφὸς, ὁμοίως καὶ νοῦς καὶ νοερὸς, ζωὴ καὶ ζῶν, δύναμις καὶ δυνατός· καὶ ἐπὶ πάντων τῶν λοιπῶν ὁμοίως. Εἰ τοίνυν ἀπὸ τῶν καταφατικῶν ὀνομάτων D ἡ οὐσία αὐτοῦ οὐ δείκνυται, πολλῷ μᾶλλον ἀπὸ τῶν ἀποφατικῶν τοῦτο οὐκ ἔσται. Οὐδεμία γὰρ ἀπόφασις, εἰ ἔστι καὶ τὴν οὐσίαν τοῦδέ τινος, ἀλλὰ τί οὐκ ἔστι δηλοῖ, ὄντος ἀναίρεσις, οὐκ ὄντος θέσις. Εἰ γὰρ ἀνούσιον αὐτὸν λέγοιμεν, ἢ ἄναρχον ἢ ἄχρονον ἢ ἀόρατον ἢ ἄφθαρτον, ταῦτα δηλοῦμεν, ὅτι ὑπὲρ πᾶσαν οὐσίαν ἐστὶ, καὶ ἀρχὴν καὶ χρόνον καὶ ὅρασιν καὶ φθοράν·

Omnia itaque vocatur, velut omnium auctor; nec his tamen ejus essentia quid sit ostenditur. Sic enim ait Damascenus, *Ut auctor omnis essentiæ atque omnium quæ sunt, tum qui est seu ens, tum essentia dicitur.* Utque auctor omnis rationis ac sapientiæ, præditique ratione ac sapientis, ratio dicitur utensque ratione, sapientiaque et sapiens, similiter etiam mens ac mente intelligens, vita ac vivens, potentia et potens; nec aliter de omnibus reliquis. Cum itaque ex iis nominibus quæ affirmandi ratione dicuntur, ejus minime ostendatur essentia; potiori longe ratione neque ex iis quæ per negationem feruntur. Nulla enim negatio ac inficiatio ullius rei quid est essentiamque significat; sed quid non est, cum rei amotio, non cujusquam positio sit. Cum enim essentiæ, aut principii autve

[21] Deut. IV, 24. [25] Prov. VIII, 22. [24] Eccli. I, 6. [27] Joan. XII, 46. [28] Psal. CXVIII, 105. [29] Isa. LIVI, 9. [30] Act. XVII, 28.

(22) *De divin. nom.* c. 4.
(23) Id. ibid. c. 6.
(24) Libr. I, c. 3.

Digitized by Google

temporis expertem, aut invisibilem aut incorruptibilem dicimus, hoc significamus, supra essentiam principiumque et tempus omnemque aspectum ac corruptionem esse; non quod non sit ac exsistat, velut id quod nusquam prorsus est aut exsistit; sed quod secundum excellentiam extra res omnes est, nec ulla est rerum, sed cunctis eminet. Simili quoque ratione, supra quam Deum dum dicimus, iis omnibus qui per gratiam dii sunt, eum superiorem significamus. Immobilem quoque, quod a nullo mobilis sit, sed potius ea ipse vi polleat, qua omnium motor exsistat. Incorporeum item, quod corpus non exsistat; nec non ingenitum (Græce ἀγένητον, quod increatum significat, dum uno ν scribitur, genitum vero ex Patre, dum duplici), quod a nullo procreationis ortum, et ut esset, acceperit. Infinitum vero, quod nullum habeat terminum, nec humano ullo cogitatu comprehendatur.

A οὐχ ὅτι μὴ ὄν ἐστιν, ὡς τὸ μηδαμῆ μηδαμῶς ὄν· ἀλλ' ὅτι πάντων τῶν ὄντων ὑπεροχικῶς ἐξήρηται, καὶ οὐδὲν τῶν ὄντων ἐστὶν, ἀλλ' ὑπὲρ τὰ πάντα. Ὡσαύτως καὶ ὑπέρθεον λέγοντες, ὑπὲρ πάντας τοὺς κατὰ χάριν θεοὺς δηλοῦμεν αὐτὸν εἶναι καὶ ἀκίνητον, ὅτι οὐκ ἔστι κινητὸς ὑπ' ἄλλου, κινητικὸς δὲ μᾶλλον ἁπάντων· καὶ ἀσώματον, ὅτι οὐκ ἔστι σῶμα· καὶ ἀγένητον (25), ὃ δηλοῖ τὸ ἄκτιστον δι' ἑνὸς γραφόμενον· τὸ γεννηθὲν δὲ ἐκ Πατρὸς διὰ δύο, ὅτι οὐχ ὑπό τινος τὴν γένεσιν καὶ τὸ εἶναι εἴληφεν· καὶ ἄπειρον δὲ, ὅτι οὐκ ἔχει πέρας, οὐδ' ἀνθρωπίνῃ διανοίᾳ περιλαμβάνεται.

Hactenus autem ex iis quæ affirmate dicuntur, convenientius sit Deum nominari. Affirmationes enim exsistentiam et quod est significant: negationes vero, privationem entisque absentiam. Porro nobilius meliusque quod ens est, eo quod non ens; exsistentiaque nihilo ac privatione. Nam et exsistentia atque ens ad bonum spectant; non ens vero et privatio, ad malum. Bonum enim ens est, entisque auctor et exsistentiæ: malum autem non ens, bonique et entis privatio.

B Τέως ἐκ τῶν καταφατικῶν πρεπωδέστερον τὸν Θεὸν ὀνομάζειν. Αἱ γὰρ καταφάσεις ὕπαρξιν καὶ ὂν δηλοῦσιν· αἱ δ' ἀποφάσεις στέρησιν καὶ μὴ ὄν. Τιμιώτερον δὲ καὶ βέλτιον τὸ ὂν τοῦ μὴ ὄντος· καὶ ἡ ὕπαρξις τῆς ἀνυπαρξίας καὶ στερήσεως· ἐπεὶ καὶ ἡ ὕπαρξις καὶ τὸ ὂν τῷ ἀγαθῷ ἀνήκει· τὸ δὲ μὴ ὂν καὶ ἡ στέρησις τῷ κακῷ. Τὸ γὰρ ἀγαθὸν ὂν καὶ ὄντος καὶ ὑπάρξεως αἴτιον· τὸ δὲ κακὸν μὴ ὂν καὶ ἀγαθοῦ καὶ ὄντος στέρησις.

Ac rursus, ex iis quæ affirmate dicuntur, convenientius a nobilioribus ac iis quæ ad ipsum magis accedant, nominabitur. Porro nobiliora illa exsistunt, quæ magis ipsum participant. Præstat igitur ab his eum nominare, solem, lucem, diem, vitam, ignem, spiritum, aquam, ut qui bonum vitale exsistat, quam tenebras ac noctem, aliaque dictis contraria. Nominatur enim Deus etiam nox ac tenebræ; quæ sunt quidem affirmantia, at quæ vim excellentis negationis habeant. Deum enim tenebras vocamus, ob ejus occultam ignotamque essentiam; non quod Deus tenebræ sit, sed quod non sit lux, qualem nimirum oculis usurpamus, sed supra omnem lucem. Eodem autem modo rursus etiam lucem dicimus, ut non esse tenebras significemus, quales sunt quæ animo intelliguntur; qui nimirum hocce istis studeamus, ut quidquid in Deo cogitaverimus omnemque de eo mentis informationem ab ipso removeamus, velut qui essentia omni ac cogitatu superior sit. Haud raro vero etiam ex utrisque (affirmatione et negatione) ipsum nominamus, ut cum dicimus: *Superessentialis essentia, supra quam Deus Deitas, principium principio omni superius*; ut nimirum qua parte inficiando loquimur, esse Deum supra ea quæ sunt, eosque qui dii per gratiam vocantur, ac quodvis tandem dicamus principium, significemus; quo scilicet Deum his omnibus eminere intelligamus, nec divinæ naturæ majestatem ad corporalem ullum cogitatum animique informationem detrahamus; qua parte vero affirmate

C Καὶ πάλιν ἐκ τῶν καταφατικῶν τοῖς τιμιωτέροις καὶ πλησιάζουσιν αὐτῷ οἰκειοτέρως ὀνομασθήσεται. Τιμιώτερα δὲ τὰ μᾶλλον αὐτοῦ μετέχοντα. Βέλτιον οὖν τούτοις αὐτὸν ὀνομάζειν, ἥλιον, φῶς, ἡμέραν, ζωὴν, πῦρ, πνεῦμα, ὕδωρ, ὡς ζωτικὸν ἀγαθὸν ὄντα, ἢ σκότος καὶ νύκτα, καὶ τἆλλα τἀναντία τοῖς εἰρημένοις. Ὀνομάζεται γὰρ ὁ Θεὸς καὶ νὺξ καὶ σκότος, ἃ καταφατικὰ μέν εἰσι, δύναμιν δὲ ὑπεροχικῆς ἀποφάσεως ἔχουσι. Σκότος γὰρ τὸν Θεὸν λέγομεν διὰ τὸ ἀπόκρυφον καὶ ἄγνωστον τῆς οὐσίας αὐτοῦ· οὐχ ὅτι ὁ Θεὸς σκότος ἐστὶν, ἀλλ' ὅτι οὐκ ἔστι φῶς, οἷον τὸ ὁρώμενον δηλονότι, ἀλλ' ὑπὲρ ἅπαν φῶς. Κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ φῶς πάλιν λέγομεν, ὅτι δηλονότι οὐκ ἔστι σκότος, οἷον τὸ νοούμενον· βουλόμενοι διὰ τούτων πᾶσαν ἣν ἂν ἐπὶ Θεοῦ φαντασθῶμεν φαντασίαν ἀποπέμπεσθαι, ὡς ὑπὲρ πᾶσαν οὐσίαν καὶ νόησιν ὄντος. Πολλάκις δὲ καὶ ἐξ ἀμφοτέρων, καταφάσεως καὶ ἀποφάσεως, αὐτὸν ὀνομάζομεν, ὡς ὅταν λέγωμεν, Ἡ ὑπερούσιος οὐσία, ἡ ὑπέρθεος θεότης, ἡ ὑπεράρχιος ἀρχή· ἵνα διὰ μὲν τοῦ μέρους τῆς ἀποφάσεως ὑπὲρ τὰ ὄντα καὶ τοὺς κατὰ χάριν θεοὺς καὶ τὴν ἀρχὴν, ὁποίαν ἂν ἡμεῖς εἴποιμεν, δηλώσωμεν εἶναι· ὡς ἂν ὑπέρτερον τούτων πάντων αὐτὸν ἐννοῶμεν, καὶ μὴ τὸ μεγαλεῖον τῆς θείας φύσεως εἴς τινα κατασπῶμεν σωματικὴν φαντασίαν· διὰ δὲ τοῦ μέρους τῆς καταφάσεως ἀληθῆ οὐσίαν, καὶ ἀληθῆ Θεὸν καὶ ἀληθινὴν ἀρχὴν αὐτὸν καταλαμβάνωμεν, καὶ πᾶσαν στέρησιν ἀτελοῦς νοήσεως ἀπ' αὐτοῦ ἀφαιρῶμεν. Ὅθεν εἰ καὶ ὁ μὲ Δαμασκηνὸς τῇ καταφατικῇ μᾶλλον ἐπὶ Θεοῦ τίθε

(25) *Ingenitus.* Sic et Gregorius et Damascenus, etsi nec ipsi aliique istud observant.

Digitized by Google

ται θεολογίᾳ, ὁ δὲ Θεῖος Διονύσιος τῇ ἀποφατικῇ, καὶ κατὰ τοῦτο διαφωνεῖν ἀλλήλοις δοκοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ ταύτην τὴν ἔννοιαν τοῖς ὀρθῶς ὁρῶσι καὶ σφόδρα συμφωνοῦσιν.

A eferimus, veram essentiam, verumque Deum et verum principium ipsum comprehendamus, omnemque privationem imperfecti conceptus ac cogitatus ab eo removeamus. Unde quamvis Damascenus affirmanti theologiæ in Deo magis tribuat, divinus vero Dionysius neganti, eaque ratione videantur inter se dissentire, sensu tamen jam explicato, recte dispicientibus valde etiam consentire comperiuntur.

Ὥσπερ οὖν ἐλέγομεν, ἀνώνυμος μέν ἐστιν ὁ Θεὸς κατὰ τὴν οὐσίαν, πολυώνυμος δὲ κατὰ τὰς ἐνεργείας. Τὸ γὰρ Θεῖον, ὅ τί ποτ' ἔστιν ἐκεῖνο, ἓν μὲν τῇ φύσει, ταῖς ἐνεργείαις δὲ ποικίλον. Ἐπεὶ γὰρ *ἀπὸ τῶν ὁρωμένων ὁ Θεὸς καθορᾶται*, κατὰ τὸν θεῖον Ἀπόστολον, πολλὰ δὲ τὰ ὁρώμενα καὶ διάφορα, εἰκότως καὶ πολλοῖς ὀνόμασιν αὐτὸν ὀνομάζομεν ὡς αἴτιον. Τὴν γὰρ τῶν ὀνομάτων ὕλην ἀπ' αὐτῶν ἔλκομεν, κατὰ τὸν θεῖον Γρηγόριον, ὃς φησι, *Τὰ ἐν τῷ παντὶ ἐνθεωρούμενα θαύματα τῶν θεολογικῶν ὀνομάτων τὴν ὕλην δίδωσι, δι' ὧν σοφὸν, δυνατὸν, ἅγιον, ἀγαθὸν, μακάριον, ἀΐδιον, κριτὴν, σωτῆρα, καὶ τὰ τοιαῦτα κατονομάζομεν.* Τὰ τοίνυν ὀνόματα καὶ νοήματα τὰ ἀπὸ τῶν ἐνεργειῶν ταῖς ἡμετέραις διανοίαις *συλλογιζόμενα* κατὰ τὸν τρόπον καὶ τὴν δύναμιν τοῦ ἀνθρωπίνου νοῦ, πολλὰ *καὶ διάφορα* ὄντα, τὰ μὲν ἀῤῥενικῶς προφερόμενα, τὰ δὲ θηλυκῶς, τὰ δὲ οὐδετέρως, τοῦ μεγαλείου τῆς *φύσεώς* εἰσιν ἐνδεικτικὰ, κατὰ τὸν μέγαν Βασίλειον ἐν τρίτῳ τῶν *Ἀντῤῥητικῶν*, καὶ τὸν αὐτὸν ἡμῖν ὑποσημαίνουσι Θεὸν, καὶ εἰς ἐπίνοιαν ἡμᾶς αὐτοῦ ἄγουσιν, εἰς ἕν τι τῆς ἀληθείας ἔνδαλμα, ὡς ὁ Θεολόγος λέγει Γρηγόριος (36)· οὐκ ἀναγκαζομένους διὰ τὴν τῶν ὀνομάτων προφορὰν καὶ τὴν τῆς διανοίας *ἀσθένειαν* ἢ ἄῤῥεν ἢ θῆλυ λέγειν ἐκεῖ· ἀλλὰ πᾶσαν *ὕλησιν* καὶ πᾶσαν ἀσθένειαν τοῖ; ἐν γενέσει καὶ φθορᾷ *συμβαίνουσαν* παντελῶς ἀπελαύνοντας· ὅπερ ἐστὶ μὲν καὶ ἀναγκαῖον.

Igitur, ut dicebamus, essentiæ quidem ratione Deus innominabilis est: ad operationes autem ac virtutes quod attinet, multiplex nominibus est. Nam Numen, id quod tandem est, unum natura est: verum operationibus ac virtutibus varium est. Ut enim auctor est divinus Apostolus: *Deus per visibilia* resque oculis subjectas, *conspicitur* [31]; cumque hæc multa sint et diversa, merito etiam multis eum nominibus, quatenus auctor ac causa B est, indigitamus. Teste enim beato Gregorio, ex illis nominum segetem trahimus. Ait enim: *Quæ in universo miracula conspiciuntur, theologicorum nominum materiam ministrant; unde sapientem, potentem, sanctum, bonum, beatum, æternum, judicem, servatorem, et quæ ejus generis sunt, eum nuncupamus.* Nomina itaque sensaque, pro humanæ mentis ratione et facultate ex operationibus ac virtutibus, cogitationibus nostris collecta, quæ multa sint ac diversa, aliaque masculine, feminine alia, atque alia neutro genere proferantur, vim habent ostendendæ majestatis, ut auctor est magnus Basilius, *Confutationum* libro III, atque unum nobis Deum significant, ad ejusque C conceptum ducunt: ad unum scilicet exile quoddam ac obscurius illius simulacrum et repræsentationem, ut Gregorius Theologus loquitur: nec quidquam nominum illa prolatione, mentisque ac intelligentiæ imbecillitate, cogimur, ut vel masculum vel femininum illic intelligamus: sed omnem cogitatum omnemque infirmitatem, quæ rerum ortui ac interitioni obnoxiarum affectio sit, procul abigamus: atque id vero necesse ut faciamus.

Διδάσκει δὲ πάλιν καὶ ὁ αὐτὸς μέγας Βασίλειος ἐν μὲν τῷ πρὸς Εὐστάθιον (37) ὅτι *Τὰ θεοπρεπῆ νοήματα καὶ ὀνόματα ἐφ' ἓν ὑποκείμενον χειραγωγεῖ τὴν διάνοιαν· καὶ ὅσαπερ ἂν εἴποις ὀνόματα, ἓν ἐστι διὰ πάντων τὸ σημαινόμενον· κἂν Θεὸν εἴπῃς, τὸν αὐτὸν ἐνδείξῃ, ὃν καὶ διὰ τῶν λοιπῶν ὀνομάτων·* ἐν δὲ τῷ κατ' Εὐνομίου πρώτῳ ἴσως οὕτως λέγει, *Ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ἐν τοῖς περὶ ἑαυτοῦ λόγοις τὴν φιλανθρωπίαν τῆς Θεότητος, καὶ τὴν ἐξ οἰκονομίας χάριν τοῖς ἀνθρώποις παραδηλῶν, ἰδιώμασί τισι τοῖς περὶ ἑαυτὸν θεωρουμένοις ἀπεσήμανε ταύτην, θύραν ἑαυτὸν λέγων καὶ ὁδὸν καὶ ἄρτον καὶ ἄμπελον καὶ ποιμένα καὶ φῶς· οὐ πολυώνυμός* D

Docet vero rursum idem quoque magnus Basilius, libro quidem *ad Eustathium: Divina sensa atque nomina, ad unum subjectum mentem manuducere; ac quæcumque dixeris nomina, id quod omnibus significatur, unum esse; sive Deum dixeris, eumdem ostendisti, quem et nominibus reliquis.* Priore vero, *adversus Eunomium*, sic diserte ait: *Dominus noster Jesus Christus, cum de seipso verba faceret, et Deitatis in homines affectum ac Incarnationis gratiam subaperiret, quibusdam proprietatibus, quas in eo considerare possimus, eam significavit. Ostium enim seipsum et vitam et panem et vitem et pastorem et lucem nominavit* [32]; *non quod multis nominibus præditus sit; nec enim cuncta hæc nomina*

[31] Rom. I, 20. [32] Joan. I, 7; XIV, 6; VI, 35; XV, 1; XI, 14; VIII, 12.

(36) Orat. 36.

(37) *Ἐν μὲν τῷ πρὸς Εὐστάθιον.* Eustathius hic Medicus; non alienus a Basilio, alius ab Eustathio Sebasteno episcopo, in quem idem Basilius strinxit stylum, et ad subscribendam Fidem coegit. Exstat exemplum epist. 78. Illic Calecas non totam refert Basilii sententiam, sed ex illa sublegit, quantum sibi ac instituto satis putavit. Quod scripsit τῷ, λόγον referat; etsi epistolari forma scriptus libellus est, nec epistolæ modum excedit, unde inter epistolas relatus est.

Digitized by Google

eodem inter se tendunt. Siquidem aliud lux, aliud vitis, aliud via, aliud pastor significat, sed cum unum quiddam sit, quatenus subjecti rationem habet, unaque substantia et simplex omniqne vacans compositione, alias aliter seipsum nominat, sibi ipse diversas appellationes subtili mentis cogitatu rationibusque inter se distinctas accommodans. Pro operationum enim effectorumque diversitate, atque ad ea quæ beneficio afficiuntur necessitudine, diversa quoque sibi nomina tribuit. Nam cum se mundi lumen dicit, partim inaccessam divinæ gloriæ majestatem hoc nomine significat, partim quod splendore scientiæ, eos qui mentis oculos depurgatos habent, illuminet. Vitem vero, quod omnes qui in eo per fidem radices egerunt, bonarum operationum fertilitate enutriat. Panem autem, quod partis animi utentis ratione convenientissimus cibus est, ejus vigorem continens, ac proprietatem servans incolumem, semperque a seipso quod defluit sarciens, nec ad ægritudinem, quæ ex bruta animi affectione inolescit, prolabi sinens. Ita si quis singula nominum pertractabit, varias rationes ac conceptus possit invenire, quamvis unum secundum substantiam iis omnibus subjiciatur. De Deo, unum hoc comprehendi potest, ait Gregorius Theologus, *quod infinitus est.* Gregorius item Nyssenus : *In eo quod comprehendi non potest, ejus cognitio est.* Hæc enim ejus propriissima nota ac insigne, quod ejus natura, conceptu omni, propria quasi nota distinguente ac insigniente, superior est.

Id vero cum se ita habeat, si quis quærat, quomodo alioqui Scriptura dicat, vidisse Deum prophetas, cujusmodi est illud : *Vidi Dominum Sabaoth, sedentem super solium excelsum et elevatum* [33], et quæ sunt ejus generis ; non ideo sublata Dei infinitas est. Ait enim Gregorius Theologus in theologicis suis Orationibus : *Etsi quis cognovit Deum, aut cognovisse Scriptura teste dicitur, eatenus cognovisse censendus est, quatenus uberioris splendoris particeps sit, quam qui minus luminis divinitus accepit. Ita exsuperantia hæc, plena et omnibus numeris absoluta cognitio habita est, non ad rei ipsius veritatem, sed ad aliorum modulum et facultatem perpensa.* Sed et prophetarum visa in eisdem spectra vocat, deque illis quæ iis conspecta sunt, universe fert sententiam : *Ita et hæc, sive diurnum quoddam hoc spectrum, solis viris sanctis spectabile, sive minime fallax noctis visio : sive mentis impressio quædam et informatio, sic cum rebus futuris ac cum præsentibus versans : sive arcanum quoddam aliud prophetiæ genus, dicere nequeo. Novit hoc prophetarum Deus, et qui hisce modis afflantur. Cæterum neque hi, de quibus sermo, nec quispiam alius ejusdem generis atque ordinis,*

τις ὢν· οὐ γὰρ πάντα τα ὀνόματα εἰς ταυτὸν ἀλλήλοις φέρει· ἄλλο γὰρ τὸ σημαινόμενον φωτὸς, καὶ ἄλλο ἀμπέλου, ἄλλο ὁδοῦ, καὶ ἄλλο ποιμένος· ἀλλ' ἓν ὢν κατὰ τὸ ὑποκείμενον, καὶ μία οὐσία καὶ ἁπλῆ καὶ ἀσύνθετος, ἄλλοτε ἄλλως ἑαυτὸν ὀνομάζει, ταῖς ἐπινοίαις διαφερούσας ἀλλήλων τὰς προσηγορίας μεθαρμοζόμενος. Κατὰ γὰρ τὴν τῶν ἐνεργειῶν διαφορὰν καὶ τὴν πρὸς τὰ εὐεργετούμενα σχέσιν διάφορα ἑαυτῷ καὶ τὰ ὀνόματα τίθεται. Φῶς μὲν γὰρ ἑαυτὸν τοῦ κόσμου λέγει, τό τε ἀπρόσιτον τῆς ἐκ Θεότητος δόξης διασημαίνων, καὶ ὡς τῇ λαμπρότητι τῆς γνώσεως τοὺς κεκαθαρμένους τὸ ὄμμα τῆς ψυχῆς καταγάζων· ἄμπελον δὲ, ὡς τοὺς ἐν αὐτῷ κατὰ πίστιν ἐρριζωμένους ἐπ' ἔργων ἀγαθῶν καρποφορίαις ἐντρέφων· ἄρτον δὲ, ὡς οἰκειοτάτη τροφὴ τοῦ λογικοῦ τυγχάνων, τῷ διακρατεῖν τὴν σύστασιν τῆς ψυχῆς, καὶ τὸ ἰδίωμα αὐτῆς διασώζειν, καὶ ἀναπληρῶν ἀεὶ παρ' ἑαυτοῦ τὸ ἐνδέον, καὶ πρὸς τὴν ἐξ ἀλογίας ἐγγινομένην ἀῤῥωστίαν οὐκ ἐῶν ἀποφέρεσθαι. Καὶ οὕτως ἄν τις τῶν ὀνομάτων ἕκαστον ἐφοδεύῃ, ποικίλας εὕροι τὰς ἐπινοίας, ἑνὸς ἑκάστου τοῦ κατὰ τὴν οὐσίαν τοῖς πᾶσιν ὑποκειμένου. Τοῦτο τοῦ Θεοῦ καταληπτὸν μόνον, ἡ ἀπειρία, κατὰ τὸν ἐν Θεολογίᾳ Γρηγόριον (38)· καὶ ὡς ὁ Νύσσης φησὶν, Ἐν μόνῳ τῷ μὴ δύνασθαι καταληφθῆναι γινώσκεται. Τοῦτο γὰρ αὐτοῦ ἰδιαίτατον γνώρισμα, τὸ παντὸς χαρακτηριστικοῦ νοήματος ὑψηλοτέραν αὐτοῦ εἶναι τὴν φύσιν.

Τούτου δὲ οὕτως ἐχόντος, εἴ τις ἀπορήσῃ πῶς ἐτέρωθεν ἡ Γραφὴ λέγει ὅτι τὸν Θεὸν οἱ προφῆται εἶδον, κατὰ τὸ, Εἶδον τὸν Κύριον Σαβαὼθ, καθήμενον ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ καὶ ἐπηρμένου, καὶ τὰ ὅμοια τούτοις· ἀλλ' οὐ παρὰ τοῦτο τὸ ἄπειρον εἶναι τὸν Θεὸν ἀναιρεῖται. Φησὶ γὰρ ἐν τοῖς θεολογικοῖς αὐτοῦ λόγοις ὁ Θεολόγος Γρηγόριος (39), Ὅτι εἰ καὶ ἔγνω τις Θεὸν ἢ ἐγνώκέναι μεμαρτύρηται, τοσοῦτον ἔγνω, ὅσον ἄλλου μὴ τὸ ἴσον ἐλλαμφθέντος φανῆναι φωτοειδέστερος· καὶ τὸ ὑπερβάλλον τέλειον ἐνομίσθη οὐ τῇ ἀληθείᾳ, τῇ δὲ τοῦ πλησίον δυνάμει παραμετρούμενον. Ἀλλὰ καὶ τὰς τῶν προφητῶν θεωρίας φαντάσματα ἐν τούτοις λέγει, καὶ περὶ τῶν θεαθέντων καθολικῶς ἐκφέρει τὸν λόγον. Οὕτω καὶ ταῦτα, εἴτε φαντασία τις ἦν ἡμερινὴ, μόνοις θεωρητὴ τοῖς ἁγίοις, εἴτε νυκτὸς ἀψευδὴς ὄψις, εἴτε τοῦ ἡγεμονικοῦ τύπωσις συγγινομένη τοῖς μέλλουσιν ὡς παροῦσιν, εἴτε τι ἄλλο προφητείας εἶδος ἀπόῤῥητον, οὐκ ἔχω λέγειν· ἀλλ' οἶδεν ὁ τῶν προφητῶν Θεὸς, καὶ οἱ ταῦτα ἐνεργούμενοι. Πλὴν οὔτε οὗτοι περὶ ὧν ὁ λόγος, οὔτε τις ἄλλος τῶν κατὰ τούτους ἔστη ἐν ὑποστήματι καὶ οὐσίᾳ Θεοῦ (40), κατὰ τὸ γεγραμμένον, οὐδὲ Θεοῦ φύσιν ἢ εἶδεν ἢ ἐξη-

[33] Isa. vi, 1.

(38) Orat. 34.
(39) Ibid.

(40) Ἔστη ἐν ὑποστήματι καὶ οὐσίᾳ Θεοῦ. Bill. hoc solum notat : *Verba sunt Jeremiæ*, cap.

Digitized by Google

γόρευσεν. Καὶ περὶ τοῦ Ἀβραὰμ δέ φησιν, *Οὐχ ὡς* A *in Dei substantia et essentia stetit, ut Scriptura*
θεὸν εἶδεν, ἀλλ' ὡς ἄνθρωπον ἐθρεψεν. Καὶ ἔτι *loquitur* [34], *nec Dei naturam aut vidit, aut aliis*
τὴν ἐν τῇ παρούσῃ ζωῇ μετὰ Μωσέως καὶ αὐτὸς *prodidit ac manifestavit.* Quin et de Abrahamo sic
παρὰ Θεοῦ γνῶσιν καὶ ἰδεῖν καὶ παθεῖν ἐξηγούμε- ait : *Non ut Deum vidit, sed ut hominem aluit.*
νος, *Μικρὸν*, φησὶ, *διακύψας, οὐ τὴν πρώτην καὶ* Præterea, quam et ipse cum Mose præsenti vita a
ἀκήρατον εἶδον φύσιν, καὶ ἑαυτῇ, λέγω δὴ τῇ Deo cognitionem et videat et experiatur, enarrans :
Τριάδι, γινωσκομένην· καὶ ὅση τοῦ πρώτου *Aliquantum*, inquit, *prospiciens, non primam ac*
καταπετάσματος εἴσω μένει, καὶ ὑπὸ τῶν Χερου- *purissimam vidi naturam, sibique ipsi, id est Trini-*
βὶμ συγκαλύπτεται· ἀλλ' ὅση τελευταία καὶ *tati notam, et quanta primo velo obtenditur, et a*
εἰς ἡμᾶς φθάνουσα· ἡ δέ ἐστιν, ὡς ἐμὲ γινώ- *Cherubim obtegitur, verum quanta postrema est et*
σκειν, ἡ ἐν τοῖς κτίσμασι προβεβλημένη καὶ *ad nos pertingit. Ea autem est, ut quidem ipse*
διοικουμένη μεγαλειότης· ἣ καὶ, ὡς ὁ θεῖος Δα- *cognitione assequor, majestas illa, sive etiam, ut*
βὶδ ὀνομάζει, μεγαλοπρέπεια. Ταῦτα γὰρ τοῦ *divinus David appellat* [35], *magnificentia, quæ in*
θεοῦ τὰ ἐπίσθια, ὅσα μετ' ἐκεῖνον ἐκείνου γνω- *rebus ab eo creatis productisque ac gubernatis elu-*
ρίσματα. Τίνα δὲ ταῦτα τὰ γνωρίσματα δηλῶν, *cet. Hæc enim Dei posteriora sunt, quæcunque post*
ἐπήγαγεν, *Ὥσπερ αἱ καθ' ὑδάτων ἡλίου σκιαὶ* B *eum exsistunt, nobisque ipsius Numen declarant.*
καὶ εἰκόνες, ταῖς σαθραῖς ὄψεσι παραδεικνῦ- Quænam vero sic declarantia, ejusque velut notæ
σαι τὸν ἥλιον, ἐπεὶ μὴ αὐτὸν προσβλέπειν exsistant, ut ostenderet, adjecit : *Non secus videli-*
οἷόν τε, τῷ ἀκραιφνεῖ τοῦ φωτὸς νικῶντα τὴν *cet ac solis in aquis umbræ ac simulacra, infirmis*
αἴσθησιν. Καὶ τὰ πάντα συμπεραίνων, φησὶν, *oculis solem repræsentant, quandoquidem eum*
Οὕτως οὖν θεολογήσεις, κἂν ἧς Μωϋσῆς καὶ *obtueri non liceat, utpote lucis puritate sensum*
Φαραὼ Θεός· κἂν μέχρι τρίτου οὐρανοῦ κατὰ *superantem.* Cunctaque demum concludens, *Ad*
Παῦλον φθάσῃς, καὶ ὑπὲρ ἐκεῖνον γένῃ ἀγγελι- *hunc itaque modum*, inquit, pro *theologi munere de*
κῆς στάσεώς τε καὶ τάξεως ἠξιωμένος. Ὁ δὲ *Deo disputabis, vel si Moses Deusque Pharaonis*
μέγας Βασίλειος ἐν τῷ κατ' Εὐνομίου πρώτῳ φησὶν, *exstiteris* [36], *vel si ad tertium ipsum cœlum, velut*
Ὅσα παρὰ τοῖς θεολόγοις περὶ οὐσίας Θεοῦ ἀνα- *Paulus* [37], *evaseris, illoque superior effectus angeli-*
γεγράφθαι δοκεῖ, τροπολογίαις τισὶν ἢ καὶ ἀλλη- *cam stationem atque ordinem nactus fueris.* Magnus
γορίαις πρὸς ἑτέρας ἐννοίας οἱ λόγοι φέρουσι. vero Basilius, libro I *Adversus Eunomium*, ait :
Πῶς τούτοις δὲ καὶ ὁ θεῖος Χρυσόστομος ἐν τοῖς *Quæcunque apud theologos de Dei essentia conscripta*
περὶ Ἀκαταλήπτου λόγοις οὐδὲ τοὺς Σεραφὶμ ὁρᾶ- C *videntur, tropologia quadam, seu etiam allegoria*
σθαι τὸν Θεὸν ἰσχυρίζεται, ἀλλὰ καὶ τὰς θεωρίας *ad alias mentem sententias ac cogitationes avocant.*
τῶν προφητῶν καὶ τῶν ἁγίων ἁπάσας συγκαταβά- Ad hæc etiam divinus Chrysostomus in iis oratio-
σεις εἶναι διασαφεῖ. Ἑρμηνεύων δὲ καὶ τί ἐστι συγ- nibus, quas de Incomprehensibili habuit, nec a
κατάβασις, ἐπάγει λέγων, *Συγκατάβασις δέ ἐστιν* Seraphim quidem videri Deum astruit. Sed et
ὅταν μὴ ὡς ἔστιν ὁ Θεὸς (41) *φαίνηται, ἀλλ' ὡς* prophetarum sanctorumque visiones omnes, συγκα-
ὁ δυνάμενος αὐτὸν θεωρεῖν οἷός τέ ἐστιν, οὕτως ταβάσεις (nos *condescensus* dicamus, si ita liceat
ἑαυτὸν δεικνύῃ, ἐπιμετρῶν τῇ τῶν ὁρώντων loqui, seu demittentis se Dei inclinationes) decla-

[34] Jerem. XXIII, 18. [35] Psal. VIII, 2. [36] Exod. VII, 1. [37] II Cor. XII, 2.

23 : Τίς ἔστη ἐν ὑποστήματι Θεοῦ ; Quod sane nimis defunctorium. Accepisse Gregorium eam vocem κατὰ πρόχειρον, primum obvio sensu, pro eo quod communius theologi ὑπόστασιν dicunt, liquet ex adjuncta voce, καὶ οὐσία. Longe tamen est a veritate Hebraica, quam latuisse τοὺς 70 seniores, re sic perspicua, aut aliud voluisse reddere, quam textus ipse ferret, haud verisimile est. סוד יהוה וברזו : *Quis in secreto Domini.* Syriac. Arab. : *Quis interfuit secreto meo?* Vulg. *consilio.* Voce ὑποστήματι et ὑποστάσει statim seq. vers. 22, ut 70, *fundamentum* voluerunt quod idem ac consilium est, quod scilicet consilium fundamentum actionum humanarum a verbo יסד *fundavit*, quod et sentiunt Rabini. Nihil ergo viri sapientissimi a reliquis sensu differunt, quem tamen ægre quis assequatur, nihil in Hebraicis versatus. Videantur notata Nobil. ad illum Jerem. XXIII, 18 versiculum.

(41) *Ὅταν μὴ ὡς ἔστιν ὁ Θεός.* Difficilis hæc Chrysostomi aliorumque Græcorum doctrina ; quam et urget in beatis ipsis mentibus. Non videre scilicet veram et sinceram ejus essentiam, sed τὴν συγκατάβασιν, eam ejus inclinationem, qua se pro illarum facultatis modulo componit : ut si divina essentia, nedum nobis mortalibus, sed et illis ἀπρόσιτος, *inaccessa*, ac quam inhabitat lucem, ut auctor est Apost. II Tim. VI : Ἵνα δὲ μάθῃς, ὅτι οὐκ ἀνθρώποις μόνον, ἀλλὰ καὶ ταῖς ἄνω δυνάμεσίν ἐστιν ἀπρόσιτος· *Ut non solum hominibus, sed et virtutibus supernis esse inaccessibilem noveris.* Ubi non satis apte interpretatur Theodorus Gaza, *incomprehensibilem.* Num satis ad mentem Chrys. quas nostri passim adhibent solutiones, non hujus loci aut operæ sit disquirere. Certum est, huic tantæ disputationi ansam dedisse Anomœos, qui se Deum comprehendere, ac sic clare videre ac cognoscere, ac ipse seipsum, impudentissimi hominum dicerent, quos perinde exagitant Greg. in Orationibus de theologia, Basil. l. I, *Adversus Eunom.*, quibus confutandis nihil mirum videri sanctos Patres tantisper metam excessisse. Certe abhorrere videntur τὸ, μὴ ὡς ἔστιν ὁ Θεός· et : Ὅμοιοι αὐτῷ ἐσόμεθα, ὅτι ὀψόμεθα αὐτὸν, καθώς ἐστι· *Similes eis erimus, quia videbimus eum, sicuti est* (*I Joan.* III, 2), et, *non sicuti est.* Nec enim aliter velit Joannes visuros nos Deum, quam videant supernæ Potestates; cum magnum sit, ut sit mensura hominis, quæ est angeli, simulque et nos in cœlis sicut angeli Dei.

Digitized by Google

rant. Exponens vero etiam quidnam sit condescensus, subjungit, dicens : *Est autem condescensus cum apparet Deus, non sicuti est, sed cum se pro ejus facultate, qui videre potest, sic seipsum exhibet, videntium imbecilli ati commetiens, quod se spectandum præbet.* In Veteri quoque Testamento, tanquam ex Dei persona dicitur : *Ego visiones multiplicavi, et in manibus prophetarum assimilatus sum* [38]. Divinus autem Dionysius sic ait : *Quod si etiam Clemens philosophus, quæ in rebus principatum tenent, exemplaria ad aliquid dici sentit : progreditur, quam tradit doctrinam, non ex propriis, remque omnino exprimentibus ac simplicibus verbis. Sed ut concedamus hoc etiam recte dici, tamen meminisse debemus theologiæ, quæ ait : Non ostendi tibi ut ambules post ea, sed ut per horum certa quadam ratione notitiam, ad universorum causam* (omnium scilicet auctorem) *quoad licet provehamur.*

A ἀσθενείᾳ τῆς ὄψεως τὴν ἐπίδειξιν. Καὶ ἐν τῇ παλαιᾷ Γραφῇ ὡς ἀπὸ προσώπου τοῦ Θεοῦ λέγεται, Ἐγὼ ὁράσεις ἐπλήθυνα, καὶ ἐν χερσὶ προφητῶν ὡμοιώθην. Ὁ δὲ θεῖος Διονύσιος οὕτω φησὶν (42), Εἰ δὲ καὶ ὁ φιλόσοφος ἀξιοῖ Κλήμης πρός τι παραδείγματα λέγεσθαι, τὰ ἐν τοῖς οὖσιν ἀρχηγικώτερα· πρόεισι μὲν οὐ διὰ κυρίων καὶ παντελῶν καὶ ἁπλῶν ὀνομάτων ὁ λόγος αὐτῷ. Συγχωροῦντας δὲ καὶ τοῦτο ὀρθῶς λέγεσθαι, τῆς θεολογίας μνημονευτέον φασκούσης ὅτι Οὐ παρέδειξά σοι τοῦ πορεύεσθαι (43) ὀπίσω αὐτῶν· ἀλλ' ἵνα διὰ τῆς τούτων ἀναλογικῆς γνώσεως ἐπὶ τὴν πάντων αἰτίαν ὡς οἷοί τε ἀναχθῶμεν.

Non igitur dicemus videri Deum secundum essentiam suam. Sic enim sancti rem amoliuntur, ut nec in symbolis naturalibus, quæ ex terrenis forte rebus, pro humani sensus ratione intelligamus, ejus essentiæ comprehensionem admittant. Tum enim Gregorius Nyssenus ad illud : *Quæsivi eum, et non inveni* [39], ejusmodi hærens sententiæ : *Quinam etiam,* inquit, *inveniri possit, quem nulla indicet earum rerum, quæ in notitiam veniunt? Non forma, non color, non circumscriptio, non quantitas, non locus, non figura, non comparatio, non conjectura, non proportio ; sed extra omnem comprehensionis vim atque conatum semper inveniatur ?* Tumque divinus Maximus, ejus quod est quando et ubi et quomodo conceptum a Deo removet, quod humanæ mentis conjecturam omnem excludit. Quod enim de rebus conjicimus, vel in eo positum est, ut quomodo illæ se habeant intelligamus ; cujusmodi est, cum collatis utrinque rationibus, ac veluti subducto calculo, certe aliquid concludimus, vel ubinam aliquid exsistat; ut : Ubi fumus, ibi et ignis; aut in eo quod quis aliquid fecerit ; puta, Mulier hæc lactat, plane igitur peperit. Si enim Deum, cum adhuc in carne mortales sumus, pro nostri sensus modulo et ratione videre non possumus, quænam erunt quæ in promissioni-

B Οὐ τοίνυν ἐροῦμεν τὸν Θεὸν ὁρᾶσθαι κατὰ τὴν οὐσίαν αὐτοῦ (44). Τοῦτο γὰρ τοσοῦτον οἱ Ἅγιοι ἀπωθοῦνται, ὥστε οὐδ' ἐν συμβόλοις φυσικοῖς, ἅπερ ἂν ἴσως ἐννοήσωμεν ἀπὸ τῶν καθ' ἡμᾶς ἐνύλων πραγμάτων, τὴν τῆς οὐσίας αὐτοῦ κατάληψιν παραδέχονται. Ὅ τε γὰρ θεῖος Γρηγόριος ὁ Νύσσης ἐν τῷ, Ἐζήτησα αὐτὸν καὶ οὐχ εὑρέθη, τῆς τοιαύτης ἐννοίας ἀπτόμενος, Πῶς ἄν, φησὶν, εὑρεθείη, ὃν μηνύει τῶν γινωσκομένων οὐδέν; οὐκ εἶδος, οὐ χρῶμα, οὐ περιγραφή, οὐ ποσότης, οὐ τόπος, οὐ σχῆμα, οὐ στοχασμός, οὐκ εἰκασμός, οὐκ ἀναλογία· ἀλλὰ πάσης καταληπτικῆς ἐφόδου ἐξώτερον ἀεὶ εὑρισκόμενον; Ὅτε θεῖος Μάξιμος (45), τὴν τοῦ πότε καὶ ποῦ καὶ πῶς ἔννοιαν ἐπὶ Θεοῦ ἀναιρεῖ, ὅπερ ἀποπέμπει παντὸς εἰκασμοῦ C διάνοιαν· ἐπεὶ οὗτος ἡ ἐν τῷ πῶς ἔχειν συνίσταται, οἷόν ἐστι τὸ λογίζεσθαι τὸ λογιζόμενον, ἢ ἐν τῷ ὅπου πάρεστιν, ὡς ἔνθα καπνὸς, ἐκεῖ καὶ πῦρ· ἢ ἐν τῷ, τί δέδρακεν, ὡς, ἥδε ἡ γυνὴ θηλάζει, τέτοκεν ἄρα. Εἰ γὰρ τὸν Θεὸν ἔτι ἐν σαρκὶ ὄντες οἱ ἄνθρωποι οὐχ ὁρῶσιν ἀναλόγως ἑαυτοῖς, τίνα ἔσται τὰ ἐν ἐπαγγελίαις ἀγαθὰ τὰ ἀποκείμενα τοῖς ἁγίοις, περὶ ὧν ὁ Ἀπόστολος λέγει, *Καὶ οὗτοι πάντες μαρτυρηθέντες διὰ τῆς πίστεως οὐκ ἐκομίσαντο τὴν ἐπαγγελίαν, τοῦ Θεοῦ περὶ ἡμῶν κρεῖττόν τι προβλεψαμένου, ἵνα μὴ χωρὶς ἡμῶν τελειω-*

[38] Osee XII, 10. [39] Cant. III, 1.

(42) *De divin. nom.*, c. 5, p. 228 Lanselii.

(43) *Οὐ παρέδειξά σοι τοῦ πορεύεσθαι.* Hæc infert Dionysius ex eo, quod solum scriptum est : Ὅρα, ποιήσεις κατὰ τὸν τύπον τὸν δεδειγμένον σοι ἐν τῷ ὄρει· *Vade, facies secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte.* Quod enim unum hoc expressit Scriptura, unum finem Intelligi voluit sic ostensorum exemplarium ; artis scilicet imitationem, non diviniorem aliquem cultum, si exemplaria intelligamus, non ipsas divinas voluntates ac decreta, vere ipsa adoranda, quæ sint ipse Deus ; sed principaliora creata, sive spiritalia sive sensilia, quomodo intellexit, quem refert, Clemens Philosophus. Ait Pachim. quosdam exposuisse Clementem Romanum, sed certe videbatur tantæ sedis episcopus et apostolorum discipulus alio nomine compellandus. Stromateum non potuit citare, qui vel fuit longe illo antiquior, vel videri

D voluit.

(44) *Τὸν Θεὸν ὁρᾶσθαι κατὰ τὴν οὐσίαν αὐτοῦ.* Videatur velle et Calecas, non videri ipsam divinam essentiam, quod nec ejus conceptum ullum, qui vere illius conceptus sit, hocce ævo habeamus : abstrahente scilicet illa, ab iis omnibus, quibus convestitur quidquid pro hac vita intelligimus. Evincunt certe hæc, Deum majorem esse nostro intellectu, nedum ut eum comprehendat, uti hanc vocem stricte accipiunt nostrates theologi, sed ut etiam vere, quod quid est ejus, intelligat atque videat : non Deo auferunt, quin lumen suum impartiendo, claram ei sui notitiam, et ut est, cunctis rebus eminens extraque omnia, beatitudinis præmio præbere valeat.

(45) Sic sæpe Maximus, cui accidentia hæc rerum creatarum sunt *sine quibus non.*

Digitized by Google

θῶσι· δηλονότι πρὸ τῆς μελλούσης ἀποκαταστάσεως (46). Καὶ πῶς ὁ αὐτὸς Ἀπόστολος λέγει καὶ, *Βλέπομεν γὰρ ὄρτι ἐν ἐσόπτρῳ καὶ αἰνίγματι, τότε ὀψόμεθα πρόσωπον πρὸς πρόσωπον*. Καὶ ὁ θεῖος Διονύσιος (47), *Ἐφ' ὅσον τῷ σώματι σύνεσμεν, οὐ δυνατὸν ἡμῖν ἐκλάμψαι τὴν θεουργικὴν ἀκτῖνα* (48), *μὴ τῇ ποικιλίᾳ τῶν ἱερῶν καταπετασμάτων ἀναγωγικῶς περικεκαλυμμένην, καὶ τοῖς καθ' ἡμᾶς προνοίᾳ πατρικῇ συμφυῶς καὶ οἰκείως διεσκευασμένην*. Ὅπερ ἐπὶ τὸ σαφέστερον ὁ θεῖος διαρθρῶν Μάξιμος, *Δίχα τύπων*, φησὶ, *καὶ συμβόλων οὐ δυνατὸν ἡμᾶς ἐν σαρκὶ ὄντας κατοπτεῦσαι τὰ ἄϋλα καὶ ἀσώματα*. Καὶ πῶς ὁ αὐτὸς πάλιν ὡς ἀπὸ τοῦ Ἀποστόλου εἰρηκεν, ὅτι πᾶσα γνῶσις τοῦ αἰῶνος τούτου καὶ ἡ ἄγαν ὑψηλὴ καὶ μετέωρος, πρὸς τὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος συγκρινομένη, στοιχειώδης ἐστὶ καὶ οἷον χαρακτῆρος ζῶντος εἰκὼν, ἥτις οὐκ ἔσται τῆς ἀληθοῦς φανείσης ζωῆς τε καὶ γνώσεως. *Εἴτε γὰρ γνῶσεις*, φησὶ, *παύσονται, εἴτε προφητεῖαι καταργηθήσονται*· κατὰ τὸν Ἀπόστολον δηλονότι λέγοντα, *Ὅταν δὲ ἔλθῃ τὸ τέλειον, τότε τὸ ἐκ μέρους καταργηθήσεται*.

bus bona sanctis reposita sunt, de quibus ait Apostolus : *Et hi omnes testimonium per fidem promeriti, non acceperunt promissionem, Deo de nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur* [50] ; ante scilicet futuram in integrum restitutionem. Quonam autem modo idem Apostolus ait : *Videre nunc in speculo et ænigmate, tunc autem visuros facie ad faciem* [51]. Beatus quoque Dionysius : *Quandiu versamur in corpore, non aliter posse deificum radium nobis illucere, quam sacrorum velaminum varietate ad mentes sursum evehendas obtectum, paternaque in nos cura, per res nobis familiares, naturali quadam convenientia ac necessitudine conptatum.* Idque clarius distinguens exponensque divinus Maximus : *Absque figuris*, inquit, *ac symbolis fieri non potest, ut qui in carne versamur, quæ immaterialia sunt et incorporea intueamur.* Id vero quonam modo contingat, idem rursus docuit quasi ex Apostolo, nempe omnem sæculi hujus scientiam, quantumvis sublimis ac celsa sit, si cum ævi futuri scientia conferatur, elementarem esse, ac veluti viventis personæ simulacrum, quod vera apparente vita ac scientia, minime futurum sit. *Sive enim*, inquit, *scientiæ cessabunt, sive prophetiæ evacuabuntur;* uti nimirum auctor est Apostolus, dum ait : *Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* [52].

Πῶς οὖν ταῦτα πάντα φυλαχθήσονται, καὶ τὰ τοῖς ἁγίοις πρότερον εἰρημένα, εἴ τις τὸν Θεὸν λέγει κατὰ τὴν οὐσίαν �ρᾶσθαι ; Εἰ δέ τινα ταράττει τὸ τοῦ Θεοῦ ὄνομα κείμενον ἐν ταῖς τῶν προφητῶν θεωρίαις καὶ τῶν ἄλλων ἁγίων, ὡς τὸ, *Ὤφθη Κύριος ὁ Θεὸς τῷ Ἀβραὰμ*, καὶ, *Εἶπεν ὁ Θεὸς τῷ Μωϋσεῖ ἐκ τῆς βάτου*, καὶ τἆλλα, ἵνα μὴ καθέκαστον ἀριθμῶ· ἀλλ' ὁ θαυμαστὸς φησι Διονύσιος (49), *Ἄλογον καὶ σκαιὸν εἶναι τὸ μὴ τῇ δυνάμει τοῦ σκοποῦ προσέχειν, ἀλλὰ ταῖς λέξεσιν*. Τοῦτο γὰρ τοὔγκλημα τῶν Ἰουδαίων ἐστίν· οἵ γε εἴπερ ἐβούλοντο μὴ ταῖς λέξεσιν, ἀλλὰ τῇ δυνάμει τοῦ σκοποῦ προσέχειν, οὐδὲν ἐκώλυσε τὸν Χριστὸν Υἱὸν Θεοῦ ὁμολογοῦντας, Χριστιανοὺς μεθ' ἡμῶν καὶ εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι· οἷς πάντως ὁμοιωθησόμεθα καὶ ἡμεῖς, εἰ τοῦτον τὸν τρόπον τὰς

Quonam igitur modo cuncta hæc constabunt, ac quæ superioribus sanctis dicta sunt, si quis Deum secundum essentiam dicat videri? Sin autem aliquem turbat, quod in prophetarum aliorumque sanctorum visionibus Dei nomen exstat, ut est illud : *Apparuit Dominus Deus Abrahæ.* Et : *Dixit Dominus Moysi de rubo*, aliaque, ne singula quæque percenseam. Verum ait admirabilis Dionysius : *Aversum a ratione stupidique animi esse, non eorum quæ dicuntur vim finemque attendere, sed vocibus animum proclive adhibere.* Quippe Judæorum hoc crimen est. Si enim non vocibus, sed rerum scopo attendere animum libuisset, quin et ipsi Christum, Dei Filium confitendo, una nobiscum Christiani essent ac audirent, nihil quidquam obstaret; quibus plane nos etiam similes efficiemur, si Scripturas

[50] Hebr. xi, 39. [51] I Cor. xiii, 12. [52] I Cor. xiii, 7.

(46) *Πρὸ τῆς μελλούσης ἀποκαταστάσεως.* Verum id quidem, de perfecta omnino consummatione, quando reparatis corporibus, Sancti simul beandi sunt. Potuit tamen non sic intelligere Calecas, sed quod ante diem judicii animæ non donentur ipso Dei conspectu, aliæque aliis priores, quæ plurium fuit opinio ante Bened. XII definitionem, quæ ipsum latere potuit, vel si paulo recentior fuit, Græcum scilicet hominem, inque Græcis quam Latinis auctoribus versatiorem : ac vel maxime, quod Romanorum antistitum dogmatica decreta, necdum in plenario concilio probata, non admodum Græcos fatigent, et qui Romanæ diœcesis non censeantur.

(47) *De cælest. Hierarchia*, c. 1.

(48) *Τὴν θεουργικὴν ἀκτῖνα.* Reliqui constanter θεαρχικήν· etsi utraque vox apta sit. Potuit Calecas, quod si occurrit memoriæ, edere; vel vocem θεαρχικήν, tantisper notiori voce exponere; quæ ipsa Dionysio familiaris est· cui divinæ Christi operationes, θεουργίαι sunt; ac sacris operans, θεουργός. Vocat ergo θεουργικὴν ἀκτῖνα, radium quo ad divina provehimur ac quasi deificamur; qui est ipse θεαρχικὴ ἀκτὶς, quasi *deitatis auctor et origo seu principium radius*; eodem sensu quo exposita, n. 1, vox ἀρχιθέος. Lansel. *divinus* vertit; Cord. *divino principalis;* quæ vox turgentior est, quam satis rem explicet. Pachym. perinde simplicius, τὴν θείαν ἀκτῖνα· sicque non raro aptius reddantur compositæ Dionysii voces, simplicibus quam affectatione nimia, ac Latinis auribus duriore expressione, compositis.

(49) *Ἄλογον καὶ σκαιὸν εἶναι. De divin. nom.*, c. 4, Lansel. et Cord. *Alienum a ratione et absurdum.* Mihi magis placet, quod tantis vocem σκαιὸς exponit Hesych. ut sit *morosi animi, indisciplinati, stupidi*, ac si quid ejusmodi est, quod personam afficiat, sic prave judicantem, non quod ad rem ipsam attineat.

Digitized by Google

hoc modo exponamus. Quin et illis deteriores videbimur, quo et Deum corpore concretum intelligemus, iisdemque ac corpus affectibus obnoxium existimabimus. Statim enim lex vetus a Deo data Mosi esse dicitur [43]; hincque est cur a Deo conscripta nuncupetur. Apostolus tamen de illa dicit : *Si qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis prævaricatio et inobedientia accepit justam mercedis retributionem*, et quæ sequuntur [44]. Rursus, Scriptura idipsum de Moyse nobis enarravit, dum ait : *Et vocavit eum de rubo* [45]. Atqui non Deus erat, qui inde vocavit, ut ex sacris doctoribus qui locum exposuerunt, liquido audire licet. Rursus etiam Deum Abrahæ hospitio susceptum ait [46]; quod tamen non Deus, sed angeli essent, docet divinus Paulus : *Hospitalitatis*, inquit, *nolite oblivisci; per hanc enim inscientes quidam angelos exceperunt hospitio* [47]; quod sic loquitur, Abrahamum subinnuens; de quo etiam ait Gregorius Theologus : *Quid Abrahamum Dei convivam fecit?* Alibi vero dicit : *Non ut Deum vidit, sed ut hominem aluit.* Rursus quoque alio loco scribit : *Deum crucifixum, idque latronum medium;* quod si deitatis ratione dictum intelligamus, in quantam sermo blasphemiam vertetur? Sin autem ratione carnis assumptæ existimabimus, a vera intelligentia nihil abscedemus.

Ad hæc Manue ait Scriptura dixisse : *Periimus, mulier, Deum vidimus* [48]; nempe Deum vocans, quod conspexerat, illique apparuerat signum. Ac rursus : *Deus stetit in cœtu deorum, in medio autem deos dijudicabit* [49]. Paulus item : *Siquidem sunt multi dii, uti etiam sunt* [50]. Mitto alia dicere, quæcunque Scriptura Deum divinasque apparitiones vocat, quæ sancti multifariam multisque modis dicta visaque informarunt; quæ omnia procul esse a divina essentia, et per angelos velut scenica quadam repræsentatione exhibita, monstravit sanctus Dionysius, quæstionem solvens, de divinis apparitionibus, quæ immediate fiant; docensque sanctos omnes Patres, tum qui legem præcesserunt, tum qui secuti sunt, hoc nactos, ut per angelos ad Deum proveherentur.

Accedit quod et baptisma, Θεοφάνεια (ac si dicas divinam Deique apparitionem) vocamus; quod in eo Christus carne visus sit; et Spiritus sanctus descendisse dicatur, quanquam tunc in specie columbæ, ad Christi dispensationem implendam, ex aereo corpore ex tempore formatæ, visus sit, uti sancti tradunt, ac præcipue Augustinus in lib. *De*

A Γραφὰς ἐκλαμβάνομεν. Μᾶλλον δὲ καὶ χείρους αὐτῶν φανούμεθα, παρόσον καὶ σωματικὸν τὸν Θεὸν ἐννοήσομεν, καὶ τὰ τοῦ σώματος εἰησόμεθα πάσχειν. Αὐτίκα γὰρ ὁ μὲν παλαιὸς νόμος παρὰ Θεοῦ δεδόσθαι λέγεται τῷ Μωσεῖ, καὶ θεόγραφος διὰ τοῦτο προσείρηται· ὁ δ' Ἀπόστολος περὶ αὐτοῦ φησιν, *Εἰ ὁ δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος ἐγένετο βέβαιος, καὶ πᾶσα παράβασις· καὶ παρακοὴ ἔλαβεν ἔνδικον μισθαποδοσίαν*, κ. τ. ἑ. Πάλιν ἡ Γραφὴ τοῦτ' αὐτὸ περὶ τοῦ Μωϋσέως ἡμῖν ἐξηγήσατο, *Καὶ ἐκάλεσεν αὐτὸν*, εἰποῦσα, *Κύριος ἐκ τῆς βάτου*· καίτοι οὐ Θεὸς ἦν ὁ καλέσας αὐτὸν ἐξ ἐκείνης τῆς βάτου, ἀλλ' ἄγγελος, ὡς ἔστιν ἀκοῦσαι τῶν ἐξηγουμένων ταῦτα ἱερῶν διδασκάλων. Καὶ πάλιν τῷ Ἀβραὰμ τὸν Θεὸν ἐπιξενωθῆναί φησιν· B ὅτι δὲ οὐ Θεὸς ἦν, ἀλλ' ἄγγελοι, ὁ θεῖος Παῦλος διδάσκει, *Μέμνησθε* (50), λέγων, *τῆς φιλοξενίας· διὰ ταύτης γὰρ ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους*· τὸν Ἀβραὰμ αἰνιττόμενος διὰ τούτου· περὶ οὗ καὶ ὁ Θεολόγος Γρηγόριός φησι, *Τί τὸν Ἀβραὰμ Θεοῦ πεποίηκεν ἑστιάτορα;* Ἀλλαχοῦ δὲ λέγει, *Οὐχ ὡς Θεὸν εἶδεν, ἀλλ' ὡς ἄνθρωπον ἔθρεψεν*. Καὶ πάλιν ἑτέρωσε γράφει, *Θεὸν σταυρούμενον* (51), *καὶ τοῦτον μετὰ λῃστῶν*· ὅπερ εἰ κατὰ τὴν θεότητα ἐννοήσομεν, εἰς πολλὴν δυσφημίαν ὁ λόγος ἔσται. Διὰ δὲ τὴν προσληφθεῖσαν σάρκα τοῦτο εἰρῆσθαι νομίζοντες, τῆς ἀληθοῦς διανοίας οὐκ ἀφιστάμεθα.

Ἔτι τὸν Μανωὲ φησιν εἰπεῖν ἡ Γραφὴ, *Ἀπολώλαμεν, ὦ γύναι· Θεὸν ἑωράκαμεν*· τὸ φανὲν C αὐτῷ σύμβολον Θεὸν ὀνομάσας. Καὶ πάλιν, *Ὁ Θεὸς ἔστη ἐν συναγωγῇ θεῶν· ἐν μέσῳ δὲ θεοὺς διακρινεῖ*. Καὶ ὁ Παῦλος, *Εἰ γὰρ εἰσὶ πολλοὶ θεοὶ, ὥσπερ οὖν καὶ εἰσί*. Ἐῶ λέγειν τἄλλα ὅσα Θεὸν καὶ θεοφανείας ἡ Γραφὴ καλεῖ, τὰ τοῖς ἁγίοις πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως λαληθέντα καὶ φανταθέντα, ἃ πάντα πόρρω εἶναι τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ, καὶ δι' ἀγγέλων δραματουργεῖσθαι ὁ ἅγιος Διονύσιος (52) ἀπέδειξε, λύων τὴν περὶ τῶν ἀμέσων θεοφανειῶν ἀπορίαν, καὶ διδάσκων τοὺς πρὸ νόμου καὶ μετὰ νόμον πάντας θείους ἡμῶν Πατέρας δι' ἀγγέλων εἰς Θεὸν ἀνάγεσθαι.

Πρὸς τούτοις καὶ τὸ βάπτισμα Θεοφάνεια καλοῦμεν, ὅτι ἐν τούτῳ σαρκί τε ὁ Χριστὸς ἑωρᾶτο, καὶ D τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιόν φαμεν καταπτῆναι, καίτοι τότε φανὲν ἐν εἴδει περιστερᾶς πρὸς τὴν χρείαν τῆς Χριστοῦ οἰκονομίας, ἐκ τοῦ ἀερίου σώματος σχεδιασθείσης, ὡς οἱ ἅγιοί φασι, καὶ μάλιστα ὁ Αὐγουστῖνος ἐν τῷ περὶ Τριάδος βιβλίῳ· καὶ τῇ ἀκουσθείσῃ φωνῇ

[43] Exod. xxxi, 18. [44] Hebr. ii, 2. [45] Exod. iii, 4; Act. vii, 55. [46] Gen. xviii, 13. [47] Hebr. xiii, 2. [48] Judic. xiii, 22. [49] Psal. lxxxi, 1. [50] I Cor. viii, 5.

(50) *Μέμνησθε*. Apud Paulum est, Μὴ ἐπιλανθάνεσθε, ut et Vulg. *Nolite oblivisci*. Sicque scripserit Calecas festinante calamo, et ut memoriæ occurrebat.

(51) *Θεὸν σταυρούμενον*. Sic orat. 42 : Θεὸς σταυρούμενος, quanquam locus hic citatus, aliunde acceptus : pauloque superius eadem orat. αἷμα Θεοῦ καὶ πάθος dicit, *Dei sanguinem et passionem*; quem et bibendum et corpus manducandum statuit, si modo vitæ desiderio teneamur, nihil incredduli τοῖς περὶ σαρκὸς λόγοις· *sermonibus de carne*; quibus scilicet Christus, sic in cibum se daturum pollicitus, haud dubie et dedit.

(52) *De cœl. Hier.*, c. 4, § 2.

Digitized by Google

τὸν Πατέρα γνωσθῆναι λέγομεν. Ἂν οὖν τὰ πρὸ τοῦ A νόμου καὶ μετὰ νόμον φανέντα τοῖς ἁγίοις Θεοῦ οὐσίαν εἴπωμεν, ἀναγκασθησόμεθα καὶ τὰς ἀκουσθείσας αὐτοῖς φωνὰς ἐκ τοῦ Θεοῦ λέγειν, ὥστε καὶ ὄργανα φωνητικὰ τούτῳ προσάπτειν· ὅπερ ἄτοπον ὁμοῦ καὶ γελοῖον.

Τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων, οὐκ ἂν ὀρθῶς εἴποιμεν τὴν θείαν Γραφὴν ἢ τοὺς ἁγίους κυρίως τοῖς ὀνόμασιν ἐπὶ τούτων κεχρῆσθαι, ἀλλὰ μᾶλλον καταχεχρῆσθαι, καὶ ἀδιαφόρως τοῖς τύποις περιτιθέναι τὰ ὀνόματα καὶ ἰδιώματα τῶν ἀτυπώτων καὶ ἀμορφώτων, ὡς ἔχει τὸ τοῦ Παύλου, *Ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ Χριστός*· καὶ ὁμωνύμως ταῦτα λέγειν, τοῖς τῶν εἰκονιζομένων ὀνόμασι τὰ εἰκονίζοντα καλοῦντας· ἃ δὴ πολλὰ καὶ διάφορα καὶ ἄλλοτε ἄλλως ἐχοντα B ἐφάνησαν. Ὁμοιώματα γὰρ ἐν ταῖς χερσὶ τῶν προφητῶν εὑρέθησαν· καὶ σύμβολα καὶ συγκαταβάσεις καὶ γνωρίσματα οἱ ἅγιοι ἐξηγήσαντο, ὡς ἀπὸ τῶν ἐκτεθέντων δῆλον· ὁ δὲ Θεὸς τὸ διὰ πάντων τυπούμενον καὶ εἰκονιζόμενον εἷς καὶ ὁ αὐτὸς καὶ ἀμετάβλητός ἐστιν ἀεί ποτε. Τὸ δὲ τὸν Θεὸν τοῖς ἁγίοις ὀφθῆναι διαγαρεύειν οὐκ ἄλλο πάντως ἢ τὸ γνῶσιν αὐτοὺς εἰληφέναι περὶ αὐτοῦ βούλεται, κατὰ τὴν ὁρώντων ἀναλογίαν καὶ καθαρότητα, διὰ τῶν συμβολικῶν αὐτοῖς θεαθέντων· ἐπεὶ καὶ ἡ περὶ Θεοῦ γνῶσις καὶ νόησις ὅρασις λέγεται Θεοῦ· καὶ ὁ τὴν γνῶσιν ταύτην εἰληφὼς αὐτὸν ἑωρακέναι. Ὁ μὲν γὰρ Γρηγόριος ὁ Θεολόγος ἐν τῷ περὶ Υἱοῦ (53) φησιν, *Ὁ γενοηκὼς τὸν Υἱὸν* (τοῦτο γὰρ τὸ *ἑωρακέναι*) *γενόηκε τὸν Πατέρα*· ὁ δὲ θεῖος Χρυσόστομος (54), τοῦ εὐαγγελικοῦ ῥητοῦ μνησθείς, τοῦ *Ἀπεκρίθη τοῖς Ἰουδαίοις καὶ εἶπεν, Οὐχ ὅτι τὸν Πατέρα τις ἑώρακεν, εἰ μὴ ὁ ὢν ἐκ τοῦ Θεοῦ, οὗτος ἑώρακε τὸν Πατέρα*, εἴρηκεν, *Ὅρασιν ἐνταῦθα τὴν γνῶσιν λέγει*, ἣν δὴ γνῶσιν καὶ νόησιν, καὶ διὰ τῶν τοῦ Σωτῆρος θαυμάτων τοῖς τότε παροῦσι γεγενῆσθαι διδάσκει. Λέγει γάρ, *Τίνος δὲ ἕνεκεν οὐκ ἀνέβη εὐθὺς εἰς τὸ πλοῖον; Τὸ θαῦμα μεῖζον ἐργάσασθαι βουλόμενος, καὶ τὴν θεότητα ἀνακαλύψαι αὐτοῦ γυμνότερον*. Καὶ ταῦτα δὲ τὰ θαύματα δόξαν αὐτοῦ ὁ αὐτὸς οὗτος λέγει ἐν τῇ κατὰ Ἰωάννην ἐξηγήσει (55), *Ταῦτα οὖν ἅπαντα*, λέγων, *συναγαγὼν ὁ Εὐαγγελιστὴς τὰ θαύματα, τὰ ἐν σώμασι, τὰ ἐν ψυχαῖς, τὰ ἐν τοῖς στοιχείοις· τὰ προστάγματα, τὰ δῶρα, τὰ ἀπόῤῥητα ἐκεῖνα καὶ τῶν οὐρανῶν ὑψηλότερα· τοὺς νόμους, τὴν πολιτείαν, τὴν πειθώ, τὰς μελλούσας ὑποσχέσεις, τὰ παθήματα αὐτοῦ, τὴν θαυμαστὴν ταύτην καὶ ὑψηλῶν γέμουσαν δογμάτων ἀφῆκε φωνήν, λέγων, « Ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς Μονογενοῦς παρὰ Πατρὸς, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. » Οὐ γὰρ διὰ τὰ θαύματα μόνον αὐτὸν θαυμάζομεν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὰ παθήματα· οἷον ἐπειδὴ

Trinitate; auditaque voce dicimus Patrem cognitum esse. Igitur si ante postque legem sanctis visa, essentiam Dei dixerimus, cogemur et auditas illis voces ex Deo Deique voces dicere; adeo ut etiam loquendi organa illi tribuamus; quod absurdum pariter ac ridiculum est.

Hæc vero cum se ita habeant, haud recte dicamus, Scripturam sanctosque in his proprie vocibus usos, sed magis illis abusos, ac promiscue earum rerum nomina ac proprietates, quæ nullis figuris, nullaque forma repræsentari possunt, figuris tribuisse; cujusmodi est illud Pauli : *Petra autem erat Christus* [51], hæcque illos, communi nomine non eadem nominis ratione (ὁμωνύμως vocant, nos *æquivoce*) dicere; eorum scilicet nominibus, quæ simulacro repræsentantur, repræsentantia vocantes; quæ plane multa sunt ac diversa, aliasque aliter se habentia conspecta sunt. Simulacra enim in manibus prophetarum exstiterunt [52]; sanctique symbola seu signa, et condescensus (ut sic loquar, inclinantis se nimirum majestatis demissiones) indiciaque exposuerunt; ut liquet ex iis quæ sic exponendo ediderunt. Qui autem his omnibus figuratur ac simulacro repræsentatur, unus idemque ac incommutabilis in sempiternum est. Quod autem Scriptura Deum sanctis apparuisse illisque conspectum esse refert, nihil prorsus aliud vult ac significat quam accepisse illos ejus notitiam ac cognitionem, pro suæ facultatis ac puritatis modo, per signa illa quæ sibi exhibita conspexerunt. Nam et C quæ de Deo cognitio habetur, ac quod intelligitur, Dei visio nuncupatur; ac qui eam nactus est cognitionem, Deum vidisse perhibetur. Etenim ait Gregorius Theologus, *Orat. de Filio : Qui Filium cognovit, seu intellexit* (*hoc enim significat illud* : Qui vidit) *Patrem quoque cognovit seu intellexit*. Divus item Chrysostomus, quo loco evangelicæ hujus sententiæ meminit : *Respondit Judæis et dixit* : « *Non quia Patrem vidit quis, nisi qui ex Deo est, hic vidit Patrem* [53]; » ait : *Visionem hoc loco cognitionem vocat*, quam utique cognitionem seu notitiam, ex Salvatoris quoque miraculis, his qui tunc aderunt contigisse docet. Ait enim : *Cur vero non statim ascendit in naviculam? Nempe hoc satagens, ut miraculi magnitudinem augeret, ac deitatem suam clarius manifestaret*. Hæcque adeo miracula idem ipse *ejus gloriam ac claritatem* vocat, expositione sua in Joannem : *Iis igitur omnibus*, inquiens, *miraculis ab evangelista collectis, quæ in corporibus, quæ in animis, in elementis; præceptis donisque, arcanis illis cœloque altioribus, legibus, disciplina, suadendi vi, futurorum promissionibus, cruciatibus ejus ac tormentis, in admirandam hanc illam cœlestisque doctrinæ plenam vocem erupit* :

[51] I Cor. x, 4. [52] Osee xii, 20. [53] Joan. vi, 46.

(53) Orat. 36, quæ est II, de Filio.
(54) Hom. 31 in I ad Cor.
(55) Hom. 11 in Joan.

Digitized by Google

« *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* [54]. » *Neque enim miraculorum gratia Christum duntaxat admiramur, sed et passionum ac crucialuum, quod nempe cruci affixus ac verberibus cæsus, quod alapis acceptus, quod conspulus, quod ab illis ipsis, in quos beneficia contulerat, in maxilla percussus. Nam et in his ipsis, quæ probri et ignominiæ plena esse videntur, illud idem rursus verbum merito proloquamur, quod et ipse rem gloriam appellarit.* Sic quidem divinus Chrysostomus. Magnus autem Basilius : *Ex eo*, inquit, *quod venti et mare obedierunt ei, deitatem illius cognoverunt.* Enimvero cognitio hæc cum perfectior fuerit, regnum cœlorum a Gregorio existimatur. Etenim, *Orat. de constitutione episcoporum : Regnum Dei*, inquit, *nihil aliud esse existimo, quam ejus, quod purissimum ac perfectissimum est, adeptionem. Perfectissima porro rerum omnium est Dei cognitio. Verum eam, quandiu in terra versamur, partim teneamus, partim percipere studeamus, partim denique in futurum ævum reservemus.* Oratione vero *In lumina*, futuram mercedem una cum præceptis suscipiendam ac credendam hortans : *Eam lucem*, ait, *iis qui animo et mente purgati fuerint; hoc est Deum, sese cuique, pro ejus puritatis ratione, spectandum cognoscendumque præbentem, id quod regnum cœlorum appellamus; iis contra, qui animi cæcitate laborant, tenebras esse, hoc est, abalienationem atque aversionem a Deo, pro hebetudinis ac cæculientiæ modo, qua quisque in hac vita affectus fuerit.* Hanc porro Dei cognitionem sanctis repositam, quam a resurrectione speramus, *unionem, vim omnem mentis excedentem*, vocat sanctus Dionysius, per quam erit *Deus omnia in omnibus* [55], ut auctor est beatus Paulus. Verum de his postea : nunc vero liquidissime omnibus patet quod dicebamus, Dei nullum nomen esse, eumdemque rursus multa nomina habere. Ejus quidem nullum nomen est, quod ad essentiam attinet; habet vero ac nominatur ex illis miraculis, quæ in universo elucent. Sic et Gregorius Nyssenus aiebat : *Quæ in universo miracula conspiciuntur, materiam præbent ut eum sapientem et justum, et quæ sunt ejusmodi, vocemus.* Simili modo utrumque

προσηλώθη τῷ σταυρῷ καὶ ἐμαστιγώθη · ἐπειδὴ ἐῤῥαπίσθη, ἐπειδὴ ἐνεπτύσθη, ἐπειδὴ ἔλαβεν ἐπὶ κόῤῥης πλαγὰς (56) παρὰ τῶν εὐεργετηθέντων αὐτῶν. Καὶ γὰρ καὶ ἐπὶ τούτοις αὐτοῖς τοῖς δοκοῦσιν ἐπονειδίστοις εἶναι · τὸ αὐτὸ πάλιν ῥῆμα ἄξιον ἐπιφθέγξασθαι · ἐπεὶ καὶ αὐτὸς δόξαν τὸ πρᾶγμα ἐκάλεσε. Ταῦτα μὲν ὁ θεῖος Χρυσόστομος· ὁ δὲ μέγας Βασίλειος, Ἀπὸ τῶν ἀνέμων, φησὶ, καὶ τῆς θαλάσσης ὑπακηκοάντων αὐτῷ ἐγνώρισαν αὐτοῦ τὴν θεότητα. Ἀλλὰ μὴν ἡ γνῶσις αὕτη τελεωτέρα καθισταμένη, βασιλεία οὐρανῶν Γρηγορίῳ τῷ Θεολόγῳ δοκεῖ, Καὶ γὰρ ἐν τῷ περὶ κατασταίσεως ἐπισκόπων (57), Ἡγοῦμαι, φησὶ, μὴ ἄλλο τι εἶναι βασιλείαν Θεοῦ ἢ τὸ τυγχεῖν τοῦ καθαρωτάτου καὶ τελειοτάτου. Τελεώτατον δὲ τῶν ὄντων γνῶσις Θεοῦ. Ἀλλὰ τὸ μὲν κατάσχωμεν, τὸ δὲ καταλάβωμεν, ἕως ἐσμὲν ὑπὲρ γῆς · τὸ δὲ ἐκεῖθεν ταμιευσώμεθα. Ἐν δὲ τῷ εἰς τὰ Φῶτα λόγῳ (58), καὶ τὴν μέλλουσαν ἀνταπόδοσιν μετὰ τῶν προστεταγμένων δέχεσθαι τὸν βαπτιζόμενον παρακαλευόμενος, Ταύτην εἶναι φησὶ φῶς τοῖς κεκαθαρμένοις τὴν διάνοιαν, τουτέστι Θεὸν ὁρώμενόν τε καὶ γινωσκόμενον κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς καθαρότητος · ὃ δὴ καὶ βασιλείαν οὐρανῶν ὀνομάζομεν · σκότος δὲ τοῖς τυφλόττουσι τὸ ἡγεμονικόν · τουτέστιν ἀλλοτρίωσιν Θεοῦ κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς ἐντεῦθεν ἀμβλυωπίας. Ταύτην δὴ τὴν περὶ Θεοῦ γνῶσιν τὴν ἁγίοις ἀποκειμένην μετὰ τὴν ἐλπιζομένην ἀνάστασιν ὑπὲρ νοῦν ἕνωσιν ὁ ἅγιος Διονύσιος (59) καλεῖ, καθ' ἣν ὁ Θεὸς ἔσται *πάντα ἐν αὐτοῖς*, κατὰ τὸν μακάριον Παῦλον. Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων ὕστερον · νῦν δὲ καθαρώτατα διὰ πάντων φαίνεται ὅτι, ὥσπερ ἐλέγομεν, καὶ ἀκώνυμός ἐστιν ὁ Θεὸς, καὶ πάλιν ὀνομάζεται · ἀνώνυμος μὲν κατὰ τὴν οὐσίαν, ὀνομαζόμενος δὲ ἀπὸ τῶν ἐμφαινομένων τῷ παντὶ θαυμάτων. Οὕτω γὰρ ὁ Νύσσης Γρηγόριος ἔλεγε, *Τὰ ἐν τῷ παντὶ ἐνθεωρούμενα θαύματα τὴν ὕλην δίδωσι, δι' ὧν σοφὸν καὶ δίκαιον, καὶ τοιαῦτα καλοῦμεν.* Τὸν ὅμοιον τρόπον εἴποιμεν ἂν ἑκάτερον ὀρθῶς, *Ὅτι τὸν Θεὸν οὐδεὶς πώποτε τεθέαται*, καὶ ὅτι πάλιν τὸν αὐτὸν καὶ προφῆται καὶ ἅγιοι εἶδον, κατ' ἄλλο δηλονότι καὶ ἄλλο· τὸ μὲν, διὰ τὸ μὴ εἶναι δυνατὸν τὴν τοῦ Θεοῦ φύσιν περιλα-

[54] Joan. I, 14. [55] I Cor. XV, 28.

(56) *Ἔλαβεν ἐπὶ κόῤῥης πληγός*. Sic emendo quod erat in Caleca editisque Chrys. κόρης. Non enim ἐπὶ κόρης, quod est *pupilla oculi*, percutere licuit, vel Dominus id passus legitur, sed ἐπὶ κόῤῥης, *in gena*, pro quo Joannes ῥάπισμα et ῥαπίζειν dixit, quod minus Atticum est; voluerit que Chrys. posita prius Evangelica voce, ipsa simpliciore, elegantiore hac exque usu Græci sermonis rem declarare. Unde et Lucas, qui purius Græce locutus est, sic expressit, Καὶ περικαλύψαντες αὐτὸν, ἔτυπτον αὐτοῦ τὸ πρόσωπον, *percutiebant faciem ejus*; nempe dando alapas. Thomas Magister, Τὸ, ἐπὶ κόῤῥης πατάξαι, dicit, τὴν γνάθον πλατεῖᾳ πλῆξαι χειρί. Atque ita Atticum esse, non item ῥάπισμα δοῦναι. Sequentibus male Aniano habitus locus Chrysostomi. Tantis enim, quæ ex ejus Græcis reddidi, sua hæc substituit : *Iterum rursus verbum clarissimum apparuit, hoc Joannes gloriam appellavit.* Dicas περὶ Λόγου, *de divino Verbo* sermonem esse, cum sit ῥῆμα, referatque totam superiorem sententiam ; *Vidimus gloriam ejus quasi Unigeniti a Patre*, quam et in passionibus ait merito de Christo celebrari ; ac inde probat, quod ὁ αὐτὸς (nempe Λόγος ac Christus, ipse Unigenitus) *rem*, passionem suam, *gloriam* appellarit, ac claritatem, δόξαν. Sic enim Chrysost. exponit, et cum eo alii, quod ait Dominus, Joan. XII et XIII : *Venit hora ut clarificetur Filius hominis ; continuo clarificabit eum, etc.*

(57) Orat. 29.

(58) Orat. 40, quæ est in sanctum baptisma.

(59) *De divin. nom.*, c. I, § 7.

Digitized by Google

δεῖν, καὶ ὑπὸ τοῦ πεπερασμένου τὸ ἄπειρον καὶ ὡρίστον περιεχρατῆθαι· τὸ δὲ, διὰ τὴν γνῶσιν ἣν ἴσχον περὶ ἐκείνου διά τίνων συμβόλων, κατὰ τὴν τῶν ὁρώντων ἀναλογίαν, καὶ τὴν τῶν ὁρωμένων εἰκασίαν καὶ φαντασίαν.

recte dixerimus : *Deum neminem vidisse unquam* [56]; ac rursus, eumdem et prophetas et sanctos vidisse, alia scilicet atque alia ratione; alterum quidem, quod Dei natura comprehendi non possit, infinitaque et immensa majestas sub velamine continetur; alterum, ob cognitionem quam de illa per signa quædam, pro aspicientium ratione, earumque rerum quæ aspectu cernuntur conjectura ac informatione, habemus.

Τὸ δ' αὐτὸ καὶ περὶ τῆς μετοχῆς ἔστι λέγειν. Καὶ γὰρ μετέχομεν τοῦ Θεοῦ. *Ἐνοικήσω γὰρ*, φησὶν, *ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐμπεριπατήσω·* καὶ, *Ἐγὼ καὶ ὁ Πατὴρ ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν.* Ἀλλ' οὐχ ὡς ἔχει φύσεως ἢ θεότητος· τοῦτο γὰρ τῶν Μασσαλιανῶν ἐστιν ἡ αἵρεσις (60)· ἀλλ' ὡς φησιν ἡ κατ' αὐτῶν γενομένη σύνοδος. Λέγει γάρ, *Γίνεταί τις ἐπιδημία τοῦ Παρακλήτου, καὶ ἐνοικεῖ τοῖς ἀξίοις ὁ Θεὸς, ἀλλ' οὐχ ὡς ἔχει φύσεως ἢ θεότητος. Εἰ δέ τινες ἐγένοντο Μασσαλιανοὶ φάσκοντες μετέχειν τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ, μεταβαλλούσης εἴς τι τῶν καταλλήλων αὐτοῖς, καὶ ταύτῃ τὸν Θεὸν οἰκεῖν ἔλεγον ἐν ἑαυτοῖς, ἡμεῖς τὴν τοιαύτην δυσσέβειαν εἰς τὰς ἐκείνων κεφαλὰς ἀποτροπιαζόμεθα. Καὶ γὰρ μᾶλλον τοῖς τοῦ ἁγίου Διονυσίου λόγοις ἑπόμενοι, πᾶν φαμεν τὸ τοῦ Θεοῦ κρύφιον ἀνεκφάντως ἐκφαίνεσθαι, καὶ τὸ ἀμέθεκτον ἀμεθέκτως μετέχεσθαι· καὶ τὸ ἀνεκφοίτητον ἀνεκφοιτήτως προΐεναι καὶ πανταχοῦ γίνεσθαι, μένον ἐφ' ἑαυτοῦ, ἄλλων εἰς κοινωνίαν καὶ μετουσίαν ἑφικτῶν ταῖς ἀναλόγοις ἑκάστων φύσεσι γενομένων, οὐκ ἐκείνου μεταβάλλοντος. Ἄλλως γὰρ πάρεστιν ὁ Θεὸς κατὰ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν, ἐφόσον μηδὲν ἐμποδὼν αὐτῷ πέφυκε γίνεσθαι, καὶ ἄλλως κατὰ πρόνοιαν, ὅταν πάντα πᾶσι γίνηται· καὶ ἄλλως πάλιν ἐν οὐδενὶ τῶν ὄντων ἐστὶν, ἐφ' ὅσον καθ' αὐτὸν μηδὲν τὸ σύνολον τῶν ὄντων ἐστὶ κατά τι.*

Idipsum de participatione dici potest. Nam et Dei sumus participes. Ait enim : *Inhabitabo in eis et inambulabo* [57]. Et : *Ego et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus* [58]. Sed non pro eo ac ille se natura habet ac deitate (hæc enim Massalianorum hæresis est), sed sicut ait, quæ in illos celebrata synodus est. Sic enim habet : *Fit adventus quidam ac præsentia Paracleti, Deusque in sanctis habitat; non pro eo ac se natura ac deitate habet. Sin autem Massaliani quidam exstiterunt, qui se Dei essentiæ participes esse dicerent, in eorum aliquid, quod pro eorum conveniens ratione sit, sese demutantis; nos talem impietatem in illorum caput rejicimus. Potius enim sancti Dionysii sermones secuti dicimus, Dei occultum omne, ita ut non eluceat, elucere, et quod imparticipabile est, citra participationem participari; quodque a se minime exeat, non exeundo procedere, ac cum in se maneat, ubique versari suique omnibus præsentiam præstare; cujus aliis societatem ac participationem, quantam ex natura assequi liceat, ineuntibus, non quasi ipsa aliquid demutetur. Aliter enim Deus per naturam suam præsens est, quatenus nihil ipsi obstare habet; aliterque ex providentiæ rationibus, cum omnia in omnibus fiat; ac rursum aliter in nulla rerum est, quatenus ipse per seipsum exsistens, nulla prorsus rerum ulla ratione est.*

ΚΕΦΑΛ. Γ'.

Περὶ τοῦ ἑνὸς Θεοῦ, ὃς ἐστι Τριάς.

Τοῦτον τὸν ἕνα καὶ ἀληθῆ Θεὸν, τὸν δημιουργὸν καὶ συνοχέα τοῦ παντὸς, τὴν πηγὴν τῶν ἀγαθῶν καὶ αἰτίαν τοῦ συνίστασθαι ἕκαστον, πιστεύομεν καὶ ὁμολογοῦμεν εἶναι Πατέρα καὶ Υἱὸν καὶ Ἅγιον Πνεῦμα. Τοῦτο δὲ οὐκ ἀπὸ διανοίας ἀνθρωπίνης ἐκ τῶν κτισμάτων συλλογιστικῶς συνηγάγομεν, ἀλλ' ἐξ ἀποκαλύψεως ἐλάβομεν. Ἐπειδὴ γὰρ ἐκ τῶν κτισμάτων διὰ τῆς αἰσθήσεως τοῦτο λαβεῖν οὐδόλως ἦν δυνατὸν, ἐδέησεν ἡμῖν τῆς τούτου παρὰ

CAPUT III.

De Deo uno qui est Trinitas.

Unum hunc ac verum Deum, rerum universitatis conditorem ac qui eam conservet, bonorum fontem, ac quo auctore singula quæque constent, credimus ac confitemur, Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Quod vero sic sentimus, non humana ratione ex creatis discurrendo collegimus, sed ex revelatione accepimus. Quia enim ex creatis sensus opera id nulla ratione capere poteramus, necessarium nobis fuit ut divina revelatione doceremur. Ipsequ-e

[56] Joan. I, 18; Isa. VI, 1 seqq. [57] Levit. XVI, 12. [58] Joan. XIV, 23.

(60) *Τοῦτο γὰρ τῶν Μασσαλιανῶν ἐστιν αἵρεσις.* Antiqua hæc hæresis, inter monachos maxime, majoris specie sanctitatis orta, ab eisque aliis aliisque temporibus locisque propagata; quam sanctissimi episcopi strenue compresserunt, Litoius Melitinensis, Valerianus et Amphilochius, quorum amborum suggestione in synod. Ephes. Act. VII, fuit damnata. Quam Calecas synodum refert, recentior est, quod sic Dionysianis nititur. Num ad Greg. Palamæ, illumque secuta tempora hæc spectent, quando recruduit illa hæresis inter solitarios, quibus se ipse Palamas patronum exhibuit? de quo vid. Leo Allat. *De consensu utriusque Ecclesiæ;* ut et ejus *Diatribam de Symeonum scriptis* a me nuper editam ubi de Symeone Xerolophi abbate, dicto *novo theologo*, disputat, ejusque erroris insimulat. Sed de illis plura nos ad superiorem Calecæ tractatum, ac certiora, quod ejus vitæ non desit copia a discipulo summa cura ac diligentia scripta, quæ desiderata Leoni Allatio est. De Massalianis cum tanta Damascenus habeat, nihil eorum meminit quæ hic refert Calecas.

Digitized by Google

adeo Dei Filius unus e sancta Trinitate, quæ ejus bonitas est, factus homo (qua de re paulo inferius, ex sacris pariter Scripturis colligentes pro virili dicturi sumus) revelavit nobis Trinitatis mysterium, ne humana seducti doctrina, creaturas colamus.

τῆς Τριάδος μυστήριον, ἵνα μὴ ἀπὸ τῆς ἀνθρωπίνης διδασκαλίας πλανώμενοι, τοῖς κτίσμασι λατρεύωμεν.

A Θεοῦ ἀποκαλύψεως. Καὶ αὐτὸς ὁ εἷς τῆς Τριάδος, ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, γενόμενος ἄνθρωπος διὰ τὴν ἑαυτοῦ ἀγαθότητα (περὶ οὗ μικρὸν ὕστερον κατὰ τὸ δυνατὸν ἐροῦμεν, τὸν ὁμοῖον τρόπον ἐκ τῶν ἁγίων ταῦτα Γραφῶν συλλέγοντες), ἀπεκάλυψεν ἡμῖν τὸ

Ac prius quidem per prophetas rei hujus veritatem obscurius indicavit, sapienti consilio ab idolorum cultu paulatim homines retrahens; deinde vero ipse per seipsum consone prioribus clare docuit: quod sane sic mirum extraque omnem usum, ut vim omnem mentis ratione utentis excedat. Etenim Unitatem in Trinitate credimus, et Trinitatem in Unitate; ac neque Unitas trium personarum confusionem ac velut concretionem conflaturamque inducit, nec personarum numerus *monados* (id est, essentiæ) unitatem discernit: quin et unum est secundum essentiam, et tria hypostaseon (id est, personarum) ratione. *Distinguitur* enim *unite, et distinctim connectitur*, ut ait Gregorius Theologus. Ac rursus: *Vix unum animo concepi, cum statim tribus circumfulgeo. Vix tria distinguere incipio, cum statim ad unum mentis intentiones fero.* Nam in hominibus quidem, qui tres homines sint, non unus sunt, nec rursus qui unus, tres exsistunt; in Deo autem, cum unum tria sunt, tum tria unum; quæ sane, uti dicebam, omnem mentis vim excedunt.

Καὶ πρότερον μὲν περὶ τούτου διὰ τῶν προφητῶν ἠνίξατο, σοφῶς κατ' ὀλίγον ἀπὸ τῆς εἰδωλολατρείας τοὺς ἀνθρώπους ἀφέλκων· εἶτα καὶ δι' ἑαυτοῦ συμφώνως τοῖς πρότερον καθαρῶς ἐδίδαξεν· ὃ δὴ τοσοῦτόν ἐστι παράδοξον, ὥστε πᾶσαν λογικὴν διάνοιαν ὑπερβαίνειν. Καὶ γὰρ Μονάδα ἐν Τριάδι, καὶ Τριάδα ἐν Μονάδι πιστεύομεν· καὶ οὔτε ἡ Μονὰς τῆς οὐσίας σύγχυσιν καὶ συναλοιφὴν τοῖς τρισὶ προσ-
B ώποις ἐμποιεῖ, οὔτε ὁ ἀριθμὸς τῶν προσώπων διαιρεῖ τὴν τῆς Μονάδος, εἴτουν τὴν τῆς οὐσίας ἑνότητα· ἀλλὰ καὶ ἓν ἐστι κατὰ τὴν οὐσίαν, καὶ τρία κατὰ τὰς ὑποστάσεις. *Διαιρεῖται* γὰρ *ἠνωμένως καὶ συνάπτεται διῃρημένως*, ὡς φησιν ὁ Θεολόγος Γρηγόριος. Καὶ πάλιν, *Οὐ φθάνω τὸ ἓν νοῆσαι, καὶ τοῖς τρισὶ περιλάμπομαι· οὐ φθάνω τὰ τρία διελεῖν, καὶ εἰς τὸ ἓν ἀναφέρομαι* (61). Καὶ γὰρ ἐπὶ μὲν τῶν ἀνθρώπων, οἱ τρεῖς ἄνθρωποι οὐκ εἰσὶν εἷς· καὶ πάλιν ὁ εἷς οὐκ εἰσὶ τρεῖς· ἐκεῖ δὲ καὶ τὸ ἓν τρία, καὶ τὰ τρία ἓν· ἄπερ, ὡς ἔφην, πάντα νοῦν ὑπερβαίνει.

Hanc unionem ac distinctionem Dominus noster Jesus Christus tradidit, dicens: *Euntes in mundum universum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* [59]. Eo quidem quod ait, *in nomine* singulariter, unam essentiam significavit (tres enim, qui duo sint ac tria, singulari numero nunquam proferantur), quod vero addidit, *Patris et Filii et Spiritus sancti* tres hypostases (id est, personas) unius essentiæ docuit. Cum autem alio loco dixit: *Ego et Pater unum sumus, unum* quidem essentiæ tribuit, illud vero, *Ego et Pater*, personis assignavit. Magnus quoque Athanasius hanc theologiam secutus: *Ter*, inquit, *clamant «Sanctus,» quod tres hypostases, semel vero «Dominus,» quod una Divinitas.* Hæc fidelibus abunde sufficiant. Hactenus qua homines nituntur, cognitio pervenit. Huc usque Cherubim pennis obtegunt.

Ταύτην τὴν ἕνωσιν καὶ τὴν διάκρισιν ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς παραδέδωκεν, εἰπών, « Πορευθέντες εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα, μαθητεύσατε
C πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. » Ἀπὸ μὲν γὰρ εἰπεῖν, « εἰς τὸ ὄνομα » ἑνικῶς, τὴν μίαν οὐσίαν ἐδήλωσεν (τρεῖς γὰρ δύο καὶ τρία ὄντα, οὐδέποτε ἑνικῶς προφέρεται)· ἀπὸ δὲ τοῦ προσθεῖναι, « Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος, » τὸ τρισυπόστατον τῆς μιᾶς οὐσίας ἐδίδαξεν. Ἀλλαχοῦ δὲ εἰπών, « Ἐγὼ καὶ ὁ Πατὴρ ἓν ἐσμεν, » τὸ μὲν « ἓν » τῇ οὐσίᾳ ἀπέδωκε, τὸ δὲ, « Ἐγὼ καὶ ὁ Πατήρ, » τοῖς προσώποις. Καὶ ὁ μέγας Ἀθανάσιος ταύτῃ τῇ θεολογίᾳ στοιχῶν (62), « Τρίς, » φησί, τὸ Ἅγιος, διὰ τὰς τρεῖς ὑποστάσεις· ἅπαξ δὲ τὸ, *Κύριος*, διὰ τὴν μίαν θεότητα. » Ἀρκεῖ ταῦτα τοῖς
D πιστοῖς· ἕως τούτων ἡ γνῶσις ἐν ἀνθρώποις φθάνει· μέχρι τούτων τὰ Χερουβὶμ συγκαλύπτεται πτέρυξι.

Hanc igitur secuti regulam, qua de Deo (qui sancta Trinitas est) loquimur, velutque in medio constituti, quæ sunt utrinque absurda evadimus. Qua nempe unam essentiam seu substantiam confitemur, Arii eliminantes doctrinam, tres essentias, Patrem et Filium et Spiritum sanctum asserentis, ac una cum nominibus etiam subjecta dividentis. Qua vero tres personas confitemur, Sabellii itidem

Τούτῳ οὖν ἀκολουθοῦντες τῷ κανόνι περὶ τοῦ Θεοῦ, τῆς ἁγίας Τριάδος, καὶ ὥσπερ ἐπὶ μεσότητος ἑστηκότες, τὰ ἑκατέρωθεν ἄτοπα ἐκφεύγομεν· διὰ μὲν τοῦ μίαν οὐσίαν ὁμολογεῖν, τὸ τοῦ Ἀρείου δόγμα ἀποῤῥίπτοντες, τρεῖς οὐσίας διαφόρους λέγοντος τὸν Πατέρα καὶ τὸν Υἱὸν καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα, καὶ τοῖς ὀνόμασι συνδιαιροῦντος καὶ τὰ ὑποκείμενα· διὰ δὲ τοῦ τρία πρόσωπα ὁμολογεῖν, τὸ δόγμα τοῦ Σαβελ-

[59] Matth. xxviii, 19.

(61) Greg. orat. 37, 39, 40.
(62) Athan., *De humana Christi natura*, t. 1, Greg. orat., 42.

Digitized by Google

λίου ἀποπέμποντες, ὃς. ἓν πρόσωπον ἔλεγε τὸν Θεόν· καὶ ποτὲ μὲν ὡς Πατέρα φαίνεσθαι, ποτὲ δὲ ὡς Υἱόν, ποτὲ δὲ ὡς Πνεῦμα ἅγιον.

Ἔστι τοίνυν ὁ Θεὸς μία οὐσία, πρόσωπα δὲ τρία· τὸ μὲν Πατήρ, τὸ δὲ Υἱός, τὸ δὲ Πνεῦμα ἅγιον. Καὶ τὸν μὲν Πατέρα αἴτιον ὁμολογοῦμεν Υἱοῦ καὶ Πνεύματος (63)· τὸν δὲ Υἱὸν καὶ τὸ Πνεῦμα αἰτιατά. Ἐξ ἐκείνου γὰρ ὁ μὲν Υἱὸς γεννητῶς, τὸ δὲ Πνεῦμα ἐκπορευτῶς. Ὅθεν τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος εἰς ἓν αἴτιον τὸν Πατέρα ἀναφερομένων, Θεὸν ἕνα τὰ τρία φρονοῦμεν σὺν ἀλλήλοις νοούμενα, καὶ Θεὸν ἕκαστον καθ' ἑαυτὸ θεωρούμενον. Καὶ γὰρ καὶ ὁ Πατὴρ Θεός ἐστι τέλειος καὶ ἀνελλιπής, καὶ ὁ Υἱὸς ὁμοίως, καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ὡσαύτως· καὶ οὐ μᾶλλόν ἐστι Θεὸς ἢ ὁ Πατὴρ τοῦ Υἱοῦ ἢ τοῦ Πνεύματος, ἢ ὁ Υἱὸς μᾶλλον Θεὸς τοῦ Πατρὸς ἢ τοῦ Πνεύματος· ἢ τὸ Πνεῦμα μᾶλλον Θεὸς τοῦ Πατρὸς ἢ τοῦ Υἱοῦ· ἀλλ' ὅταν μίαν τῶν ὑποστάσεων ἐννοῶμεν, τέλειον αὐτὸν Θεὸν καὶ τελείαν οὐσίαν γινώσκομεν· καὶ ὅταν πάλιν τὰ τρία κατὰ διάνοιαν συνάψωμεν καὶ συναριθμήσωμεν, ἕνα τὸν αὐτὸν Θεὸν καὶ τέλειον τὴν οὐσίαν φανταζόμεθα, καὶ ὁ αὐτὸς καὶ εἷς Θεὸς δηλοῦται, ὅταν λέγωμεν Πατήρ. Υἱὸς καὶ ἅγιον Πνεῦμα, καὶ ὅταν τὸν Πατέρα λέγωμεν μόνον, ἢ τὸν Υἱὸν, ἢ τὸ πανάγιον Πνεῦμα.

Οὐ τοῦτο λέγω, ὅτι ὁ Πατὴρ ἐστι καὶ Υἱὸς, καὶ ἅγιον Πνεῦμα· τοῦτο γὰρ Ἰουδαϊκόν ἐστι καὶ δόξα τοῦ Σαβελλίου· ἀλλ' ὅτι ἓν ὁποιονοῦν τῶν θείων προσώπων τελείως καὶ ἀνελλιπῶς ἐστι Θεὸς μηδενὸς λειπόμενον κατὰ τὴν οὐσίαν, τῆς μιᾶς καὶ ὅλης καὶ τελείας θεότητος, ἐπεὶ οὐκ ἔστι τῆς ὅλης θεότητος μέρος· μὲν ὁ Πατὴρ, μέρας δὲ ὁ Υἱὸς, μέρος δὲ τὸ ἅγιον Πνεῦμα. Οὐδὲ γὰρ μέρος ἢ μέλος ὁ Θεὸς ἔχει· τὸ γὰρ μέρος ἐλλιπές. Πρὸς δὲ καὶ σύνθεσιν καὶ περιγραφὴν εἰσάγει· καὶ ὅτι ἓν ὁποιονοῦν τῶν τριῶν ὅλον ἐστί. Καὶ γὰρ ὁ Πατὴρ Θεὸς ὅλος, καὶ ὁ Υἱὸς Θεὸς ὅλος, καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον Θεὸς ὅλος. Καὶ διὰ τοῦτο οὐ λέγομεν ὅτι ἡ ὅλη καὶ μία θεότης διαιρεῖται εἰς τὰ τρία πρόσωπα ταῦτα, ὥσπερ τὸ γένος εἰς εἴδη, ἢ τὸ εἶδος εἰς ἄτομα, ἢ τὸ ὅλον εἰς μέρη. Οὐδὲ λέγομεν ὅτι μείζων ἢ πλείων ἐστὶ Θεὸς ὁ Πατὴρ ὁμοῦ, καὶ ὁ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος· ἢ ὁ Πατὴρ ὁμοῦ καὶ ὁ Υἱὸς τοῦ Πνεύματος· ἢ ὁ Πατὴρ μόνος τοῦ Υἱοῦ ἢ τοῦ Πνεύματος μόνου ἐστὶ μείζων ἢ πλείων ἢ ἐλάττων, καίτοι κατὰ τὰ πρόσωπα ἀριθμοῦ εἰσαγομένου· ἀλλ' ὁμολογοῦμεν ὅτι ὅλη ἡ αὐτὴ καὶ μία τελεία τελείως ἐν τελείῳ Πατρὶ, καὶ ὅλη τελεία τελείως ἐν τελείῳ

dogma respuentes, qui unam Deum personam dicebat; ac modo quidem ut Patrem, modo vero ut Filium, ac modo ut Spiritum sanctum sese exhibere.

Est igitur Deus una essentia, ac tres personæ; ex his, una Pater, una Filius, una Spiritus sanctus. Ac Patrem quidem, Filii ac Spiritus auctorem confitemur; Filium vero et Spiritum, qui ab auctore sint. Ex illo enim est, Filius quidem, gignendi ratione; Spiritus vero, processione. Quocirca, cum Filius et Spiritus ad unum auctorem (Patrem) referantur, Deum unum tres personas inter se conjunctas sentimus, Deumque singulas, si per se considerentur. Nam et Pater Deus perfectus est, nullo defectu laborans, Filiusque similiter, ac perinde Spiritus sanctus. Nec magis Deus est, vel Pater quam Filius vel quam Spiritus, vel Filius magis Deus, quam Pater aut Spiritus, aut denique Spiritus magis Deus, quam Pater aut Filius. Sed cum unam personarum intellexerimus, perfectum eam Deum ac essentiam perfectam cognoscimus; ac cum rursus tres personas animi cogitatione copulaverimus ac connumeraverimus, unum eumdemque ac perfectum essentialiter Deum cogitamus; idemque ipse ac unus Deus significatur, cum dixerimus Pater, Filius et Spiritus sanctus, et cum solum Patrem dixerimus, aut Filium, aut sanctissimum Spiritum.

Non hoc dico, quod Pater et Filius sit et Spiritus sanctus (hoc enim Judaicum est, Sabelliique opinio), sed quod una quævis divinarum personarum perfecte nulloque defectu Deus est, ita ut nihil desit, quod ad essentiam attinet, de una totaque ac perfecta deitate. Non enim totius deitatis pars quidem Pater, pars vero Filius, ac pars Spiritus sanctus. Nam Deus partem aut membrum non habet. Pars enim quid imperfectum est. Accedit etiam, quod ejus ratio compositionem ac circumscriptionem inducit: ac quod unaquæque trium personarum totum exsistit. Nam et Pater, Deus totus est; et Filius, Deus totus; et Spiritus sanctus, totus Deus. Idque causæ est, cur non dicamus, totam unam Deitatem in tres istas personas dividi velut genus in species, vel speciem in individua, vel tanquam totum in partes. Neque dicimus Patrem simul et Filium et Spiritum sanctum majorem esse aut pleniorem Deum, quam Filius aut Spiritus; vel Patrem simul et Filium, quam Spiritus, vel Patrem solum, Filio aut Spiritu solo, majorem esse vel pleniorem, autve minorem, quantumvis personarum ratione numerus ineatur; sed confitemur totam eamdem unamque

(63) *Αἴτιον Υἱοῦ καὶ Πνεύματος.* Loquitur Calecas, ipse Græcus Græco scribens, ac de fide informans, Græcorum more, non explicando processionem Spiritus etiam a Filio, tanquam uno cum Patre principio, ac principio ex Patre principio, qui sit fons totius Trinitatis, ac proinde vere κατ' ἐξοχὴν αἴτιον, id est, *Auctor ac causa*, prout Græci ea voce utuntur. Vidend. Gregor. orat. 23, p. 490 et 23, 422 et 39, p. 650, ubi perinde Spiritum a Patre dicit procedere, οὐχ υἱικῶς, οὐδὲ γὰρ γεννητῶς, ἀλλ' ἐκπορευτῶς· *non Filii more: neque enim generatione, sed processione.* Ac mirum si Corderii ac Lanselii dicam adversus Maximum, ante annos 20 a me exsufflatam, vel Gregorius, vel meus Calecas evadant. Longe solidior Georgius Metochita gravissimus traditionis testis et assertor, qua sic expressam vel involutam mysterii Trinitatis fidem, nihil Ecclesiarum paci offecisse ostendit; cum alii aliorum fidem non ignorarent, donec Photius fovendæ tyrannidis occasionem inde arripuit: cujus pene exstinctum schisma ac compressum Michael Cerularius denuo suscitavit.

Digitized by Google

perfectam perfecte in perfecto Patre, totamque perfectam perfecte in perfecto Filio eamdem, ac totam perfectam perfecte eamdem in perfecto Spiritu sancto. Ac rursus, totum Spiritum sanctum in tota eadem, totumque Filium in tota eadem, ac totum Patrem in eadem tota. Rursusque, totam totum Patrem totamque totum Filium, et totam totum Spiritum sanctum. Ac rursum, totus in toto Filio et Spiritu sancto perfecte est Pater, totusque in toto Patre et Spiritu perfecte Filius, ac totus in Patre et Filio perfecte Spiritus sanctus. Una enim essentia est Patris et Filii et Spiritus sancti, cum neutrum sine altero sit, aut intelligatur.

Φαίνεται τοίνυν ἐκ τούτων ὅπερ ἐλέγομεν, ὅτι τὸ A κοινὸν τῆς οὐσίας, εἴτ' οὖν ἡ κοινὴ οὐσία, καὶ διὰ τῶν ἀπολελυμένων ὀνομάτων δηλοῦται, καὶ διὰ τῶν ἀναφορικῶν τὸ αὐτὸ κοινὸν πάλιν τῆς οὐσίας διακεχριμένως, ὡς προσωπικῶς ἐννοούμενον. Καὶ δῆλον ὅτι ἡ Πατρότης καὶ ἡ Υἱότης καὶ ἡ Πνευματότης, εἰ δεῖ οὕτω; ὀνομάσαι, καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, αἱ ἰδιότητες, ἐν μόναις τοῖς ἀναφορικοῖς συνίστανται· καὶ ὅτι οὐκ ἔστιν ἡ διάκρισις ἄλλη παρὰ τὰ θεῖα πρόσωπα· δηλονότι παρὰ τὸ τὸν μὲν εἶναι Πατέρα, τὸν δὲ Υἱόν, τὸ δὲ Πνεῦμα· ὥσπερ οὐδ' ἄλλο μέν ἐστιν ἡ ἕνωσις, ἄλλο δὲ ἡ οὐσία. Εἰ γὰρ ἔστιν ἡ διάκρισις ἄλλη παρὰ τὸ τὸν μὲν εἶναι Πατέρα, τὸν δὲ Υἱόν, τὸ δὲ Πνεῦμα, ἔσται καὶ ἡ ἕνωσις ἄλλη παρὰ τὴν οὐσίαν. Ἀλλὰ τοῦτο ἄτοπον. Οὕτω γὰρ ἔσται τι ἄλλο τιμιώτερον τῆς οὐσίας· ἐπειδὴ τὸ ἑνοῦν τοῦ ἑνιζομένου βέλτιον B καὶ τιμιώτερον. Καὶ οὐκ ἔστιν ἄλλο μὲν πρᾶγμα, ἡ Πατρότης, ἄλλο δὲ Υἱότης, ἄλλο δὲ ἡ Ἐκπόρευσις· ἐπεὶ εἰ λόγοι τούτων διάφοροι καὶ ἀντιθετικῶς ἀντίκεινται, ἔσται ὁ Θεὸς ἐκ διαφόρων καὶ ἀντιθέτων συνιστάμενος.

Ταῦτα καὶ ὁ μέγας Ἀθανάσιος λέγει ἐν τῇ πρὸς Ἀνομοίους διαλέξει (84), εἰς σύνθεσιν δῆθεν παρ' αὐτῶν ἑλαυνόμενος, ὅτι εἴρηκεν ἄλλο οὐσίαν καὶ ἄλλο ὑπόστασιν. Ἐπιφέρει γάρ, « Οὐχ ὡς πρᾶγμα ἄλλο καὶ ἄλλο εἶπον οὐσίαν καὶ ὑπόστασιν, ἀλλ' ὡς ἄλλο τι σημαινούσης τῆς οὐσίας, καὶ ἄλλο τῆς ὑποστάσεως. Ὡς ὁ κόκκος τοῦ σίτου λέγεται καὶ ἔστι σπέρμα καὶ καρπὸς, οὐχ ὡς πρᾶγμα ἄλλο καὶ ἄλλο· ἄλλο δέ τι σημαίνει τὸ σπέρμα καὶ ἄλλο ὁ καρπός. » Ὥστε C πράγματι τὸ αὐτό ἐστιν οὐσία καὶ ὑπόστασις· μία γὰρ οὐσία· ἀλλὰ ἄλλο μὲν σημαίνομεν ὅταν αὐτὸ φῶμεν ὑπόστασιν, ἄλλο δέ τι, ὅταν οὐσίαν. Ἡ γὰρ ὑπόστασις ἐπὶ τῶν θείων ἀναφορικόν τι σημαίνει, ἡ δὲ οὐσία ἀπολελυμένον· καὶ τούτῳ διενήνοχεν οὐσία καὶ ὑπόστασις, τῷ τὴν μὲν ἁπλῶς, τὴν δὲ πῶς λέγεσθαι. Τοῦτο ἄρα βούλονται οἱ ἅγιοι, οὐ ταυτὸν οὐσίαν καὶ ὑπόστασιν λέγοντες· ὥσπερανεὶ ἔλεγον ὅτι οὐ ταυτὸ ἐπὶ τῆς ὑπερουσίου Θεότητος τὸ ἀπολελυμένον καὶ τὸ ἀναφορικόν. Τοῖς μὲν γὰρ ἀναφορικοῖς τὰ θεῖα διακρίνονται πρόσωπα· τοῖς δ' ἀπολελυμένοις συνάπτονται. Ἕνωσις δὲ καὶ διάκρισις οὐ ταυτό· τῇ μὲν γὰρ οὐσίᾳ ἡ ἕνωσις ἕπεται, ταῖς δὲ ὑποστάσεσιν ἡ διάκρισις.

Ὅταν δὲ λέγωμεν τὸν Υἱὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννᾶσθαι (85), οὐ ῥεῦσιν, ὡς ἐπὶ τῶν σωματικῶν ἐννοοῦμεν, οὐδὲ τομήν· ἀλλ' ὅλον ἐξ ὅλου, καὶ τέλειον ἐκ τελείου. Ὡσαύτως καὶ περὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Ὥσπερ γὰρ ἄλλως μὲν ὁ Θεὸς κτίζει, ἄλλως δὲ ὁ ἄνθρωπος· ὁ μὲν γὰρ χωρὶς μεταβολῆς καὶ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, ὁ δὲ μετὰ τροπῆς καὶ ἀλλοιώσεως καὶ ἐξ ὄντος· οὕτως καὶ ἄλλως μὲν ὁ Θεὸς γεννᾷ ἀπαθῶς καὶ ὡς ἐκ νοῦ λόγος, ἄλλως δὲ ὁ ἄνθρωπος, μετὰ πάθους καὶ οὐ χωρὶς γυναικός.

Ex his igitur patet, quod dicebamus, essentiæ communitatem, sive essentiam communem, tum nominibus absolutis significari, tum eamdem rursus essentiæ communitatem relatis nominibus discrete (quippe personaliter) intelligi. Ac liquet, Paternitatem et Filietatem et Spiritalitatem (si ita loqui liceat), omninoque proprietates in relatis duntaxat consistere, nec esse aliam discretionem, præter divinas personas; præter hoc scilicet, quod alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus; uti neque aliud est unio quam essentia. Si quidem enim alia discretio est, quam quod alius Pater est, alius Filius, alius Spiritus erit et unio alia præter essentiam. Id vero absurdum est. Sic enim erit aliquid præstantius quam essentia, quandoquidem quod unitatem præstat, illo melius est ac nobilius, cui illa præstatur. Nec alia res est Paternitas, aliaque Filietas, atque alia Processio: nam si horum diversæ sunt rationes ac oppositione contrariæ consequens erit Deum ex contrariis ac oppositis constare.

Hæc et magnus Athanasius dicit in disputatione adversus Anomœos, cum ii scilicet in compositionem inde cogerent, quod aliud essentiam, atque aliud hypostasin seu personam dixisset. Addit enim: *Non velut rem, aliud et aliud essentiam et hypostasin dixi, sed quod aliud quid essentia significet, aliudque hypostasis. Ut granum tritici dicitur et est tum semen, tum fructus, non ut res alia atque alia: aliud tamen declarat semen atque aliud fructus.* Idem itaque reipsa sunt essentia et hypostasis. Sunt enim una essentia. Verum aliud significamus, cum eam hypostasin dixerimus, aliud vero quidpiam, cum essentiam. Nam hypostasis in divinis relatum aliquid significat; essentia vero, absolutum. Hocque essentia ac hypostasis differunt, quod altera simpliciter dicatur: altera, tali modo. Hoc itaque sancti volunt, cum dicunt, non esse idem essentiam et hypostasin; ac si dicerent, non idem esse in Deitate quæ omni essentiæ eminet, absolutum, et quod relatum est. Nam relatis quidem discernuntur divinæ personæ, absolutis vero connectuntur. Non sunt autem idem unio et discretio. Etenim essentiæ comes unio est: hypostasibus vero ac personis comes discretio.

Quod vero Filium ex Patre nasci dicamus ac generari, nullam (velut in rebus corporeis) fluxionem aut sectionem intelligimus; sed totum ex toto, ac perfectum ex perfecto sentimus. Idemque dicendum de Spiritu sancto. Quemadmodum enim Deus aliter fabricatur, aliter vero homo: nam Deus quidem absque ulla mutatione et ex nihilo; homo autem cum mutatione et alteratione, atque ex aliqua re supposita: sic etiam aliter quidem Deus gignit, absque ulla passione ac labe, et ut ratio est ex mente; aliter autem homo, cum passione scilicet et labe, nec nisi socia mulieris opera accedente.

(84) Dial. 1 circa medium. Multi cod. ut Maximi habent, citantque ex eo auctores.
(85) Greg. orat. 35; Damasc. l. 1, c. 8.

Digitized by Google

Utque magni Basilii in his utamur verbis, in ea quam ad canonicas scribit, epistola : *Non enim a Patre in Filium partibus scissa essentia est : neque per effluxum genuit; neque per productionem ea ratione, quia stirpes fructus producunt, eduntque : sed arcanus est, vimque omnem humani sermonis ac cogitationis excedit, divinæ generationis modus. Abjecti enim revera ac carnalis animi est, quæ æterna sunt, iis quæ intereunt ac sunt temporanea, similia facere; inque ea versari opinione, ut pari modo Deum sentias ac res corporeas gignere, cum potius a contrariis momenta ad pietatem in hunc modum captare operæ pretium habeas, cum se mortalia ita habeant, haud sane sic se habent immortalia. Neque igitur divina generatio abnegunda est, nec committendum ut corporalium rerum cogitationibus animum polluas.* Etenim sicut unum quidem esse Deum novimus, non tamen quid ille sit perspectum habemus; sic et tria est (tres scilicet personæ) scimus; quid vero illa sint (ac quid personæ) nescimus.

Καὶ ἵνα περὶ τούτων τοῖς τοῦ μεγάλου Βασιλείου χρησώμεθα, ἃ φησιν ἐν τῇ πρὸς τὰς κανονικὰς ἐπιστολῇ (86) · « Οὐκ ἐμερίσθη ἡ οὐσία ἀπὸ τοῦ Πατρὸς εἰς Υἱόν · οὐδὲ ῥυεῖσα ἐγέννησεν, οὐδὲ προβλαστοῦσα ὡς τὰ φυτὰ τοὺς καρποὺς · ἀλλ' ἄῤῥητος καὶ ἀνεπινόητος λογισμοῖς ἀνθρώπων τῆς θείας γεννήσεως ὁ τρόπος. Ταπεινῆς γὰρ τῷ ὄντι καὶ σαρκίνης ἐστὶ διανοίας τοῖς φθαρτοῖς καὶ πρωσκαίροις ἀφομοιοῦν τὰ ἄῤῥια, καὶ οἴεσθαι ὡς τὰ σωματικὰ γεννᾷ, καὶ ὁ Θεὸς ὁμοίως · δέον ἐκ τῶν ἐναντίων λαμβάνειν τὰς ἀφορμὰς πρὸς τὴν εὐσέβειαν · ὅτι ἐπειδὴ τὰ θνητὰ οὕτως, τὰ ἀθάνατα οὐχ οὕτως. Οὔτε οὖν ἀρνεῖσθαι δεῖ τὴν θείαν γέννησιν, οὔτε σωματικαῖς ἐννοίαις καταῤῥυποῦν ἑαυτοῦ τὴν διάνοιαν. » Καὶ γὰρ ὥσπερ ὅτι μὲν ἔστιν εἷς Θεὸς ἐγνώκαμεν, οὐ μὴν δὲ τί ἐστιν · οὕτω καὶ ὅτι μὲν εἰσὶ τρία ἴσμεν, τί δὲ τρία οὐκ ἴσμεν.

Et ut ait divinus Dionysius : *Patrem quidem Deitatem fontem ac originem, Filium autem ac Spiritum sanctum, ex Deo oriunda germina, ac velut flores omnique essentia superiora lumina ex sacris eraculis accepimus; quoniam autem modo sese hæc habeant neque eloqui possumus, nec mente cogitare.* Cæterum credimus Patrem lumen ingenitum esse; Filium, lumen genitum; Spiritum sanctum, lumen procedens : triaque (tres scilicet personas) unum lumen. Ac Pater semper erat, Filiusque semper erat, et Spiritus sanctus semper erat. Non enim Pater mutatus est ab eo quod Pater non erat ut esset Pater; neque Filius, neque Spiritus sanctus; sed ab æterno nullaque fluxione Filium sibi consubstantialem generat, et producit consubstantialem sibi Spiritum; non ita tamen, ut prius quidem gignat Filium, tumque Spiritum producat (hoc enim sentire impium est), sed simul tum Filii generatio est, tum Spiritus sancti productio. Simul enim est auctor, et quod est ab auctore. Natus vero ac genitus Filius, non absens Patri est, aut ab eo sejunctus; verum ex illo procedit, et in illo penesque ipsum est, ut eadem res : similiterque etiam Spiritus. Est enim Dei Filius Sermo vivus

Καὶ ὡς φησιν ὁ θεῖος Διονύσιος, « Ὅτι μὲν ἔστι πηγαία θεότης ὁ Πατήρ, ὁ δὲ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα (87) τὸ ἅγιον βλαστοὶ θεόφυτοι, καὶ οἷον ἄνθη καὶ ὑπερούσια φῶτα, πρὸς τῶν ἱερῶν λογίων παρειλήφαμεν· ὅπως δὲ ταῦτά ἐστιν, οὔτε εἰπεῖν, οὔτε ἐννοῆσαι δυνατόν. » Πλὴν πιστεύομεν ὅτι φῶς ἀγέννητον ὁ Πατήρ · φῶς γεννητὸν ὁ Υἱός · φῶς ἐκπορευτὸν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ ἓν φῶς τὰ τρία. Καὶ Πατὴρ ἦν ἀεί, καὶ Υἱὸς ἦν ἀεί, καὶ Πνεῦμα ἅγιον ἦν ἀεί. Οὐ γὰρ ἐτράπη ἀπὸ τοῦ μὴ εἶναι Πατὴρ εἰς τὸ εἶναι Πατήρ · οὔτε ὁ Υἱός, οὔτε τὸ Πνεῦμα · ἀλλ' ἀϊδίως καὶ ἀῤῥεύστως γεννᾷ Υἱὸν ὁμοούσιον ἑαυτῷ, καὶ προβάλλει Πνεῦμα ὁμοούσιον ἑαυτῷ · οὐ τὸν μὲν Υἱὸν γεννῶν πρότερον, εἶτα τὸ Πνεῦμα προβάλλων (τοῦτο γὰρ ἀσεβές), ἀλλ' ἅμα καὶ ἡ τοῦ Υἱοῦ γέννησις καὶ ἡ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐκπόρευσις. Ἅμα γὰρ αἴτιον καὶ αἰτιατόν. Γεννώμενος δὲ ὁ Υἱός, οὐκ ἄπεστι τοῦ Πατρὸς, οὐδὲ χωρίζεται αὐτοῦ · ἀλλ' ἐξ αὐτοῦ πρόεισι, καὶ ἐν αὐτῷ καὶ εἷς αὐτόν ἐστιν, ὡς ἓν πρᾶγμα· ὡσαύτως καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα. Λόγος δέ ἐστι ζῶν καὶ ἐνυπόστατος ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ καὶ δύναμις αὐτοῦ ζῶσα καὶ οὐσιώδης καὶ τελεία · καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ὡσαύτως, οὐσίᾳ ζῶσα καὶ τελεία καὶ ἐνυπόστατος, καὶ δύναμις τοῦ Πατρός · οὐκ ἔξωθεν ἀπὸ

(86) Epist. 300.

(87) *Ὁ δὲ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα.* Errore edita, Ἰησοῦς, cum plerique codices Υἱὸς habeant, nec Dionysius (*De divin. nom.* c. 2) aliter scripserit, cum non versetur hic in οἰκονομίᾳ, sed περὶ Θεολογίας; illi sermo sit. Jesus autem nomen est assumptæ humanitatis, non ipse per se proprium personis. Τῆς Θεογόνου Θεότητος, idem est ac quod πηγαίαν vocavit; quæ est ipse Pater, ipse *Deitas fons, et Deigena;* quod belle reddiderat Gord. *quasi Dei prolem :* sed bene est, quod inter explicandas voces errorem agnovit ac emendavit, utinam et quod eadem levitate (ne quid gravius dicam) § 4, affinxerat Maximo, de errore illo communi recentiorum Græcorum credentium Spiritum sanctum non procedere a Filio, vel hic castigasset; ubi eadem pene repetit Maximus, pauloque etiam fusius exponit, nec aliud tamen, quam quod Dionys. tradidit, habentque communiter Patres Græci : qui sic maluerunt in Patrem ceu originem Filium ac Spiritum referre, quam distincte Filium, et ipsum auctorem Spiritus, Patri adjungere; ipsa fere verba Dominica æmulati, τὸ παρὰ Πατρὸς ἐκπορευόμενον, *qui a Patre procedit* : sic vir bonus eamdem ac reliquis Domino dicam ponat; si illo judice idem est affirmare Spiritum a Patre procedere, et negare procedere a Filio vel ab eo ullo modo τὴν ὕπαρξιν, *exsistentiam ac quod est vere in Deitate exsistens,* habere. Quod nusquam invenias Græcos Photio superiores sic interpretatos esse : sed duntaxat suæ illa fidei simplicitate contentos, Latinis quod paulo apertius explicarent, suorum doctorum freti auctoritate, indulsisse. Qua clare indulgentia toto hoc tractatu utitur Calecas, ne cui suorum, magis explicando, offensionis aliquid faciat.

Digitized by Google

τοῦ ἁγίου προσλαμβανόμενον, ἀλλὰ τὴν αἰτίαν ἔχον A vereque exsistens, ejusque vivens et substantialis
ουσιικῶς ἐν τῷ Θεῷ τῶν ὅλων. ac perfecta virtus, seu potentia; pariterque Spiritus
sanctus substantia viva et perfecta vereque exsistens, ac virtus Patris, seu potentia : non qui ex
aere extrinsecus accedat, sed qui in universorum Deo natura causam ac originem habeat.

Τὸ μὲν οὖν ἀπερινόητον τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ καὶ τῶν ἀγνώστων προόδων πίστει σιγᾶται· καὶ οὐδεὶς ἐρευνᾷ περὶ τούτου· ἀλλ' ἐν τῇ ζητήσει ματαιωθήσεται, καὶ εἰς κρίμα ἐμπεσεῖται τοῦ διαβόλου. Τὰ δὲ περὶ τὸν Θεὸν, ὡς εἴπομεν, ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καὶ καθορώμενα· καὶ ὅτι ἐστὶν ὁ Υἱὸς ὁμοούσιος τῷ Πατρὶ καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα, ταῦτα δὴ τὰ παραδιδομένα, περὶ τούτων πάντες θεολογοῦσιν οἱ ἅγιοι, καὶ οἱ εὐσεβεῖς ἕπονται· οἱ δὲ ἀμαθεῖς καὶ ἰδιῶται ἀκούοντές τινα λέγοντά τι περὶ Θεοῦ, εὐτίχα νομίζουσιν ὅτι περὶ τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ τίς ἐστιν ἐρευνᾷ, καὶ τίνι τρόπῳ ὁ Υἱὸς ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννᾶται, καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται· καὶ B παραγράφονται (88), καὶ ἀποτρέπουσι τὸν τοιοῦτον. Οἱ δὲ ταῦτα ποιοῦντες ὅσον τὸ ἐπ' αὐτοῖς ἀνατρέπουσι πᾶσαν Γραφὴν Παλαιάν τε καὶ Νέαν, καὶ τὰς τῶν ἁγίων περὶ αὐτῶν ἐξηγήσεις· ἀργὰ καὶ ἀνόνητα εἶναι ταῦτα βουλόμενοι, ἃ δὴ πάντα πρὸς νουθεσίαν καὶ ὠφέλειαν ἡμῶν ἐγράφη. Οἵ γε οὐδὲ τῆς ἀληθείας σπαραττομένης ὑπὸ τῶν τῆς ἀληθείας ἐχθρῶν, συνεβούλευσαν ἂν τοῖς τότε παροῦσιν ὑπὲρ αὐτῆς ἀγωνίζεσθαι· καὶ κωλύουσι τοὺς ἀνθρώπους τὴν δυνατὴν ἔννοιαν περὶ Θεοῦ ἀπὸ τῶν θείων Γραφῶν λαμβάνειν· ἀναγκάζοντες κἀκείνους διὰ τὴν αὐτῶν ἀγροικίαν, ἵνα μὴ λέγω ἀμαθίαν, ζῆν ὥσπερ καὶ τὰ ἄλογα ζῶα. Καὶ οὕτω ζημιοῦσι μὲν τὴν τοῦ ἀνθρώπου φύσιν τὸ πρὸς Θεὸν κατὰ τὸ δυνατὸν ἀνατείνεσθαι, καὶ αὐτὸν ὑμνεῖν καὶ δοξάζειν δι' ὠφέλειαν ἑαυτῶν· σχεδὸν δὲ καὶ τὸν Θεὸν ζημιοῦσι, τὸ τιμιώτερον αὐτοῦ κτίσμα τὸν ἄνθρωπον παρασκευάζοντες; μὴ ὑμνεῖσθαι καὶ μεγαλύνεσθαι παρὰ τῶν ἀνθρώπων, οὗ ἕνεκα ὁ ἄνθρωπος ἐπλάσθη.

Dei itaque essentia omni mentis cogitatu superior, ignotæque processiones, fides silentio colit[65]; nec hæc quisquam rimatur, sed si quis quærenda sibi indulgeat, stultus fiet, et in judicium diaboli incidet[66]. Quæ autem sunt circa Deum, uti dicebam, et a creatura mundi per ea quæ facta sunt intelliguntur ac conspiciuntur[67]; quodque Filius Patri consubstantialis sit et Spiritus sanctus; hæc nempe de his tradita, illa sunt in quibus sanctorum omnis theologia versatur : ac sequuntur qui pietati student. Imperiti vero et rudes, ubi quempiam de Deo loquentem audierint, statim putant Dei eum essentiam rimari, quænam ipsa sit. ac quoniam modo Filius ex Patre gignatur, et Spiritus sanctus procedat : proscribuntque et aversantur eum, qui talis sit. Qui vero hæc agunt, quod in ipsis est, omnem Veterem pariter ac Novam Scripturam evertunt, ac quas illarum sancti expositiones tradiderunt : qui nempe otiosa hæc nulliusque frugis jacere velint, cum sane omnia ad correptionem nostram et utilitatem scripta sint[68]. Hi plane nec cum ab ejus adversariis veritas discerperetur, ejus ætatis hominibus consensissent, ut pro ea certarent : prohibentque ne quantam pro facultate licet, ex divinis Scripturis homines Dei intelligentiam hauriant : illos quoque vi adigentes pro sua rusticitate (ne imperitia ac barditatem dicam), C ut et ipsi brutarum animantium more vitam instituant. Sicque nedum humanum genus hoc lædunt, ne pro facultate animum in Deum intendant, ac quod ex suis rationibus est, laudum ei cantica deferant, ejusque celebrent gloriam, sed et propemodum Deo nobilioris ejus creaturæ (nempe hominis) damnum inferunt, dum non laudari ac magnificari ab hominibus, cujus gratia homo formatus est, præstant.

[65] Rom. I, 12. [66] I Tim. III, 6. [67] Rom. I, 20. [68] I Cor. I, 11.

(88) *Καὶ παραγράφονται.* Optandum paulo apertius notasset Calecas, quos tantis hic sugillat, homines ipsos imperitos, ac qui nec alios divina scrutari eloquia, ac theologica serio tractare vellent. Videntur ex illis fuisse, qui doceri nollent ut Latinorum partibus accederent, seu unionem cum illis, una eademque fide, sed paulo explicatiore, unionem ibirent; suspectum habentes quidquid viri φιλομαθεῖς in eam rem diligentia sua præstarent. Quorum exempla exstant in diversorum opusculis utroque tomo *Græciæ orthodoxæ* Leoni Allatio editis. Nullam certe ad fidem durius hominum genus, quam imperiti et rudes, docenti aures obstruunt, ac nec doceri volunt, sed unum hoc tenere, quod a majoribus se accepisse credunt. Quadrant hæc in Calecæ tempora, paulo post Lugdunense concilium, ubi Andronico imperium adepto sic male habiti sunt CPlitani, qui visi erant studuisse unioni, vel in eam operæ aliquid contulerant. Huc facit, quod Calecas sic de Trinitate disserit, ut nec minimam ansam Græcis dedisse videri possit, consulto abstinens ab ea controversia, quæ tunc scindebat Ecclesias, eaque tradens et explicans ex veterum monumentis, quæ utrisque in confesso essent ac recepta : quam ipsam οἰκονομίαν servari audivi a D missio quodam apostolico S. I. cum Græcorum vulgo, ipso erga Romanam sedem Petrique in ea successorem bene animato, unamque agnoscente fidem, unum baptisma, unam Ecclesiam : quod subtilior hæc difficultas minus sollicitet, ac quam disputationibus vexare, sit ei foveam fodere. Sic et charissimus sodalis meus R. P. Gonr. ὁ μακαρίτης, quo tempore in insula et urbe Chio annos circiter octo et ipse missus apostolicus moratus est, utrique episcopo Græcanici ritus et Latini convenisse aiebat, ut quasi fratres plebis partem quisque regeret, alterque alterius diplomata legi pro concione curaret. Aiebat etiam ritus Græci diaconos sponte accedentes Latino ritu sacra Eucharistia impertiisse. Ad eos cum frequens adiret, rituum ipsorum sedulus, Dei nutu, rimator (quos Latinum orbem tanta claritate docturus esset) ut magistro assurgebant, ac parata cathedra ὁ διδάσκαλος acclamabant. Sit forte hæc animarum lucris commodior disciplina, quod in ea incolumia sint fidei capita, etsi pauca quædam subtilioris ipsa indaginis certa consilii ratione simplicibus maneant involuta ipsa Augustino, Gregorio Theologo, magnoque Basilio (ne alios referam) plane probata ac usurpata.

Digitized by Google

Utrosque igitur, quod ad eos attinet, damno afficiunt: tum nempe Deum, tum humanum genus. Ergo non cogitant hominem ad Dei imaginem fuisse conditum [68], eamque ob rem ad eum debere recurrere, ac per veram contemplationem bonaque opera cum eo similitudinem inire? Nesciunt vero etiam hanc Christum dixisse vitam æternam, ut Patrem suum cognoscant, et quem misit ille, Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum [70]. Ejus autem rei vera causa est, quod nolint loqui de Deo, pro eo ac nobis per divinas Scripturas et synodos œcumenicas, necnon per Ecclesiæ doctores, traditum est; qui videlicet recte hæc intelligant, et in eis cum multa modestia religiosiusque incedant. Qui quidem a seipsis loquantur nihil, nec quasi ex ventre imperite eructent quæ placeant: sed qui explorare recepta ponant, deincepsque componant, atque ad aliquod verum, quodque exploratum sit juxta divinas Scripturas deveniant: quod, inquam, secundum communes Christianorum de Deo conceptiones exsistat; nec quidquam prorsus ab eis dissideat. Qui ejusmodi est, et apud Deum, et apud sanctos omnes laudem habet: qui nempe quo naturæ scopus dirigit, incedat, statuatque quæ sunt divinæ Scripturæ, ac tum sibi ipse, tum illis, quorum minor scientia sit, utilitatem afferat.

Sunt itaque Filius et Spiritus ex Deo; est vero et creatura. Verum Filii ac Spiritus auctor Pater est; omnis vero creaturæ causa Pater est et Filius et Spiritus sanctus, tanquam unus Deus ac unus conditor. Illic quidem Pater auctor est ut Pater (secundum nimirum nomina discreta) et productor; hic vero, secundum absoluta, in quantum tria (tres scilicet personæ), unum sunt. Unde etiam tanquam unus Deus intelligitur, Pater et Filius et Spiritus sanctus, tanquam unus creaturæ opifex ac auctor. Ac Filius quidem ac Spiritus ex Deo et Patre natura sunt ac essentialiter; creatura vero ex Deo, qui est Trinitas; verum opificii ratione seu creatione. Ait namque Damascenus: *Post hæc etiam facta creatura est; non tamen ex Dei substantia, sed ex nihilo in rerum naturam ejus voluntate et potentia producta est.* Cum autem consimili undique ratione Deus et Pater rerum omnium opifex sit, Filiusque ac Spiritus, tanquam unus opifex ac rerum auctor; Patrem nimirum rerum causam quasi originalem. Cuncta enim quæ Filii sunt ac Spiritus, ad eum referuntur. Causam vero effectricem dicimus Filium; consummatricem denique, Spiritum sanctum, quemadmodum ait magnus Basilius ad Amphilochium.

Cogita mihi originalem causam ac primariam,

[68] Gen. I, 26. [70] Joan. XVII, 3.

A Ζημιοῦσιν οὖν ἀμφοτέρους, καὶ τὸν Θεὸν καὶ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν, ὅσον τὸ ἐπ' αὐτοῖς. Οὔκουν λογίζονται ὅτι κατ' εἰκόνα τοῦ Θεοῦ ἐγένετο ὁ ἄνθρωπος, καὶ διὰ τοῦτο ὀφείλει πρὸς αὐτὸν ἀνατρέχειν, καὶ ὁμοιοῦσθαι αὐτῷ δι' ἀληθοῦς θεωρίας καὶ ἔργων ἀγαθῶν. Ἀγνοοῦσι δὲ καὶ ὅτι ταύτην ὁ Χριστὸς εἶπεν αἰώνιον εἶναι ζωὴν, ἵνα γινώσκωσι τὸν αὐτοῦ Πατέρα, καὶ ὃν ἀπέστειλεν Υἱὸν αὐτοῦ τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν. Τὸ δ' ἀληθὲς οὕτως ἔχει, ὅτι οὐ βούλεταί τις λέγειν περὶ Θεοῦ κατὰ τὰ παραδεδομένα ἡμῖν ὑπὸ τῶν θείων Γραφῶν καὶ τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων καὶ τῶν διδασκάλων τῆς Ἐκκλησίας· νοῶν ὀρθῶς αὐτὰ δηλονότι, καὶ μετὰ πολλῆς εὐλαβείας ἐν τούτοις χωρῶν, μηδὲν μὲν ἀφ' ἑαυτοῦ λέγειν, μηδ' B ὥσπερ ἀπὸ κοιλίας ἀπαιδεύτως ἐρεύγεσθαι τὰ δόκοῦντα· ἀλλὰ τὰ ὁμολογούμενα τιθεὶς, καὶ ἐφεξῆς συμπλέκων καὶ καταντῶν ἐπί τι ἀληθὲς καὶ ὁμολογούμενον κατὰ τὰς θείας Γραφὰς, κατὰ τὰς κοινὰς περὶ Θεοῦ τῶν Χριστιανῶν ἐννοίας, καὶ μηδαμῶς ἐναντιούμενον αὐταῖς. Ὁ τοιοῦτος καὶ παρὰ Θεῷ καὶ πᾶσιν ἁγίοις ἐπαινετός ἐστι κατὰ σκοπὸν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως πορευόμενος· καὶ συνιστῶν μὲν τὰ τῆς θείας Γραφῆς, ὠφελῶν δὲ καὶ ἑαυτὸν, καὶ τοὺς ἔλαττον εἰδότας ἑαυτοῦ.

Εἰσὶ μὲν οὖν ὁ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Θεοῦ· ἔστι δὲ καὶ ἡ κτίσις. Ἀλλὰ τοῦ μὲν Υἱοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος αἴτιος ὁ Πατὴρ, τῆς δὲ κτίσεως ἁπάσης ὁ Πατὴρ καὶ ὁ Υἱὸς καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα, ὡς εἷς C Θεὸς καὶ ὡς εἷς δημιουργός· ἐκεῖ μὲν γὰρ αἴτιος ὁ Πατὴρ ὡς Πατὴρ, δηλονότι κατὰ τὰ διακεκριμένα ὀνόματα, καὶ Προβολεὺς, ἐνταῦθα δὲ κατὰ τὰ ἀπολελυμένα, ἐφόσον εἰσὶν ἓν τὰ τρία. Ὅθεν καὶ ὡς εἷς Θεὸς νοεῖται ὁ Πατὴρ καὶ ὁ Υἱὸς καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα, ὡς εἷς δημιουργὸς τῆς κτίσεως. Καὶ ὁ μὲν Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς φυσικῶς καὶ οὐσιωδῶς· ἡ δὲ κτίσις ἔστι μὲν ἐκ τοῦ Θεοῦ τῆς Τριάδος, δημιουργικῶς δέ. Καὶ γάρ φησιν ὁ ἐκ Δαμασκοῦ (89)· « Ἡ κτίσις καὶ μετὰ ταῦτα γέγονε, καὶ οὐκ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ· ἐκ δὲ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι βουλήσει καὶ δυνάμει αὐτοῦ παρήχθη. » Ὁμοιοτρόπως δὲ κατὰ πάντα τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς δημιουργοῦ τῶν ὅλων ὄντος καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ D Πνεύματος ὡς ἑνὸς δημιουργοῦ, τὸν μὲν Πατέρα προκαταρκτικὴν τῶν ὄντων αἰτίαν λέγομεν· πάντα γὰρ τὰ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος εἰς αὐτὸν ἀναφέρονται· δημιουργικὴν δὲ τὸν Υἱόν· τελειωτικὴν δὲ τὸ πανάγιον Πνεῦμα, καθά φησιν ὁ μέγας Βασίλειος ἐν τοῖς πρὸς Ἀμφιλόχιον (90).

« Ἐννόησόν μοι τὴν προκαταρκτικὴν αἰτίαν (91)

(89) Affinia l. II, c. 2.
(90) *De Spiritu sancto* c. 16.
(91) *Τὴν προκαταρκτικὴν αἰτίαν.* Vox est Basilio adinventa, ac Patri accommodata, ad ejus actionem significandam, qua simpliciter auctor est, et ex nullo ducens originem, ἀρχὴ scilicet ἀναρχος, cum Filius et Spiritus sanctus ex eo habeant quod una cum ipso ἀρχὴ (*principium*) rerum creatarum, ac Filius etiam ἀρχὴ Spiritus, per quem ille a Patre procedit, ut loquuntur Græ-

Digitized by Google

τῶν γενομένων τὸν Πατέρα, τὴν δημιουργικὴν τ' ν Υἱὸν, τὴν τελειωτικὴν τὸ Πνεῦμα· ὥστε βουλήματι μὲν τοῦ Πατρὸς τὰ λειτουργικὰ πνεύματα ὑπάρχειν, ἐνεργείᾳ δὲ τοῦ Υἱοῦ εἰς τὸ εἶναι παράγεσθαι· παρουσίᾳ δὲ τοῦ Πνεύματος τελειοῦσθαι. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ μακάριος Παῦλος ἔλεγεν, « Εἷς Θεὸς ὁ Πατὴρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα· » τὸ πρόσωπον τοῦ Πατρὸς αἰνιττόμενος· « καὶ εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, δι' οὗ τὰ πάντα, » τὸν Υἱόν· « καὶ ἓν Πνεῦμα ἅγιον, ἐν ᾧ τὰ πάντα. » Καὶ ὁ Εὐαγγελιστὴς φησὶν Ἰωάννης, « Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν, ὃ γέγονεν. » Δι' αὐτοῦ δὲ λέγει, οὐχ ὡς δι' ὀργάνου ἢ δούλου, ἢ τοιούτου τινὸς, ἀλλ' ὡς φυσικῆς καὶ ἐνυποστάτου δυνάμεως· ὥσπερ καὶ ὁ νοῦς ἡμῶν διὰ τῆς ἑαυτοῦ νοήσεως ἐνεργεῖ· εἰ καὶ οὐκ ἄξιον τοῦ λόγου τὸ ὑπόδειγμα. Πάντων γὰρ ὑπερέχει Θεός.

eorum quæ fiunt, Patrem; creatricem seu effectricem, Filium; perfectricem ac consummatricem, Spiritum sanctum: sic nimirum, ut Patris quidem voluntate sint administratorii Spiritus; Filii vero operatione producantur ac esse nanciscantur; Spiritus autem adventu ac præsentia perficiantur. Idcirco etiam aiebat beatus Paulus: *Unus Deus Pater, ex quo omnia*, Patris nempe personam subindicans: *et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia*, Filium, *et unus Spiritus sanctus, in quo omnia*[71]. Joannes quoque Evangelista ait: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est*[72]. Per ipsum vero dicit, non tanquam per organum aut servum, seu rem aliquam ejusmodi, sed quasi per naturalem, et quæ vere exsistat, virtutem; sicut etiam mens nostra operatur per suam intellectionem; quanquam nec istud exempli satis sermoni congruum est. Deus siquidem rebus omnibus longe eminet.

Καὶ οἱ ἅγιοι δὲ πάντες τὸν αὐτὸν τρόπον φασὶ, Πάντα ὁ Πατὴρ ἐνεργεῖ δι' Υἱοῦ ἐν Πνεύματι ἁγίῳ. Καὶ πάλιν, « Δι' αὐτοῦ τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν πρὸς τὸν Θεὸν καὶ Πατέρα. » Καὶ ὁ μέγας Βασίλειος ἐν τοῖς πρὸς Ἀμφιλόχιον, « Ἡ ὁδὸς τῆς θεογνωσίας ἀπὸ τοῦ ἑνὸς Πνεύματος διὰ τοῦ ἑνὸς Υἱοῦ ἐπὶ τὸν ἕνα Πατέρα. » Καὶ πάλιν ἔν τινι κεφαλαίῳ, οὗ ἡ ἐπιγραφὴ, Ὅτι συνδοξαζόμενον Θεῷ τὸ Πνεῦμα δείκνυται, « Οὔτε χωρὶς Υἱοῦ ποιεῖ Πατὴρ, οὔτε Υἱὸς χωρὶς Πνεύματος. » Καὶ ἔτι πλατύτερον περὶ τούτων φησὶν ἐν τῇ πρὸς τὸν ἀδελφὸν Γρηγόριον ἐπιστολῇ (92) περὶ διαφορᾶς οὐσίας καὶ ὑποστάσεως, λέγων οὕτω· « Πᾶν ὅπερ ἂν εἰς ἡμᾶς ἐκ θείας δυνάμεως ἀγαθὸν φθάσῃ, τῆς πάντα ἐν πᾶσι ἐνεργούσης χάριτος ἐνέργειαν εἶναι φαμὲν, καθὼς φησιν ὁ Ἀπόστολος, ὅτι « Ταῦτα δὲ πάντα ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ Πνεῦμα, διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς βούλεται. » Ζητοῦντες δὲ, εἰ ἐκ μόνου τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἡ τῶν ἀγαθῶν χορηγία ἀρχὴν λαβοῦσα οὕτω παραγίνεται τοῖς ἀξίοις, πάλιν ὑπὸ τῆς Γραφῆς ὁδηγούμεθα εἰς τὸ τῆς χορηγίας τῶν ἀγαθῶν' τῶν διὰ τοῦ Πνεύματος ἡμῖν ἐνεργουμένων ἀρχηγὸν καὶ αἴτιον τὸν μονογενῆ Θεὸν εἶναι πιστεύειν. Πάντα γὰρ δι' αὐτοῦ γεγενῆσθαι, καὶ ἐν αὐτῷ συνεστάναι παρὰ τῆς ἁγίας Γραφῆς ἐδιδάχθημεν. Ὅταν τοίνυν καὶ πρὸς ἐκείνην ὑψωθῶμεν τὴν ἔννοιαν, πάλιν ὑπὸ τῆς θεοπνεύστου χειραγωγίας ἐναγόμενοι διδασκόμεθα ὅτι δι' ἐκείνης μὲν πάντα τῇ δυνάμει ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παράγεται· οὐ μὴν οὐδὲ ἐξ ἐκείνης ἀνάρχως (93)· ἀλλὰ τίς ἔστι δύναμις ἀγεννήτως καὶ ἀνάρχως ὑφεστῶσα, ἥτις ἐστὶν αἰτία τῆς ἁπάντων

Sed et reliqui sancti eodem modo docent, operari omnia Patrem per Filium in Spiritu sancto. Et rursus: *Per quem accessum habemus ad Deum et Patrem*[73]. Magnus quoque Basilius in iis quæ scripsit ad Amphilochium: *Via ad Dei cognitionem ac fidem ab uno Spiritu, per unum Filium, ad unum Patrem.* Ac rursus in quodam capite cujus hic titulus: *Spiritum una cum Deo glorificari ostenditur: nec sine Filio Pater operatur, nec Filius sine Spiritu.* Adhucque fusius de his disserens in epistola ad Gregorium fratrem, de differentia essentiæ et hypostasis, sic ait: *Omne bonum, quod ad nos ex divina virtute venit, ejus gratiæ operationem esse dicimus, quæ omnia in omnibus operatur, uti ait Apostolus:* « *Omnia autem operatur unus et idem Spiritus, dividens seorsim singulis prout vult*[74]. » *Quærendo autem: num ita dignis adsit bonorum suppeditatio, ut quæ ex solo Spiritu sancto sumat exordium, rursus Scriptura duce instituimur, ut suppeditationis eorum bonorum, quæ Spiritus in nobis operatur, auctorem et causam unigenitum Deum esse credamus. Per eum enim omnia facta esse, et in eo constare, discimus ex divina Scriptura*[75]. *Quando igitur et ad eum sublimes sensum evaserimus, divinæ rursus Scripturæ insinuatione docemur, per eam quidem virtutem produci omnia ex nihilo ut esse habeant; non tamen etiam ex illa absque principio: sed est virtus quædam ingenite et absque omni principio consistens, ipsius auctor et causa, qui omnium auctor ac causa sit. Filius enim ex Patre est, per quem omnia, cum quo una semper inseparabiliter eique conjunctus intelli-*

[71] I Cor. VIII, 5, [72] Joan. I, 3. [73] Rom. V, 2. [74] I Cor. XII, 6-11. [75] Joan. I, 3; Coloss. I, 17.

ei, ad hanc ipsam vim τοῦ προκαταρκτικοῦ αἰτίου (*causæ quasi originalis*) uni Patri asserendam: quam nec Latini Filio arrogant, cum et ex ipso procedere dicant; nempe unum cum Patre eum asserentes principium; ipsum tamen ex Patre principio, non ex se ac ἄναρχον principium. Ut tota verborum lis sit, nisi quantum recentiorum quorumdam propensius schismati studentium, ipsum hoc quod antiqui *per* dixerunt, ad temporalem quasi emanationem, et qua Spiritus fidelibus datur, restrinxerunt; cum in vera theologia, ipsa hæc temporalis emanatio æternam illam connotet; nec aliter Spiritus a Patre per Filium in creaturas quasi emanet ac diffundatur, quam quia per ipsum vere a Patre est, ac exsistentiam habet. Verum hæc alterius loci atque operæ.

(92) Epist. 43.

(93) *Οὐ μὴν οὐδὲ ἐξ ἐκείνης ἀνάρχως. Ne ab*

Digitized by Google

gitur Spiritus sanctus. Nemo enim Filium mente assequitur, quin ante ei affulserit illustrantis virtus Spiritus. Quin et alia plura ejus generis in ea epistola dicit. Sancti enim in omnibus hoc enituntur, ut indivisam essentiæ unitatem, unamque cum personarum distinctione ac ordine, Patris et Filii et Spiritus sancti ostendant potentiam.

A τῶν ὄντων αἰτίας. Ἐκ γὰρ τοῦ Πατρὸς ὁ Υἱὸς, δι' οὗ τὰ πάντα, ᾧ πάντοτε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀχωρίστως συνεπινοεῖται. Οὐ γὰρ ἔστιν ἐν περινοίᾳ τοῦ Υἱοῦ γενέσθαι, μὴ προκαταυγασθέντα τῷ Πνεύματι. » Καὶ ἄλλα δὲ πολλὰ τοιαῦτα φησὶν ἐν τῇ αὐτῇ ἐπιστολῇ. Οἱ γὰρ ἅγιοι διὰ πάντων βούλονται τὸ ἀχώριστον τῆς οὐσίας δηλοῦν, καὶ τὴν μίαν δύναμιν μετὰ τῆς τῶν προσώπων τάξεως, τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος.

Præterea, procedere Spiritum ex Patre per Filium, constanter asserunt, qui a prima ad septimam synodum magistri sanctique claruerunt. Ait namque magnus Athanasius : *Porro fieri non poterat ut in Trinitatis laude Spiritus sanctus assumeretur, nisi processionis modo ex Deo esset per Filium, non effectionis, velut creatura, ut loquuntur* : B nempe hæretici. Magnus quoque Basilius : *Quinam ergo fiat ut separentur, quæ inseparabilia sunt : Verbum ex Deo, ac Spiritus ex Deo per Filium ?* Sanctissimus vero Constantinopolitanus patriarcha Tarasius, coacta septima synodo, rectæ fidei formulam episcopis Orientalibus mittens : *Credimus*, inquit, *et in Spiritum sanctum, qui ex Patre per Filium procedit, et Deus et ipse noscitur.* Damascenus quoque : *Ipse itaque mens est, rationis abyssus, Verbi Pater, et per Verbum Spiritum explanantem producens.* Ac rursus : *Spiritus sanctus, occultæ Deitatis explanatoria vis, ex Patre per Filium procedit.*

Καὶ ἔτι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι λέγουσιν οἱ ἀπὸ τῆς πρώτης μέχρι τῆς ζ' συνόδου διαλάμψαντες. Ὁ μὲν γὰρ μέγας Ἀθανάσιος λέγει, « Ἦν δὲ ἀδύνατον ἐν τῇ τῆς Τριάδος δόξῃ δοξάζεσθαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, μὴ προοδικῶς ὂν ἐκ Θεοῦ δι' Υἱοῦ, ἀλλὰ ποιητικῶς B ὥσπερ ἡ κτίσις, ὡς λέγουσιν, » οἱ αἱρετικοὶ δηλονότι. Καὶ ὁ μέγας Βασίλειος (94), « Πῶς ἂν οὖν χωρίζοιτο τὰ ἀχώριστα, Λόγος ἐκ Θεοῦ καὶ Πνεῦμα ἐκ Θεοῦ δι' Υἱοῦ; » Ταράσιος δὲ ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως, τῆς ζ' συνόδου συγκροτουμένης, ἔκθεσιν τῆς ὀρθῆς πίστεως ἐπιστέλλων τοῖς κατὰ τὴν ἀνατολὴν ἐπισκόποις, « Πιστεύομεν, φησὶ, καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς δι' Υἱοῦ ἐκπορευόμενον, καὶ αὐτὸ Θεὸν εἶναι γνωριζόμενον. » Καὶ ὁ Δαμασκηνὸς, « Αὐτὸς μὲν οὖν ἐστι νοῦς, Λόγου ἄβυσσος, Λόγου γεννήτωρ, καὶ διὰ Λόγου προβολεὺς (94') ἐκφαντορικοῦ Πνεύματος· » καὶ πάλιν· « Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἡ ἐκφαντορικὴ τοῦ κρυφίου τῆς Θεότητος δύναμις, ἐκ τοῦ Πατρός ἐστι C δι' Υἱοῦ ἐκπορευομένη. »

Quod tamen et creatura per Filium, et per Filium Spiritus dicitur, quonam differant docet Gregorius Nyssenus, *Confutationum* lib. I : *Spiritus qui Patri conjungitur, eo quod increatus est, ab eo rursus sejungitur, quod Pater non est, sicut ille : illa quidem sine principio.* Nullo alio auctore, a quo auctore habeat esse. Sic enim solus Pater ἀναρχος et ἀναίτιος. Non placet quod reddit interpres : *Non tamen ne ex illa quidem, absque initio producantur.* Sensus plane est, quasi Pater *sine initio*, hoc est ab æterno, producat; Filius *cum initio*, hoc est in tempore; quæ doctrina hæretica est; producunt certe omnes personæ simul et semel, neque in initio temporis. Græcis vox ἀρχὴ ambigua est, ut et nobis *principium*; ideirco Greg. τὸ ἀναρχον distinguit, et ut negat originem ab D alio, a Filio removet, uti etiam hic Basilius, ut vero durationis initium et ὑπάρξεως perinde Filio tribuit, qui ipse Patri coæternus sit, nec *initium* unquam habuerit. Genuina certe unaque hæc ejus vocis significatio, nec video quo probato auctore alio trahi possit.

Ἀλλ' ἐπειδὴ καὶ κτίσις διὰ τοῦ Υἱοῦ λέγεται, καὶ τὸ Πνεῦμα διὰ τοῦ Υἱοῦ, τίνα τὴν διάκρισιν ἔχει ὁ Νύσσης διδάσκει ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἀντιῤῥητικῶν· « Τὸ Πνεῦμα τῷ Πατρὶ κατὰ τὸ ἄκτιστον συναπτόμενον, πάλιν ἐκείνου τῷ μὴ Πατὴρ εἶναι, καθάπερ

(94) *Adv. Eunomium*, l. I.

(94') Διὰ Λόγου προβολεύς, et seq. ἐκ τοῦ Πατρὸς δι' Υἱοῦ ἐκπορευομένη. Videtur Damascenus quod ejus capitis titulus ipse præfert, accuratius cautiusque voluisse de Trinitate divinisque nominibus disserere, ἔτι περὶ Θείων ὀνομάτων ἀκριβέστερον. Palam enim hic ipsam ex Patre per Filium, aliorum more sanctorum, exponit exsistentiam; in quem sensum eum Calecas adducit, cum cap. 8 sic locutus sit, ut videatur ansam præbuisse his qui sentiunt solum dari a Filio Spiritum, ac manifestari, non item ab eo, seu a Patre per ipsum Ipsoque una vere τῆς ὑπάρξεως ejus principio profundi, ac produci. Δι' Υἱοῦ πεφανερῶσθαι καὶ μεταδίδοσθαι ἡμῖν ὁμολογοῦμεν. Id ibi unum Damascenus cur Filii Spiritus dicatur; quod per eum sit manifestatus, ac nobis impartiatur; quod ex illo Joannis probat : *Insufflavit, et dixit : Accipite Spiritum sanctum*, etc. Qui contentioni student recentiores Græci ac schisma fovent, lubentes ad Damascenum provocant, velut ad ejus regulam reliquorum sanctorum dicta componenda sint, cujus effati absurdum egregie demonstrat Joan. Vecens de injusta sui depositione, orat. 2, ipsumque Damascenum ad rectum aliorum sensum trahit, ut solum voluerit negare esse Filium causam primariam et quasi originalem, quam unam liquet esse Patrem; non quæ ex ipsa habeat ut sit una cum ea causa et auctor, ac per quam Pater Spiritum producat; quæ sit ipsa vis ejus propositionis διὰ, id est *per*, ut a Græcorum passim doctoribus in Trinitatis mysterio usurpata est; ea cautione, ne dicendo ἐκ, vel etiam αἴτιον, simpliciter vocando Filium, duo principia viderentur invehere; qui esset error ipse gravis, ac quem Maximus ipse Vecco laudatus ea orat. epistola sua ad Marinum a Latinis depellit, tametsi ex Patre Filioque procedere Spiritum in sua fidei professione ac diplomate pontificio scripsissent.

Digitized by Google

ἐκεῖνος διαχωρίζεται. Τῆς δὲ πρὸς τὸν Υἱὸν κατὰ τὸ ἄκτιστον συναφείας, καὶ ἐν τῷ τὴν αἰτίαν τῆς ὑπάρξεως ἐκ τοῦ Θεοῦ τῶν ὅλων ἔχειν, ἀφίσταται πάλιν τῷ ἰδιάζοντι, ἐν τῷ μήτε μονογενῶς ἐκ τοῦ Πατρὸς ὑποστῆναι, καὶ ἐν τῷ δι' αὐτοῦ τοῦ Υἱοῦ πεφηνέναι. Πάλιν δὲ τῆς κτίσεως διὰ τοῦ Μονογενοῦς ὑποστάσης, ὡς ἂν μὴ κοινότητά τινα πρὸς ταύτην ἔχειν νομισθῇ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν τῷ ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ πεφηνέναι, ἐν τῷ ἀτρέπτῳ καὶ ἀναλλοιώτῳ (95) διακέκριται τὸ Πνεῦμα ἀπὸ τῆς κτίσεως. » Καὶ γὰρ τὸ μὲν ἔστι Θεὸς ἀληθὴς ἐκ Θεοῦ ἀληθοῦς, ἄτρεπτόν τε καὶ ἀναλλοίωτον, ἡ δὲ κτίσις τρεπτὴ καὶ ἀλλοιωτή· καὶ τὸ μὲν συντέτακται Πατρὶ καὶ Υἱῷ, καὶ ἀχώριστόν ἐστι Πατρὸς καὶ Υἱοῦ, ὡς μία οὐσία. « Οὐ γὰρ ἔπρεπεν ἐλλείπειν ποτὲ ἢ Υἱὸν Πατρὶ, ἢ Πνεῦμα Υἱῷ, » κατὰ τὸν Θεολόγον Γρηγόριον (96). Καὶ ὁ μέγας Βασίλειος ἐν τῇ πρὸς τὸν ἀδελφὸν ἐπιστολῇ (97), « Ὁ τὸν Πατέρα δεξάμενος καὶ τὸν Υἱὸν καὶ τὸ Πνεῦμα συμπαρεδέξατο τῇ δυνάμει. » Καὶ οὐκ ἔστιν ἐπινοῆσαι τομὴν ἢ διαίρεσιν κατ' οὐδένα τρόπον, ὡς ἢ Υἱὸν χωρὶς Πνεύματος νοηθῆναι, ἢ τὸ Πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ διαζευχθῆναι. Ἡ δὲ κτίσις ἀπειράκις ἀπείρως ἐστὶν ὑφειμένη τῆς οὐσίας τοῦ Πνεύματος. « Καὶ γὰρ τὰ ἔξω τοῦ Πνεύματος ὁμόδουλα ἡμῖν, » ὡς αὐτὸς ἐν τρίτῳ τῶν Ἀντιῤῥητικῶν (98) εἴρηκεν, « κἂν τὰ μάλιστα ταῖς ὑπερβολαῖς τῶν ἀξιωμάτων ἄλλων ἄλλα προτετιμημένα τυγχάνῃ »

A *a necessitudine vero cum Filio, quod perinde increatus est, exque universorum Deo ut auctore exsistentiam habet, distinguitur rursus, eo, quod illi proprium est; quod neque tanquam Unigenitus a Patre productus est, et quod per ipsum eluxit Filium. Rursus vero a creatura quæ per Unigenitum condita est, ne ullam cum ea Spiritus sanctus communionem habere intelligatur, ex eo quod ex Patre per Filium eluxit, in eo a creatura Spiritus discretus est, quod immutabilis et ab omni variatione ac labe immunis est.* Etenim Spiritus verus Deus ex vero Deo est, immutabilis ac invariabilis; creatura vero, mutabilis motuque deterente variabilis. Ac quidem Spiritus eodem ordine est ac Pater et Filius, ac ab utroque, velut una essentia, inseparabilis est: *Non enim decebat, ut vel Filius unquam Patri deesset, vel Spiritu Filius careret*, ut auctor est Gregorius Theologus. Magnus item Basilius, in epistola ad fratrem: *Qui Patrem suscepit, is una Filium et Spiritum virtute suscepit.* Nec ullam ullo modo sectionem intelligere licet aut divisionem, ut vel Filium sine Spiritu concipiamus, vel Spiritum a Filio disjungamus. At creatura infinities infinite inferior est quam pro Spiritus essentia: *Etenim quæ a Spiritu extranea sunt, eadem nobiscum servitute tenentur*, quemadmodum idem ipse dixit in tertio *Confutationum* libro: *Quanquam maxime dignitatum præstantia, alia aliis præcellere videantur.*

B

Καὶ ὁ θεῖος Ἐπιφάνιος κατὰ Σεκουνδιανῶν γράφων (99), « Τὰ μετὰ τὸν Πατέρα καὶ Υἱὸν καὶ Πνεῦμα, » φησὶ, « καλῶς ἐκτισμένα, καὶ εἰς σύστασιν ὑπ' αὐτοῦ ἀφθόνως εὖ προελθυθότα. » Καὶ τὸ μὲν ἅγιον Πνεῦμα οὐδενὸς μετέχει, οὐδὲ ἁγιάζεται, οὐδὲ τελειοῦται· περὶ αὐτοῦ γὰρ εἴρηται Γρηγορίῳ τῷ θεολόγῳ (1), « Ἦν οὖν ἀεὶ μεταληπτὸν, οὐ μεταληπτικόν· τελειοῦν, οὐ τελειούμενον· » καὶ ὁ Δαμα-

C Divinus quoque Epiphanius adversus Secundianos scribens: *Quæ sunt*, inquit, *post Patrem et Filium et Spiritum sanctum, rite creata sunt, ab ipsoque citra invidiam ut consisterent essentque in rerum natura, præclare processerunt.* Ac quidem Spiritus sanctus nullius particeps est, neque sanctificatur aut perficitur. De eo enim dictum est Gregorio Theologo: *Erat igitur semper participa-*

(95) *Ἐν τῷ ἀτρέπτῳ καὶ ἀναλλοιώτῳ.* Adjecta hic codici nota, qua rem momenti Græci indicare solent, et quasi digito monstrare; ac si dicant, ὁρᾷς, *ride*, quod quandoque totidem litteris ascriptum. Sic vero observatum puto, quod una hæc Nysseni auctoritas, jugulet, quidquid afferri potest contra Spiritus exsistentiam a Patre per Filium; cum in ea nullum Gregorius ejus a creaturis discrimen agnoscat, sed unum hoc duntaxat, quod Spiritus substantia æterna est ac immutabilis, nec alia a Patris Filiique substantia; creaturam vero mutabilis, etc. Ut ergo creatura vere ex Deo est per Filium, sic et Spiritus, et non solum quoad manifestationem vel impartitionem. Hocque unum contendunt Latini. Unum hoc male habet, quod illa Nysseni auctoritas in illo *Antirrheticon* non occurrit. Fuisset certe locus a p. 57, ubi is doctrinam Spiritus discutere incipit; ac præsertim ad illa Eunomii verba: Γενόμενον παρὰ τοῦ μόνου Θεοῦ διὰ τοῦ Μονογενοῦς καὶ τοῦτο· *Factus a solo Deo per Unigenitum et hic;* ad quæ verba semel et iterum allata et confutata, hanc Nyssenus sic catholicam sanamque expositionem distinctionemque adhibuerit, ut non solum destruere videretur Eunomii blasphemias, sed etiam quæ pietatis sunt exstruere. Num et hic plagiariæ aliquid manus, quod alienum a gentis genio, seu magis ab eorum qui in illa contentioni student ac schismati? Sic injecti quaterni deprehensi in VI synodo, detractæ periodi ex Adriani Epistola in VII; aliique alia referunt, docuissetque inter alios Georgius Metochita, t. III *Græciæ Orth.*, si eam, et in ea doctus Allatius a me acceptos ejus quinque libros, traditionis processionis Spiritus a Patre et Filio, seu per Filium, juris publici fecisset. Certe interpres, vir eruditus, locis plurimis videri aliquid deesse in his Nysseni *Antirrheticis* observat, ac margini ascribit, in quæ inquirere non vacat. Nec aliter putem de Basilii libro de Spiritu sancto ad Amphilochium, ex quo Calecas quandoque citat, quæ fatiganti oculos in eo non occurrunt: quamvis nihil forte mala fide illi demptum fuerit, sed ut fere accidit in lucubrationibus non admodum adstrictis, inque multa capita distributis. Basilii, Greg. Nysseni, aliorumque vitiatos codices, certis etiam exstantibus plagii notis, ostendunt Græci auctores in *Græcia Orthodoxa* Leoni Allatio viro docto producti.

(96) Orat. 44.

(97) Epist. 43.

(98) Libr. III *contra Eunomium*.

(99) Hær. 52, p. 209.

(1) Orat. 44.

Digitized by Google

bilis, non particeps; perficiens, non qui ipse perficiatur. Damascenus item : *Omnia implens essentia, omnia continens; mundum quantum ad essentiam implens, interim ipse major quam ut mundus vim illius ac potentiam capiat.* Creatura vero et particeps est, et sanctificatur et perficitur Spiritus sancti operatione. Ait enim de eo rursus divinus Basilius: *Spiritus sanctus ex Deo exsistens, fons est bonitatis, vis vitam præbens, gratia perficiens, per quem homo adoptionem filiorum recipit, et quod mortale est, immortalitatem, Patri Filioque per omnia conjunctus.*

Sancti enim, uti dicebamus, quemadmodum Filium Patri consubstantialem ac counitum, ab eoque inseparabilem, de Deo tractantes tradunt; sic quoque Spiritum Filio Patrique conjungunt atque uniunt, ut Deum verum, uniusque ac ejusdem essentiæ, servato ordine quem inter se Pater Filiusque habent. Idcirco quandoque quidem magnus Athanasius, velut in libello ad Serapionem, ita scribit : *Cum talem ordinem ac naturam Spiritus ad Filium habeat, qualem Filius habet ad Patrem; quomodo, qui Spiritum creaturam vocat, non hoc ipsum necessario etiam de Filio sentiet?* In tomo quoque ad Antiochenos : *Devovendi vero etiam qui Spiritum sanctum creaturam esse dicunt, atque a Christi substantia divisum.* Quandoque vero magnus Basilius, ut quibus ad Amphilochium scribit : *Sicut se habet Filius ad Patrem, sic se habet ad Filium Spiritus, juxta traditum in baptismo sermonis ordinem. Quod si Spiritus Filio copulatus est, atque Filius Patri, utique etiam Spiritus Patri copulatus est.* Omninoque sancti, dum loquuntur de Patre et Filio et Spiritu sancto, qui unus ac verus Deus est, studentque trium personarum indivisam communionem recto sensu exponere ac prædicare, quod una essentia sit, ac inter se personarum ordo, ejuscemodi verbis contexunt quam de Deo tradunt doctrinam.

Quod autem Trinitas unus Deus sit, Patremque et Filium et Spiritum personas esse vere exsistentes et perfectas; ac quamlibet verum Deum esse, tum nos Vetus Scriptura docet, tum Nova, quam vobis datam dicebam ex revelatione divina. Hanc vero omni diligentia assectati viri sancti, quæ in superioribus exposita nobis sunt, theologica ediderunt. Ut igitur nos etiam divinæ Trinitatis mysterium ex divina Scriptura ipsis ejus verbis diserte expositum ac prædicatum intelligamus, pauca quædam de Filii generatione et Spiritus processione explicabimus, quæ ex Dei doctrina, eorumque qui ex revelatione fidem acceperunt, velut oracula quædam ac divina responsa, colligemus.

(2) Libr. 1. c. 8; Greg. Orat. 37.
(3) Ad Amphil. etsi non occurrit.
(4) Epist. 1, t. 2. Etsi non sunt omnia verba. Citat Georg. Metoch. t. 1 *Gr. Orth.* p. 984
(5) Cap. 17.
(6) *Τὴν ἐν τῷ βαπτισμῷ.* Sermonis ordo, ipse baptismi ritus; in quo tamen ipsa vox σύνταξις vim habet, qua significetur sic nominari divinas personas, ut aliæ aliis connectantur, unoque ac pari ordine, quasi ejusdem classis parisque dignitatis connumerentur; quarum una sit auctoritas ac nomen in eo mysterio, quod omnium janua est, et Christianæ fidei velut tessera; rumpantur licet, quorum colligat, velut pridem Samosatens., Arian., etc., ad tantam lucem ab uno Jesu mundo inferendam, mentis oculus.

A σκηνὴς (2), « Πάντα τῇ οὐσίᾳ πληροῦν, πάντα συνέχον· πληρωτικὸν κόσμου κατὰ τὴν οὐσίαν· ἀχώρητον κόσμῳ κατὰ τὴν δύναμιν· » ἡ δὲ κτίσις καὶ μετέχει καὶ ἁγιάζεται καὶ τελειοῦται ὑπὸ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Καὶ γὰρ περὶ αὐτοῦ πάλιν ὁ θεῖος εἴρηκεν Βασίλειος (3)· « Πνεῦμα ἅγιον, ἐκ Θεοῦ ὑπάρχον, πηγὴ ἁγαθότητος, δύναμις ζωῆς παρεκτική. χάρις τελειοποιὸς, δι' οὗ υἱοθετεῖται ἄνθρωπος, καὶ ἀθανατίζεται τὸ θνητὸν, συνημμένον Πατρὶ καὶ Υἱῷ κατὰ πάντα. »

Οἱ γὰρ ἅγιοι, καθάπερ εἴπομεν, ὥσπερ τὸν Υἱὸν ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ καὶ ἡνωμένον καὶ ἀχώριστον θεολογοῦσιν, οὕτω καὶ τὸ Πνεῦμα τῷ Υἱῷ καὶ τῷ Πατρὶ συνάπτουσι καὶ ἑνοῦσιν ὡς Θεὸν ἀληθῆ καὶ B τῆς αὐτῆς καὶ μιᾶς οὐσίας, μετὰ τῆς πρὸς ἄλληλα τάξεως τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ. Διὸ ποτὲ μὲν ὁ μέγας Ἀθανάσιος, ὡς ἐν τῷ πρὸς Σεραπίωνα, γράφει (4), « Τοιαύτην τάξιν καὶ φύσιν ἔχοντος τοῦ Πνεύματος πρὸς τὸν Υἱὸν, οἷαν ὁ Υἱὸς ἔχει πρὸς τὸν Πατέρα, πῶς ὁ κτίσμα τοῦτο λέγων οὐ τὸ αὐτὸ καὶ περὶ τοῦ Υἱοῦ ἐξ ἀνάγκης φρονήσει; καὶ ἐν τῷ πρὸς τοὺς Ἀντιοχεῖς τόμῳ, « Δεῖ δὲ ἀναθεματίζειν καὶ τοὺς λέγοντας κτίσμα εἶναι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ διῃρημένον ἀπὸ τῆς οὐσίας τοῦ Χριστοῦ· » ποτὲ δὲ ὁ μέγας Βασίλειος, ὡς ἐν τοῖς πρὸς Ἀμφιλόχιον (5), « Ὡς τοίνυν ἔχει ὁ Υἱὸς πρὸς τὸν Πατέρα, οὕτως πρὸς τὸν Υἱὸν τὸ Πνεῦμα, κατὰ τὴν ἐν τῷ βαπτισμῷ (6) παραδεδομένην τοῦ λόγου σύνταξιν. Εἰ δὲ τὸ C Πνεῦμα τῷ Υἱῷ συντέτακται, ὁ δὲ Υἱὸς τῷ Πατρὶ, καὶ τὸ Πνεῦμα τῷ Πατρὶ δηλονότι. » Καὶ ὅλως περὶ τοῦ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος, τοῦ ἑνὸς καὶ ἀληθοῦς Θεοῦ, οἱ ἅγιοι λέγοντες, καὶ τὸ ἀχώριστον τῶν τριῶν προσώπων ἐθέλοντες ὀρθῶς καὶ φρονεῖν καὶ κηρύττειν, διὰ τὴν μίαν οὐσίαν καὶ τὴν πρὸς ἄλληλα τῶν προσώπων τάξιν αὐτῶν, διὰ τῶν τοιούτων τὴν ἑαυτῶν ὑφαίνουσι θεολογίαν.

Περὶ δὲ τοῦ ὅτι ὁ εἷς Θεὸς ἡ Τριάς, καὶ ὁ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα πρόσωπά εἰσιν ὑφεστῶτα καὶ τέλεια· καὶ ἕκαστον τούτων ἀληθής ἐστι Θεὸς, καὶ ἡ θεία Γραφὴ διδάσκει, ἥ τε Παλαιὰ καὶ ἡ Νέα, ἣν παρὰ Θεοῦ ἐλέγομεν δι' ἀποκαλύψεως ἡμῖν δεδόσθαι· ᾗ καὶ ἅγιοι κατακολουθήσαντες ἀκριβῶς, τὰ προεκτεθέντα ἐθεολόγησαν. Ἵν' οὖν ἡμεῖς τὸ τῆς Τριάδος D μυστήριον ἀπὸ τῆς θείας Γραφῆς διαρρήδην αὐταῖς λέξεσι διδασκόμενόν τε καὶ κηρυττόμενον θεωρῶμεν, ὀλίγ' ἅττα περὶ τῆς γεννήσεως τοῦ Υἱοῦ καὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐκθησόμεθα, ἐκ τῆς τοῦ Θεοῦ διδασκαλίας καὶ τῶν ἐξ ἀποκαλύψεως τὴν πίστιν δεξαμένων ὥσπερ τινὰς χρησμοὺς αὐτὰ συλλέγοντες.

Digitized by Google

Περὶ μὲν γὰρ τοῦ Πατρὸς οὐδεὶς ἀμφέβαλε τῶν αἱρετικῶν μὴ εἶναι ἀληθῆ Θεὸν προαιώνιον· οὔτε μὴν οἱ ἄπιστοι, εἰ καὶ μὴ Πατέρα λέγουσι τοῦτον Υἱοῦ, μηδὲ προβολέα Πνεύματος ἁγίου. Ἐπεὶ δὲ οἱ μὲν ὡδ' ὅλως οὔτε Υἱὸν οὔτε Πνεῦμα ὁμολογοῦσιν, ὥσπερ οἱ Ἰουδαῖοι· οἱ δὲ ὁμολογοῦσι, ἀλλ' οὐ κατὰ τὰς θείας Γραφάς· ἐναντιοῦνται δὲ μᾶλλον αὐταῖς· λέγομεν ἤδη.

Λέγεται τοίνυν ἐν τοῖς Ψαλμοῖς τοῦ Θείου Δαβὶδ « Ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε· » καὶ, « Αὐτὸς ἐπικαλέσεταί με· Πατήρ μου εἶ σύ. » Ἅπερ οἱ Ἰουδαῖοι βουλόμενοι διαστρέφειν, λέγουσιν ὡς ἀπὸ τοῦ Θεοῦ πρὸς τὸν Δαβὶδ ἀναφέρονται. Ἀλλ' ἐφεξῆς ἐλέγχονται. Λέγει γάρ, « Δώσω σοι ἔθνη τὴν κληρονομίαν σου, καὶ τὴν κατάσχεσίν σου τὰ πέρατα τῆς γῆς. » Δῆλον δὲ ὅτι ἡ ἐκείνου βασιλεία μικρῷ μέρει περιελαμβάνετο. Εἰ δὲ καὶ τῷ Σολομῶντι φασὶν ἁρμόζειν τὸ, « Αὐτὸς ἐπικαλέσεταί με, Πατήρ μου εἶ σύ· ἀλλὰ πρόσκειται, « Καὶ θήσομαι εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος τὸ σπέρμα αὐτοῦ. » Ταῦτα δὲ τῷ Σολομῶντι οὐκ ἐπεγένοντο. Ὅθεν ἔστι νοεῖν ὡς ἐπεί τινα τῶν προειρημένων ῥημάτων τῷ Δαβὶδ καὶ τῷ Σολομῶντι ἁρμόζειν δύνανται, τινὰ δὲ οὐδαμῶς εἰς μὲν τὸν Δαβὶδ καὶ τὸν Σολομῶντα ταῦτα λέγεσθαι, κατὰ τὸ ἦθος τῆς Γραφῆς, ἀλλ' εἰς ἑτέρου τύπον, ἐν ᾧ πάντα πεπλήρωται.

Πάλιν ὁ Σολομὼν ἐν Παροιμίαις, « Τί τὸ ὄνομα αὐτοῦ, καὶ τί τὸ ὄνομα τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ; » Ἐν δὲ τῷ Εὐαγγελίῳ· « Οὐδεὶς οἶδε τὸν Υἱὸν εἰ μὴ ὁ Πατήρ· οὐδὲ τὸν Πατέρα τις ἐπιγινώσκει εἰ μὴ ὁ Υἱός. » Καὶ πάλιν, « Ἀρχὴ τοῦ Εὐαγγελίου Ἰησοῦ Χριστοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. » Καὶ ὁ ἀπόστολος Παῦλος, « Πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως πάλαι ὁ Θεὸς λαλήσας τοῖς πατράσιν ἐν τοῖς προφήταις, ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν τούτων ἐλάλησεν ἡμῖν ἐν Υἱῷ. »

Ἐπεὶ δὲ ἡ Γραφὴ τὸ τῆς πατρότητος καὶ γεννήσεως καὶ τὸ πατρὸς ὄνομα καὶ υἱοῦ πολλάκις ἐπὶ τῶν πραγμάτων λέγει, ὡς φησιν ὁ Ἰώβ, « Τίς ἐστι τοῦ ὑετοῦ πατήρ, ἢ τίς ἐγέννησε τὰς σταγόνας τῆς δρόσου; Ἐκ τίνος δὲ γαστρὸς πάγος ἐξεπορεύθη, καὶ κρύσταλλον ἐπὶ τοῦ οὐρανοῦ τίς ἐγέννησε; » διὰ ταῦτα διαστέλλουσα αὐτὸν ἀπὸ τῶν πραγμάτων, τὸν Υἱὸν γεννητὸν ὀνομάζουσα, φησὶ τοῦτον εἶναι καὶ Θεόν· ἵν' οὕτως ὑπεροχὴν ἔχων φαίνηται πρὸς τὰ κτίσματα. Καὶ γάρ φησιν, « Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος. » Ὅτι δὲ Λόγον τὸν Υἱὸν λέγει, μετ' ὀλίγον προστίθησι, « Καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς Μονογενοῦς παρὰ Πατρός. » Καὶ ὁ προφήτης Ἡσαΐας φησὶ, « Παιδίον ἐγεννήθη ἡμῖν, Υἱὸς καὶ ἐδόθη ἡμῖν, οὗ ἡ ἀρχὴ ἐγενήθη ἐπὶ τοῦ ὤμου αὐτοῦ· καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ Μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, Θεὸς, Ἰσχυρὸς, ἐξουσιαστὴς, ἄρχων εἰρήνης, Πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. »

Εἰ δὲ καὶ περὶ ἄλλων φησὶν ἡ Γραφὴ, « Υἱοὺς

A De Patre quidem nullus hæreticorum in dubium vocavit esse verum Deum sæculis omnibus anteriorem : ac ne infideles quidem, tametsi eum Filii Patrem non dicunt, nec qui produxerit Spiritum sanctum. Quando vero alii neque prorsus Filium neque Spiritum confitentur, velut Judæi ; alii vero confitentur, sed non ut Scripturis consentaneum est, sed magis ipsis adversantur, statim dicemus.

Dicitur itaque in divini Davidis Psalmis : *Ego hodie genui te* [76] ; et : *Ipse invocabit me : Pater meus es tu* [77]. Judæi cavillantes, et ut hæc evertant, aiunt ; tanquam ex Dei persona ad Davidem referri. Sed arguuntur ex sequentibus ; ait enim : *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Liquet autem Davidis regnum exiguo limite fuisse comprehensum. Sin autem Salomoni convenire dicant, quod ita dictum est : *Ipse invocabit me, Pater meus es tu.* Atqui sequitur, *Et ponam in sæculum sæculi semen ejus.* Hæc autem Salomoni non contigere. Proinde datur intelligi, cum quædam horum verborum aptari possint Davidi et Salomoni ; alia vero nullo modo possint ; dicta quidem esse, ut moris est Scripturæ, de Davide et Salomone ; sed ut alterius figura erant, in quo omnia fuerunt adimpleta.

Rursus ait Salomon in Proverbiis : *Quod est nomen ejus, et quod nomen Filii ejus* [78] ? In Evangelio autem : *Nemo novit Filium, nisi Pater ; neque Patrem quis novit, nisi Filius* [79]. Ac rursus : *Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei* [80]. Item apostolus Paulus : *Multifarium multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, novissimis diebus istis locutus est nobis in Filio* [81].

Πάλιν οἱ ἅγιοι τὸν ἡμέτερον νοῦν καὶ λόγον καὶ πνεῦμα λαμβάνουσι, καθότι ἀπὸ τοῦ λόγου ἀνθρώπου λαμβάνονται, ὃς τῶν ἄλλων κτισμάτων τιμιώτερός ἐστι, καθόσον κατ' εἰκόνα Θεοῦ ἐκτίσθη. Πολὺ δὲ καὶ τοῦτο· τῆς ἀληθείας ἀποδεῖ. Καὶ γὰρ ὁ μὲν ἡμέτερος λόγος ἐκ μαθήσεως προσγίνεται καὶ διὰ φωνῆς προφέρεται, καὶ τῷ ἀέρι ἐπιχεῖται, καὶ εἰς ἀέρα σκεδάννυται, καὶ ἀνυπόστατός ἐστι, καὶ οὔτε ἀεί ἐστιν, οὔτε ὁ αὐτός ἐστι τῇ τοῦ νοῦ οὐσίᾳ· ἀμυ-

[25] Luc. xi, 20. [26] Psal. xcvii, 1. [27] Isa. xxvi, 11.

Digitized by Google

δρὰν δὲ τὴν κοινωνίαν ἔχει πρὸς τὸν νοῦν, καθότι τὸ νοηθὲν αὐτῷ ἐξαγγέλλει, καὶ εἰς τοὐμφανὲς ἄγει, καὶ σημαίνει τὸν ἔνδον λόγον ὁποῖός τίς ἐστιν. Ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ Λόγος ἐνυπόστατός ἐστι, καὶ ἀεὶ ἔστιν· οὐ γὰρ ἦν ποτε Θεὸς Λόγον οὐκ ἔχων· καὶ ἐνεργὸς καὶ παντοδύναμος καὶ τέλειος, ὁ αὐτὸς ὢν κατὰ πάντα τῷ ἐξ οὗ ἐστι συναΐδιος καὶ ὁμοούσιος καὶ ἀχώριστος, καὶ ἀνεκφοίτητος αὐτοῦ· οὐ κατά τι μὲν ἐοικώς, κατά τι δὲ ἀπεοικώς. Ὡσαύτως καὶ τὸ Πνεῦμα· τὸ μὲν ἡμέτερόν ἐστι πνοὴ ἀνυπόστατος, ἔξωθεν ἀπὸ τοῦ ἀέρος ἑλκομένη, καὶ ἀπεοικὼς ἄλλης δυ οὐσίας παρὰ τὴν τοῦ ἡμετέρου νοῦ· τὸ δὲ τοῦ Θεοῦ ἅγιον Πνεῦμα ὑφεστὼς καὶ ἐνυπόστατον καὶ ζῶν καὶ τέλειον, ὥσπερ καὶ ὁ Υἱός, ἐνεργὸν, αὐτοκίνητον, δημιουργὸν, σύνδρομον ἔχον τῇ θελήσει τὴν δύναμιν· εἰ καὶ πρὸς τὴν πρώτην αἰτίαν, ὥσπερ τὰ τοῦ Μονογενοῦς ἅπαντα, οὕτω δὴ καὶ τὰ τοῦ Πνεύματος ἀναπέμπεται, κατὰ τὸν Θεολόγον Γρηγόριον. Μία γὰρ οὐσία, καὶ μία δύναμις Πατρὸς, Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος, μήτε ἀρξάμενον, μήτε παυσόμενον, ἐκ τοῦ Θεοῦ τῶν ὅλων τὴν αἰτίαν ἔχον· ἀνεκφοίτητον Πατρὸς καὶ Υἱοῦ. Οὐ γὰρ ἐνέλιπε τῷ Πατρὶ Λόγος, οὔτε τῷ Λόγῳ Πνεῦμα, κατὰ τὴν τῶν ἁγίων διδασκαλίαν· περὶ ὧν ὁ θεῖος Δαβὶδ ψάλλων, « Ὁ Λόγος σου, Κύριε, εἰς τὸν αἰῶνα μένει. » Καὶ, « Τῷ Λόγῳ Κυρίου οἱ οὐρανοὶ ἐστερεώθησαν, καὶ τῷ Πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ πᾶσα ἡ δύναμις αὐτῶν. » Καὶ, « Ἐξαποστελεῖς τὸ Πνεῦμά σου, καὶ κτισθήσονται. » Καὶ ὁ Ἰὼβ, « Πνεῦμα θεῖον τὸ ποιῆσάν με· πνοὴ δὲ Παντοκράτορος ἡ διδάσκουσά με. »

Οὐδὲν οὖν εἰκεῖον τῷ λόγῳ καὶ τῷ πνεύματι ἡμῶν, καὶ τῷ Λόγῳ καὶ Πνεύματι τοῦ Θεοῦ. Ἀμυδρὰν δέ τινα καὶ λεπτοτάτην εἰκασίαν ἀπὸ τῶν τοιούτων ἐπὶ τοῦ Θεοῦ τῆς Τριάδος λαμβάνομεν, δεικνύντες ὅτι καὶ ἐπὶ τῶν καθ' ἡμᾶς εὑρίσκονταί τινα ἐν ἑκάστῳ τούτων τρία θεωρούμενα ἀχώριστα, καὶ οὐκ ἀποτετμημένα ἀλλήλων, ἓν ὄντα κατὰ τὴν οὐσίαν, καὶ ὡς ὅλον τι ὄντα· διαφοραῖς δέ τισι μόναις ἀλλήλων διακρινόμενα· τῶν τριῶν ἕκαστον οὐκ ὂν κατὰ τὴν ἰδιότητα τὸ αὐτὸ τῶν λοιπῶν ἑκατέρῳ· ὥσπερ ὁ τῆς πηγῆς ὀφθαλμὸς οὐκ ἔστι πηγὴ, οὔτε ποταμός· οὔτε ἡ πηγὴ ὀφθαλμὸς ἢ ποταμός· οὔθ' ὁ ποταμὸς ὀφθαλμὸς ἢ πηγή. Καὶ πάλιν ἐπὶ τῆς πηγῆς, καὶ τοῦ ποταμοῦ καὶ τῆς λίμνης· οὔθ' ἡ πηγὴ ποταμός ἐστιν ἢ λίμνη· οὔθ' ὁ ποταμὸς πηγὴ ἢ λίμνη· οὔθ' ἡ λίμνη πηγὴ ἢ ποταμός· καίτοι κατὰ τὴν οὐσίαν ἓν ὄντων· ὕδωρ γάρ εἰσι. Καὶ πάλιν ὁ νοῦς οὔτε λόγος ἐστὶν ἢ πνεῦμα· οὔτε ὁ λόγος νοῦς ἢ πνεῦμα· οὔτε τὸ πνεῦμα λόγος ἢ νοῦς· καίτοι τούτων ὡς ὅλον τι εἶναι δοκούντων καὶ ἀχωρίστων ἀλλήλων, ἢ καὶ διαφέρουσι τῇ οὐσίᾳ· ὡς ἔχει τὸ τοῦ ἡλίου καὶ τῶν ἀκτίνων καὶ τοῦ φωτὸς, ὡσαύτως καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων παραδειγμάτων.

cum mente communionem habet, ea scilicet ratione quod mentis conceptum enuntiat, producitque in publicum, ac qualis sit interior animique sermo significat. At Dei Sermo vere ipse exsistit, ac semper est. Non enim fuit unquam, cum Deo Sermo deesset: efficaxque et omnipotens et perfectus est, idemque omnino cum eo ex quo est, illi coæternus et consubstantialis, a quo sejungi atque divelli nulla ratione potest; non partim quidem similis, partim vero a similitudine abhorrens. Perinde quoque Spiritus: noster quidem flatus est non vere exsistens, quem ab aere exterius trahimus, diversæque prorsus a mente nostra substantiæ est. At Spiritus Dei sanctus, vere ipse ac per se exsistens, et vivens et perfectus est, haud secus ac Filius, efficax, a se mobilis, creator, cujus voluntati comes potestas sit (tametsi ad primum auctorem, velut etiam Unigeniti omnia, quæ sunt Spiritus referantur, ut auctor est Gregorius Theologus. Una enim essentia, unaque potestas Patris et Filii et Spiritus sancti), qui neque cœperit, nec sit desiturus unquam ex universorum Deo ut auctore habens originem: qui a Patre et Filio excedere nequeat; nunquam enim Sermo defecit Patrem, neque Filium Spiritus, uti sanctorum doctrina est; de quibus psallit beatus David: « Verbum tuum, Domine, in æternum permanet [28]. » Et, « Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum [29]. » Et, « Emitte Spiritum tuum et creabuntur [30]. » Job quoque, « Spiritus divinus qui creavit me; flatus vero Omnipotentis qui docet me [31]. »

Nihil itaque verbo nostro (seu sermoni) ac spiritui proprium cum Dei Verbo ac Spiritu: sed obscuram quandam ac tenuissimam ex ejusmodi conjecturam in Deo, qui Trinitas est, assumimus; ac ostendimus etiam in humanis ac rebus creatis exstare quædam, in quibus singulis tria inseparabilia considerentur, nec ab invicem divisa, quæ (ad essentiam quod spectat) unum exsistant ac totius cujusdam rationem habeant; solumque differentiis quibusdam inter se discreta consistant; cum singula quæque proprietatum ratione, non hoc quod reliquum exsistant. Velut fontis oculus, non est fons, neque fluvius: neque fons oculus est, autve fluvius; neque fluvius oculus est aut fons. Ac rursus in fonte et rivo et lacu, neque fons rivus est, aut lacus, neque rivus fons est, aut lacus, neque lacus, fons aut rivus; tametsi unum sint secundum essentiam, quippe quæ aqua exsistant. Ac rursus mens, neque sermo est neque spiritus, nec sermo, mens aut spiritus est; neque spiritus, sermo aut mens: quanquam hæc velut totum quoddam esse videantur, et ab invicem inseparabilia sint, tametsi essentia distinguantur, uti se res etiam habet in sole et radiis et luce: ac similiter etiam in reliquis exemplis.

Ἀλλὰ ταῦτα, καθάπερ εἴπομεν, οἱ ἅγιοι λαμβά-

Hæc enimvero, uti dicebamus, sancti assumunt,

[28] Psal. CXVIII, 89. [29] Psal. XXXII, 6. [30] Psal. CIII, 30. [31] Job. XXXIII, 4.

Digitized by Google

ut nos quoque tantisper inde eo provehamur, ut personas in Deo ipsas proprie ac per se subsistere, proprietatibus incommunicabiles, ac inter se inseparabiles, intelligamus; utque item cum infidelium quispiam accusaverit, Cur unum Deum tria dicamus ac tria unum, possimus etiam exemplis ex humano usu petitis huic tali os occludere, ostendentes ne in rebus ipsis istud deesse, quamvis omnino deficiant ac quam longissime absint ab eo, ut tum unionem tum distinctionem, quæ est in divinis, satis exhibeant. Quomodo enim quæ serva sint atque subdita, Domino ac creaturæ Creatori, videri possint perfectionibus paria? Idcirco non omnes proprietates earum rerum, quas exempla enumerando attulimus, in Deo assumimus; sed quantum in eis est, quod necessitudinem cum eo habeat, quod sic velut simulacro ac imagine repræsentatur: sic nimirum, ut ex alio quod Pater et Filius inseparabiles sint; ex alio, quod divinæ personæ consubstantiales atque conjunctæ, habeantque inter se ordinem, ac una earum potentia sit et operatio: aliudque ex alio habeamus; intervalla vero et defluxiones ac compositiones transitusque, ac si qua reliqua nostræ indigentiæ sunt, iis demum rebus quæ oriuntur et intereunt projiciamus; uti etiam ait Gregorius Theologus: « Nihil est in quo mens mea gradum figere queat, dum, quod imaginor, in exemplis considero: nisi forte quis ea animi æquitate sit, ut cum unum quid ex proposita imagine acceperit, reliqua projiciat. » Nam et exemplum ubique partim dissimile est rei quam repræsentat, partim illi simile. Si enim in omnibus simile est, non jam exemplum est ejus rei, cujus summam præfert similitudinem, sed idem prorsus ac illa est. Sin vero rursus in nullo habet similitudinem, ne sic quidem exemplum ac imago futurum est. Usu enim humano, exemplum similitudinem quamdam, idque ex parte, cum eo quod imagine repræsentatur, habet. Sic tamen in nobis ac pro humano usu; in divinis autem personis, Filius, qui Patris imago dicatur, per omnia illi similis est, qui ex illo substantialiter, veraque ac per se exsistentia. omni procul semoto accidente, sit.

A νουσιν, ἵνα καὶ ἡμεῖς μετρίως ἐκ τούτων εἰς ἔννοιαν ἔλθωμεν τοῦ ἰδιοϋπόστατα εἶναι τὰ ἐν τῇ Τριάδι θεῖα πρόσωπα, ταῖς ἰδιότησιν ἀκοινώνητα καὶ ἀχώριστα ἀλλήλων· καὶ ἵνα ὅταν τις τῶν ἀπίστων ἡμῖν ἐγκαλῇ, πῶς τὸν ἕνα Θεὸν τρία λέγομεν καὶ τὰ τρία ἕν, ἔχωμεν καὶ ἀπὸ τῶν καθ' ἡμᾶς τὸν τοιοῦτον ἐπιστομίζειν, δεικνύντες ὅτι οὐδὲ ἐν τοῖς οὖσιν ἄπεστι τοῦτο, εἰ καὶ παντάπασιν ἀποδέουσι καὶ λείπονται πρὸς τὸ δεῖξαι τὴν ἐπὶ Θεοῦ ἕνωσίν τε καὶ διάκρισιν. Πῶς γὰρ τὰ δοῦλα καὶ ὑποχείρια τῷ Δεσπότῃ, καὶ τῷ δημιουργῷ τὰ δημιουργήματα φανήσονται ταῖς τελειότησιν ἴσα; Διὰ τοῦτο οὐ πάντα τὰ ἰδιώματα τῶν προτεθέντων λαμβάνομεν ἐπὶ τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ὅσον μὲν ἔστιν ἐν τούτοις οἰκειότητα πρὸς τὸ B εἰκονιζόμενον ἔχον, λαμβάνομεν· ἀπ' ἄλλου μὲν τὸ ἀχώριστον Πατρὸς καὶ Υἱοῦ, ἀπ' ἄλλου δὲ τὸ ὁμοούσιον καὶ τὸ συνημμένον, καὶ τὸ τῆς πρὸς ἄλληλα τάξεως τῶν θείων προσώπων, καὶ τὴν μίαν δύναμιν καὶ ἐνέργειαν· καὶ ἄλλο ἐξ ἄλλου· διαστήματα δὲ καὶ ῥεύσεις καὶ συνθέσεις καὶ μεταβάσεις, καὶ τἆλλα ὅσα τῆς καθ' ἡμᾶς ἐνδείας εἰσὶ, τοῖς ἐν γενέσει καὶ φθορᾷ ἀπορρίπτομεν, καθά φησι καὶ ὁ Θεολόγος Γρηγόριος (34), « Ὅτι οὐδέν ἐστιν ὃ μοι τὴν διάνοιαν ἵστησιν ἐπὶ τῶν ὑποδειγμάτων θεωροῦντι τὸ φανταζόμενον· πλὴν εἴ τις ἔν τι λαβὼν ὑπ' εὐγνωμοσύνης, τὰ λοιπὰ ῥίψειεν. » Καὶ γὰρ καὶ τὸ παράδειγμα πανταχοῦ κατά τι μὲν ἀνόμοιόν ἐστι τῷ εἰκονιζομένῳ, κατά τι δὲ ὅμοιον. Εἰ μὲν γὰρ κατὰ πάντα ὁμοιοῦται, οὐκ ἔστι παράδειγμα ἐκείνου, οὗ ἄκρως ὁμοιοῦται, καὶ ταυτόν ἐστι πάντη· εἰ δὲ πάλιν C ἐν οὐδενὶ τὴν ὁμοιότητα ἔχει, οὐδ' οὕτω παράδειγμα καὶ εἰκὼν ἔσται. Τὸ γὰρ παράδειγμα καὶ ἡ εἰκὼν ἐπὶ τῶν καθ' ἡμᾶς ὁμοίωσίν τινα κατά τι τοῦ εἰκονιζομένου βούλεται ἔχειν. Ἐφ' ἡμῶν μέντοι οὕτως· ἐπὶ δὲ τῶν θείων προσώπων ὁ Υἱὸς εἰκὼν τοῦ Πατρὸς λεγόμενος κατὰ πάντα ὁ αὐτός ἐστιν αὐτῷ, ἐξ αὐτοῦ ὢν οὐσιωδῶς καὶ ἐνυποστάτως, καὶ πόῤῥω παντὸς συμβεβηκότος.

Sanctus autem Augustinus, quem et quarta tertia synodus præcellentissimum Ecclesiæ magistrum appellavit, non sermonem qui ore profertur, in divini Verbi imaginem assumit, sed qui intus animo repositus est; hincque adeo Spiritum sanctum, dilectionem vocat; quæ, sive dilectio, sive amor, proprietas est naturæ utentis ratione. Omni enim menti natura competit voluntatis vis, et ut velit. Inclinatio enim ac pondus in id quod proprium est secundum naturam, omnibus rebus inest: verum in iis quæ sensu carent, illud ipsum secundum naturam, inclinatio vocatur ac pondus; cujusmodi in terra est, quod in medium propendeat; in igne vero, sursum tendat. In iis vero quæ sensu prædita sunt, ejus appetitio quod est proprium et ex natura. In iis autem quæ intelligent ac ratione utuntur, voluntas seu dilectio; quæ post rationis judicium, vel amplectatur ac diligat, quod judicio bonum probatum est, vel contrarium respuat.

Ὁ δὲ ἅγιος Αὐγουστῖνος, ὃν ἡ δ' [γ'] σύνοδος καὶ διδάσκαλον ἐξοχώτατον τῆς Ἐκκλησίας προσεῖπεν, οὐ τὸν προφορικὸν λόγον εἰς εἰκόνα τοῦ θείου Λόγου λαμβάνει, ἀλλὰ τὸν ἐν τῇ ψυχῇ ἐνδιάθετον· καὶ D ἀκολούθως τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀγάπην καλεῖ· ἥτις ἡ ἀγάπη ἢ ὁ ἔρως τῆς λογικῆς φύσεως ἰδιότης ἐστί. Παντὶ γὰρ νῷ φύσει πρόσεστι καὶ ἡ θέλησις καὶ τὸ θέλειν. Ἡ γὰρ ἐπὶ τὸ οἰκεῖον κατὰ φύσιν ῥοπὴ πᾶσι πρόσεστιν· ἀλλ' ἐν μὲν τοῖς ἀναισθήτοις αὐτὸ τοῦτο κατὰ φύσιν καλεῖται ῥοπή, οἷον γῆς μὲν ἐπὶ τὸ μέσον, πυρὸς δὲ ἐπὶ τὸ ἄνω· ἐν δὲ τοῖς ἔχουσιν αἴσθησιν ὄρεξις τοῦ οἰκείου καὶ κατὰ φύσιν· ἐν δὲ τοῖς νοεροῖς καὶ λογικοῖς θέλησις ἢ ἀγάπη, μετὰ τὴν τοῦ λόγου κρίσιν ἢ στέργουσα καὶ ἀγαπῶσα τὸ κριθὲν ἀγαθὸν, ἢ τοὐναντίον φεύγουσα.

(34) Or. at. 37.

Digitized by Google

Ταύτην τοίνυν τὴν ἀγάπην, τὴν τῶν λογικῶν ἰδιότητα, φησὶν εἶναι καὶ ἐν τῷ θείῳ Νῷ. Πόθεν γὰρ ἄλλοθεν ἦν ἂν ἐν ἡμῖν τὸ ἀγαθὸν καὶ ἡ τελειότης, μὴ ἐκεῖθεν ἥκοντα ἡμῖν, ἐν ᾧ πᾶσα τελειότης ἁπλῶς ὑπεριδρυμένη νοεῖται; Κατὰ γὰρ τὸν θεῖον Διονύσιον (35), αἱ ἐν τοῖς αἰτιατοῖς τελειότητες πολλῷ πρότερόν εἰσιν ἐν τοῖς αἰτίοις. Τῶν μὲν γὰρ ἐν ἡμῖν κακῶν (ἐλαττωμάτων λέγω καὶ ἐλλείψεων) οὐδεμία χώρα τῷ Θεῷ, τῶν δὲ ἐν ἡμῖν τελειοτήτων καὶ πάνυ. Αὐτίκα ὁ τῆς σοφίας ὁρισμὸς « γνῶσις θείων καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἐστίν. » Ἐν ἡμῖν μέν τοι ἀτελῶς καὶ μεταβατικῶς ἡ σοφία θεωρεῖται κατὰ τὴν δύναμιν τοῦ ἡμετέρου νοῦ· ἀπὸ γὰρ τοῦδε ἐπὶ τόδε χωρῶν μεταβατικῶς, καὶ οὐχ ἁθρόον, διὰ τῶν προτάσεων ἐπὶ τὸ συμπέρασμα καταντᾷ· τῷ δὲ Θεῷ τὸ μὲν γνῶσιν εἶναι θείων καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων τοῦτο τῆς σοφίας ἀνατίθεμεν, πολλῷ μεῖζον καὶ ὑπεροχικώτερον καὶ τελειότερον· τὰ δὲ ἐν ἡμῖν τῇ σοφίᾳ συμβαίνοντα ἀπορρίπτομεν.

Ὥσπερ οὖν αὖθις ὁ Θεὸς οὐσία καὶ ἔστι καὶ λέγεται· λέγεται δὲ καὶ ὁ ἄνθρωπος, καὶ ἕκαστον τῶν καθ' ἑαυτὸ ὑφεστώτων· καὶ ὅπερ μὲν τῆς οὐσίας καὶ τοῦ καθ' ἑαυτὸ τελειότητος ἔχεται (τοῦτο δέ ἐστιν ὁ ὅρος αὐτῆς, ὃς ἐστι πρᾶγμα αὐθύπαρκτον μηδενὸς ἑτέρου πρὸς σύστασιν δεόμενον) τοῦτο τοίνυν ἀνατίθεμεν τῷ ὄντως ὄντι Θεῷ· τὸ δὲ ὑπὸ χρόνον εἶναι καὶ ἀλλοίωσιν καὶ φθοράν, ἅπερ τῆς ἐν γενέσει καὶ φθορᾷ ὕλης καθεστᾶσιν ἴδια, παντελῶς Θεοῦ ἀφαιροῦμεν· ὡσαύτως; καὶ ἐπὶ ἀγαθότητος ἔχει καὶ δικαιοσύνης, καὶ τῶν ἄλλων.

Εἰ δὲ τοῦτο λέγει τις οὐκ ὀρθῶς ἔχειν, λοιπὸν ἁρμόσειεν ἂν κατὰ τὸν ἐκείνου λόγον μήτε οὐσίαν, μήτε σοφὸν, μήτε ἀγαθὸν λέγειν εἶναι τὸν Θεὸν, ἵνα μὴ δόξωμεν ταῖς ἀνθρωπίναις τὸν Θεὸν προσηγορίαις τιμᾷν· ὅπερ ἄτοπον. Καίτοι ἀληθὲς εἰπεῖν, ὡς ἐλέγομεν, ὅτι ὁ Θεὸς οὔτε φῶς ἐστιν οὔτε σκότος (36), οὔτε νὺξ οὔτε ἡμέρα, οὔτε τόδε ἢ τόδε· ἀλλ' οὐχ ὡς τὸ μηδαμῇ μηδαμῶς ὄν, ἀλλ' ὅτι οὐκ ἔστι τοιοῦτον οἷον ἡμεῖς κατὰ διαφόρους ἐπινοίας ἀπὸ διαφερόντων ὀνομάτων ὑπονοοῦμεν, ἀλλ' ὑπὲρ ἅπαντα τὰ ὄντα ἀσυγκρίτως ὄν.

Κατὰ τὸν αὐτὸν τοίνυν τρόπον, ἡ ἀγάπη λέγεται μὲν ἐπὶ Θεοῦ, λέγεται δὲ καὶ ἐφ' ἡμῶν κατ' εἰκόνα ἐκείνου. Ἀλλ' ἡμῶν μὲν ἄπεστι πολλάκις ἐκεῖνο, οὗ ἂν ἐρασθείημεν· πολλάκις δὲ καὶ φαῦλος ἔρως ἐν ἡμῖν γίνεται, φαύλῳ προαγόμενος λόγῳ· τῷ δὲ Θεῷ οὐδὲν ἀγαθὸν ἄπεστιν, οὗ ἂν ἐρασθείη· διόπερ οὐδ' ἔφεσις ἐπ' αὐτῷ λέγεται· ἀλλ' ὥσπερ αὐτὸς ἑαυτῷ ἐστι νοητὸν, ὡς ὁ Δαμασκηνὸς φησιν, « Ὁ Θεὸς νοεῖ ἑαυτὸν ἐκ τῆς μακαρίας οὐσίας αὐτοῦ· » ἢν δὴ νόησιν καὶ ὁ Θεολόγος Γρηγόριος αἰνιττόμενος, « Κινεῖσθαι » λέγει « ἑαυτὸν τῇ ἑαυτοῦ θεωρίᾳ· » καὶ ὁ

(35) *De divin. nom.* c. 9. § 6.

A Hanc itaque dilectionem, quæ utentium ratione proprietas exsistit, in divina quoque Mente exsistere dicit. Unde enim aliunde esset in nobis bonum ac perfectio, nisi ad nos ex illo veniret, in quo omnis perfectio simpliciter eximieque intelligitur residere? Ut enim auctor est divinus Dionysius, quæ in effectis perfectiones sunt, longe prius exsistunt in causis. Malorum quidem quæ sunt in nobis (defectuum scilicet ac vitiorum) in Deo nullus est locus: perfectionum vero si quæ nobis competunt, vel maxime. Nimirum Sapientiæ definitio est, « Divinarum humanarumque rerum cognitio. » Hæc porro in nobis imperfecte et cum discursu motuque ex uno in aliud, pro mentis nostræ facultate, conspicitur. Ab B hoc enim ad illud procedit ac transit, nec confestim per præmissas ad conclusionem devenit. Deo autem, ad sapientiam quod attinet, unum hoc ascribimus, quod est divinarum humanarumque rerum cognitio, longe sane magis excellentiusque ac perfectius; quæ vero in nobis sapientiæ accidunt, hæc projicimus.

Quemadmodum igitur rursus Deus et est substantia et nuncupatur; nuncupatur vero etiam homo, ac quidquid in rebus per se exsistens est. Quidquid vero substantiæ, ac ejus quod est per se esse, perfectionis est (quæ nimirum ipsa ejus definitio est, res scilicet per se exsistens, quæ ut consistat, nullo præterea egeat), hoc utique ei, qui vere est, Deo tribuimus. Quod est vero obnoxium esse tempori et C mutationi et corruptioni, quæ sunt propria materiæ, quæ ipsa ortus ac interitus vicissitudinem afferat, omnino a Deo removemus. Eodemque modo se res in bonitate et justitia ac reliquis habet.

Sin vero quis id quod dicimus improbet, ac se recte habere neget, plane ex ejus sententia congruat, ut dicamus Deum neque substantiam, neque sapientem, neque bonum esse; ne scilicet humanis appellationibus videamur ipsum honorare; quod absurdum est. Quanquam istud verum dictu est (quod nempe dicebamus) Deum neque lucem neque tenebras esse; nec noctem nec diem, neque hoc illudve, non velut id quod nusquam prorsus est, sed quia non ejusmodi est, quale nos per diversos conceptus ex diversis nominibus mente informa- D mus ac intelligimus; sed supra omne quidquid est citra omnem comparationem eminet.

Eodem itaque modo dicitur quidem in Deo dilectio, dicitur vero et in nobis ad ejus imaginem. Verum abest plerumque a nobis id, cujus amore afficimur; nec raro etiam in nobis pravus amor, prava animi ratione parente, oritur. Deo autem nullum abest bonum, quodcunque amaverit; unde nec cupiditas, seu desiderium, de illo dicitur; sed sicut ipse sibi est quod intelligitur, ut ait Domascenus: « Deus ipse seipsum ex beata essentia sua intelligit; » quam ipsam intellectionem innuens Gregorius Theologus, « Moveri eum ait in seipso, con-

(36) *De myst. Theol.* c. 1.

Digitized by Google

templatione;» divinus quoque Dionysius, « Sic enim videntes coluerimus fontem vitæ seipsum effundentem, inque seipso consistentem, unamque quandam potentiam simplicem, a se mobilem, a se efficacem, se non deserentem ; sed scientiam scientiis omnibus eminentem, semperque ipsam per seipsam sese contuentem. » Vel etiam, uti beatum Hierotheum inducit hoc ipsum dicentem, atque addentem : «Qui ex seipso et per seipsum ac in seipso velut convolvatur, semperque in seipsum eodem modo vertatur.»

A θεῖος Διονύσιος, « Οὕτω γὰρ ἂν θεώμενοι σεφθείημεν πηγὴν ζωῆς ἑαυτὴν χεομένην καὶ ἐφ' ἑαυτῆς ἑστῶσαν ὁρῶντες, καὶ μίαν τινὰ φησὶ δύναμιν ἁπλῆν αὐτοκίνητον, αὐτενέργητον, ἑαυτὴν οὐκ ἀπολείπουσαν· ἀλλὰ γνῶσιν πασῶν ὑπερέχουσαν γνώσεων, καὶ ἀεὶ δι' ἑαυτῆς θεωμένην· » ἢ καὶ, ὡς τὸν θεῖον παράγει Ἱερόθεον (37) τὸ αὐτὸ φάσκοντα καὶ προστιθέντα, « Ἐξ ἑαυτῆς δι' ἑαυτῆς καὶ ἐφ' ἑαυτῆς ἀνακυκλοῦσαν, καὶ εἰς ἑαυτὴν ἀεὶ ταυτῶς ἀνελιττομένην. »

Quemadmodum igitur ipse sibi res est quæ intelligatur, sic et sibi res est quæ ametur. Quandoquidem enim Joannes Evangelista Dei Filium ter Verbum appellavit [32] ; Verbum autem refertur ad mentem ; est enim ex iis quæ relationem habent et B sunt ad aliquid ; Verbum namque Dei dicitur atque est. Omnes enim Dei Verbum concorditer Filium credimus, necessarioque ad illum comparatur, tanquam Verbum ad mentem, illeque ad Filium, tanquam mens ad Verbum. Non enim nomina hæc (Mens ac Verbum) ex humano usu assumpta, etiam in Deum translata sunt, velut margarita, agnus, sol, aliaque ejusmodi (quæ ipsa vere et secundum essentiam suam apud nos extent, ac quadam similitudine etiam prædicentur de Deo), sed substantialiter proprieque ac excellenter ; ac vel si nullum in hominibus verbum exstaret aut mens, quinimo etsi in creatis ne vel unum esset intelligens ac rationis facultate præditum (seu sermonis) ex cujus similitudine Verbum nominari deberet : verbum C enim naturæ intelligentis perfectio est. Quia igitur vera in Deo mens est, Verbum etiam verum est, longeque illic prius excellentiusque, modo duntaxat veram in Deo mentem verumque Verbum confiteamur ; quod maxime necessarium est, atque iis quæ intelligunt, suntque prædita facultate rationis ac sermonis, natura comes, hulcque præterea necessario ipsa comes dilectio ac amor est. Hoc enim sublato, tollitur et voluntas ac velle, quæ naturæ utentis ratione ac sermone proprietas est.

Ὥσπερ τοίνυν ἑαυτῷ ἐστι νοητὸν, οὕτω καὶ αὐτὸς ἑαυτῷ ἐστιν ἐραστόν. Ἐπεὶ γὰρ ὁ Εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης τρισσῶς τὸν τοῦ Θεοῦ Υἱὸν Λόγον εἶπεν, ὁ δὲ Λόγος πρὸς τὸν νοῦν ἀναφέρεται· τῶν γὰρ ἐν σχέσει ἐστὶ καὶ πρός τι· καὶ Λόγος λέγεται καὶ ἔστι τοῦ Θεοῦ· Λόγον γὰρ τοῦ Θεοῦ πάντες τὸν Υἱὸν ὁμοφρόνως πιστεύομεν, καὶ ἀναγκαίως παραβάλλεται πρὸς ἐκεῖναν, ὡς λόγος πρὸς νοῦν, κἀκεῖνος πρὸς τὸν Υἱὸν, ὡς νοῦς πρὸς λόγον. Οὐ γὰρ ἀπὸ τῶν καθ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ Θεοῦ εἰλῆπται τὰ ὀνόματα ταῦτα, νοῦς καὶ λόγος, ὥσπερ μαργαρίτης καὶ ἀμνὸς καὶ ἥλιος, καὶ ἄλλα τοιαῦτα (ἀληθῶς μὲν καὶ κατὰ τὴν ἰδίαν οὐσίαν παρ' ἡμῖν εὑρισκόμενα· κατά τινα δὲ ὁμοιότητα κατηγορούμενα καὶ Θεοῦ), ἀλλ' οὐσιωδῶς καὶ κυρίως καὶ ὑπεροχικῶς· καὶ εἰ μηδεὶς ἦν ἐν ἀνθρώποις λόγος ἢ νοῦς, μᾶλλον δὲ καὶ εἴ μηδέν τι νοερὸν καὶ λογικὸν ἦν ἐν τοῖς κτίσμασιν, οὗ καθ' ὁμοιότητα ἔδει λόγον ὀνομασθῆναι· ὁ γὰρ λόγος τῆς νοερᾶς φύσεως ἐστὶ τελειότης. Ἐπεὶ τοίνυν ἀληθής ἐστιν ἐκεῖ νοῦς καὶ ἀληθὴς ἐστι λόγος· πολλῷ πρότερον καὶ ὑπεροχικώτερον ἐκεῖ, ἂν μόνον ἀληθῆ νοῦν καὶ ἀληθῆ λόγον ὁμολογῶμεν ἐπὶ Θεοῦ, ὃ τῶν ἀναγκαιοτάτων ἐστὶ, καὶ τὸ κατὰ φύσιν τοῖς νοεροῖς καὶ λογικοῖς ἑπόμενον· τῷ δ' ἔτι ἡ ἀγάπη καὶ ὁ ἔρως ἀναγκαίως ἀκολουθεῖ. Τούτου γὰρ ἀναιρεθέντος, ἀναιρεῖται καὶ ἡ θέλησις καὶ τὸ θέλειν, ὃ τῆς λογικῆς ἐστι φύσεως ἴδιον.

Quemadmodum igitur Deus ipse sibi objectum ac quod intelligitur est, eaque ratione Verbum producit sibi simile, uti etiam mens nostra (exempli causa) dum intelligit aliquid, ex seipsa verbum gignit illius rei quam intelligit, puta solis, seu cujusdam alterius rei, verbumque illud (id est, definitio) D ei rei quæ intelligitur, simile est, omnem illius speciem habens, excepta duntaxat materia, in quibus intelligibile, quidpiam rerum materialium est. Cum itaque Deus ipse sibi sit intelligibile, ipse seipsum intelligit, inque hunc modum intelligit cuncta alia, eo quod ipse rerum auctor sit, earumque rationes ante omnia sæcula indivise nullaque compositione præhabeat ac comprehendat. Non enim res singulas intelligendo, verbum producit eis

Ὥσπερ τοίνυν ὁ Θεὸς αὐτὸς ἑαυτῷ ἐστι νοητόν· νοητὸν δὲ ὢν αὐτὸς ἑαυτῷ, ὅμοιον ἑαυτῷ Λόγον προάγει· καθὰ καὶ ὁ ἡμέτερος νοῦς, παραδειγματικῶς εἰπεῖν, ὅταν τι νοῇ, λόγον ἀφ' ἑαυτοῦ γεννᾷ τοῦ νοουμένου ἐκείνου, ἡλίου τυχὸν ἢ ἄλλου τινός. Καὶ ὁ λόγος ἐκεῖνος, ἤγουν ὁ ὁρισμὸς, ὅμοιός ἐστιν ἐκείνῳ τῷ νοητῷ, πᾶν ἐκείνου τὸ εἶδος ἔχων ἄνευ τῆς ὕλης, εἴ τι τῶν ἐνύλων εἴη τὸ νοούμενον ἐκεῖνο. Νοητὸν δὲ ὢν αὐτὸς ἑαυτῷ, αὐτὸς ἑαυτὸν νοεῖ, καὶ οὕτω τἆλλα πάντα νοεῖ· ἐπεὶ αὐτός ἐστιν ἡ τῶν ὄντων αἰτία καὶ τοὺς λόγους αὐτῶν προαιωνίως ἀμερῶς καὶ ἀσυνθέτως προέχει καὶ συνείληφεν. Οὐ γὰρ δὴ τὰ καθ' ἕκαστον νοῶν, ὅμοιον ἐκείνοις λόγον προάγει· ἦν γὰρ ἂν αὐτῷ τῆς γνώσεως αἴτια τὰ πράγματα. Τοῦτο γὰρ τῆς ἡμετέρας φύσεως τῆς ὑστέρας τῶν

[32] Joan. 1, 1.

(37) Cap. 4 *De divin. nom.*, § 14.

Digitized by Google

πραγμάτων καὶ ἀτελοῦς καὶ μεριστῆς ἐστιν. Οὕτω καὶ αὐτὸς ἑαυτῷ ἐστιν ἐραστόν. Αὐτὸς γὰρ τὸ ἔσχατον ἀγαθόν, καὶ παρ' αὐτὸν ἕτερον οὐδέν. Ἐραστὸν δὲ ὧν αὐτὸς ἑαυτῷ, αὐτὸς ἑαυτὸν ἀγαπᾷ· καὶ οὕτω τὰ ὑπ' αὐτοῦ γεγονότα πάντα ἀγαπᾷ, ἐν τῷ κατὰ φύσιν ἕκαστον ἱστασθαι, καὶ τῇ πρεπούσῃ ἑαυτῶν τελειότητι.

A simile: sic enim illæ causa ei cognitionis essent ac scientiæ. Id namque nostræ naturæ est, quæ rebus posterior et imperfecta ac dividua est: sic et ipse sibi amoris objectum est. Est enim ipse supremum bonum, nec præterea quidquam est. Qui porro ipse sibi amoris objectum exsistat, ipse se diligit, inque hunc modum abs se creata omnia diligit, ea ratione, quod res quælibet in eo consistant quod est ex natura, eamque teneant perfectionem, quæ illis conveniat.

Διὰ τοῦτο καὶ ὁ μὲν Υἱὸς σοφία τοῦ Θεοῦ καὶ Λόγος τῶν ὄντων ἰδίως μάλιστα λέγεται· τὸ δὲ Πνεῦμα, ὅπερ Ἀγάπην Αὐγουστῖνος φησὶ, τελειωτικὴ δύναμις παρὰ τῶν θεολόγων ὕμνηται. Καὶ ὥσπερ ὁ θεῖος Λόγος διπλῆν ἔχει τὴν σχέσιν, πρὸς τὸν οὗ ἐστι λόγος, καὶ ὡς πρὸς αἰτίαν ἀφ' ἧς προῆλθεν, ὡς ὁ Θεολόγος φησὶ πρὸς αὐτὸν, « Ὦ Νοῦ τοῦ μεγάλου γέννημα καὶ ὅρμημα καὶ ἐκσφράγισμα (38), » καὶ ὡς πρὸς νοητὸν οἷον ὅρος πρὸς τὸ ὁριστόν· ἔστι γὰρ οἷον ὅρος τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς, ὡς ὁ αὐτὸς πάλιν φησὶ περὶ αὐτοῦ Θεολόγος (39), « Ὁ τοῦ Πατρὸς ὅρος καὶ λόγος· » καὶ ὅτι « οὕτως ἔχει πρὸς τὸν, ἐξ οὗ ἐστι, νοῦν, ὡς ὅρος πρὸς τὸ ὁριζόμενον. » Καὶ τοῦτο γὰρ ἐν τοῖς περὶ αὐτοῦ τοῦ Υἱοῦ λόγοις φησίν· διὸ καὶ ἐκσφρόγισμα αὐτὸν εἴρηκεν· ὃς δὴ ὅρος τοῦ Πατρὸς καὶ Λόγος οὔτε μείζων οὔτε ἐλάττων ἐστὶ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς, ἀλλ' ἴσος κατὰ πάντα· διὸ καὶ εἰκὼν ἀπαράλλακτος λέγεται τοῦ Πατρὸς, καὶ « χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ· » καὶ « σφραγὶς ἰσότυπος ἐν ἑαυτῷ δεικνὺς τὸν Πατέρα, » ὡς ὁ θεῖος Βασίλειος ἐν ταῖς πρὸς αὐτὸν εὐχαῖς ὕμνησε. Καὶ γὰρ τοῦτ' ἐστὶν ἀρετὴ τοῦ λόγου, τουτέστι τοῦ ὁρισμοῦ, τὸ μήτε ὑπερβάλλειν τὸ ὁριστὸν, μήτε ἐλλείπειν. Οὕτω καὶ ἡ τοῦ Θεοῦ ἀγάπη διπλῆν ἔχει τὴν σχέσιν πρὸς τὸν οὗ ἐστιν ἀγάπη· καὶ ὅτι ἐξ ἐκείνου προβάλλεται, καὶ ὅτι τῷ ἐραστῷ ἐξισοῦται, τουτέστι τῷ Θεῷ, οὗτινός ἐστιν ἡ ἀγάπη. Ἑκάτερον γὰρ τῶν αἰτιατῶν θείων προσώπων, ὁ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα, ὅλον ἐξ ὅλου τοῦ Θεοῦ παρὰ τῆς πίστεως ὡμολόγηται· κατὰ διάφορον μέντοι πρόοδον· καὶ ὥσπερ ὁ θεῖος Λόγος ἐστὶν ἄπειρος, ἐπεὶ τὸ νοητὸν ἄπειρον· οὕτω καὶ ἡ θεία ἀγάπη ἄπειρος, ἐξισουμένη τῷ ἐραστῷ. Πᾶν γὰρ κατὰ τοσοῦτόν ἐστιν ἀγαπητὸν, καθόσον ἐστὶν ἀγαθόν. Ὁ δὲ Θεὸς ἄπειρος ἀγαθότης· ὥστε καὶ ἣν ἀφ' ἑαυτοῦ προΐεται ἀγάπην, ἄπειρός ἐστιν, εἰ μέλλει ἐξισοῦσθαι τῇ θείᾳ ἀγαθότητι καὶ τελείως αὐτὴν ἀγαπᾷν· ὥσπερ εἰ μέλλοι τελείως νοεῖν ἑαυτὸν, ἀνάγκη τὸν Λόγον τῷ νοητῷ ἐξισοῦσθαι· ὅπερ οὕτω καὶ ἔστιν· ἀπαράλλακτος γὰρ εἰκὼν ὁμολογεῖται τοῦ Θεοῦ.

Idcirco etiam Filius Dei Sapientia ac rerum Ratio seu Verbum, proprie maxime dicitur. Spiritus vero, quem Augustinus Dilectionem vocat seu charitatem, virtus consummans ac perficiens theologorum vocibus laudatus est. Ac sicut divinus Sermo ac Verbum duplicem habet relationem, ad eum cujus Sermo ac Verbum est, ac velut ad causam auctoremque, ex quo processit, ut ad ipsum ait Theologus: « O magnæ Mentis proles fetusque ac expressio! » et quasi ad intelligibile, velut definitio ad definitum. Sic enim habet quasi Dei ac Patris definitio, ut rursus de illo ait Theologus, « Patris definitio atque ratio, » quodque « sic ad Mentem, ex qua est, sese habeat, ac se habet definitio ad definitum. » Nam hoc quoque ait in Orationibus de ipso Filio, quare et expressionem eum vocavit; qui quidem ea ratione qua Patris definitio est atque ratio Verbumque, nec major Deo ac Patre est nec minor, sed per omnia æqualis: quare etiam invariabilis Patris imago dicitur, et: « Figura substantiæ ejus, » « æqualis item formæ signaculum, in seipso Patrem ostendens [38], » uti beatus Basilius in precibus ad eum, laudavit. Hæc namque rationis (τοῦ Λόγου) perfectio est (id est, definitionis), ut nec definitum excedat, nec quidquam minus illo habeat. Sic quoque Dei dilectio ac charitas, duplicem habet relationem ad eum, cujus dilectio ac charitas est, tum quod ab illo progreditur, tumque etiam quod amoris objecto adæquatur (Deo scilicet) cujus est dilectio ac charitas. Utraque enim ex auctore exsistentium divinarum personarum (Filius scilicet ac Spiritus) tota ex toto Deo esse, fide creditur, quanquam diverso procedendi modo. Ac sicut divinum Verbum infinitum est, eo quod intelligibile ipsum est infinitum, sic quoque divina dilectio ac charitas infinita est, quæ amoris objecto adæquetur. In tantum enim res quælibet amoris objectum est, in quantum est bona. Atqui Deus infinita bonitas est. Idcirco etiam et quam a se profert dilectionem ac charitatem, infinita est, si modo exæquanda est divinæ bonitati, estque necesse eam perfecte diligere. Sicut si perfecte seipsum intelligit, necesse est ut Verbum objecto intelligibili adæquetur, quod utique etiam ita est; quippe exploratum est, nihil dissimilem aut evariantem ipsum Dei imaginem esse.

[38] Hebr. I, 3.

(38) *Γέννημα καὶ ὅρμημα καὶ ἐκσφράγισμα.* Duæ posteriores voces, quædam prioris explicatio sunt. Τὸ ὅρμημα, ἐνθύμημα exponit Varin. trahuntque grammatici vocem ὁρμῶ ad generationem; ih Deo autem peculiarissime ὁρμὴ et ὅρμημα, fetu illa cogitatio ejusque terminus, mentis illa proles, paternæ substantiæ, expressio ἐκσφράγισμα, totum perfecte referens Patrem, quæ est illa Basilii ἰσότυπος σφραγίς. Sic magnificæ nostrorum theologorum voces, divino potius afflatu illis traditæ, quam humana industria ac solertia adinventæ.

(39) Orat. 58.

Digitized by Google

Enimvero ejus Verbum illi coæternum est; Deus enim cum semper actu intelligat, ex se semper Verbum genuit gignitque; sic et quam ex se dilectionem profert ac charitatem, illi coæterna est; semper enim sibi ipse præsens est, ac semper bonum vult, nunquam vero quod malum est. Ac sicut Deo unum intelligibile est, ipse nimirum sibi ipsi; quamobrem etiam necesse est unum solumque Dei Verbum ex ipso genitum esse; ex quo etiam Unigena Dei Verbum nuncupatur; sic et unum amoris objectum, ipse sibi ipsi. Id vero cum ita se habeat, una solaque ejus necessario dilectio est seu charitas, nempe Spiritus sanctus.

Quia igitur Dei Verbum sibi ipsum æquale est et coæternum, unumque solum et perfectum (non enim velut sermo noster ac verbum, quod paulatim ex imperfectis contextum vix ipsum consistat), sic et Spiritus sanctus ipse sibi æqualis et coæternus, unusque et perfectus et solus est. Quia vero etiam tum Verbum tum divina dilectio (divina utraque hæc persona) totum est et ex toto; ac quidem altera (Verbum scilicet) nihil varians Dei imago est: altera vero (divina nimirum dilectio) divinæ bonitatis æqualis est, quanquam secundum diversum procedendi modum; utraque Deus verus est. Quid enim in divinis æquale Deo, quin et ipsum substantia sit Deusque? Hincque adeo necessario est ac colligitur, tria (tres scilicet personas) unam substantiam seu essentiam esse.

Præterea, quandoquidem nullum in Deo accidens est, gignitque Verbum, ac ex seipso producit dilectionem seu charitatem: superest ut divinum Verbum, non ejusmodi verbum sit, quod ore profertur, aut animo repositum manet, nec divinus Spiritus aereum quidpiam atque accidens confinga-

A Ἀλλὰ μὴν ὥσπερ ὁ Λόγος αὐτοῦ συναΐδιός ἐστιν αὐτῷ· ἀεὶ γὰρ ἐνεργείᾳ νοῶν ὁ Θεὸς, ἀεὶ γεγέννηκε καὶ γεννᾷ τὸν ἑαυτοῦ Λόγον· οὕτω καὶ ἣν ἀφ' ἑαυτοῦ προΐεται ἀγάπην, συναΐδιος αὐτῷ ἐστιν· ἀεὶ γὰρ αὐτὸς ἑαυτῷ πάρεστι, καὶ ἀεὶ τὸ ἀγαθὸν θέλει· οὐδέποτε δὲ τὸ κακόν. Καὶ ὥσπερ τῷ Θεῷ ἓν ἐστι νοητὸν, αὐτὸς ἑαυτῷ· διὸ καὶ ἀνάγκη ἕνα καὶ μόνον εἶναι τὸν τοῦ Θεοῦ Λόγον ἐξ αὐτοῦ γεννώμενον, ὅθεν καὶ Μονογενὴς ὁ τοῦ Θεοῦ λέγεται Λόγος· οὕτω καὶ ἓν ἐραστὸν, αὐτός ἐστιν ἑαυτῷ. Τούτου δὲ οὕτω ἔχοντος, μία καὶ μόνη ἐστὶν αὐτοῦ ἡ ἀγάπη ἀναγκαίως, δηλονότι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον.

B Ἐπεὶ τοίνυν ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ ἴσος ἐστὶ καὶ συναΐδιος ἑαυτῷ, καὶ εἷς καὶ μόνος καὶ τέλειος· οὐ γὰρ κατὰ τὸν ἡμέτερον ὃς κατ' ὀλίγον ἐξ ἀτελῶν συμπλεκόμενος μόλις σύνισταται· οὕτω καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἴσον ἐστὶ καὶ συναΐδιον ἑαυτῷ, καὶ ἓν καὶ τέλειον καὶ μόνον. Καὶ ἐπεὶ ὅ τε Λόγος καὶ ἡ θεία ἀγάπη, ἑκάτερον τῶν θείων τούτων προσώπων, ὅλον ἐστὶν ἐξ ὅλου· καὶ τὸ μὲν Λόγος ὄν, ἀπαράλλακτός ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ· τὸ δὲ, θεία ἀγάπη ὄν, ἐξισοῦται τῇ θείᾳ ἀγαθότητι, κατὰ διάφορον μέντοι πρόοδον· ἑκάτερον Θεός ἐστιν ἀληθής. Τί γὰρ ἂν εἴη ἐν τοῖς θείοις ἴσον Θεῷ, μὴ καὶ αὐτὸ ὂν οὐσία καὶ Θεός; Ὅθεν ἀναγκαίως καὶ ἔστι καὶ συνάγεται τὰ τρία μίαν εἶναι οὐσίαν.

C Ἄλλως τε, ἐπεὶ ἐν τῷ Θεῷ συμβεβηκὸς οὐκ ἔστι, γεννᾷ δὲ Λόγον, καὶ προΐεται ἐξ ἑαυτου ἀγάπην, λείπεται μήτε τὸν θεῖον Λόγον εἶναι προφορικὸν ἢ ἐνδιάθετον (40), μήτε τὸ θεῖον Πνεῦμα ἀερῶδές τι καὶ συμβεβηκὸς ἀναπλάττειν· ἀλλ' οὐσίαν εἶναι, καὶ ταῦτα μίαν καὶ τὴν αὐτὴν τῇ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς,

(40) Ἢ *ἐνδιάθετον*, etiam ἐνδιάθετος λόγος, verbum scilicet mentis, seu etiam cordis, ut alii vocant, etsi majorem habet cum divino Verbo affinitatem, quo menti producenti conjunctius est et affinius (eoque Calecas longe aliis Augustinum anteponit, qui in eo maluerit exemplum ponere, quam in verbo quod ore profertur) immensum distat a Dei Verbo, quod non sit substantia ejusdemque naturæ cum mente, ubi etiam ipsa seipsum intelligit, uti in substantiis separatis, quæ nec ipsum sunt suum intelligere, et in quibus ipsum ejusmodi verbum, quod formant, habet esse quoddam diminutum et intentionale, cum in Deo substantia sit ac purus actus, totum referens atque exprimens quod est Deus; quod idem est de dilectione seu amore, divino scilicet Spiritu. Porro quod ita Calecas Augustino tribuit, quasi unus ipse in verbo mentis et amore divinarum processionum exemplum posuerit, non etiam sui Græci, non omnino probatur. Certe mihi videntur etiam illi vel maxime in verbo interiori exemplum ejusmodi posuisse, etsi exterioris, et ejus quod ore profertur, meminerint, præsertim ratione Incarnationis, qua Λόγος ἅγγελτικὸς, ut vocat Greg. orat. 3, de Filio, factus nobis manifestus ac Patrem manifestans, cum illi conjunctissimus manserit, ut cogitatio menti, quæ est ipse λόγος ἐνδιάθετος. Sic egregie Greg. orat. 45, p. 719: Οὕτω μοι νόει τὸν Υἱὸν τοῦ Πατρὸς μὴ χωρισθέντα πώποτε, καὶ τούτου δὲ πάλιν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὁμοίως ἐν τῷ νῷ τὴν ἐνθύμησιν· *Sic tu quoque cogites, Filium a Patre nunquam separatum, nec rursus ab hoc Spiritum sanctum, eodem modo quo cogitationem in mente.* Alia etiam quibus orat. 36, p. 590, vim ejus vocis urget, ut tribuitur Filio, eodem spectant; quod nempe sit ὅρος Patris: ejus *definitio*, quo intellecto, intelligatur et Pater: quod est *videre*, ut loquitur Dominus Joan. XIV, nec nisi de Verbo, quo se ipsum comprehendit, et cui affine verbum interius mentis seipsam intelligentis, accipi potest; sic et quod Athan., orat. 2, adversus Arian. sequi ait: Nisi Filius est coæternus Patri, fuisse quandoque Patrem ἄνουν et ἄλογον, ac perinde alii. Spiritus voce, quam ipse Dominus tradidit, convenientiorem aliam theologis ullis posse inveniri, non existimo. Ostendit ipse Augustinus, iisdem ipsis libris *De Trinit.* quanti Græcos tractatores faciat, exque illis potius doceri Trinitatis mysterium, quam ipse docere percupiat: cum tamen ea linguæ Græcæ facultas non suppeteret, qua eorum libros legere, ac satis intelligere posset: quod certe in viro tanto dolendum, ut et quod etiam nescivit Hebraice. Hinc enim factum est, ut quantavis ingenii facultate polleret, a Scripturæ sæpius vero sensu aberraverit. Quod librum August. *De Trinit.* singulariter ubique citat Calec. cum sint libri XV, jam olim sic distincti, nescio an non omnes ille habuerit, sed forsan solum ipsum quintum, sic Græce versum, ex quo præcipue mutuatus sit, quæ hic exsequitur.

Digitized by Google

ἐν τῷ αὐτῷ εἴδει, καὶ ἐν τῇ αὐτῇ μορφῇ, ὅ τί ποτέ ἐστιν εἶδος ἐκεῖ καὶ μορφή. Ἐκ γὰρ οὐσίας οὐσία κατὰ φύσιν προάγεται, ὅταν τὸ ἑαυτῆς τέλος ἐνεργῇ κατὰ τὴν οἰκείαν φύσιν, καὶ τὸ αὐτὸ, ἐπείπερ ἓν ἀεὶ τὸ οἰκεῖον τέλος ἑκάστῳ.

A tur: sed hæc quoque essentia seu substantia, unaque ipsa ac eadem cum Dei ac Patris essentia, in eadem specie eademque forma (quidquid tandem in Deo species sit ac forma) esse existimetur. Ex substantia enim seu essentia, substantia ac essentia naturaliter procedit, cum illa pro eo ac illi natura comparatum est, suum finem agit: idemque, siquidem unus semper cuique finis proprius exsistit.

Ἀλλὰ μὴν ἡ ἐν ἡμῖν ἀγάπη καὶ ὁ ἔρως διπλοῦς ἐστι διὰ τὴν τῶν ἐραστῶν διαφορὰν καὶ ἀκαθαρσίαν. Ὅθεν καὶ φαύλη ἐφ' ἡμῶν γίνεται ἀγάπη, ὅταν παρόντα ἀγαπῶμεν τὰ φαῦλα· καὶ ἀκάθαρτος ἔρως, ὅτε καὶ ὁ λόγος ἡμῶν φαῦλος ἐξ ἀνάγκης ἐστίν. Ἐπὶ δὲ τῷ Θεῷ ἓν ἐστιν ἐραστὸν, αὐτὸς ἑαυτῷ, καὶ ἁγιώτατον, πάντων ὄντων ἀσυγκρίτως ὑπερανῳκισμένον. Καὶ ἡ τοῦ Θεοῦ ἀγάπη ἁγία ἐστὶ καὶ μία. Καὶ ἐπεὶ τὰ κρυφίαν ἔχοντα τὴν ἰδίαν ἑαυτῶν τῆς κινήσεως ἀρχὴν τῷ τοῦ πνεύματος ὀνόματι καλοῦμεν· οὕτω γὰρ καὶ τοὺς ἀνέμους πνεύματα λέγομεν διὰ τὴν ἀδηλίαν τὴν τοῦ ὄθεν προΐασι· καὶ ἡ θεία αὕτη ἀγάπη τοῦ Θεοῦ Πνεῦμα ἅγιον καλεῖται. Εἰ γὰρ καὶ ἡ θεία γέννησις ἐπίσης ἐστὶν ἄδηλος καὶ ἄγνωστος πάσῃ γεννητῇ φύσει· ἀλλ' οὖν καθότι γέννησις λέγεται, συνηθεστέρᾳ φωνῇ γνωριμωτέρα καὶ οἷον οἰκειοτέρα τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει δοκεῖ ἥπερ ἡ τοῦ ἁγίου Πνεύματος πρόοδος. Τῆς γὰρ προόδου ταύτης εἰκασίαν τινὰ καὶ οἰκειότητα ῥᾳδίως ἐν τοῖς ἀνθρωπίνοις εὑρεῖν οὐκ ἔστιν. Ἡμεῖς δὲ ἀπὸ τῶν ἐν τοῖς αἰσθητοῖς εἰς ἔννοιάν τινα τῶν ἀΰλων ἐρχόμεθα.

Enimvero, quæ in nobis dilectio est seu amor duplex est, ob eorum quæ amori habentur discrimen ac impuritatem. Unde etiam prava in nobis exsistit dilectio, cum res vitæ hujus, quæ sunt pravæ, diligimus: atque amor impurus, quando et nostra ratio necessario prava est. In Deo autem amoris objectum unum est (ipse nimirum sibi ipsi) ac sanctissimum, quippe supra res omnes incomB parabili excessu eminens ac elatum. Divina quoque dilectio ac charitas sancta est et una. Quia vero ea quæ occultam habent motus sui originem, spiritus nomine vocamus: sic enim etiam ventos appellamus spiritus, quod incertum nobis sit unde illi procedant: idcirco divina hæc dilectio ac charitas, Spiritus Dei sanctus appellatur. Quanquam etiam divina generatio perinde occulta ac ignota genitæ omni naturæ est: verumtamen in quantum generatio vocatur usitatiore vocabulo, notior ac velut familiarior humanæ naturæ videtur, quam Spiritus sancti processio. Hujus enim processionis vix ullam conjecturam ac convenientiam in rebus humanis invenire possumus: cum ex iis quæ in sensum cadunt, ad spiritalium notitiam aliquam ac cogitatum veniamus.

Θεὸς ἄρα ἐστὶν ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος· Θεὸς δὲ ἡ θεία Ἀγάπη, καὶ ὁ αὐτὸς Θεὸς Πατρὶ καὶ Υἱῷ· καὶ ἡ τούτου πρόοδος Ἀγάπης ἐστὶ πρόοδος. Καὶ ἐπεὶ ἐν τῇ λογικῇ καὶ νοερᾷ φύσει δύο μόνον ἐπὶ τὰ ἔνδον νοοῦνται πρόοδοι, μία μὲν ἡ τοῦ Λόγου πρόοδος, καθ' ἣν νοεῖ τὸ νοητόν· ἄλλη δὲ ἡ τῆς ἀγάπης ἢ θελήσεως, καθ' ἣν ἐφίεται τοῦ νοηθέντος ἀγαθοῦ, εἰ μὴ παρείη, ἢ ἀγαπᾷ τοῦτο παρόν· ἀναγκαῖον δὲ καὶ τὰς δύο παρεῖναι τῷ θείῳ Νῷ καθὼς δέδεικται· καὶ ἔστιν ἡ τῆς νοήσεως πρόοδος ἡ ἐνέργεια Λόγου καὶ Υἱοῦ· λείπεται τὴν ἑτέραν, ἤγουν τὴν ἀγάπης εἶναι τοῦ ἁγίου Πνεύματος, καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον εἶναι τὴν θείαν Ἀγάπην, ᾗ ὁ Θεὸς ἑαυτὸν ἀγαπᾷ.

C Deus ergo est Dei Verbum: Deus vero divina dilectio ac charitas, idemque cum Patre atque Filio Deus, ejusque processio, dilectionis ac charitatis processio est. Quodque in natura sermonis vi seu rationis, ac intelligendi facultate prædita, duæ tantum interius intelliguntur processiones: una quidem rationis sermonisque et verbi processio, qua objectum in notitiam cadens intelligit: alteraque dilectionis seu voluntatis, qua bonum intellectu cognitum, nisi præsens sit, concupiscit, præsens autem diligit. Cumque adeo necesse sit, utramque divinæ menti adesse, uti probatum est: sitque intellectionis processio, sermonis seu Verbi Filiique operatio, superest alteram (dilectionis scilicet ac charitatis) esse Spiritus sancti, esseque Spiritum sanctum divinam dilectionem ac charitatem, qua Deus seipsum diligit.

Τοιοῦτον τοίνυν καὶ ἐπὶ τῆς ἁγίας τριάδος τὸ τοῦ Αὐγουστίνου(41) παράδειγμα καὶ τῶν κατ' αὐτὸν διδασκάλων· καὶ ἔστι τῶν ἄλλων προσφυέστερον καὶ οἰκειότερον. Τῶν γὰρ θεολόγων ἁπάντων νῷ καὶ λόγῳ φαμένων ἀνάλογον ἔχειν πρὸς ἀλλήλους τὸν Πατέρα καὶ τὸν Υἱὸν, οἱ μὲν ἄλλοι πάντες σχεδὸν, τὸν τοῦ Θεοῦ Λόγον τῷ παρ' ἡμῖν προφορικῷ παρεικάζουσι λόγῳ· ὁ δὲ ἐπὶ τὸν ἔνδον λόγον τὸν ἐνδιάθετον λαμβάνει τὴν ὁμοιότητα. Ἐκεῖ γὰρ, καὶ τὸ κατ' εἰκόνα, καὶ ὁ πρῶτος λόγος καθ' ὃν λογικοί ἐσμεν καὶ καλούμεθα, εἴτε μετὰ σώματός ἐσμεν, εἴτε καὶ μή. Ὁ δὲ ἐπὶ τὰ ἔξω ῥέων οὗτος λόγος τοῦ

D Tale igitur etiam in sancta Trinitate Augustini ac sequacium doctorum exemplum; estque reliquis connaturalius ac magis appositum. Nam cum omnes theologi Patrem dicant ac Filium sic se inter se quadam proportione habere, ac se habent mens ac verbum; alii quidem fere omnes Deum Verbum comparant cum verbo, quod apud nos ore profertur; at Augustinus, in interiori verbo ac quod in animo residet, assumit similitudinem. Illic enim tum esse ad imaginem positum est, tum prima ratio ac sermo, qua rationales (sermonis scilicet et verbi ac rationis compotes) sumus pari-

(41) Lib. v.

Digitized by Google

ter ac vocamur, sive in corpore versamur, sive non. Quod vero sic extra verbum fluit, interioris signum est, diversaque ab illo ratione eodem ipso nomine censetur. Siquidem enim ex verbo illo prolatitio rationales et ad Dei imaginem diceremur, reliquum foret neque omnino rationales, neque ad Dei imaginem dicendos, cum post mortem verbum quod ore profertur minime habituri sumus, nec aereum istum spiritum trahemus.

Verbum itaque interius citra omnem comparationem nobilius est : decet vero ut ab iis quæ nobiliora sunt ac convenientiora, divinorum similitudines ducamus. Ac quidem quæ alii afferunt, duntaxat imago sunt : quæ vero Augustinus, etiam magnam similitudinem habent : ut et infidelis inde ad intelligentiam Trinitatis provehatur : qui nec audire quæ sunt divinæ Scripturæ sustineat ; dummodo probo animo sit, pollensque ingenio, contentioni minime studeat. Admodum enim cogit, cum præterea etiam consentiat divinæ Scripturæ. Quinimo ex illa potissimum habet probationes : ac cui libuerit, ejus rei testimonia, in iis libris quos scripsit beatus Augustinus de Trinitate, inveneri.

Enimvero quandiu quis Verbum Filium esse inficiari non poterit, is neque Patrem vere Mentem dicere recusabit: non qualis apud nos mens est, sive angelica, sed divina et infinita, ac quæ omnibus mentibus infinite emineat, cujus tamen mens humana exemplum ac imago quædam exsistat. Illis consequens fit, ut et dilectionem necessario ponamus in Deo. Est enim hæc utentium ratione proprietas, uti dictum est. Sed et verbi ex mente processio clarius manifestat eam processionem, idcirco quod sine passione ac materiæ expers exsistat, quam carnalis hæc generatio. Similiter quoque dilectionis ex voluntate processio, manifestior imago est processionis Spiritus sancti ex Deo, quam corporalis hæc Spiritus processio. Quamobrem penes animum sumendo imaginem, convenientius divinam mentem Verbumque ac dilectionem appellabimus, quam a corpore nuncupando, Patrem et Filium et Spiritum. Quia tamen in Deo Verbum vere exsistens est et perfectum parique substantia, ei, ex quo processit, Filius nuncupatur, consueto nobis loquendi genere. Quocirca etiam antiqui pietatis magistri, ac potissimum magnus Athanasius in iis, quæ adversus Arium scripsit, eos qui dicerent esse Filium ac Spiritum Patre posteriores, in eam adigebant absurditatem, ac si Deum mentis expertem ac voluntatis assererent. Hoc enim illi absurdius ducebant, quam si absque Filio ac Spiritu dicerent. Nam hoc quoque cuivis substantiæ immateriali tribuetur. Liquet igitur convenientius vocari Deum mentem ac voluntatem, quam Patrem ac Spiratorem. Porro summæ rem absurditatis habebant, inferri Deum mente carere ac voluntate,

(42) Orat. 2 *Contra Arian.* p. 352.

A ἔνδον λόγου ἐστὶ σημαντικὸς, καὶ ὁμωνύμως ἐκείνῳ λέγεται. Εἰ γὰρ ἀπὸ τοῦ προφορικοῦ λόγου λογικοὶ καὶ κατ' εἰκόνα τοῦ Θεοῦ ἐλεγόμεθα, ἐλείπετο πάντως μήτε λογικοὺς ἡμᾶς εἶναι μήτε κατ' εἰκόνα Θεοῦ λέγεσθαι, ὅτε μετὰ θάνατον τὸν προφορικὸν λόγον οὐδαμῶς ἕξομεν, οὐδὲ τὸ ἐναέριον τοῦτο σπασόμεθα πνεῦμα.

Ὥστε ὁ ἔνδον λόγος, τοῦ ἐκτὸς ἀσυγκρίτως τιμιώτερος· ἀπὸ δὲ τῶν τιμιωτέρων καὶ οἰκειοτέρων ὀφείλομεν τὰ θεῖα εἰκονίζειν. Καὶ τὰ μὲν παρὰ τῶν ἄλλων, εἰκὼν μόνον· τὰ δὲ τοῦ Αὐγουστίνου καὶ πολλὴν τὴν ὁμοιότητα ἔχει· ὥστε καὶ τὸν ἄπιστον εἰς ἔννοιαν ἀναχθῆναι τῆς ἁγίας Τριάδος ἐκ τούτου, B τὰ ἐκ τῆς θείας Γραφῆς οὐδὲ ἀκοῦσαι καταδεχόμενον, μόνον εἰ τὴν εὐγνωμοσύνην ἔχει μεθ' ἑαυτοῦ, καὶ νοῦν ἔχων, μὴ φιλονεικεῖν προαιροῖτο. Πολλὴν γὰρ τὴν ἀνάγκην ἐπάγεται μετὰ καὶ τοῦ τῇ θείᾳ Γραφῇ συμφωνεῖν. Μᾶλλον δὲ ἐκεῖθεν ἔχει τὰς ἀποδείξεις· καὶ τὰς περὶ τούτου μαρτυρίας ὁ βουλόμενος εὑρήσει σαφῶς, ἀναγνοὺς τὰ περὶ τούτου ἐν τῷ περὶ Τριάδος βιβλίῳ τῷ μακαρίῳ Αὐγουστίνῳ συγγεγραμμένα.

Οὐ μὴν ἀλλ' ἕως ἂν μὴ δύνηταί τις ἀρνεῖσθαι Λόγον εἶναι τὸν Υἱὸν, οὐδὲ τὸν Πατέρα παραιτήσεται λέγειν ἀληθῶς εἶναι Νοῦν· οὐχ οἷον τὸν παρ' ἡμῖν, ἢ τὸν ἀγγελικὸν, ἀλλὰ θεῖον καὶ ἄπειρον καὶ πάντων νόων ἀπείρως ἐξῃρημένον, παράδειγμα μέντοι C τοῦ ἀνθρωπίνου, καὶ τοῦτον εἰκόνα ἐκείνου. Τούτοις δὲ ἕπεται καὶ Ἀγάπην ἀναγκαίως τιθέναι ἐπὶ Θεοῦ· τοῦτο γὰρ τῶν λογικῶν ἰδιότης, ὡς εἴρηται. Ἀλλὰ καὶ ἡ πρόοδος τοῦ λόγου ἐκ τοῦ νοῦ ἐναργέστερον ἐκφαίνει τὴν πρόοδον ἐκείνην διὰ τὸ ἀπαθὲς καὶ ἄϋλον ἢ αὕτη ἡ σαρκικὴ γέννησις. Ὁμοίως καὶ ἡ τῆς ἀγάπης ἐκ τῆς θελήσεως πρόοδος ἐμφανεστέρα ἐστὶν εἰκὼν τῆς ἀπὸ τοῦ Θεοῦ προόδου τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ἢ αὕτη ἡ τοῦ σωματικοῦ πνεύματος πρόοδος. Ὥστε ἀπὸ τῆς ψυχῆς τὴν εἰκόνα λαμβάνοντες, οἰκειοτέρως προσεροῦμεν τὸνθεῖον Νοῦν καὶ Λόγον καὶ Ἀγάπην ἢ ἀπὸ τοῦ σώματος Πατέρα καὶ Υἱὸν καὶ Πνεῦμα αὐτὸν ὀνομάζοντες. Ὅμως ἐπεὶ ὁ Λόγος ἐκεῖ ὑφεστὼς ἐστι καὶ τέλειος καὶ ἴσος τὴν οὐσίαν τῷ, ἀφ' οὗ προῆλθεν, Υἱὸς ὀνομάζεται, D κατὰ τὸ τῆς ἀνθρωπίνης διαλέξεως ἔθος. Διὸ καὶ οἱ ἀρχαῖοι τῆς εὐσεβείας διδάσκαλοι, καὶ μάλιστα ὁ μέγας Ἀθανάσιος ἐν τοῖς κατὰ Ἀρείου (42), τοὺς λέγοντας ὕστερα τοῦ Πατρὸς τὸν Υἱὸν καὶ τὸ Πνεῦμα εἰς τοῦτο ἀπῆγον τὸ ἄτοπον, ὥσπερ ἂν εἰ ἔλεγον ἄνουν καὶ ἀθελῆ τὸν Θεόν. Τοῦτο γὰρ αὐτοῦ ἀτοπώτερον τιθεμένοις ἐδόκει ἢ ἄπαιδα καὶ ἄπνουν. Καὶ γὰρ τοῦτο καὶ ἑκάστῃ τῶν ἀΰλων οὐσιῶν συγχωρηθήσεται. Ὥστε δῆλον, ὡς μᾶλλον ἁρμόσει Νοῦν καὶ Θέλησιν τὸν Θεὸν λέγειν ἢ Πατέρα καὶ Πνέοντα. Ἐδόκει δὲ αὐτοῖς ἀτοπώτατον ἄνουν καὶ ἀθελῆ τὸν Θεὸν συνάγεσθαι ἀπὸ τοῦ τιθέναι τοῦ Πατρὸς ὕστερα τὸν Υἱὸν καὶ τὸ Πνεῦμα· ἐπεὶ ὁ νοῦς καὶ λόγον ἔχει

Digitized by Google

ἀναγκαίως· καὶ οὐκ ἂν εἴη νοῦς λόγον οὐκ ἔχων. Καὶ ὁ θέλων, λογικὸς ὤν, ἀγάπην πάντως ἔχει ἢ ἔρωτα. Τὰ γὰρ ἄλογα λόγον οὐκ ἔχοντα, οὐκ ἂν ὀρθῶς λέγοιντο τοῦτο θέλειν εἰς ὅπερ ἂν ὁρμῶσιν. Φυσικῇ γὰρ δυνάμει πρὸς τοῦτο κινοῦνται. Καὶ πάλιν θέλων, οὐκ ἂν εἴη ἀγάπην οὐκ ἔχων ἐξ ἑαυτοῦ προϊοῦσαν. Ἡ γὰρ ἀγάπη ἀπὸ θελήσεως πρόεισι.

A inde scilicet quod Filius ac Spiritus posterius Patre exsistere ponebantur; quod nimirum mens necessario verbum habeat ac sermonem : nec mens ulla sit quæ illo careat. Qui item voluntate præditus est, eum ratione utatur atque sermone, omnino dilectionem habet seu amorem : bruta enim ac muta animalia, cum sermonem ac verbum seu rationem non habeant, neque id velle rite dicantur, in quod appetitu incitantur. Moventur enim naturali vi atque instinctu. Ac rursus qui volens est, is nunquam fiat, quin dilectionem ab ipso procedentem habeat. Dilectio enim a voluntate procedit.

Ἔχει μέντοι ὁ Θεὸς Λόγον καὶ Πνεῦμα, ὡς ἑαυτὸν ἔχων. Εἰ γὰρ, διὰ τὸ ἔχειν, σύνθεσίν τις ὑπονοήσει. Ἀλλὰ λέγεται καὶ τοῦτο, ὅτι ὁ Υἱὸς ἔχει Πατέρα· ὡσαύτως δὲ καὶ Προβολέα τὸ Πνεῦμα. Οὐ μᾶλλον οὖν ἔσται ὁ Πατὴρ ἔχων ἢ ἐχόμενος κατὰ τὴν προφορὰν τοῦ ἔχειν. Καίτοι καὶ τοῦτο παρὰ τῆς Ἐκκλησίας ὁμολογεῖται, τὸ τὰς θείας ὑποστάσεις εἰς ἀλλήλας περιχωρεῖν· ἀλλ' οὐ παρὰ τοῦτο σύγχυσις ἕψεται. «Οὐ γὰρ ὥστε συναλοίφεσθαι,» Γρηγόριος ὁ Θεολόγος φησὶν (43), «ἀλλ' ὥστε ἔχεσθαι.» Ἢ καὶ ὡς ἔχει τὸ τοῦ Νύσσης (44), ὃ καὶ πρότερον ἐλέγομεν, ὅτι «κατ' ἄλλην καὶ ἄλλην ἐπίνοιαν ἑκάτερος ἐν τῷ ἑτέρῳ εἶναι λέγεται· ὁ μὲν Υἱὸς ἐν τῷ Πατρὶ, ὡς τὸ ἐπὶ τῆς εἰκόνος κάλλος ἐν τῇ ἀρχετύπῳ μορφῇ· ὁ δὲ Πατὴρ ἐν τῷ Υἱῷ, ὡς ἐν τῇ εἰκόνι αὐτοῦ τὸ πρωτότυπον κάλλος.»

Cæterum habet Deus Verbum ac Spiritum, ut qui habeat seipsum. Alioqui enim, eo quod habeat, alicui in mentem veniet esse illum compositum. Quin hoc quoque dicitur, habere Filium Patrem : ac similiter habere Spiritum, quo auctore producitur. Igitur quod attinet ad vim vocis hujus *habere*, non magis erit Pater habens, quam qui habeatur. Quin hoc quoque Ecclesiæ in confesso est divinas personas quasi circuitu quodam inter se recurrere, sibique immeare : non tamen sequetur inde confusio : « Non enim, inquit Gregorius Theologus, ut quasi coalescant ac misceantur, sed ut cohæreant. » Sive etiam, ut locutus est Gregorius Nyssenus, cujus et superius allata auctoritas est : « Secundum aliam atque aliam rationem, alter in altero esse dicitur; Filius scilicet in Patre, velut imaginis in Filio, velut exemplaris decor ac species in decor in principe forma ac exemplari : Paterque sua imagine. »

Εἰ δὲ ἐνταῦθα τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ὡς ἀγάπη παρὰ τοῦ Πατρὸς ἀπὸ θελήσεως (45) τῷ Αὐγουστίνῳ εἴρηται· ἄλλοι δὲ τῶν ἁγίων βούλησιν καὶ θέλησιν τὸν Υἱὸν τοῦ Πατρὸς εἶπον, ἃ καὶ πρότερον ἐξεθέμεθα. Οἷον ὁ μὲν Δαμασκηνὸς (46), « Οὐκ ἔστι τῷ Πατρὶ Λόγος, σοφία, δύναμις, θέλησις, εἰ μὴ ὁ Υἱός· » ὁ δὲ θεῖος Κύριλλος ἐν τοῖς Θησαυροῖς (47). « Ὁ Υἱός ἐστιν ἡ ζῶσα καὶ ἐνούσιος τοῦ Πατρὸς βούλησις· » ὁ δὲ μέγας Ἀθανάσιος (48), « Ἡ μὲν οὐσία τοῦ Θεοῦ οὔτε ἤρξατο οὔτε παύεται· οὔτε ἄρα ἤρξατο ἡ εἰκών, οὔτε ἐπαύσατο· ἡ δὲ θέλησις καὶ ἄρχεται καὶ παύεται. » Εἰ ταῦτα λέγοιεν, οὐ δεῖ θορυβεῖσθαι. Ἁγίων γάρ εἰσιν ἀποφάσεις, καὶ ἔστι λογικῶν ἀνθρώπων καὶ εὐσεβεῖν βουλομένων τὰ παρὰ τῶν ἁγίων εἰρημένα πάντα ἀσπάζεσθαι, καὶ μὴ καθάπερ ὤνια, τὰ μὲν ἀπορρίπτειν, τὰ δὲ ἐκκρίνειν· ἀλλὰ πάντα δεχομέ-

Quod si hic Augustinus Spiritum sanctum ut est dilectio a Patre dixit ex voluntate; reliqui vero sancti Filium Patris voluntatem ac consilium dixerunt, quæ et superius exposuimus, veluti nimirum Damascenus : « Non est Patri Verbum, sapientia, virtus, voluntas alia quam Filius : » divinus vero Cyrillus in *Thesauris* : « Filius viva est et substantialis Patris voluntas; » magnus item Athanasius : « Divina substantia neque cœpit, neque desinit. Neque ergo cœpit divina imago, autve desiit : voluntas autem et cœpit et desinit : » hæc illi quod dicant, haud turbari oportet, quod sanctorum sententiæ sint; sitque hominum ratione utentium, ac qui pie sentire velint, ut quæ dicta sint a sanctis, omnia amplectantur; nec sicut in eis quæ venenum, alia quidem rejiciant, alia vero seligant; sed qua distinctione conciliandæ hic allatæ Patrum auctoritates, exsufflandique Anomœi, qui ea quæ natura agimus, complacente voluntate nos agere, nec posse non agere, non intellexerunt. Quæ voluntatis summa perfectio est, etsi non libertas, aut ea voluntas quæ incipiat desinatque, juxta quod Athanasius tradit, sive Maximus, ut scilicet hoc vel illud ut terminum in rebus connotat. Caute etiam notanda personarum nomina propria et appropriata, ut vocant; quorum illa non evariant, secus vero ista; suntque ipsa reipsa absoluta, sed ut tali modo in hac illave persona considerantur, quo non in alia.

(43) Orat. 32.

(44) Adversus Eunomium.

(45) *Παρὰ τοῦ Πατρὸς ἀπὸ θελήσεως.* Nempe Augustinus et Latini passim duplicem distinguunt processionem, ex duplici modo operationis, qui in Deo a nobis intelligitur, qui est intelligere et velle, quæ sunt quidem ipsa unum in Deo ac simplicissimum, intelliguntur tamen virtualiter distincta et eminenter, ita ut in persona fecunda, alterum sit generatio, alterum productio : alterius terminus λόγος, Verbum et Filius; alterius amor, dilectio ac Spiritus sanctus. De voluntate in generatione Filii, erat Eunomianorum objectio, quam solvit Gregorius, orat. 35, dicentium Patrem voluntate genuisse vel invitum : sic nimirum de processione Verbi a Deo, ac de creatorum, philosophantes; non distinguentes de voluntate ut natura et ut libera; deque illa concomitante et antecedente;

(46) Lib. I *De fid.* c. 13.

(47) *Thes.* l. XXI, p. 212.

(48) Dialog. I cum Anom., qui et Maximo ascribitur.

Digitized by Google

cuncta recipientes ac custodientes velut *Spiritus* voces, sic operæ pretium exponere satagant, ut et communissimis de Deo conceptionibus et principiis fidei, nec non sanctorum multitudini consentiant : sic tamen, dum eorum nobis sanctimonia nulla suspicione laboret. Quod illis servemus necesse est; non sic nostro, sanctorum sententias verbaque, usurpemus consilio, ut alios aliis committere videamur, ac velut qui se mutuo evertant, inducere. Non enim æquum est, ut sibi invicem adversari existimentur. Id enim nec iis hominibus satis congruat, quibus tantisper rationis lux affulgeat; tantum abest ut sanctis, qui motore Spiritu cuncta exposuerunt : quo scilicet homines, illis tanquam pietatis magistris animum adhibentes, ac per eos veritatem nanciscentes, in hunc modum in Christo necterentur.

A νους καὶ φυλάττοντας ὡς τοῦ Πνεύματος φωνας, οὕτω προσῆκον ἐπιχειρεῖν ἐξηγεῖσθαι, ὥστε καὶ ταῖς περὶ Θεοῦ κοινοτάταις ἐννοίαις καὶ ταῖς τῆς πίστεως ἀρχαῖς, καὶ τῷ πλήθει τῶν ἁγίων συμφωνεῖν· μόνον εἰ περὶ τῆς ἐκείνων ἁγιωσύνης ἀμφιβολίαν οὐδεμίαν ἔχομεν, Ὅπερ ἀναγκαῖον ἐκείνοις τηρεῖσθαι, καὶ μὴ διὰ τὴν ἑαυτῶν βούλησιν οὕτω τὰ τῶν ἁγίων ἐκλαμβάνοντας, ὡς ποιεῖν ἐκείνους ἀλλήλοις πολεμεῖν δοκεῖν, καὶ ὑφ' ἑαυτῶν ἀνατρέπεσθαι. Οὐ γὰρ ἂν εἰκότως νομίζοιντο ἑαυτοῖς καὶ ἀλλήλοις ἐναντιοῦσθαι· τοῦτο γὰρ οὐδὲ τοῖς ὀπωσοῦν λογικοῖς τῶν ἀνθρώπων ἁρμόζει, μήτοι γε δὴ τοῖς ἁγίοις, οἱ πάντα ἐξέθεντο ὑπὸ τοῦ ἁγίου κινούμενοι Πνεύματος· ὥστε τούτοις ὡς διδασκάλοις εὐσεβείας τοὺς ἀνθρώπους προσέχοντας, καὶ δι' αὐτῶν τῆς ἀληθείας ἐπιτυγχάνοντας, οὕτω συνημμένους ἐν τῷ Χριστῷ γίνεσθαι.

B

De his igitur quæ sanctis dicta sunt, ita sentiendum, talique in omnibus utendum regula est. Sin minus, præstat, ut dicamus nos non intelligere eorum quæ dicuntur sententiæ vim, quam convenientes exque ratione de Deo sententias evertamus, uti ait magnus Basilius. Hic autem possumus dicere, sanctos, secundum diversos respectus idem alia atque alia ratione declarare. Nam Filius quidem ex Patre est, tanquam verbum ex mente. Secundum hanc considerationem etiam voluntatem ex voluntate dixerunt, quemadmodum ait Gregorius Theologus : «Patri generatio, gignendi voluntas est, ac voluntas ex voluntate. » Secundum quem utique modum, Filium sapientiam ex sapientia dixerunt, ac virtutem ex virtute. Cæterum Spiritus sanctus ex Patre est, velut dilectio a voluntate : idcirco etiam distincta processio est. Creatura vero, tanquam ab una voluntate, a Patre est et Filio et Spiritu sancto. Una enim est trium personarum, quod attinet ad creaturas , voluntas.

Περὶ μὲν οὖν τῶν τοῖς ἁγίοις εἰρημένων οὕτω χρὴ γνώμης ἔχειν, καὶ τοιούτῳ χρῆσθαι ἐπὶ πάντων κανόνι. Εἰ δὲ μή, ἄμεινον λέγειν τὴν τῶν λεγομένων μὴ συνιέναι διάνοιαν ἢ ἀνατρέπειν τὰς ἀξιολόγους περὶ Θεοῦ ὑπολήψεις, ὡς ὁ μέγας ἔφη Βασίλειος. Ἐνταῦθα δὲ ἔστι λέγειν, ὡς τὸ αὐτὸ κατὰ διαφόρους ἀποβλέψεις ἄλλως καὶ ἄλλως οἱ ἅγιοι ἀποδιδόασιν· ὁ μὲν γὰρ Υἱὸς ἐκ τοῦ Πατρός ἐστιν, ὡς Λόγος ἐκ Νοῦ. Κατὰ τοῦτο καὶ θέλησιν ἐκ θελήσεως εἶπον, ὡς ὁ Θεολόγος Γρηγόριος λέγει, « Τῷ Πατρὶ γέννησίς ἐστιν ἡ τοῦ γεννᾶν θέλησις, καὶ βούλησις ἐκ βουλήσεως· καθ' ὃν δὴ τρόπον εἶπον σοφίαν ἐκ σοφίας τὸν Υἱὸν, καὶ δύναμιν ἐκ δυνάμεως. Τὸ δὲ ἅγιον Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρός ἐστιν, ὡς ἀπὸ θελήσεως ἡ ἀγάπη. Διὰ τοῦτο γάρ ἐστι καὶ πρόοδος διάφορος. Ἡ δὲ κτίσις, ὡς ἀπὸ μιᾶς βουλήσεως τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος· μία γὰρ τῶν τριῶν ἐπὶ τῶν κτισμάτων ἡ θέλησις.

C

Id vero est, quod et beatus Maximus ait, in disputatione cum Anomœo. Nam cum ille dixisset, «Si Deus aliis gignit, atque aliis condit, compositus est ; » respondet, « Non dico aliis gignere, atque aliis condere, sed, aliter gignere, aliter condere.» Cæterum divinus Spiritus, qui sit a Patre dilectio et charitas, peculiari quodam modo dicitur. Est enim dilectio ac charitas nomen relationem habens; unde et persona est. Non enim sicut bonitas, aut vis tenens omnia ac conservans, aut providentia quæ relationem habent ad creaturam, nec sunt in ipso Deo; sed sic est dilectio ac charitas, quod relate procedit. Ac sicut verbum ex mente relate dicitur ; quamquam verbum seu sermo de toto Deo communiter et absolute dicatur : etiam dilectio ac charitas dicitur. « Deus enim, inquit, charitas est [34]. » Proprie tamen ac relate, alterum de Patre dicitur, nempe mens ; alterum de Filio, scilicet Ver-

Τοῦτο δέ ἐστιν, ὅπερ καὶ ὁ Θεῖος Μάξιμος ἐν τῇ πρὸς Ἀνόμοιον διαλέξει φησίν (49). Ἐκείνου γὰρ εἰπόντος, « Εἰ ἄλλοις ὁ Θεὸς γεννᾷ, καὶ ἄλλοις κτίζει, σύνθετός ἐστιν· » ἀποκρίνεται, « Οὐ λέγω ἄλλοις γεννᾷ, καὶ ἄλλοις κτίζει· ἀλλὰ, Ἄλλως γεννᾷ, καὶ ἄλλως κτίζει. » Τὸ μέντοι θεῖον Πνεῦμα, ὡς Ἀγάπη παρὰ τοῦ Πατρὸς ὄν, ἰδιαίτερόν τινα λέγεται τρόπον. Ἀναφορικὸν γάρ ἐστιν ἡ Ἀγάπη· διὸ καὶ πρόσωπόν ἐστιν. Οὐ γὰρ ὥσπερ ἡ ἀγαθότης, ἢ ἡ παντοκρατορία, ἢ ἡ πρόνοια, ἃ πρὸς τὴν κτίσιν τὴν ἀναφορὰν ἔχουσι, καὶ οὐκ ἐπ' αὐτοῦ· ἀλλ' οὕτως ἐστὶν Ἀγάπη τὸ ἐκπορευόμενον ἀναφορικῶς· καὶ ὥσπερ ὁ λόγος ἐκ νοῦ ἀναφορικῶς λέγεται, καίτοι τοῦ ὅλου Θεοῦ κοινῶς καὶ ἀπολελυμένως λόγου λεγομένου καὶ νοῦ· καὶ Ἀγάπη δὲ λέγεται. « Ὁ γὰρ Θεὸς, » φησὶν, « Ἀγάπη ἐστίν. » Ἀλλ' ὅμως ἰδίως καὶ ἀναφορικῶς τὸ μὲν ἐπὶ τοῦ Πατρὸς κεῖται, τὸ Νοῦς, τὸ δὲ Λόγος ἐπὶ τοῦ Υἱοῦ· ἡ δὲ Ἀγάπη,

D

[34] I Joan. IV, 3.

(49) Dial. I qui et Athanasio tribuitur.

Digitized by Google

ἐπὶ τοῦ Πνεύματος. Κατὰ τοῦτο καὶ νοῦς τὸ Πνεῦμα λέγοιτ' ἂν ὡς Θεός· ὡς ἔχει τὸ ἀδόμενον ἐκεῖνο.

Σὺ ζωὴ, ἔρως, φῶς, νοῦς.

Ὡσαύτως καὶ ὁ Υἱός. Ἀλλ' οὐ λέγεται οὕτως ἀναφορικῶς κατὰ τὰ πρός τι, ὥστε καὶ Λόγον ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἢ ἐκ τοῦ Πνεύματος προιέναι. Εἰ μὴ γὰρ οὕτως ἦν, οὐδὲν ἐκώλυεν εἰς πολλὰ πρόσωπα τὸν ἕνα Θεὸν προχωρεῖν, ὅπερ τῷ τῆς Τριάδος λόγῳ ἐναντιοῦται. Καὶ πᾶν ὃ τὸν τῆς Τριάδος ἢ τὸν τῆς Μονάδος διασείει λόγον, ἀπορριπτέον.

Ὡσαύτως ὁ Θεὸς καὶ Σοφία λέγεται ἀπολελυμένως· καὶ τὸ ὄνομα τοῦτο ἀνάγκη κοινὸν εἶναι Πατρὶ καὶ Υἱῷ, καὶ δὴ καὶ Πνεύματι. Ἡ γὰρ διὰ τοῦ Λόγου ἐκλάμπουσα σοφία, ἥτις αὐτὸς ὁ Λόγος ἐστὶν, ἡ τοῦ Πατρός ἐστιν οὐσία. Ἡ δ' οὐσία τοῦ Πατρὸς αὐτῷ καὶ τῷ Υἱῷ ἐστι κοινή. Ἀλλ' ὅμως ἰδιαίτερόν τινα τρόπον ἀποδίδοται τῷ Υἱῷ ἡ σοφία· καὶ μία οὖσα τῷ ἀριθμῷ σοφία, ὡς εἴρηται, τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ, ὅμως οὐκ ἔστιν ἡ γεννωμένη σοφία ἡ αὐτὴ τῇ γεννώσῃ, δηλαδὴ κατὰ τὸ γεννᾶσθαι. Ταῦτα δὲ καὶ πρότερον εἴρηται.

Ὅτι δὲ εἴπομεν τὸ τοῦ Αὐγουστίνου παράδειγμα ἐκ τῆς Γραφῆς ἔχειν τὰς ἀποδείξεις, ἀληθές ἐστι· πολλῷ γὰρ αὐτοῦ πρότερον ἡ θεία Γραφὴ τοῦτό φησιν, ἐν οἷς ὁ Θεολόγος Ἰωάννης διδάσκει. Οὕτω; γὰρ εἰπών, « Ὁ Θεὸς Ἀγάπη ἐστὶ, » δοκεῖ μὲν οὕτως ἁπλῶς ἀδιακρίτως τὸν Θεὸν εἰρηκέναι, ὅπερ ἂν ἔλεγεν, ἀληθῶς ἂν εἶπε, σύμφωνον γὰρ τοῦτο τῇ κοινῇ περὶ Θεοῦ δόξῃ· αὐτὸς γάρ ἐστι καὶ ἀγάπη καὶ σοφία καὶ πᾶν ἀγαθόν· ὅμως βουλόμενος καθαρώτερον τὴν ἑαυτοῦ γνώμην ἐκφῆναι, ὃν Θεὸν ἀπροδιορίστως εἶπεν Ἀγάπην, τοῦτον καὶ ἐκ τοῦ Θεοῦ εἶναι προστίθησιν. Εἰπὼν γὰρ, « Ἀγαπητοὶ, ἀγαπῶμεν ἀλλήλους, ὅτι ἡ ἀγάπη ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστιν, » ἐπάγει, « Καὶ πᾶς ὁ ἀγαπῶν ἐκ τοῦ Θεοῦ γεγέννηται· » ἐκ τούτων ἐδήλωσεν ἑαυτὸν αὐτὴν εἰρηκέναι Ἀγάπην τὸν Θεὸν, ἣν ἐκ τοῦ Θεοῦ εἶπε. Θεὸς οὖν ἐκ Θεοῦ ἐστιν ἡ Ἀγάπη. Εἶπε γάρ, « Ὅτι ὁ Θεὸς Ἀγάπη ἐστὶ, » καὶ, « Ὅτι ἡ Ἀγάπη ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστι· » καὶ, « Ὅτι ὁ ἀγαπῶν ἐκ τοῦ Θεοῦ γεγέννηται. » Πῶς δὲ γεννᾶται ὁ ἀγαπῶν ἐκ τοῦ Θεοῦ, μετὰ μικρὸν ἐρεῖ. Ἀλλὰ τὸ, « Θεὸς ἐκ Θεοῦ, » τὸ εἶναι ἔκ τινος δηλοῖ. Τοῦτο δὲ τῷ Πατρὶ οὐχ ἁρμόζει· ἀναίτιος γάρ ἐστι· τουτέστιν ἀπ' οὐδενός. Λείπεται ἢ τῷ Υἱῷ ἢ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι προσήκειν. Ἀλλὰ μὴν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι τοῦτο προστίθησιν· δῆλον δέ. Ἐφεξῆς γὰρ τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ ἀναμνήσας, οὐ καθ' ἣν ἡμεῖς αὐτὸν, ἀλλὰ καθ' ἣν ἠγάπησεν ἡμᾶς, « Ἀπέστειλε τὸν Υἱὸν αὐτοῦ, » φησὶν, « ἱλασμὸν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. » Ἐντεῦθεν ἐδίδαξε πῶς καὶ ἡμεῖς ἀλλήλους ἀγαπῶμεν· ἀλλήλους δὲ ἀγαπῶντες, ὁ Θεὸς ἐν ἡμῖν μένει· καὶ ἀντιστρόφως, τὸν Θεὸν ἀγαπῶντες, ἀλλήλους ἀγαπῶμεν, καὶ οὕτως ἐν τῷ Θεῷ μένομεν. Ἐννοοῦντες γὰρ ὁπόσον ὁ Θεὸς ἠγάπησεν ἡμᾶς, ἐπιστρεφόμεθα

A bum; alterum de Spiritu, nimirum charitas et dilectio. Per hunc modum etiam Spiritus mens dicatur, ea ratione qua est Deus: velut est istud moduli.

Tu Vita, Amor, Lux, Mens.

Similiter, etiam Filius. Non tamen sic relate dicitur, ut ea quæ sunt ad aliquid; ita nimirum ut et Verbum ex Filio procedat, vel ex Spiritu. Nisi enim sic se res haberet, vetaret nihil quin unus Deus in plures personas procederet, quod Trinitatis rationi adversatur. Quicquid vero vel Trinitatis, vel Unitatis rationem convellit, procul amandandum est.

Similiter Deus Sapientia absolute dicitur; ac necesse est istud nomen commune esse Patri et Filio, nec non etiam Spiritui. Quæ enim per Verbum B sapientia elucet, quæ est ipsum Verbum, Patris substantia est. Patris autem substantia, seu essentia, ipsi Filioque communis est. Peculiarius tamen Sapientia tribuitur Filio; eumque una numero sit, uti dictum est, Patris Filiique sapientia, non tamen genita sapientia eadem est atque gignens, quod nempe ad hoc attinet quod est genitam esse. Hoc vero etiam ante dictum est.

Quod vero diximus Augustini exemplum, suas ex Scriptura probationes habere, verum est. Longe enim ante Augustinum divina Scriptura hoc dixit in Catholica Joannis Theologi. Hic enim dicendo: «Deus charitas est[35],» videtur quidem sic simpliciter et absque distinctione Deum dixisse, ac si diceret, C vere eum dixisse. Consonat enim hoc communi de Dei existimationi. Ipse enim et charitas et sapientia et omne bonum existit. Volens tamen clarius mentem suam aperire, quem Deum indistincte dixerat charitatem, eum etiam ex Deo esse adjungit. Dicto enim: «Charissimi, diligamus invicem, quia charitas ex Deo est,» adjecit: «Et omnis qui diligit ex Deo natus est[36].» Quibus ostendit, eam se charitatem Deum dixisse, quam ex Deo dixerat. Est igitur charitas, Deus ex Deo. Ait enim: «Quod Deus est charitas,» et: «Quod charitas ex Deo est,» ac denique «Quod qui diligit, ex Deo natus est.» Quonam vero modo, is qui diligit ex Deo nascatur paulo post dicit. Verum illud, «Deus ex Deo» esse ex aliquo significat. Id vero Patri minime congruit, D quippe cum immunis a causa sit; hoc est, a nullo esse habeat. Superest igitur ut vel Filio vel Spiritui sancto conveniat. Atqui Spiritui sancto id ascribit. Ac liquet. Sequentibus enim facta mentione Dei dilectionis, non qua nos eum diligamus, sed qua ipse dilexit nos: «Misit Filium suum, inquit, propitiationem pro peccatis nostris.[37]» Hinc docuit et modum, quo nos invicem diligamus: ac quod sic diligamus Deum in nobis manere; vicissimque Deum diligentes, invicem diligere atque in eo manere. Cogitantes enim quantum nos Deus dilexerit convertimur ut eum vicissim, aliique alios diligamus. Non enim fieri potest, ut qui Deum diligit,

[35] I Joan. IV, 8. [36] ibid. 7. [37] ibid. 10.

Digitized by Google

non etiam proximo amicitia jungatur. Idcirco aiebat : « Qui diligit, ex Deo natus[38] est ; » nempe ex charitate quam dixit esse Deum ex Deo. Unde et ait : « Nos autem diligamus, quia ipse prior dilexit nos [39]. »

Docuit igitur ex iis quæ dicta sunt, Dei dilectionem hoc præstare, ut nos Deum atque invicem diligamus, atque in eum modum in Deo maneamus, et Deus in nobis. Id vero clarius in sequentibus exponit. Cum enim dixisset, Deum charitatem esse, subjungit : « In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis [40]. » Igitur Spiritus sanctus, ex quo dedit nobis, facit ut in Deo maneamus, et ipse in nobis. Quamobrem quod prius dixit charitatis opus (nempe ut in Deo maneamus, ac vicissim Deus in nobis), hoc nunc sancti Spiritus dixit. Ergo Spiritus sanctus est charitas, quam Deum esse et ex Deo dixerat. Ipse igitur Spiritus sanctus significatur, ubi legimus, « Deus charitas est. »

Deus igitur Spiritus sanctus ex Deo procedens, cum homini datus fuerit (dari enim eum et mitti nemo eat inficias, dicente Domino : « Cum venerit Paracletus, quem ego mittam [41] ; » et, « Quem mittet Pater in nomine meo [42] ; » cum, inquam, Spiritus homini datus fuerit, ut novit ipse qui mittit, et ipse qui mittitur, Spiritus sanctus, « Qui ubi vult spirat [43], » in Dei ac proximi dilectionem hominem accendit ; tuncque vere ex Deo nascitur, spiritali scilicet regeneratione, qui neminem oderit, nec cogitet malum [44]. Atque id quod ab Spiritu datur, charitas est : « Charitas, enim, inquit Apostolus, effusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis [45]. » Idcirco etiam, ut ait Augustinus, « Spiritus sanctus, Dei donum appellatur (cum sit Deus) et charisma, » quod etiam ait magnus Basilius. Gratiam enim perficientem et adoptionis charisma vocat, ac futuræ arrhabonem hæreditatis. Cyrillus quoque, Filii donum vocavit : « Quod utique donum, inquit idem Augustinus, quidnam aliud proprie intelligatur, quam dilectio ad Deum adducens, ac extra quam, quodvis aliud donum ac charisma dixeris, ad Deum non adducit. »

Quod vero Spiritus sanctus Charitas et donum munusque appelletur, multas ex Scriptura affert auctoritates, ac tandem sic ad verbum addit : « Valde longum omnes recensere. Præterea vero, quidnam etiam iis possit sufficere, quibus ea quæ diximus non sufficiant ? » Illud enimvero hi docendi sunt, ut siquidem Dei donum jam dictum Spiritum sanctum intelligunt, cum audient « Spiritus sancti

πρὸς τὸ ἀνταγαπᾷν αὐτόν· καὶ οὕτως ἀγαπῶμεν ἀλλήλους. Ἀδύνατον γὰρ τὸν ἀγαπῶντα τὸν Θεὸν μὴ καὶ τὸν πλησίον φιλεῖν. Διὸ καὶ ἔλεγεν, « Ὁ ἀγαπῶν ἐκ τοῦ Θεοῦ γεγέννηται· » τῆς Ἀγάπης δηλονότι, ἣν ἐκ Θεοῦ Θεὸν ἔφη. Καὶ φησὶν, « Ἡμεῖς δὲ ἀγαπῶμεν, ὅτι αὐτὸς πρότερον ἠγάπησεν ἡμᾶς. »

Ἐδίδαξεν οὖν ἐκ τῶν εἰρημένων ὅτι ἡ Ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ποιεῖ ἡμᾶς αὐτὸν τὸν Θεὸν καὶ ἀλλήλους ἀγαπᾷν, καὶ οὕτως ἐν τῷ Θεῷ μένειν καὶ αὐτὸν ἐν ὑμῖν. Τοῦτο δὲ καὶ κατιὼν καθαρώτερον σαφηνίζει. Εἰρηκὼς γὰρ τὸν Θεὸν Ἀγάπην, ἐπάγει, « Ἐν τούτῳ γινώσκομεν ὅτι ἐν αὐτῷ μένομεν, καὶ αὐτὸς ἐν ἡμῖν, ὅτι ἐκ τοῦ Πνεύματος αὐτοῦ δέδωκεν ἡμῖν. » Τὸ Πνεῦμα τοίνυν τὸ ἅγιον, ἐξ οὗ δέδωκεν ἡμῖν, ποιεῖ ἡμᾶς ἐν τῷ Θεῷ μένειν, καὶ αὐτὸν ἐν ἡμῖν. Ὥστε ὃ πρότερον τῆς Ἀγάπης ἔργον ἔφησεν εἶναι, (λέγω τὴν τοῦ Θεοῦ καὶ ἡμῶν ἐν ἀλλήλοις μονήν), τοῦτο νῦν τοῦ ἁγίου Πνεύματος εἶπεν. Τὸ Πνεῦμα ἄρα τὸ ἅγιον ἐστὶν ἡ Ἀγάπη, ἣν Θεὸν εἶναι καὶ ἐκ τοῦ Θεοῦ εἴρηκεν, καὶ ἐξ ἧς γεννᾶσθαι τοὺς ἀγαπῶντας εἶπεν. Αὐτὸ οὖν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον δηλοῦται, ἔνθα ἀναγινώσκομεν, « Ὁ Θεὸς Ἀγάπη ἐστίν. »

Ὁ Θεὸς τοίνυν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ Θεοῦ, ἐπειδὰν δοθῇ τῷ ἀνθρώπῳ (ὅτι γὰρ δίδοται καὶ ἀποστέλλεται, οὐδεὶς ἀντερεῖ, τοῦ Κυρίου λέγοντος, « Ὅταν ἔλθῃ ὁ Παράκλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω· » καὶ, « Ὃν πέμψει ὁ Πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου· » τοῦτο οὖν ἐπειδὰν τῷ ἀνθρώπῳ δοθῇ, ὡς αὐτὸς ὁ ἀποστέλλων οἶδε, καὶ αὐτὸ τὸ ἀποστελλόμενον ἅγιον Πνεῦμα, ὅπερ ὅπου θέλει πνεῖ, ἀνάπτει τὸν ἄνθρωπον εἰς τὴν τοῦ Θεοῦ ἀγάπην καὶ τοῦ πλησίον· καὶ τότε ἀληθῶς ἐκ τοῦ Θεοῦ γεννᾶται, τὴν πνευματικὴν ἀναγέννησιν δηλονότι, οὐδένα μισῶν, οὐδὲ λογιζόμενος τὸ κακόν. Καὶ αὐτὸ διδόμενον παρὰ τοῦ Πνεύματος ἀγάπη ἐστίν· « Ἡ γὰρ ἀγάπη, » φησὶν ὁ Ἀπόστολος, « ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, διὰ τοῦ Πνεύματος ἁγίου τοῦ δοθέντος ἡμῖν. » Διὸ, καθώς φησιν Αὐγουστῖνος, « Καὶ δῶρον τοῦ Θεοῦ ὀρθότατα καλεῖται τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, Θεὸς ὂν καὶ χάρισμα· » ὃ καὶ ὁ μέγας Βασιλειός φησι, χάριν γὰρ τελειοποιὸν καὶ χάρισμα υἱοθεσίας αὐτὸ φησι καὶ ἀρραβῶνα τῆς μελλούσης κληρονομίας. Καὶ τοῦ Υἱοῦ δὲ δωρεὰν ὁ θεῖος Κύριλλος εἶπεν· « Ὃ δὴ δῶρον, » ὁ αὐτὸς Αὐγουστῖνος φησὶ, « τί ποθ' ἕτερον κυρίως νοητέον εἰ μὴ τὴν Ἀγάπην τὴν πρὸς Θεὸν προσάγουσαν, καὶ ἧς χωρὶς πᾶν ὁτιοῦν Θεοῦ χάρισμα οὐ προσάγει πρὸς τὸν Θεόν; »

Περὶ δὲ τοῦ, ὅτι ἀγάπη καὶ δῶρον καὶ δωρεὰ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον καλεῖται, πολλὰς τίθησι παρὰ τῆς Γραφῆς μαρτυρίας, καὶ τέλος ῥητῶς οὕτως ἐπάγει· « Σφόδρα μακρὸν ἀναλέγεσθαι πάσας. Καὶ ἄλλως δὲ τί ποτ' ἂν ἀποχρήσειε τοῖς ἅπερ ἔφημεν μὴ ἀποχρῶντα; » Τοῦτό γε μὴν χρὴ τούτους διδάξαι, ὡς ὁπότε δῶρον Θεοῦ ἤδη συνορῶσιν εἰρῆσθαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐπειδὰν ἀκούωσι δῶρον τοῦ ἁγίου

[38] I Joan. IV, 7. [39] ibid. 19. [40] ibid. 13. [41] Joan. XV, 26. [42] Joan. XIV, 26. [43] Joan. III, 5. [44] I Cor. XIII, 5. [45] Rom. V, 3.

Digitized by Google

Πνεύματος, ἐκεῖνο τὸ γένος ἐπιγινώσκειν τῆς διαλέ- A
ξεως, ὅπερ εἴρηται, « Ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος
τῆς σαρκός. » Ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα τῆς σαρκὸς οὐδὲν
ἕτερόν ἐστιν ἢ σάρξ, οὕτω καὶ τὸ δῶρον τοῦ ἁγίου
Πνεύματος οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν ἢ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον.
Ἐπιτοσοῦτον τοίνυν δῶρόν ἐστι τοῦ Θεοῦ, ἐφόσον
δίδοται οἷς δίδοται. Παρ' ἑαυτῷ δὲ Θεός ἐστιν, εἰ καὶ
μηδενὶ δίδοται· ἐπειδὴ Θεὸς ἦν τῷ Πατρὶ καὶ τῷ
Υἱῷ συναΐδιος, πρὶν ἢ ἑκάστῳ δοθῆναι. Ἀλλ' οὐδὲ
μὴν ἐπειδὴ οἱ μὲν διδόασι, τὸ δὲ δίδοται, ἔλαττόν
ἐστιν ἐκείνων ἐστίν. Οὕτω γὰρ δίδοται ὥσπερ τοῦ Θεοῦ
δῶρον, ὡς καὶ αὐτὸ ἑαυτὸ διδόναι ὥσπερ Θεός. Οὐ
γὰρ δυνατὸν λέγεσθαι μὴ εἶναι τῆς ἑαυτοῦ ἐξουσίας,
περὶ οὗ εἴρηται, « Τὸ Πνεῦμα ὅπου θέλει πνεῖ· »
καὶ παρὰ τῷ Ἀποστόλῳ, ὅπερ ἤδη ἀνωτέρω ἀνέ-
μνησα, « Πάντα δὲ ταῦτα ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ B
Πνεῦμα, διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς βούλεται. »
Οὐδὲ ἔστιν ἐκεῖ ὑποταγὴ τοῦ διδομένου καὶ δεσποτεία
τῶν διδόντων· ἀλλ' ὁμόνοια τοῦ διδομένου καὶ τῶν
διδόντων.

donum[66-69], » istud loquendi genus agnoscant, cujus illud exemplum est : « In exspoliatione corporis carnis[80]. » Quemadmodum enim corpus carnis nihil aliud est quam caro; sic nec donum Spiritus sancti aliud quicquam est quam Spiritus sanctus. In tantum igitur Dei donum est, in quantum datur, iis quibus datur. Penes se vero Deus est, etsi nemini detur. Nam Deus erat Patri Filioque coæternus, antequam ulli daretur. Sed neque quod alii detur, ac ipse detur, illis minor est. Sic enim datur tanquam Dei donum, ut et ipse seipsum det ut Deus. Non enim dici potest, non esse eum sui juris ac potestatis de quo dictum est : « Spiritus ubi vult spirat[81] ; » et apud Apostolum, cujus jam superius meminimus : « Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult[82]. » Neque ibi subjectio est ejus qui datur, et dominatus eorum qui dant; sed ejus qui datur, dantiumque concordia.

Καὶ ἵνα μή τις εἴπῃ, ὅτι τοῦτον τὸν τρόπον εἴρηται, « Ὁ Θεὸς Ἀγάπη ἐστί, » καθ' ὃν εἴρηται, « Σὺ εἶ ἡ ὑπομονή μου· » καὶ, « Ἡ ἐλπίς μου, » φησίν, « ἐν τοῖς αὐτοῖς· » οὐκ ἐροῦμεν ὅτι « ὁ Θεὸς Ἀγάπη » εἴρηται, διότι οὐκ ἔστιν ἡ οὐσία ἐκείνη Ἀγάπη, ἥτις ἐστὶν ἀξία τοῦ ὀνόματος τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ διότι δῶρόν ἐστι τοῦ Θεοῦ ἡ Ἀγάπη, ὥσπερ εἴρηται πρὸς τὸν Θεόν, « Ὅτι σὺ εἶ ἡ ὑπομονή μου. » Οὐ γὰρ πάντως διὰ ταῦτα εἴρηται ὅτι τοῦ Θεοῦ ἐστιν οὐσία ἡ ἡμετέρα ὑπομονή· ἀλλ' ὅτι παρ' αὐτοῦ ἡμῖν ἐστιν, C
ὥσπερ καὶ ἀλλαχοῦ ἀναγινώσκομεν, « Ὅτι παρ' αὐτοῦ ἡ ὑπομονή μου. » Ταύτην γὰρ τὴν ἔννοιαν ῥᾳδίως ἀποκρούεται ἡ τῶν Γραφῶν ὁμιλία. Τοιοῦτον γάρ ἐστι τὸ, « Σὺ εἶ ἡ ὑπομονή μου, » ὁποῖόν ἐστι τὸ, « Κύριε ἡ ἐλπίς μου· » καὶ, « Ὁ Θεός μου τὸ ἔλεός μου· » καὶ πολλὰ παραπλήσια. Οὐκ εἴρηται δὲ, Ὅτι ὁ Θεὸς ἡ ἀγάπη μου, ἢ, Σὺ εἶ ἡ ἀγάπη μου· ἀλλ' οὕτως εἰρημένον ἐστίν, « Ὁ Θεὸς Ἀγάπη ἐστίν· » ὥσπερ εἴρηται, « Ὁ Θεὸς τὸ Πνεῦμά ἐστιν. » Ὁ δὲ τοῦτο μὴ διακρίνων νόησιν παρὰ Κυρίου, ἀλλὰ μὴ ἐξήγησιν παρ' ἡμῶν ζητείτω. Οὐδὲ γὰρ καθαρώτερόν τι λέγειν δυνάμεθα.

Ac, ne quis dicat, ad eum modum dictum esse « Deus charitas est[83], » quo dictum est, « Tu es patientia mea[84] ; » et, « Spes mea, inquit, in eis[85] ; » dicemus, non sic dictum esse, « Deus est charitas, » quod non sit essentia illa charitas, quæ digna est ut Deus nuncupetur, sed quod charitas Dei donum sit, quemadmodum dictum est ad Deum : « Quia tu es patientia mea[86]. » Non enim prorsus inde dictum est, quod Dei substantia, nostra patientia sit, sed quod ab ipso illa nobis proveniat, uti etiam alio loco legimus, « Quia ab ipso patientia mea[87]. » Hunc enim sensum facile refellit Scripturarum locutio. Idem enim est : « Tu es patientia mea[88], » cujusmodi est, « Domine, spes mea.[89] » Et, « Deus meus, misericordia mea[90], » aliaque plura similia. Non autem dictum est, Deus mea Charitas est, aut, Tu es mea Charitas; sed ita, « Deus charitas est[91]; » quemadmodum dictum est, « Deus Spiritus est[92]. » Qui vero hoc non discernit, a Deo intelligentiam quærat, non ut res a nobis exponatur. Non enim aliquid clarius dicere possumus.

Δῆλον δὲ καὶ ὅτι τὰ παρὰ τῆς Γραφῆς ἀποδιδόμενα τῷ Υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι μαρτυροῦσι D
τοῖς εἰρημένοις λόγοις περὶ τοῦ ἐν τῷ Θεῷ Λόγου καὶ τῆς Ἀγάπης, ὅτι οἰκείως ἀποδίδονται. Φανερὸν γὰρ ἐκ τῶν προειρημένων ὅτι ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ Λόγος ἐστὶν αὐτοῦ, καὶ ὥσπερ τις τόκος τοῦ Θεοῦ ἑαυτὸν νοοῦντος. Ἕπεται τοίνυν αὐτὸν τὸν τοῦ Θεοῦ Λόγον, ὥσπερ σοφῶς τῷ θείῳ Νῷ συλληφθέντα ἢ γεννηθέντα, Σοφίαν λέγεσθαι. Ὁ γὰρ ἔνδον λόγος τὸ τῆς σοφίας εἰωθὸς λαμβάνειν ὄνομα, ὃν τρόπον καὶ αἱ ἐνέργειαι καὶ τὰ εἴδη τοῖς ὀνόμασι τῶν ἕξεων, ἀφ' ὧν προῆσιν, ὀνομάζονται. Τὸ γὰρ δικαίως γινόμενον δικαιοσύνη πολλάκις λέγεται· καὶ

Liquet vero etiam, quæ abs Scriptura Filio tribuuntur et Spiritui sancto, fidem astruere his quæ dicta sunt de Verbo, quod est in Deo, et de Charitate; quod nimirum hæc illis convenienter assignentur. Manifestum enim est ex iis quæ jam in superioribus dicta sunt, Dei Filium illius esse Verbum, ac velut Dei Prolem, intelligentis seipsum. Sequitur igitur ipsum Dei Verbum, velut a divina sapienter Mente conceptum genitumque, Sapientiam vocari. Quod enim verbum in animo repositum est, sapientiæ nomen solet sibi vindicare, sicut etiam operationes ac species, habituum fere nomina mutuantur, ex quibus procedunt. Quod enim juste fit, justitia pl-

[66-69] Act. II, 38. [80] Coloss. II, 11. [81] Joan. III, 8. [82] I Cor. XII, 11. [83] I Joan. IV, 8. [84] Psal. LXX, 5. [85] Psal. CXLI, 6. [86] Psal. LXI, 6. [87] Psal. LVIII, 18. [88] Psal. LXX, 5. [89] Psal. LVIII, 18. [90] Ibid. [91] I Joan. IV, 8. [92] Joan. IV, 24.

Digitized by Google

rumque nuncupatur : quodque viriliter ac fortiter, fortitudo : ac universim, virtus, quæ honeste fiunt exque virtutis ratione. Secundum hunc itaque modum, etiam quod sapienter intelligitur, sapientia cujusdam nuncupatur. Hincque adeo Apostolus : «Christum Dei Sapientiam» appellat[65], Sapientiam itaque in Deo dicamus necesse est, quatenus seipsum cognoscit, sed per suam duntaxat essentiam : «Deus enim, inquit, ipse seipsum ex beata sua essentia cognoscit;» Dei Sapientiam habitum esse impossibile est ; sed est ejus essentia. Neque enim res patitur, aliquid non vere exsistens, aut accidens in Deo dici. Ipsum porro in Deo conceptum Sapientiæ Verbum, ejus qui intelligit Sapientiæ manifestatio exsistit, uti se res habet in nobis, apud quos habitus omnes manifestantur per actus. Necesse enim est ut velut per obscura quædam exempla, ex humanis rebus ad Deum subvehamur.

Quia igitur sapientia etiam lux appellatur, in quantum in clara scientiæ operatione actuque consistit ; lucis vero manifestatio, ejus splendor est, et ex illa procedit, etiam divinæ sapientiæ Verbum convenienter lucis splendor nominatur quemadmodum Apostolus de Filio dicit : « Qui cum sit splendor gloriæ [66]. » Unde etiam Filius, Patris manifestationem sibi ipse tribuit dicens : « Pater, manifestavi nomen tuum hominibus [67]. » Quæ etiam in creaturam dona sunt ac effecta, inveniet quis Filio ac Spiritui sancto a divina Scriptura adscribi ; alteri quidem, ea ratione qua Verbum est ; alteri, qua Dilectio et Charitas exsistit.

Hoc enimvero manifestum est, per ea munera quæ hominibus a Deo tribuuntur, hoc nos nancisci, ut similitudinem cum eo ineamus. Illis enim perfecti, ad Deum, qui perfectissimus est, accedimus. Quæ igitur sapientiæ exsistunt et quæ veritatis, ac potissimum quæcumque fidei hærent documenta et contemplationes, convenientius quis in Dei Verbum ejusque Sapientiam referat. Omnes enim hominum sermones rationesque, sapientiæ item ac veritates, primi illius sermonis ac rationis Verbique et Sapientiæ imagines sunt, fixaque in Deo habent sua exemplaria. Unde etiam Scriptura rerum formationem ac distinctionem Dei Verbo tribuit, dicendo cuncta per ipsum sapienter condita esse [68]. Id vero est, non quin « Omne donum perfectum de supernis sit, descendens a Patre luminum [69] » (omnia, enim illius per Verbum et in Spiritu sunt), sed quod diversa donorum genera, majorem quandam affinitatem cum diversis personarum proprietatibus videntur habere. Etenim sapientiæ sermo, quo Deum cognoscimus, a Deo nobis contraditur, cum proprium sit repræsentans Filium. Similiter vero etiam charitas, qua Deum diligimus, peculiariter propriequе repræsentat Spiritum sanctum. Sicque adeo quæ in nobis est charitas, quanquam effectus est Patris et Filii et Spiritus sancti, propria ta-

A τὸ ἀνδρείως ἀνδρία· καὶ καθ' ὅλου τὸ κατ' ἀρετὴν ἀρετή. Κατὰ τοῦτον τοίνυν τὸν τρόπον καὶ τὸ σοφῶς νοούμενον σοφία τινὸς λέγεται. Ὅθεν ὁ Ἀπόστολος « τὸν Χριστὸν Θεοῦ Σοφίαν ὀνομάζει. » Σοφίαν μὲν οὖν ἐπὶ Θεοῦ λέγεσθαι ἀνάγκη, καθὸ ἑαυτὸν γινώσκει· ἀλλ' ἐπεὶ ἑαυτὸν οὐ δι' ἑτέρου εἴδους γινώσκει, ἀλλὰ διὰ μόνης τῆς ἑαυτοῦ οὐσίας. « Ὁ γὰρ Θεὸς, » φησὶν, « αὐτὸς ἑαυτὸν γινώσκει ἐκ τῆς μακαρίας οὐσίας αὐτοῦ· » τὴν τοῦ Θεοῦ Σοφίαν ἕξιν εἶναι ἀδύνατον· ἀλλ' ἔστιν ἡ οὐσία αὐτοῦ. Οὐδὲ γὰρ ἀνυπόστατόν τι ἢ συμβεβηκὸς ἐνδέχεται λέγειν ἐν αὐτῷ. Αὐτὸς δὲ, ὁ τῆς Σοφίας Λόγος ἐν τῷ Θεῷ συλληφθεὶς φανέρωσίς τίς ἐστι τῆς τοῦ νοοῦντος Σοφίας· ὥσπερ καὶ αἱ ἐν ἡμῖν πᾶσαι ἕξεις διὰ τῶν ἐνεργειῶν φανεροῦνται. Δεῖ γὰρ ἀπὸ τῶν καθ' ἡμᾶς B πραγμάτων, ὡς δι' ὑποδειγμάτων ἀμυδρῶν, ἐπὶ τὸν Θεὸν ἀνάγεσθαι.

Ἐπεὶ οὖν καὶ φῶς λέγεται ἡ Σοφία, καθόσον ἐν καθαρᾷ γνώσεως ἐνεργείᾳ συνίσταται· ἡ δὲ τοῦ φωτὸς φανέρωσις ἀπαύγασμά ἐστιν αὐτοῦ καὶ ἐξ αὐτοῦ πρόεισι, καὶ ὁ τῆς θείας Σοφίας Λόγος οἰκείως ἀπαύγασμα φωτὸς ὀνομάζεται, καθὼς ὁ Ἀπόστολος περὶ τοῦ Υἱοῦ φησιν, « Ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης. » Ὅθεν καὶ ὁ Υἱὸς τοῦ Πατρὸς τὴν φανέρωσιν ἑαυτῷ ἐπιγράφει, λέγων, « Πάτερ, ἐφανέρωσά σου τὸ ὄνομα τοῖς ἀνθρώποις. » Καὶ τὰ πρὸς τὴν κτίσιν δὲ γινόμενα χαρίσματα καὶ ἀποτελέσματα εὑρήσει τις ἀνατιθέμενα παρὰ τῆς Γραφῆς τῷ Υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ C Πνεύματι· τῷ μὲν ὡς Λόγῳ, τῷ δὲ ὡς Ἀγάπῃ.

Τοῦτο μὲν γὰρ δῆλον, ὅτι διὰ τῶν παρὰ Θεοῦ τοῖς ἀνθρώποις διδομένων χαρίτων ἡ πρὸς ἐκεῖνον ὁμοίωσις ἡμῖν περιγίνεται. Ταύταις γὰρ τελειούμενοι, τῷ τελειοτάτῳ Θεῷ προσχωροῦμεν. Τὰ μὲν οὖν τῆς σοφίας καὶ ἀληθείας, καὶ μάλιστα ὅσα θεογνωσίας ἔχεται θεωρήματα, οἰκειότερον ἄν τις ἐπὶ τὸν τοῦ Θεοῦ Λόγον καὶ τὴν αὐτοῦ Σοφίαν ἀνάγοι. Τοῦ γὰρ πρώτου Λόγου καὶ τῆς ἐκεῖ Σοφίας πάντες οἱ τῶν ἀνθρώπων λόγοι, σοφίαι τε καὶ ἀλήθειαι, εἰκόνες εἰσὶ, καὶ ἐκεῖ τούτων ἵδρυται τὸ παράδειγμα. Διὸ καὶ ἡ Γραφὴ τὴν εἰδοποίησιν τῶν ὄντων τῷ τοῦ Θεοῦ Λόγῳ ἀνατίθησι, πάντα δι' αὐτοῦ λέγουσα σοφῶς δημιουργηθῆναι. Τοῦτο δέ ἐστιν, οὐχ ὅτι μὴ « Πᾶν δώρημα τέ- D λειον ἄνωθέν ἐστι, καταβαῖνον ἐκ τοῦ Πατρὸς τῶν φώτων » (πάντα γὰρ ἐκείνου διὰ Λόγου καὶ ἐν τῷ Πνεύματι), ἀλλ' ὅτι τὰ τῶν δωρεῶν διάφορα εἴδη τοῖς διαφόροις τῶν προσώπων ἰδιώμασιν οἰκειότερόν πως ἔχειν δοκεῖ. Ὁ μὲν γὰρ τῆς σοφίας λόγος, δι' οὗ τὸν Θεὸν γινώσκομεν, παρὰ Θεοῦ ἡμῖν δίδοται, ἴδιον παραστατικὸν ὂν τοῦ Υἱοῦ· ὁμοίως δὲ καὶ ἡ ἀγάπη, ᾗ τὸν Θεὸν ἀγαπῶμεν, ἰδίως ἐστὶ παραστατικὸν τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Οὕτως ἡ ἐν ἡμῖν ἀγάπη, εἰ καὶ ἀποτέλεσμά ἐστι τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ὅμως ἰδικῷ τινι λόγῳ διὰ τοῦ Πνεύματος ἁγίου λέγεται ἐν ἡμῖν εἶναι. Καὶ καθόλου ἡ ἀπὸ τῶν χαρισμάτων τελειότης, ὅτι διὰ ταύτης

[65] I Cor. I, 24. [66] Hebr. I, 3. [67] Joan. XVII, 6. [68] Joan, I, 3. [69] Jac. I, 17.

Digitized by Google

τῇ θείᾳ τελειότητι κατὰ τὸ δυνατὸν ὁμοιούμεθα, παρὰ Θεοῦ ἡμῖν δίδοσθαι λέγεται· ὥσπερ σοφίαν ἡμῖν ὁ Θεὸς χαρίζεται, καθόσον τῇ θείᾳ σοφίᾳ ὡς δυνατὸν ὁμοιούμεθα. Καὶ Πνεῦμα ἅγιον δίδοσθαι λέγεται, καθόσον τὸν Θεὸν ἀγαπῶντες, τῇ Ἀγάπῃ ὁμοιούμεθα (τῷ ἁγίῳ Πνεύματι δηλονότι)· ὃ κατὰ τὸν τῆς ἀγάπης πρόεισι τρόπον, ᾗ ὁ Θεὸς ἑαυτὸν ἀγαπᾷ, ὡς Αὐγουστῖνος φησίν.

men ac peculiari ratione in nobis esse dicitur per Spiritum sanctum. Universimque, quam ex donis perfectionem adipiscimur, quod per eam, quoad licet, divinæ perfectioni similes reddimur, a Deo nobis tribui dicitur. Quemadmodum sapientiam nobis Deus tribuit, in quantum divinæ Sapientiæ, quoad ejus fieri potest, similes reddimur. Itemque Spiritum sanctum dare dicitur, in quantum dilegendo Deum, dilectioni seu charitati (nimirum Spiritui sancto) similes efficimur : qui videlicet secundum dilectionis modum procedit qua Deus diligit seipsum, ut Augustinus loquitur.

Ὅπερ οὖν εἴρηται, τὰ μὲν τοῦ λόγου καὶ τῆς σοφίας χαρίσματα ἐπὶ τὸν πρῶτον Λόγον καὶ τὴν θείαν Σοφίαν ἀνενεκτέον· τὰ δὲ τῆς ἀγάπης ἔργα τῷ ἁγίῳ Πνεύματι προσκρμοζόμενα δείκνυνται. Αὐτίκα τὸν Θεὸν ἀγαπᾷν πάντων τῶν θείων δώρων ὁ Παῦλος προτίθησι. « Τὰ μὲν γὰρ ἄλλα, » φάσκει, « ἔστιν ὅτε καταργηθήσονται· ἡ ἀγάπη δὲ, » φησὶν, « οὐδέποτε ἐκπίπτει· » καὶ ἦν τοὺς μὴ κεκτημένους, κἂν ταῖς τῶν ἀγγέλων καὶ τῶν ἀνθρώπων γλώσσαις λαλῶσιν, χαλκὸν ἢ κύμβαλον ἀλαλάζον εἶναι φησί. Ταύτης τοίνυν τῆς οὕτω περιφανοῦς δωρεᾶς μόνην εὐλόγως τὴν θείαν Ἀγάπην αἰτιατέον, ἀφ' ἧς αἱ ψυχαὶ πρὸς τὸν θεῖον ἐξάπτονται ἔρωτα. Τὰ γὰρ μετὰ τὸν πρῶτον παρὰ τοῦ πρώτου, ὥστε καὶ πᾶν ὅσον ἂν ᾖ παρ' ἡμῖν θείας ἀγάπης, τῆς πρώτης Ἀγάπης εἰκότως ἔργον εἶναι πιστεύοιτο. Ἀλλὰ ταύτην τὴν τῷ Θεῷ τοὺς ἀνθρώπους συνδέουσαν χάριν ὁ Παῦλος τῷ ἁγίῳ Πνεύματι ἀποδέδωκεν. « Ἡ ἀγάπη γὰρ, » φησὶ, « τοῦ Θεοῦ ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν. » Καὶ δυνάμενος ὅλην τὴν θεότητα τῆς ἀφθονίας ταύτης αἰτίαν εἰπεῖν, ἰδιαίτερόν πως τῷ ἁγίῳ Πνεύματι ταύτην ἀπένειμε, προσθείς, « διὰ Πνεύματος ἁγίου τοῦ δοθέντος ἡμῖν, ἐπὶ τὴν θείαν Ἀγάπην ὡς πρώτην καὶ αἰτίαν, τὴν παρ' ἡμῖν ἀναφέρων ἀγάπην, ἣν εἴρηκε διὰ τοῦ Πνεύματος ἐκκεχύσθαι.

Ut itaque dictum est, rationis verbique dona et sapientiæ, primæ rationi, Verboque ac divinæ Sapientiæ ascribenda sunt : dilectionis vero opera et charitatis, Spiritui sancto adaptari noscuntur. Denique Paulus Dei dilectionem donis omnibus anteponit. « Reliqua, enim, inquit, quandoque evacuabuntur : at Charitas, inquit, nunquam excidit [67]. » Ac qui eam non adeptus sit, etiamsi linguis angelorum loquatur et hominum, factus est velut æs aut cymbalum tinniens. Hujus sic illustris doni, nulla alia convenienter causa assignanda est, quam divina dilectio ac charitas, qua animi in divinum amorem accenduntur. Quæ enim post primum sunt, a primo sunt. Quamobrem etiam quicquid in nobis divinæ charitatis est, primæ merito Charitatis opus esse credatur. Verum, quæ sic Deo homines conjungat, gratiam hanc, Paulus tribuit Spiritui sancto ; « charitas enim Dei, inquit, effusa est in cordibus nostris [68]. » Cumque liceret totam Deitatem hujusce munificentiæ auctorem dicere, peculiarius quodammodo eam tribuit Spiritui sancto, addendo : « Per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. » Nempe ad divinam charitatem ut primam ac auctorem referens, quæ in nobis charitas est, quam per Spiritum dixit effusam esse.

Ἀλλὰ καὶ τὴν ἐνοίκησιν τοῦ Θεοῦ, καὶ αὐτὴν ἡμῶν ἐν ἐκείνῳ, ὃ δὴ μέγιστον τῆς ἀνθρωπίνης μακαριότητος, τίνος; ἂν τις μᾶλλον ἢ τῆς ἀγάπης ἔργον φήσειεν εἶναι, ἧς ἔστιν ἀλλήλοις ἐνοικίζειν τοὺς ἀλλήλων ἐρῶντας; Ἀλλὰ καὶ τούτου τὴν αἰτίαν, ὡς εἴπομεν, ἐπὶ τὸ θεῖον Πνεῦμα ἡ Γραφὴ ἀνάγει. « Ἐν τούτῳ γὰρ, » φησὶ, « γινώσκομεν ὅτι αὐτὸς ἐν ἡμῖν μένει, ὅτι ἐκ τοῦ Πνεύματος αὐτοῦ ἔδωκεν ἡμῖν. » Ἐπεὶ δὲ ἐκ τῆς ἀγαθῆς θελήσεως, ἣν τι; περί τινα ἔχει καὶ τῆς ἀγάπης, συμβαίνει τοῦτον υἱοθετεῖν, ὥστ' ἐντεῦθεν τούτῳ τὴν τοῦ υἱοθετοῦντος κληρονομίαν ἀνήκειν, εἰκότως τῷ ἁγίῳ Πνεύματι ἡ τῶν υἱῶν εἰσποίησις ἀποδίδοται, ὡς φησιν ὁ Ἀπόστολος, « Ἐλάβετε Πνεῦμα υἱοθεσίας, ἐν ᾧ κράζομεν Ἀββᾶ ὁ Πατήρ. »

Sed et quod Deus in nobis habitet, nosque in illo (quæ maxima est hominis felicitas) cujus potius quam dilectionis ac charitatis opus esse dicamus, cujus est, ut eos qui amant, alios in aliis constituat? Quin et hujus quoque causam, ut diximus, Scriptura ad divinum Spiritum refert. Ait enim : « In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis. [69] » Quia vero ex bona voluntate, quam quis erga aliquem habet, contingit ut eum in filium adoptet, ut inde adoptantis hæreditas ad eum attineat; merito filiorum adoptio Spiritui sancto tribuitur, quemadmodum ait Apostolus : « Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater [70]. »

Ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ καταστῆναι τινὰ φίλον τινὸς πᾶσα ἀναιρεῖται ἔχθρα. Τοῦτο γὰρ τῇ φιλίᾳ ἐστὶν ἐναντίον· καὶ ὅτι τῶν ἁμαρτανομένων τοῖς φίλοις παρ' ἀλλήλων συγγνώμη δίδοται. Ἡ γὰρ φιλία καὶ ἡ ἀγάπη ποιεῖ τοὺς φίλους τοῖς φίλοις ἁμαρτάνουσι συγγινώσκειν. « Ἡ γὰρ ἀγάπη, » φησὶ, « πάντα στέγει, πάντα ὑπομένει. » Καὶ ὁ Παροιμιαστὴς,

Sed et inde quod quis alicujus amicus constituatur, quicquid inimicitiarum est, tollitur ; istud enim amicitiæ adversatur; quodque adeo amici alii aliis propense indulgeant, si quid deliquerint. Sic enim amicitia ac dilectio præstat, ut alii aliis utantur amici, ac faciles offensas remittant. « Charitas enim, inquit, omnia suffert, omnia sustinet [71]. »

[67] II Cor. XII, 31 et XIII, 8. [68] Rom. V, 5. [69] I Joan. IV, 13. [70] Rom. VIII, 15. [71] I Cor. XIII, 7.

Digitized by Google

Auctor quoque libri Proverbiorum : « Charitas operiet multitudinem peccatorum [72]. » Quia igitur per Spiritum sanctum amici Dei constituimur, consequens est ut et peccata per eum nobis dimittantur. Idcirco ait Dominus : « Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis [73]. » Iis quoque qui blasphemant in Spiritum sanctum, negatur venia peccatorum [74], ut quos deficiat, per quem delictorum venia hominibus præstatur.

Hinc etiam est, quod per Spiritum sanctum renovari et emundari, seu ablui dicamur, quemadmodum ait Propheta : « Emittes Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ [75]. » Sed et quod homines alii aliis velint secreta communia ac consilia, inde est, quod sint amici ac se diligant, quod et Christus his verbis declaravit : « Jam non dicam vos servos, sed amicos; quia omnia quæ audivi a Patre, retuli vobis [76] : » velut idem sit amicum esse et adhibere arcanorum socium. Quia igitur Spiritus sancti munere, per quem Charitas Dei effusa est in cordibus nostris, amici Dei constituimur, convenienter ait Scriptura per Spiritum sanctum revelari hominibus divina mysteria. Paulus enim ubi dixerat : « Scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus his, qui diligunt eum ; » subjungit : « Nobis autem revelavit Deus per Spiritum sanctum [77]. » Et hoc igitur argumentum est, quæ ex Deo est, charitatem ipsum esse Spiritum sanctum, cum per illum divina mysteria sanctis revelentur; quod omnes ubique charitatis opus esse norunt.

Quia vero etiam eorum quæ intus animo cogitantur, interpres est, quæ per linguam enuntiatio est, operæ pretium est, ut linguarum donum illi ascribamus, qui scientiam revelat mysteriorum. Atque id rursum ostendit ipse Christus. Martyrum enim ad reges et præsides pro fide responsionum instantiam ac solertiam, Spiritui sancto assignavit : « Non enim, inquit, vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. » Unde etiam in Symbolo scriptum est de Spiritu sancto : « Qui locutus est per Prophetas [78]. » Non solum autem ad amicitiæ propriæ jura spectat, ut qua affectione amicus unum amico efficitur, sua illi secreta detegat ; verum exigit eadem unitas, ut inter amicos sit rerum communio ac societas. Cum enim homo, alium se, amicum habeat, necesse est ut velut sibi, illi opituletur, qua ratione suis eum facultatibus impertitur. Quamobrem etiam proprium est amicitiæ bonum, ut bonum amico velit, ac ei benefaciat. Unde et Joannes Evangelista ait : « Qui habet substantiam mundi hujus, et videt

A « Ἡ ἀγάπη καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν. » Ἐπεὶ τοίνυν διὰ τοῦ ἁγίου Πνεύματος φίλοι τοῦ Θεοῦ καθιστάμεθα, ἑπόμενόν ἐστι καὶ δι' αὐτοῦ ἡμῖν τὰς ἁμαρτίας ἀφίεσθαι· καὶ διὰ τοῦτο φησὶν ὁ Κύριος, « Λάβετε Πνεῦμα ἅγιον· ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται αὐτοῖς· » καὶ ὅτι τοῖς βλασφημοῦσι εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἡ τῶν ἁμαρτιῶν ἄφεσις ἀπείρηται, ὡς ἂν οὐκ ἔχουσιν ἐκεῖνο, δι' οὗ τῆς τῶν ἁμαρτιῶν ἀφέσεως τυγχάνει ὁ ἄνθρωπος.

Ἐντεῦθέν ἐστι καὶ τὸ διὰ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἡμᾶς ἀνακαινίζεσθαι λέγεσθαι καὶ καθαίρεσθαι ἢ ἀπολούεσθαι, ὡς ὁ Προφήτης, « Ἐξαποστελεῖς τὸ Πνεῦμά σου, καὶ κτισθήσονται, καὶ ἀνακαινιεῖς τὸ πρόσωπον τῆς γῆς. » Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ οἱ ἄνθρωποι B κοινωνοῦσιν ἀλλήλοις ὧν ἔχουσιν ἀπορρήτων διὰ φιλίαν καὶ ἀγάπην, ὃ καὶ ὁ Χριστὸς ἐδήλωσεν, εἰπών, « Οὐκέτι ὑμᾶς καλῶ δούλους, ἀλλὰ φίλους· ἐπεὶ πάντα ἃ ἤκουσα παρὰ τοῦ Πατρός μου ἀνήγγειλα (50) ὑμῖν· » ὡς ταύτ' ἄνθρωπον φίλον τε εἶναι καὶ κοινωνὸν ἀπορρήτων. Ἐπεὶ οὖν διὰ Πνεύματος ἁγίου, δι' οὗ ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, φίλοι Θεοῦ καθιστάμεθα, εἰκότως διὰ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἡ Γραφὴ λέγει τὰ θεῖα μυστήρια τοῖς ἀνθρώποις ἀποκαλύπτεσθαι. Εἰπὼν γὰρ ὁ Παῦλος, « Γέγραπται ὅτι ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσεν, ἃ ἡτοίμασεν ὁ Θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν, » ἐπάγει, « Ἡμῖν δὲ ἀπεκάλυψεν ὁ Θεὸς διὰ Πνεύματος ἁγίου. » Καὶ τοῦτο οὖν μαρτύριον τοῦ τὴν C ἐκ τοῦ Θεοῦ Ἀγάπην αὐτὴ εἶναι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, εἴπερ διὰ τούτου τοῖς ἁγίοις ἀποκαλύπτεται τὰ θεῖα μυστήρια· ὃ πανταχοῦ πάντες ἀγάπης ἔργον ἴσασιν ὄν.

Ἐπεὶ δὲ καὶ τῶν ἔνδον νοουμένων ἑρμηνευτικόν ἐστιν ἡ διὰ γλώττης ἀπαγγελία, προσήκει τῷ τὴν γνῶσιν τῶν μυστηρίων ἀποκαλύπτοντι καὶ τὸ τῶν γλωσσῶν χάρισμα λογισθῆναι. Καὶ τοῦτο πάλιν αὐτὸς ἔδειξεν ὁ Χριστός. Τὰς γὰρ τῶν μαρτύρων πρὸς τοὺς βασιλεῖς καὶ ἡγεμόνας ὑπὲρ τῆς πίστεως ἐνστάσεις καὶ διαλέξεις τῷ ἁγίῳ Πνεύματι ἀποδέδωκεν. « Οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες, » φησὶν, « ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν. » Ὅθεν καὶ ἐν τῷ συμβόλῳ γέγραπται περὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, « Τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προ- D φητῶν. » Οὐ μόνον δὲ τὸ τὰ ἀπόῤῥητα ἑαυτοῦ τῷ φίλῳ ἀποκαλύπτειν ἴδιόν ἐστι φιλίας διὰ τὴν τῆς διαθέσεως ἑνότητα, ἀλλ' ἡ αὐτὴ ἑνότης ἀπαιτεῖ τὸ κοινωνεῖν τῶν ὄντων τοῖς φίλοις. Ἐπεὶ γὰρ ὁ ἄνθρωπος ἄλλον ἑαυτὸν ἔχει τὸν φίλον, ἀνάγκη βοηθεῖν αὐτῷ ὡς ἑαυτῷ, τῷ τῶν ὄντων κοινωνεῖν. Ὅθεν καὶ τοῦτο ἴδιόν ἐστι τῆς φιλίας ἀγαθὸν, τῷ φίλῳ βούλεσθαι ἀγαθὸν καὶ ποιεῖν. Διὸ καὶ φησὶν ὁ Εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης, « Ὁ ἔχων τὴν οὐσίαν τοῦ κόσμου τούτου (51), καὶ βλέπων τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ἀνάγκην

[72] Prov. x, 12. [73] Joan. xx, 22. [74] Matth. xii, 31. [75] Psal. ciii, 30. [76] Joan. xv, 15. [77] I Cor. ii, 9. [78] Matth. x, 20.

(50) Vulg. ἐγνώρισα, nota feci.
(51) *Τὴν οὐσίαν τοῦ κόσμου τούτου.* Graeca Vulg. τὸν βίον τοῦ κόσμου· aliaque sic variata, ut liqueat Calecam citasse ut memoriæ occurrebat,

Digitized by Google

ἔχοντα, καὶ κλείων τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ ἀπ' αὐτοῦ, πῶς ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ μενεῖ ἐν αὐτῷ; » Τοῦτο δὲ ἐπὶ τοῦ Θεοῦ μάλιστα τόπον ἔχει, οὗ τὸ βούλεσθαι ἐνεργέστατον πρὸς τὸ ποιεῖν· καὶ διὰ τοῦτο εἰκότως πάντα τὰ τοῦ Θεοῦ χαρίσματα διὰ Πνεύματος ἁγίου λέγονται δίδοσθαι, ὡς ὁ Ἀπόστολος φησί· « Δίδοται διὰ Πνεύματος λόγος σοφίας· ἄλλῳ δὲ λόγος γνώσεως κατὰ τὸ αὐτὸ Πνεῦμα. » Καὶ μετὰ ταῦτα πολλῶν ἀπαριθμηθέντων, « Ταῦτα πάντα, » φησὶν, « ἐνεργεῖ τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ Πνεῦμα, διαιροῦν ἑκάστῳ καθὼς βούλεται. »

A fratrem suum necessitatem habere, claudique viscera sua ab eo, quomodo manebit charitas Dei in illo [79]? » Idque in Deo maxime locum habet, cujus velle ut faciat efficacissimum est. Eamque ob rem haud immerito a Deo omnia dona dari dicuntur per Spiritum sanctum, uti Apostolus ait : « Datur per Spiritum sermo sapientiæ; alii vero sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum [80]. » Posteaque multis enumeratis : « Hæc omnia, inquit, operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult [81]. »

Καὶ τοῦτο δὲ ὑπερβαλλούσης ἀγάπης τεκμήριον, τὸ ζητεῖν τοῖς φίλοις ὁμοῦ διατρίβειν τὸν φίλον· καὶ αὐτοὺς χαίρειν ἐν ταῖς κοιναῖς συνουσίαις· καὶ ὅλως οὐκ ἀνέχεσθαι χωριζομένους ἀλλήλων. Ἡ δὲ μετὰ τοῦ Θεοῦ τῶν ἀνθρώπων διατριβὴ διὰ τῆς αὐτοῦ περιγίνεται θεωρίας, ὡς φησιν ὁ Ἀπόστολος, « Ἡμῶν τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει. » Ἐπεὶ τοίνυν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐραστὰς ἡμᾶς ποιεῖ τοῦ Θεοῦ, εἰκότως δι' αὐτοῦ καὶ θεωροὶ τοῦ Θεοῦ καθιστάμεθα. Ὅθεν ὁ αὐτὸς φησιν, « Ἡμεῖς δὲ πάντες ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ τὴν δόξαν τοῦ Κυρίου κατοπτριζόμενοι, εἰς τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, καθάπερ ἀπὸ Κυρίου Πνεύματος. »

Quin hoc quoque eximiæ charitatis certum indicium est, ut amicus cum amico versari quærat, ac mutuo delectentur congressu, nec prorsus alius ab alio separari sustineat. Quod autem homines cum Deo versentur, per illius obtingit contemplationem, sicut ait Apostolus : « Nostra autem conversatio in cœlis est [82]. » Quia ergo Spiritus sanctus præstat ut Dei amatores simus, merito per eum etiam hoc nanciscimur, ut Deum contemplemur. Unde ait idem Apostolus : Nos autem revelata facie, gloriam Domini quasi ex speculo repræsentantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, quasi a Domini Spiritu [83]. »

Ἔστι δὲ φιλίας ἴδιον τὸ καὶ ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ φίλου χαίρειν τὸν φίλον, καὶ τοῖς αὐτοῦ ἔργοις καὶ λόγοις ἥδεσθαι· παρ' αὐτοῦ τε παραμυθίαν πρὸς πάσας τὰς δυσχερείας εὑρίσκειν. Ὅθεν ἐν ταῖς λύπαις παραμυθίας ἕνεκα πρὸς τοὺς φίλους μάλιστα καταφεύγομεν. Ἐπεὶ τοίνυν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον φίλους ἡμᾶς καθίστησι τοῦ Θεοῦ, καὶ αὐτὸν ἐν ἡμῖν καὶ ἡμᾶς ἐν αὐτῷ ποιεῖ κατοικεῖν, ὡς προαποδέδεικται· εἰκός ἐστι δι' αὐτοῦ εὐφροσύνην ἡμᾶς καὶ παράκλησιν λαμβάνειν παρὰ Θεοῦ πρὸς πάσας τὰς ἐκ τοῦ κόσμου δυσκολίας καὶ μάχας. Ὅθεν καὶ ὁ Ψαλμῳδὸς λέγει, « Ἀπόδος μοι τὴν ἀγαλλίασιν τοῦ σωτηρίου σου, καὶ Πνεύματι ἡγεμονικῷ στήριξόν με. » Καὶ ὁ Ἀπόστολος, « Ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνη καὶ εἰρήνη καὶ χαρὰ ἐν Πνεύματι ἁγίῳ. » Καὶ ἐν ταῖς Πράξεσι τῶν ἀποστόλων λέγεται περὶ τῆς Ἐκκλησίας, « Ὡκοδομεῖτο πορευομένη ἐν φόβῳ Θεοῦ, καὶ τῇ παρακλήσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐπληροῦτο. » Διὰ τοῦτο καὶ ὁ Κύριος τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον *Παράκλητον* ὀνομάζει.

Porro amicitiæ proprium est, ut et amicus amici præsentia gaudeat, ejusque et factis et dictis delectetur; atque ab eo, quicquid molesti acciderit, consolationem atque levamen inveniat. Hinc que adeo est, ut cum ægro animo sumus, ad amicos maxime, levandi mœroris causa confugiamus. Quia igitur Spiritus sanctus amicos Dei nos constituit, ipsumque in nobis, ac nos in illo habitare facit, ut in superioribus ostensum est, par est ut ejus munere lætitiam ac consolationem adversus sæculi molestias omnes pugnasque a Deo consequamur. Unde etiam ait Psalmista : « Redde mihi exsultationem salutaris tui, et Spiritu principali confirma me [84]. » Apostolus quoque : « Regnum Dei est justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto [85]. » Itemque in Actis apostolorum dicitur de Ecclesia : « Quod ædificabatur ambulans in timore Dei, et consolatione Spiritus sancti replebatur [86]. » Atque id causæ est cur et Dominus Spiritum sanctum vocet Consolatorem [87].

Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ μηδενὶ δεδουλῶσθαι καὶ ἡ ἐλευθερία ὡς μέγιστον ἀγαθὸν καὶ σπουδάζεται καὶ φιλεῖται. Οἱ γοῦν οὐ φόβῳ κολάσεως, ὥσπερ δοῦλοι, ἀλλὰ διὰ τὴν τοῦ Θεοῦ ἀγάπην καὶ φιλίαν ἐπιμελούμενοι ἀρέσκειν Θεῷ, οὗτοί εἰσι μόνιμοι, ἐλευθέρως καὶ ἑκουσίως πρὸς αὐτὸ διακείμενοι, ἀλλ' οὐχ ὑπ' ἀνάγκης ἢ βίας τάγαθὸν ὡς δοῦλοι πράττοντες. Καὶ εἰ τοιοῦτοι υἱοὶ καὶ φίλοι εἰσὶν ἄξιοι καλεῖσθαι τοῦ Θεοῦ. Ἡ γοῦν παντελὴς καὶ παντὸς δέους ἀπηλλαγμένη ἐλευθερία, ἐν ᾗ μάλιστα καὶ ἡ τῆς ἀρχαίας

Quin et nullius servitutis jugo premi atque libertas, tanquam maximum bonum et solicitis animis quæritur et adamatur. Qui ergo non supplicii metu, ut servi, sed divina charitate ac amore Deo placere student, hi constantiam tenent, qui libere ac sponte bono adhærcant, nec ulla necessitate aut vi, servorum more, illud exerceant. Ac qui ejusmodi sunt, æquum est ut filii ac amici Dei audiant. Plena ergo, omnique metu soluta libertas (in qua etiam maxime antiquæ imaginis ingenuitas

[79] I Joan. III, 17. [80] I Cor. XII, 8. [81] I Cor. XII, 11. [82] Philipp. III, 20. [83] II, Cor. III, 18. [84] Psal. L, 14. [85] Rom. XIV, 17. [86] Act. IX, 31. [87] Joan. XVI, 7.

non ipsa verba ut legerat. Sic sequenti auctoritate omissum τὸ, ἰδίᾳ, quod tamen aliis locis non omittit.

Digitized by Google

elucet) velut a divina Charitate, ab Spiritu sancto præbetur, his, qui per gratiam ut filii Dei sint et dicantur consecuti sunt : « Quicumque enim, inquit Paulus, Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei [88]. » « Et rursum : Ubi Spiritus Domini, ibi libertas [89]. » Et : « Si Spiritu ducimini, non estis sub lege [90]. »

Hinc est et quod Spiritus, carnis opera dicitur mortificare, quatenus per carnis libidines atque vitia a vero bono recedimus, ad quod nos Spiritus sanctus per Charitatem dirigit, uti Apostolus ad Romanos scribit, « Si Spiritu opera carnis mortificaveritis, vivetis [91]. » Multa vero etiam alia possit quis invenire, quibus opera Charitatis proprie Spiritui sancto accommodari monstretur ; ut inde palam fiat, Spiritum sanctum ex Deo procedere ut charitatem, quemadmodum Filius ut Verbum notitia, seu cum ambo ex divina mente et Patre exsistentiam habeant.

Atque hæc hactenus. Alius vero quidam sanctorum, hoc satagens, ut solum unionem ac distinctionem tantisper declararet, tres faces inter se æquales animo cogitavit, in una accensas domo. In ea namque trium lumen tanquam ex una, unum conspicimus; unaque sublata, ejus lumen illi comes sequitur, cum duo reliqua lumina secundum se nec quidquam minuantur neque augeantur. Liquet igitur tria hæc trium facium lumina, cum a nobis unum conspicerentur, secundum se discreta et non confusa exstitisse. Neque enim alioqui incommiste ac velut per se exsistens unum illud, posteaquam subductum est, cerneretur. Sic igitur etiam tres personas, ad essentiam quod attinet, unum cogitamus, quæ tamen, quibus illis incommistæ ac inconfusæ proprietates manent, inter se velut circuitu redire ac commeare intelligantur; etsi mens nostra, pro eo ac decet, non satis assequatur.

Magnus autem Basilius, ad eam rem declarandam arcum cœlestem assumit. Is cœlo pluvia rorante, aereque circumfluo, solisque radio ex obliquo nubium densitatem subeunte, ac tum orbem suum cuidam nubium directe defigente, conspicuus apparet. Quemadmodum enim arcus, cum unus ipse secundum aeris substantiam sit, multos in se repræsentat colores, eorumque palam distinctio nobis innotescit; quanquam alii ab aliis seorsim a nobis sensu percipi non possint, sed quodammodo et continuus et discretus est, ac pene sensum fallit, ut quod medium ex se commiscet discernitque distinctos in eo colores, dignosci non possit. Sic et in communi Deitatis essentia, insignientes proprietates elucent, cum, ad essentiam quod spectat, nulla in personis intelligatur distinctio; eaque omnis in proprietatibus solum-

εἰκόνος εὐγένεια καταφαίνεται, ὡς παρὰ θείας Ἀγάπης, τοῦ ἁγίου Πνεύματος, δίδονται τοῖς τῆς θείας υἱότητος κατὰ χάριν ἀξιωθεῖσιν. « Ὅσοι γάρ, » φησὶ Παῦλος, « Πνεύματι Θεοῦ ἄγονται, οὗτοί εἰσιν υἱοὶ Θεοῦ. » Καὶ πάλιν, « Ὅπου τὸ Πνεῦμα Κυρίου, ἐκεῖ ἐλευθερία. » Καί, « Εἰ Πνεύματι ἄγεσθε, οὐκ ἐστὲ ὑπὸ νόμον. »

Ἐντεῦθεν ἐστὶ τὸ καὶ τὰ τῆς σαρκὸς ἔργα θανατοῦν τὸ Πνεῦμα λέγεσθαι, καθότι διὰ τῶν παθῶν τῆς σαρκὸς ἀποχωροῦμεν ἐκ τοῦ ἀληθῶς ἀγαθοῦ, πρὸς ὃ δι' ἀγάπης ἡμᾶς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον τάττει, ὡς ὁ Ἀπόστολος πρὸς Ῥωμαίους, « Εἰ Πνεύματι τὰ ἔργα τῆς σαρκὸς ἐνεκρώσατε, ζήσεσθε. » Πολλὰ δ' ἂν τις εὕροι καὶ ἄλλα, δι' ὧν ἂν ἰδίως τῷ ἁγίῳ Πνεύματι προσαρμοζόμενα τὰ τῆς Ἀγάπης ἔργα δεικνύοιτο· ὡς δῆλον ἐντεῦθεν γίνεσθαι ὡς Ἀγάπην ἐκ Θεοῦ προϊέναι τὸ ἅγιον Πνεῦμα, ὥσπερ τὸν Υἱὸν ὡς Λόγον ἢ Νόησιν, ἀμφοτέρου; παρὰ τοῦ Θεοῦ Νοῦ καὶ Πατρὸς τὴν ὑπόστασιν ἔχοντας.

Ταῦτα δὲ ἐπιτοσοῦτον. Ἄλλος δὲ τῶν ἁγίων τὴν ἕνωσιν μόνην καὶ τὴν διάκρισιν μετρίως δηλῶσαι βουληθείς, τρεῖς λαμπάδας ἐνεθυμήθη ἀλλήλαις, ἁπτομένας ἐν ἑνὶ οἴκῳ. Καὶ γὰρ ἐν αὐτῷ τὸ φῶς τῶν τριῶν ὡς ἐκ μιᾶς ἓν ὁρῶμεν· καὶ μιᾶς αὐτῶν ὑπεξαιρουμένης, τὸ φῶς αὐτῆς αὐτῇ συνακολουθεῖ, τῶν περιλειπομένων δύο φώτων καθ' ἑαυτὰ μηδαμῇ μήτ' ἐλαττουμένων μήτ' αὐξομένων. Δῆλον οὖν ὅτι τὰ τρία ταῦτα τῶν τριῶν λαμπάδων φῶτα, ὅτε ἡμῖν ὡς ἓν ἐωρῶντο, καθ' ἑαυτὰ διακεκριμένα καὶ οὐ συγκεχυμένα ἦσαν. Οὐδὲ γὰρ ἂν ἀμιγῶς καὶ οἷον ἰδιοϋπόστατα ἐθεωρεῖτο τὸ ἓν μετὰ τὴν ὑφαίρεσιν. Οὕτως οὖν καὶ τὰ τρία πρόσωπα φανταζόμεθα ἓν μὲν εἶναι κατὰ τὴν οὐσίαν· ἀμιγεῖς δὲ ὅμως καὶ ἀσυγχύτους φυλάττειν τὰς ἰδιότητας, εἰς ἀλλήλας αὐτὰς τὰς ὑποστάσεις περιχωρούσας· εἰ καὶ περὶ τούτων ἡ διάνοια ἡμῶν οὐκ ἐξικνεῖται ὡς δεῖ.

Ὁ δὲ μέγας Βασίλειος εἰς δήλωσιν τοῦ τοιούτου (52) τὸ ἐν οὐρανῷ τόξον λαμβάνει, ὅπερ ὅταν ὄμβρος γένηται φαίνεται, ὑγρότητος περὶ τὸν ἀέρα συνισταμένης, καὶ τῆς τοῦ ἡλίου ἀκτῖνος κατὰ τὸ πλάγιον ὑποτρεχούσης τὴν πυκνότητα τῶν νεφῶν· εἶτα κατὰ τὸ εὐθὺ νέφει τινὶ τὸν κύκλον τὸν ἴδιον ἐπερειδομένης. Ὥσπερ γὰρ ἐκεῖνο ἓν μέν ἐστι κατὰ τὴν οὐσίαν τοῦ ἀέρος, πολλὰ δὲ ἐν αὐτῷ χρώματα φαίνονται, καὶ φανερῶς τὰς διαφορὰς τούτων διαγινώσκομεν· οὐ δυνατὸν δὲ τῇ αἰσθήσει καταλαβεῖν τὴν διάστασιν τοῦ ἑτέρου πρὸς τὸ ἕτερον· ἀλλά τρόπον τινὰ καὶ συνεχές ἐστι καὶ διαιρούμενον, τὴν αἴσθησιν ἡμῶν ὑποκλέπτον, ὡς μὴ διαγινώσκειν τὸν τοῦ διὰ μέσου τὸν μιγνύοντα δι' ἑαυτοῦ καὶ χωρίζοντα τὴν τῶν χροῶν ἑτερότητα· οὕτω καὶ ἐν τῇ κοινότητι τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ αἱ γνωριστικαὶ ἰδιότητες ἐπιλάμπουσι, κατὰ μὲν τὴν οὐσίαν οὐδαμοῦ ἐν ταῖς ὑποστάσεσι

[88] Rom. VIII, 13. [89] II Cor. III, 17. [90] Gal. V, 18. [91] Rom. VIII, 13.

(52) Epist. 43.

Digitized by Google

νοουμένης διαφορᾶς, κατὰ δὲ τὰς αὐτῶν ἰδιότητας μένον τῆς διαφορᾶς οὔσης· ὥστε καὶ τὸ συνημμένον ἐν τῇ οὐσίᾳ, καὶ τὸ κεχωρισμένον κατὰ τὰς ὑποστάσεις διδάσκεσθαι, εἰ καὶ, ὥσπερ ἐπὶ τοῦ τόξου, οὐ δυνάμεθα ἱκανῶς τῇ αἰσθήσει διακρῖναι τοῦ ἑτέρου τὸ ἕτερον· οὕτω κἀνταῦθα τὸ ἓν τοῦ ἑτέρου διεζευγμένον οὐκ ἔστι νοεῖν διὰ τὴν ἀκρυτάτην ἕνωσιν. Εἰ δὲ ἐπὶ τῶν καθ' ἡμᾶς οὐκ ἐξισχύει τὴν ἕνωσιν καὶ τὴν διάκρισιν τελείως καταλαβεῖν, πῶς οὐ πολλῷ μᾶλλον ἐπὶ τῆς ἁγίας Τριάδος τοῦ ἑνὸς Θεοῦ, τῆς ὑπὲρ πάντα καὶ πᾶσαν νόησιν ἀσυγκρίτως ἐξῃρημένης, ἡ τῶν λογισμῶν κατάληψις ἀδυνατήσει;

A modo versetur: ut et unionem in essentia, et discretionem in personis noverimus; quanquam sicut in arcu alterum ab altero haud satis discernere possumus; sic quoque hic, alterum ab altero disjunctum minime intelligatur, qua summa unione nectuntur. Sin autem in iis quæ humano usu didicimus, ipsa a nobis unio ac discretio haud satis percipitur; quomodo non longe potiori jure in sancta Trinitate unius Dei, quæ omnibus eminet, omnemque cogitationem incomparabilibus modis excedit, rationum comprehensio impossibilis erit?

ΚΕΦΑΛ. Ε'.

Περὶ τῆς σαρκώσεως τοῦ Θεοῦ Λόγου κατὰ τὰς θείας Γραφάς.

Τούτων δὲ θεωρηθέντων κατὰ τὴν τῆς Γραφῆς καὶ τῶν ἁγίων διδασκαλίαν, ἔτι πιστεύομεν καὶ ὁμολογοῦμεν ὅτι ὁ εἷς τῆς ἁγίας Τριάδος ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐπ' ἐσχάτων τῶν αἰώνων διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν ὑπερβαλλούσῃ φιλανθρωπίᾳ προσέλαβε τὸ σῶμα ἀνθρώπινον ἐκ τῆς ἁγίας Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, καὶ ἐγεννήθη ἐξ αὐτῆς ὡς ἄνθρωπος χωρὶς ἁμαρτίας, ὁ αὐτὸς ὢν Θεὸς τέλειος καὶ ἄνθρωπος τέλειος, ἐν μιᾷ ὑποστάσει δύο φύσεις ἔχων, καὶ δύο διάφορα θελήματα ταῖς φύσεσι κατάλληλα καὶ προσήκοντα· τὸ μὲν θεῖον δηλονότι, τὸ δὲ ἀνθρώπινον. Καὶ γὰρ ποτὲ μὲν ὡς Θεὸς ἐνήργει· ποτὲ δὲ ὡς ἄνθρωπος ἔπραττέ τε καὶ ἔπασχε. Τὸ μὲν γὰρ ἀνιστᾶν τοὺς νεκροὺς καὶ παραλύτους συσφίγγειν, καὶ τοὺς τυφλοὺς ὀμματοῦν, καὶ τὰ ὅμοια τούτοις ἐνεργεῖν, θεότητος ἦσαν καὶ ἀληθῆ Θεὸν αὐτὸν ἐμαρτύρουν· τὸ δὲ πεινῆν καὶ διψῆν καὶ κοπιᾶν, καὶ σταυρῷ παραδοθῆναι καὶ ταφῇ καὶ θανάτῳ, ταῦτα δήπουθεν ἀνθρώπινα ἦσαν, καὶ ἀληθῶς ἄνθρωπον αὐτὸν ἐμαρτύρουν

Ὅ δὴ μυστήριον, τὸ τὸν Θεὸν ἄνθρωπον γενέσθαι, τῶν ἐξ αἰῶνος ἀκουσθέντων θαυμάτων ἐστὶ θαυμασιώτερον, οὐδὲ γὰρ ἐν τῷ Χριστῷ μόνην μὲν ἀνθρωπίνην φύσιν ἡ καθολικὴ πίστις τῆς Ἐκκλησίας ὁμολογεῖ, τὴν δὲ θεότητα οὐ κατὰ φύσιν, ἀλλὰ κατὰ μετοχὴν ἐν αὐτῷ γενέσθαι, καθὼς ἐφρόνει Φωτεινὸς καὶ Παῦλος ὁ Σαμοσατεύς· οὐδ' ὅτι κατὰ φαντασίαν ὁ τοῦ Θεοῦ Υἱὸς ἐγένετο ἄνθρωπος, ὥσπερ ἐφρόνουν οἱ Μανιχαῖοι. Οὐδὲ διδάσκει ἡ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία ὅτι ὁ τοῦ Θεοῦ Υἱὸς εἰς ἀνθρωπίνην μελεδλήθη σάρκα, ὡς ὁ Ἀπολλινάριος ἔλεγεν· οὐδ' ὅτι μόνην μὲν ἀνέλαβε σάρκα· ἄψυχον μέντοι καὶ ἄλογον καὶ ἄνουν, ἀντὶ δὲ ψυχῆς μόνην αὐτῷ τὴν θεότητα γεγονέναι, ὥσπερ Ἄρειος περὶ Χριστοῦ καὶ τοῦτο ἐφρόνησε, καὶ Ἀπολλινάριος ἐλεγχόμενος ὑπὸ τῆς Γραφῆς, ὅτι οὐ μετεδλήθη ὁ τοῦ Θεοῦ Υἱὸς εἰς ἀνθρωπίνην σάρκα, καὶ μεταβαίνων εἰς τοῦτο, ὅτι ψυχὴν αἰσθητικὴν ἔλαβε μόνον, ἄνευ μέντοι διανοίας καὶ νοῦ, ἃ τῆς λογικῆς ψυχῆς ἐστιν ἴδια, ὡς καὶ τοῦτο Ἀπολλινάριος ἔλεγεν· οὐδ' ὅτι ἡ τοῦ Χριστοῦ ψυχὴ πρὸ τοῦ κόσμου ἐκτίσθη, ὡς Ὠριγένης καὶ τοῦτο ἐφρόνησεν.

Οὐδ' ὅτι ἀνθρωπίνη ψυχὴ καὶ σῶμα ἀνθρώπινον εἰς ἓν συνέστησαν ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ καθ' ὁμοιότητα

CAPUT V.

De Dei Verbi incarnatione juxta Scripturas.

B Iis ita consideratis juxta Scripturæ ac sanctorum doctrinam, adhuc credimus et confitemur, unum ex sancta Trinitate, Filium Dei, novissimis sæculis propter nostram salutem eximia sua clementia ac benignitate, humanum corpus assumpsisse ex sancta Dei Genitrice semperque Virgine Maria; exque ea natum absque peccato, eumdem Deum perfectum et hominem perfectum: duplici natura in una persona, duplicique distincta pro naturarum ratione illisque consentanea, voluntate præditum: altera quidem, nimirum divina: altera vero, humana. Quandoque enim operabatur ut Deus: quandoque vero ut homo agebat ac perpetiebatur. Nam mortuos quidem suscitare, et C paralyticos astringere, cæcisque oculos reparare, atque id genus opera præstare divinitatis erant, eumque verum Deum esse, certa argumenta: esurire vero et sitire et fessum esse, crucique et sepulturæ et morti fuisse traditum, hæc sane humana erant et quæ eum vere hominem proderent.

Hoc sane mysterium (Deum scilicet hominem esse factum) miraculorum quæ a sæculo audita sunt, omne vincit miraculum. Neque enim in Christo humanam solum naturam confitetur Ecclesiæ fides: Deitatem vero non natura, sed participatione in eo exstitisse, ut senserunt Photinus et Paulus Samosatenus: nec dumtaxat specie tenus et apparentia Dei Filium factum esse hominem, quod Manichæi senserunt. Nec docet Eccle- D sia Dei Filium in humanam conversum carnem, uti aiebat Apollinarius: neque solam eum assumpsisse carnem, inanimem tamen rationisque ac mentis expertem, ac cui loco animæ una Deitas exstitisset, quod ipsum Arius sensit de Christo: Apollinarius vero ex Scriptura convictus ac persuasus, non mutatum esse Dei Filium in humanam carnem, eoque transiens, quod solummodo sentientem animam assumpserit, absque tamen intelligentia et mente, quæ sunt propria animæ utentis ratione, uti hoc ipsum dicebat Apollinarius. Nec quod anima Christi ante mundum condita fuerit, quod ipsum Origenes sensit.

Nec quod humana anima et corpus humanum, in Christo in unum coiverint, uti se res habet in

Digitized by Google

reliquis hominibus, inque eo homine ut in templo proprio Christus habitaverit (per gratiam scilicet) velut in reliquis omnibus sanctis, uti docuit Nestorius. Neque duas hypostases seu personas, nec unam naturam aut voluntatem. Nihil enim horum sentit Ecclesia catholica, quæ nugaciter commenti sunt hæretici, qui et reprobati sunt ab universalibus synodis, ab illis abjecti, ut qui aliena a sana fide de Christo senserint : sed confitetur et prædicat in Christo divinam naturam perfectam, et humanam naturam perfectam, ex anima scilicet rationali et humana carne constitutam, unitasque fuisse ambas has naturas, non per solam inhabitationem, nec secundum aliquod accidens, velut homo unitur vestimento : nec sola personali relatione ac proprietate (hoc est, necessitudine, soloque nomine), sed secundum unam hypostasin unumque subjectum. Ac sicut in Trinitate in una natura plures personæ consistunt : sic in incarnationis mysterio, in pluribus naturis (nempe duabus) una consistens persona est. Etenim hoc solummodo stare possunt quæ in Scripturis de incarnatione tradita sunt. Cum enim Scriptura nullo discrimine quæ Dei sunt, homini tribuat, et quæ sunt hominis, Deo : ut cum dicit : Hic homo cœlum « et terram firmavit [95] : et, Dominus gloriæ crucifixus et mortuus est [96]; necesse est unum eumdemque esse, de quo utraque dicta sint ; et quia de illo dicuntur contraria, ut sunt, obnoxium passionibus et non obnoxium, mortale et immortale ; et : Qui est, fit : et Increatus creatur, et quæ sunt ejusmodi ; nec fieri potest, ut hæc de eodem et secundum idem vere dicantur (qui enim fiat, ut idem secundum idem mortale simul et immortale, creatum et increatum exsistat ?) confitetur Dei Ecclesia, secundum alium aliumque modum dici omnia quæ de Christo dicuntur : ita nimirum, ut divina quidem illi conveniant, secundum quod est Deus : humana autem, quatenus homo factus est. Etenim secundum Dei formam : « Omnia per ipsum facta sunt [97] : » ipseque et Pater unum sunt. Et : « Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso [98] » (nempe genuit eum vitam, uti exponit divinus Chrysostomus). Et « ipse est verus Deus, vita æterna [99]. » Itemque omnia quæ habet Pater, ejus sunt. Ait enim : « Omnia mea tua sunt : et tua mea sunt : et clarificatus sum in eis [100]. » Secundum vero servilem hominis formam, quam assumpsit : « Factus est ex muliere, factus sub lege [101] : » et : « Non venit ut faceret voluntatem suam, sed ejus qui misit eum [102]. »

Multa itaque de Christo dicuntur nomina, idcirco nimirum quod ambæ naturæ in unam personam in eo coiverunt. Ex illis, quædam ei conveniunt, ut Deus est, quemadmodum diximus; hæcque adeo nomina de illo dicuntur ante unionem ; sed et

τῶν ἄλλων ἀνθρώπων, καὶ ἐν τούτῳ τῷ ἀνθρώπῳ ὥσπερ ἐν ἰδίῳ ναῷ ὁ Χριστὸς κατῴκησεν (χάριτι δηλονότι), ὡς ἐν τοῖς ἄλλοις πᾶσιν ἁγίοις, ὅπερ Νεστόριος ἐδογμάτισεν. Οὐδὲ δύο ὑποστάσεις, οὐδὲ μίαν φύσιν ἢ θέλησιν. Οὐδέν τι τούτων ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία φρονεῖ, ἅπερ ἐφλυάρησαν οἱ αἱρετικοὶ, οἳ καὶ ἀπεδοκιμάσθησαν ὑπὸ καθολικῶν συνόδων ἀποῤῥιφθέντες, ὡς ἀλλότρια τῆς ὑγιοῦς πίστεως περὶ τοῦ Χριστοῦ φρονήσαντες· ἀλλ' ὁμολογεῖ καὶ κηρύττει ἐν τῷ Χριστῷ εἶναι θείαν φύσιν τελείαν καὶ ἀνθρωπίνην τελείαν, ἐκ ψυχῆς δηλονότι λογικῆς συνεστηκυῖαν καὶ ἀνθρωπίνης σαρκός· καὶ ὅτι αὗται αἱ δύο φύσεις ἡνώνται οὐ κατὰ μόνον ἐνοίκησιν οὐδὲ κατά τι συμβεβηκὸς, ὥσπερ ἐνοῦται τῷ ἱματίῳ ὁ ἄνθρωπος· οὔτε ἐν μόνῃ προσωπικῇ σχέσει καὶ ἰδιότητι, τουτέστιν οἰκειότητι καὶ ὀνόματι μόνον· ἀλλὰ κατὰ μίαν ὑπόστασιν καὶ ὑποκείμενον ἕν. Καὶ ὥσπερ ἐν τῇ Τριάδι ἐν μιᾷ φύσει πλείω εἰσὶ πρόσωπα ὑφεστῶτα, οὕτω ἐν τῷ τῆς σαρκώσεως μυστηρίῳ ἐν πλείοσι φύσεσι, τουτέστιν ἐν δυσὶν, ἓν πρόσωπον ὑφεστώς. Καὶ γὰρ κατὰ τοῦτον μόνον τὸν τρόπον δύνανται σώζεσθαι τὰ ἐν ταῖς Γραφαῖς παραδεδομένα περὶ τῆς σαρκώσεως. Ἐπεὶ γὰρ ἡ Γραφὴ ἀδιακρίτως τῷ ἀνθρώπῳ τὰ τοῦ Θεοῦ ἀποδίδωσι, καὶ τὰ τοῦ ἀνθρώπου τῷ Θεῷ, ὡς ὅταν λέγῃ· Ὁ ἄνθρωπος οὗτος οὐρανὸν καὶ γῆν ἐστερέωσε· καὶ, Ὁ Κύριος τῆς δόξης ἐσταυρώθη καὶ ἀπέθανεν· ἀνάγκη ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν εἶναι περὶ οὗ ἀμφότερα εἴρηνται· καὶ ἐπεὶ τὰ ἐναντία λέγονται περὶ αὐτοῦ, ὡς τὸ παθητὸν καὶ ἀπαθὲς, καὶ τὸ θνητὸν καὶ ἀθάνατον· καὶ, Ὃ ὢν γίνεται, καὶ, Ὃ ἄκτιστος κτίζεται, καὶ τὰ τοιαῦτα· ἀδύνατον δὲ λέγεσθαι ταῦτα κατὰ τοῦ αὐτοῦ καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ ἀληθῶς (πῶς γὰρ ἔσται τὸ αὐτὸ κατὰ τὸ αὐτὸ καὶ θνητὸν ὁμοῦ καὶ ἀθάνατον, καὶ κτιστὸν καὶ ἄκτιστον;)· ὁμολογεῖ ἡ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία ὅτι καθ' ἕτερον καὶ ἕτερον τρόπον λέγονται τὰ λεγόμενα πάντα περὶ τοῦ Χριστοῦ· δηλονότι τὰ μὲν θεῖα ἁρμόζουσιν αὐτῷ, καθότι ἐστὶ Θεός· τὰ δὲ ἀνθρώπινα, καθότι ἐγένετο ἄνθρωπος. Καὶ γὰρ κατὰ μὲν τὴν τοῦ Θεοῦ μορφὴν « Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο· » καὶ αὐτὸς καὶ ὁ Πατὴρ ἕν εἰσι· καὶ, « Ὥσπερ ὁ Πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, οὕτως ἔδωκε καὶ τῷ Υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ » (τουτέστιν, ἐγέννησεν αὐτὸν ζωὴν, καθὼς ὁ θεῖος Χρυσόστομος ἐξηγεῖται), καὶ « αὐτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεὸς, ἡ ζωὴ ἡ αἰώνιος· » καὶ πάντα ὅσα ἔχει ὁ Πατὴρ, αὐτοῦ εἰσι. « Πάντα γὰρ, » φησὶ, « τὰ ἐμὰ σά ἐστι, καὶ τὰ σὰ ἐμά· καὶ δεδόξασμαι ἐν αὐτοῖς· » κατὰ δὲ τὴν τοῦ ἀνθρώπου δουλικὴν μορφὴν, ἣν προσελάβετο, « Ἐγένετο ἐκ γυναικὸς, ἐγένετο ὑπὸ νόμον, » καὶ, « Οὐκ ἦλθε ποιῆσαι τὸ θέλημα αὐτοῦ, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντος αὐτόν. »

Πολλὰ τοίνυν ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ ὀνόματα λέγονται, διὰ τὴν τῶν δύο φύσεων συνδρομὴν κατὰ μίαν ὑπόστασιν· τὰ μὲν γὰρ ἁρμόζουσιν αὐτῷ ὡς Θεῷ, καθάπερ εἴπομεν· καὶ ταῦτα ὀνόματα πρὸ τῆς ἑνώσεως ἐπ' αὐτοῦ καλοῦνται· ἁρμόζουσι δὲ πρὸ

[95] Psal. xxxii, 6. [96] I Cor. ii, 8. [97] Joan. i, 3. [98] Joan. x, 30. [99] I Joan. v, 20. [100] Joan. xvii, 10. [101] Galat. iv, 4. [102] Joan. vi, 38.

Digitized by Google

τῆς ἑνώσεως καὶ ὅσα περὶ αὐτοῦ προφητικῶς εἴρηται· ὡς τὸ, « Ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐμφανῶς ἥξει. » Καὶ, « Ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεταί σοι. » Καὶ τὸ, « Μετὰ ταῦτα ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη, καὶ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη· » ἀντὶ τοῦ, Ὀφθήσεται καὶ συναναστραφήσεται. Καὶ τὸ, « Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, » ἀντὶ τοῦ, Κτίσει με. Τοῦτο γὰρ τινὲς μὲν τῶν ἁγίων ἐπὶ τῆς κτισθείσης σαρκὸς τῷ Θεῷ Λόγῳ ἐξέλαβον· καὶ τὸ ἑπόμενον, « Πρὸ δὲ πάντων τῶν βουνῶν γεννᾷ με, » τῷ Θεῷ Λόγῳ, ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς πρὸ τῶν αἰώνων ἁπάντων γεννωμένῳ ἀνέθηκαν· τινὲς δὲ ἐπὶ τῆς ἐμφαινομένης τῷ κόσμῳ σοφίας ἐξηγήσαντο. Καὶ μάρτυς ὁ μέγας Βασίλειος ἐν α' τῶν Παροιμιῶν, οὗ τῆς περὶ τούτου ῥήσεως κατὰ καιρὸν ἐμνήσθημεν πρότερον.

A ante unionem conveniunt etiam ea omnia quæ de illo prophetice dicta sunt : cujusmodi est illud : « Deus noster manifeste veniet [1]. » Et : « Ecce rex tuus venit [2]. » Illud item : « Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est [3];» pro eo ac dicat, Videbitur et conversabitur. Illud quoque, *Dominus creavit me initium viarum suarum* [4]; pro Creabit me. Hoc enim sanctorum quidam de carne Deo Verbo creata intellexerunt; et quod sequitur *Ante autem omnes colles gignit me*, Deo Verbo ante omnia sæcula ex Deo et Patre genito tribuerunt : quidam vero de sapientia quæ in mundo elucet interpretati sunt. Ejusque rei testis magnus Basilius primo capite Proverbiorum, cujus supra auctoritatis opportune meminimus.

B

Ταῦτα μὲν οὖν πρὸ τῆς ἑνώσεως αὐτῷ ἁρμόζουσι, τὰ μὲν κατὰ τὴν θείαν φύσιν, τὰ δὲ προφητικῶς, ὡς εἴπομεν. Ἐπεὶ δὲ καθ' ἓν πρόσωπον ἥνωσεν ἑαυτῷ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν ἀσυγχύτως καὶ ἀτρέπτως, καὶ ἦν ὁ αὐτὸς Θεὸς ὁμοῦ καὶ ἄνθρωπος, καὶ διὰ ταύτην τὴν ἄῤῥητον ἕνωσιν ἐπεγένετο τῇ σαρκὶ τοῦ πλούτου τῆς θεότητος μετασχεῖν, τουτέστιν, ἐθεώθη, ὡς καὶ τὸν Θεολόγον Γρηγόριον περὶ τῆς σαρκὸς ταύτης λέγειν, « Καὶ θαῤῥῶ λέγειν Ὁμόθεον (53)· » ἀντιδιδόασιν ἀλλήλαις τῶν ὀνομάτων αἱ φύσεις, ὃν δὴ καὶ καλοῦσι τρόπον ἀντιδόσεως· καὶ ποτὲ μὲν ἀπὸ τοῦ κρείττονος τὸν λόγον ποιούμεθα, θέωσιν λέγοντες τῆς σαρκὸς διὰ τὸν προσγενόμενον τῇ σαρκὶ πλοῦτον ἀπὸ τῆς συμφυΐας καὶ ἑνώσεως τῆς σαρκὸς πρὸς τὴν τοῦ Θεοῦ Λόγου φύσιν· ποτὲ δὲ ἀπὸ τοῦ ἐλάττονος, τῆς σαρκὸς δηλονότι, σάρκωσιν τοῦ Λόγου φαμὲν, κένωσιν, ἐνανθρώπησιν, ταπείνωσιν· ταῦτα πάντα ἐκ τοῦ ἀνθρωπίνου μέρους ἐπιλέγονται τῷ Λόγῳ καὶ Θεῷ, οὐδὲν οὐδαμῇ κατὰ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν πεπονθότι· ποτὲ δὲ καὶ ἐξ ἀμφοτέρων τὰ ὀνόματα συμπλέκομεν, ἕνωσιν λέγοντες, κοινωνίαν, χρίσιν, συμφυΐαν, συμμόρφωσιν, ἅτινα ἐπὶ τῆς σαρκὸς νοοῦνται. Αὐτὴ γὰρ ἦν ἡ ἑνωθεῖσα τῷ Θεῷ Λόγῳ καὶ χρισθεῖσα καὶ θεωθεῖσα ὡς ἐλάττων καὶ ἐνδεής. Ἡ γὰρ περιχώρησις τῆς θείας φύσεως εἰς τὴν σάρκα, ἣν δὴ καὶ ἕνωσιν λέγομεν, ταύτην αὐτῇ δέδωκε τὴν κοινωνίαν καὶ τὴν θέωσιν καὶ τὴν χρίσιν καὶ συμμόρφωσιν θείας φύσεως περὶ τὴν σάρκα θεωρεῖσθαι.

C

Hæc itaque ante unionem illi congruunt, alia quidem secundum divinam naturam; alia vero prophetice, uti dicebamus. Quod vero in una persona humanam sibi naturam inconfuse immutabiliterque copulavit, eratque idem ipse simul Deus et homo, ac quod ob arcanam eam unionem caro Deitatis divitias nacta est, hoc est, deificata est, ita ut Gregorius Theologus de hac carne dicat : « Ausimque dicere, una etiam Deitatis consortem ac Deum; » sibi invicem naturæ nomina communicant, quem et modum reciprocationis vocant. Ac quidem alias a præstantiore parte sermonem facimus, dicendo, carnis deificationem, ob eas divitias, quæ ex naturali carnis cum Dei Verbo unione ac conjunctione, carni accesserunt; alias vero a deteriori (carne scilicet) Verbi incarnationem vocamus, exinanitionem, humanationem, humiliationem. Cuncta hæc, ex parte humanitatis intelliguntur, Verboque ac Deo, cum nihil ipse inde passus sit, quod spectat ad essentiam suam, tribuuntur : alias denique, etiam ex utrisque nomina conteximus, cum unionem, commercium, unctionem, naturarum conjunctionem, et (ut sic loquar) conformationem dicimus; quæ videlicet in natura carnis intelliguntur. Hæc enim Dei Verbo unita fuit, unctaque et deificata, ut quæ minor erat atque egena. Divinæ enim naturæ in carnem, totam complexa, immeatio (quam utique et unionem vocamus) hoc ei commercium tribuit, et ut deificatio, et unctio et conformatio a divina natura circa carnem illamque afficere, intelligatur.

D

Ταῦτα μὲν οὖν ἐν τῇ ἑνώσει ἁρμόζουσι λέγεσθαι. Μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν ἁρμόζουσι μὲν καὶ ὅσα πρότερον πρὸ τῆς ἑνώσεως· τὰ μὲν κατὰ τὴν θείαν φύσιν, τὰ δὲ προφητικῶς, ὡς εἴπομεν, περὶ αὐτοῦ εἴρηται· καὶ γὰρ οὐ μετεβλήθη ἡ θεία φύσις εἰς τὴν τῆς σαρκὸς ταπείνωσιν· ἀλλὰ καὶ μετὰ τὴν ἕνωσιν ὁ αὐτὸς ἦν Θεὸς τέλειος· καὶ ἄνθρωπος τέ-

Hæc itaque in unione convenit dicere. Post vero unionem conveniunt etiam omnia, quæ prius ante unionem competebant; quæ nempe spectant ad naturam divinam, et quæ prophetice (uti dicebamus) de illo dicta sunt. Nec enim natura divina in carnis vilitatem mutata est; sed post etiam unionem idem erat Deus perfectus et homo perfectus. Quamobrem

[1] Psal. xlix, 3. [2] Zach. ix, 9. [3] Baruch. iii, 38. [4] Prov. viii, 22.

(53) *Ὁμόθεον*. Locus est ex orat. 46. Vocem ὁμόθεον idem Gregorius resolvit orat. 59. quod corpus deificatione, Deum dicit : καὶ τοῦτο τῇ θεώσει, Θεός. Sic alibi : Τὸ, ὁμόθεον, de carne dictum Gregorio, *simul Deum* reddit Billius; quæ ipsa perinde Deus dicatur sic delibutam esse, nulla ab eo personali distinctione discreta, cum alioqui servet suam naturam, sitque et ipsa creata, non Deus ipse natura.

Digitized by Google

etiam vere dicetur, Qui natus est ex Virgine, Deus est sæculis omnibus antiquior creaturæ opifex ac conditor. Quæ post unionem dicuntur, hæc et ante illam nequaquam dicere convenit. Neque enim ante incarnationem natus est ex Virgine, aut cum hominibus conversatus. Nihil itaque eorum, quæ unionem sequuntur, ante illam de illo dicere convenit, nisi forte prophetice, uti dictum a nobis est.

Conveniet itaque post unionem, quæ naturæ divinæ propria sunt, quæque ex parte humanitatis sumpta sunt, de illo dicere, cujusmodi est, partus ex Virgine, ætatis augmentum; cuncta denique, quæ postea ob peccatum naturæ humanæ advenerunt, quorum nulli subjacebat, qui de Spiritu sancto conceptus erat, ac per omnia ab omni peccati labe purissimus manserat. Quæ igitur corporis ratione de Christo dicuntur, cujusmodi sunt, esuriit, sitivit, laboravit, oravit, in agonia fuit, quæ nimirum naturales corporis passiones sunt, nullique labi obnoxiæ, ita dicuntur, ut nulla prorsus inde passione divina natura afficiatur, tametsi Dei Filius dicatur esuriisse ac sitiisse, ob summam undique immeationem ac unionem divinæ naturæ incommiste citraque omnem confusionem cum carne; haud secus ac anima in corpus, ignisque in ferri naturam incommiste pervadit, suique copiam, ut sub exemplo loquar, materiæ facit.

Ad humanitatem igitur attinent omnia quæ humilius dicuntur, ut est illud : « Quid me quæritis interficere [5]? » Quod item interrogat, « Ubi posuistis Lazarum [6]? » Quod sub ficum cucurrit, quod secessit; illud denique : « Finxit se longius ire [7]. » Eodem etiam illud spectat, « Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti [8]? » Illud item : « Factus pro nobis maledictum [9]. » Nec non illud : « Ipse Filius subjicietur ei, qui subjecit sibi omnia [10]. » Hæc enim dicebat per arrogationem, sibi ipse hominis personam attribuens, et se in eadem nobiscum classe constituens, Nos enim eramus qui derelicti fueramus ac quibus opus esset ut subjiceremur, ut qui peccato mortique obnoxii eramus, nec divinis præceptis obsequebamur. Ille vero « Peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus [11,12]. » Quamobrem neque ut Deus derelictus est (cum sit unus Deus cum Patre), neque vero peccavit ut homo; quare neque derelictus est, nec opus habuit ut subjiceretur; sed hæc locutus est, sibi arrogans quod humanum est, uti dictum est. De illo enim dicitur : « Qui tollit peccata mundi [13]. » Et : « Ipse infirmitates nostras accepit, et languores nostros portavit [14]. »

Illud autem, « Pater major me est [15]. » quidam sanctorum dictum existimaverunt ratione causæ

λειος· διὸ καὶ δικαίως λεχθήσεται, Ὅτι ὁ γεννηθεὶς ἐκ Παρθένου Θεός ἐστι προαιώνιος δημιουργὸς τῆς κτίσεως. Τὰ μετὰ τὴν ἕνωσιν οὐδαμῶς προσήκει καὶ πρὸ τῆς ἑνώσεως λέγεσθαι· καὶ γὰρ πρὸ τοῦ σαρκωθῆναι οὐκ ἐτέχθη ἐκ παρθένου, οὐδὲ τοῖς ἀνθρώποις συνανεστράφη. Οὐδὲν οὖν τῶν μετὰ τὴν ἕνωσιν λέγεσθαι ἐπ' αὐτοῦ πρὸ τῆς ἑνώσεως προσήκει, εἰ μήτι γε προφητικῶς, ὡς ἔφημεν

Ἁρμόσει τοινυν μετὰ τὴν ἕνωσιν τὰ μὲν κατὰ τὴν θείαν φύσιν, τὰ δὲ ἀπὸ τοῦ ἀνθρωπίνου μέρους εἰλημμένα, λέγεσθαι ἐπ' αὐτοῦ· οἷον, ὁ ἐκ Παρθένου τόκος, ἡ καθ' ἡλικίαν αὔξησις, πάντα πλὴν τῶν διὰ τὴν ἁμαρτίαν ὕστερον τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει ἐπισυμβάντων, ἐξ ὧν οὐδενὶ ὑπέκειτο, ἐκ Πνεύματος ἁγίου συλληφθεὶς, καὶ διὰ πάντων καθαρώτατος πάσης ἁμαρτίας μεμενηκώς. Τὰ γοῦν ἀπὸ τοῦ σώματος ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ λεγόμενα, οἷον, ἐπείνασεν, ἐδίψησεν, ἐκοπίασε, προσηύξατο, ἠγωνίασεν, ἃ δὴ τοῦ σώματός εἰσι δήπουθεν φυσικὰ καὶ ἀδιάβλητα πάθη, οὕτω λέγονται, ὡς τῆς θείας φύσεως οὐδὲν ὁτιοῦν πεπονθυίας· εἰ καὶ ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, λέγομεν, ἐπείνασε καὶ ἠγωνίασε, κατὰ τὸ ἀνθρώπινον δηλονότι, διὰ τὴν ἀκροτάτην περιχώρησιν καὶ ἕνωσιν τῆς θείας φύσεως, ἀμιγῶς καὶ ἀσυγχύτως πρὸς τὴν σάρκα, καθάπερ ψυχὴ πρὸς τὸ σῶμα, ἢ πυρ πρὸς τὴν τοῦ σιδήρου φύσιν ἀμιγῶς διικνεῖται, καὶ ἑαυτὸ ταῖς ὕλαις μεταδίδωσι, παραδειγματικῶς εἰπεῖν.

Τῷ ἀνθρωπίνῳ μέρει τοίνυν πάντα ἀνήκουσινὅσα ταπεινότερον λέγεται, ὡς τὸ, « Τί με ζητεῖτε ἀποκτεῖναι; » καὶ τὸ ἐρωτᾷν, « Ποῦ τεθείκατε Λάζαρον; » ὁ ὑπὸ τὴν συκῆν δρόμος, τὸ ὑπαναχωρεῖν, τὸ, « Προσεποιήσατο πορρωτέρω πορεύεσθαι. » Εἰς τοῦτο δὲ ἀνήκει καὶ τὸ, « Θεέ μου, Θεέ μου, ἵνα τί με ἐγκατέλιπες; » Καὶ τὸ, « Γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα. » Καὶ τὸ, « Αὐτὸς ὁ Υἱὸς ὑποταγήσεται τῷ ὑποτάξαντι αὐτῷ τὰ πάντα. » Ταῦτα γὰρ κατ' οἰκείωσιν ἔλεγε, τὸ ἡμέτερον οἰκειούμενος πρόσωπον, καὶ μεθ' ἡμῶν τάττων ἑαυτόν. Ἡμεῖς γὰρ ἦμεν οἱ ἐγκαταλελειμμένοι καὶ ὑποταγῆς δεόμενοι, ὡς ἁμαρτίας καὶ θανάτου ἔνοχοι, καὶ τοῖς τοῦ Θεοῦ προστάγμασιν ἀπειθοῦντες. Αὐτὸς δὲ, « Οὐχ ἥμαρτεν, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ. » Διὰ τοῦτο οὔτε ὡς Θεὸς ἐγκατελείφθη (εἷς γὰρ Θεός ἐστι μετὰ τοῦ Πατρὸς), οὐδ' αὖ ὡς ἄνθρωπος ἥμαρτε· διὸ οὐδὲ ἐγκατελείφθη, οὐδ' ὑποταγῆς ἐδεήθη. Ἀλλὰ ταῦτα εἴρηκε τὸ ἡμέτερον οἰκειούμενος, καθάπερ εἴρηται. Περὶ αὐτοῦ γὰρ λέγεται, « Ὁ αἴρων τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου, » καὶ, « Αὐτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε, καὶ τὰς νόσους ἐβάστασε. »

Τὸ δὲ, « Ὁ Πατήρ μείζων μού ἐστι, » τινὲς μὲν τῶν ἁγίων (54) κατὰ τὸ αἴτιον εἰρῆσθαι ἐξέλαβον·

[5] Joan. v, 19. [6] Joan. xi, 34. [7] Matth. xxi, 19; Marc. xi, 13; Luc. ix, 10. [8] Luc. xxiv, 28; Matth. xxvii, 46. [9] Galat. iii, 13. [10] I Cor. xv, 28. [11,12] Isa. liii, 9; I Petr. ii, 22. [13] Joan. i, 29. [14] Isa. liii, 4; Matth. viii, 7. [15] Joan. xiv, 28

(54) Greg. Orat. 36.

Digitized by Google

οὐ μὴν καθὸ αἴτιος· ὁ Πατὴρ τοῦ Υἱοῦ τὸ μεῖζον αὐ- A
τῷ προσαρμόζεται. Εἰ γὰρ κατὰ τοῦτο διακριθήσεται
καὶ ὁ Υἱὸς τοῦ Πατρὸς κατὰ τὸ αἰτιατὸν, ᾧ τὸ ἔλατ-
τον ἀνήκει· καὶ οὕτως ὁ Πατὴρ τοῦ Υἱοῦ τῷ μείζονι
καὶ ἐλάττονι διακριθήσεται· ὅπερ ὡς πολέμιον τῇ
καθολικῇ πίστει οὐκ εἴρηται πώποτε. Φησὶ δὲ καὶ ὁ
μέγας Ἀθανάσιος ἐν τῷ κατὰ Ἀπολλιναρίου, « Μείζονα τὸν Πατέρα λέγει ἑαυτοῦ καὶ Υἱὸς καὶ τιμῶν
τὸν ἑαυτοῦ (55) Πατέρα. » Ὥσπερ οὖν οὐκ ἂν τῇ
τιμῇ διακρίνοιτο ὁ Πατὴρ τοῦ Υἱοῦ, οὕτως οὐδὲ κατὰ
τὸ μεῖζον, καθό ἐστιν αἴτιος τοῦ ἑαυτοῦ Υἱοῦ· ἀλλ'
ἔστι μείζων ὡς ἁπλῶς αἴτιος καὶ ἀρχή. Καὶ ὥσπερ
ἀρχὴ λέγεται ὁ Πατὴρ τοῦ Υἱοῦ· οὐκ ἀποδίδοται δὲ
ταύτῃ τῇ ἀρχῇ καὶ τελεύτησις· καὶ ὥσπερ ὁ μέγας
Βασίλειος (56) προκαταρκτικὴν αἰτίαν εἴρηκε τὸν
Πατέρα, ἢ καὶ ὡς ὁ Θεολόγος Γρηγόριος (57), « Ἐπὶ B
τὴν πρώτην αἰτίαν ἀνενεκτέον· » καὶ οὐκ ἀποδίδο-
ται ταύτῃ τῇ αἰτίᾳ καὶ δευτέρα τις καὶ ὑπερείδουσα
αἰτία (οὕτω γὰρ δύο ἀρχαὶ τῆς κτίσεως ἀναφανή-
σονται)· τὸν ὅμοιον τρόπον καὶ τὸ μεῖζον ἐπὶ τοῦ
Πατρὸς κατὰ τὸ αἴτιον, ὡς εἶπον τινὲς τῶν ἁγίων,
αἰτίαν ἐκληπτέον ὡς αἰτίαν καθ' ἑαυτὴν, καὶ οὐ
πρὸς ἕτερόν τι λεγομένην. Εἰ δ' οὖν, ὁ Υἱὸς ὡς
ἐλάττων πρὸς τὸν μείζονα ἑαυτοῦ ἀποδοθήσεται,
ὅπερ ἄτοπον.

(auctoritate scilicet principii). Non tamen Pater quatenus Filii causa ac auctor est, hoc sibi vindicat quod majus est. Sic enim, ea ratione etiam Filius a Patre distingueretur, ut a causa exsistens, sive ut id quod ab auctore est, ad quod attineat, id, quod minus est : inque eum modum Pater a Filio distinguetur, penes majus et minus; quod velut fidei catholicæ a uversum, nemo unquam locutus est. Ait vero etiam magnus Athanasius in libro adversus Apollinarium : « Majorem se Patrem dicit et Filius, et qui Patri suo honorem habeat. » Quemadmodum igitur Pater a Filio honore non discernitur, sic neque quod major est, quatenus Filii sui causa ac auctor est : sed major est ut simpliciter causa seu auctor principiumque. Ac sicut dicitur Pater Filii principium; cui tamen principio non etiam assignatur finitio. Ac sicut magnus Basilius, Patrem Filii originalem causam ac primam dixit; sive etiam ut Gregorius Theologus, « Ad primam referendum causam; » nec huic causæ etiam secunda quædam causa secundis quasi curis atque opera adjuvans, assignatur (sic enim duplex exstabit creationis principium), eodem modo etiam majoris vox in Patre dicta causæ ratione, uti Sanctorum quidam dixerunt, de causa exponenda secundum se, et non ut ad aliud quidpiam dicitur. Alioqui Filius ut minor ad majorem se referetur, quod est absurdum.

Τινὲς δὲ τῶν ἁγίων κατὰ τὸ ἀνθρώπινον ἐξηγήσαντο. Καὶ ὁ Θεῖος Χρυσόστομος (58) φησὶ, « Ταῦτα C
πάντα πρὸς τὴν ἀσθένειαν τῶν μαθητῶν εἴρηκεν. »
Ἔστι τοίνυν λέγειν ὅτι πρὸς τὴν τῶν μαθητῶν ὑπόληψιν τοῦτο εἴρηκεν ὁ Χριστός· ὅτι δὴ μείζω τὸν
Πατέρα ἡγοῦντο, ὡς αἴτιον ἁπλῶς, καὶ οὐ πρὸς τὴν
ἑαυτοῦ φύσιν ἀφορῶν καὶ ὑπόστασιν. Ὥσπερ καὶ
πρὸς τὸν εἰπόντα, « Διδάσκαλε ἀγαθὲ, » « Οὐδεὶς
ἀγαθὸς, » εἴρηκεν, « εἰ μὴ μόνος ὁ Θεός. » Καὶ

Alii vero Sanctorum secundum quod homo erat exposuerunt. Divus quoque Chrysostomus : « Cuncta hæc dixisse ait, pro discipulorum infirmitate. » Dici itaque potest, hoc Christum locutum esse, pro eo ac discipuli existimabant; quod nimirum illi Patrem majorem, ut simpliciter auctorem, putabant, non velut suam ipse naturam spectaret ac personam. Quemadmodum etiam ad eum qui dixerat : « Magister bone, » respondit [16], « Nemo bonus,

[16] Luc. XVIII, 18.

(55) *Μείζονα τὸν Πατέρα λέγει ἑαυτοῦ.* Accepisse videtur Calecas ex II *Dial.* cum Anomœo, ubi sic habetur : Μείζονα τὸν Πατέρα λέγει, μορφὴν δούλου λαβὼν, καὶ τιμῶν τὸν ἑαυτοῦ Πατέρα : *Majorem Patrem dicit, accepta servi forma, ac qui Patri suo honorem habeat.* Totusque in eo est, ut solum majorem agnoscat Patrem, qua ipse homo factus est, et qua natura ad Patrem erat. D Quæ ipsa expositio non spernenda, satisque genuina, nec a textu longius petita est. Athan. tamen libr. II *Contra Arian.*, p. 365, longe aliter : Μείζων εἶπεν οὐ μεγέθει τινὶ, οὐδὲ χρόνῳ, ἀλλὰ διὰ τὴν ἐξ αὐτοῦ τοῦ Πατρὸς γέννησιν· πλὴν ὅτι καὶ ἐν τῷ εἰπεῖν, Μείζων ἐστὶν, ἔδειξε πάλιν τῆς οὐσίας τὴν ἰδιότητα· *Major, inquit, non quidem magnitudine ulli ætate, sed quod natus ex illo erat. Quinimo ex his ipsis verbis, Major est, suæ substantiæ proprietatem demonstravit :* nempe divinam sibi naturam æque ac Patre inesse, quod comparatio non sit nisi inter ea quæ sunt ejusdem generis : in aliis τὸ ἀσύγκριτον, aliudque et aliud magis eluceat. Aliaque ibi prosequitur, quibus haud satis cum illo Dialogo conveniat; possitque inde non levi conjectura abrogari Athanasio, uti etiam abrogant plerique codices, tribuentes Maximo. At, quid Symbolum Athanasii nomine celebre, in quo sic dicitur : *Æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem?* Certe nec istud satis convenit cum Athanasii illa expositione; et, ut loquitur Greg. orat. 36, etsi verum demus, non tamen perinde magnum ac honorificum : Τί γὰρ θαυμαστὸν, εἰ μείζων ἀνθρώπου Θεός : *Quid enim mirum, Deum homine majorem esse?* vel, ut verba illa Symboli habent, hominem Deo esse minorem? Quæ tamen consecutio non admittitur ab illis, qui Patrem κατὰ τὸ αἴτιον, volunt dictum Filio majorem, uti etiam Calecas interpretatur, Greg. cum et major et æqualis Pater inveniatur : Ἦ δῆλον ὅτι τὸ μεῖζον μέν ἐστι τῆς αἰτίας, τὸ δὲ ἴσον τῆς φύσεως; *Nonne perspicuum est, majoris vocem, ad causam; æqualis vero, ad naturam referendam esse?* Sic Hilar. : *Auctoritate principii major*, aliique. Quod mihi clarius, quam quod videtur implicare Calecas. Sit itaque Pater major, quia fons et origo totius Deitatis : non tamen inde minor Filius, quod eamdem ipsam Deitatis naturam, quæ est Patris, ex eo nascendo, acceperit. Nec in Trinitate aliud facile loquendum, quam quod Scripturæ sanctorumque vocibus traditum sit.

(56) Ad Amphiloch. *De Spiritu sancto.*

(57) Orat. 36.

(58) In Joan. hom. 74.

Digitized by Google

nisi solus Deus. » Ad discipulos quoque qui interrogaverant de die et hora et consummatione : « Nemo, inquit, scit, neque Filius, sed solus Pater. » Sic enim illi tunc existimabant, et ad eorum mentem, se illis accommodans, loquebatur, quod necdum quæ illius erant clare noverant. Multaque alia ejus generis etiam aliis locis figurate dicta sunt in Scriptura, cujusmodi est illud : « Factus est Adam quasi unus ex nobis[16]. » Sic enim ille animo conceperat, fore scilicet ut Deus fieret, cum revera hoc minime factus sit. Magnus autem Basilius, illud : « Nemo bonus nisi solus Deus, » accipit et ipse quidem ratione humanitatis ; ait enim : « Multa etiam Dominus loquitur ex parte humanitatis. » Sumit vero etiam ratione divinæ naturæ. Etenim in una earum quas ad Amphilochium scripsit, sic ait : « Non enim extra boni naturam Filius se constituit, cum hæc diceret ; sed cum Pater sit primum bonum, vocem *nemo*, sic dictam intelligimus, ut subaudiatur primus. Illud item : *Nemo novit Filium nisi Pater ;* non enim illis verbis Spiritui ignorantiam tribuit ; sed imprimis Patri testatur competere, quod suam ille naturam noverit ; ad eumdem modum etiam illud : *Nemo novit horam neque diem*, ejus vocem esse qui eorum quæ sunt, ac futura sunt, primam notitiam ad Patrem referat, quique in omnibus Patrem primum auctorem hominibus innuat. »

Ad hæcque rursus in eadem Epistola, ad Matthæi auctoritatem : « De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater[17], » hancce adhibet expositionem : « Dixisse nimirum ut se distingueret ab Angelis, non autem eodem se

πρὸς τοὺς ἐπερωτήσαντας μαθητὰς περὶ τῆς ἡμέρας καὶ ὥρας καὶ τῆς συντελείας, « Οὐδεὶς οἶδε, » φησὶν, « οὐδὲ ὁ Υἱός · μόνος δὲ ὁ Πατήρ. » Οὕτω γὰρ ἐκεῖνο τηνικαῦτα ἐνόμιζον, καὶ πρὸς τὴν αὐτῶν διάνοιαν αὐτοῖς συγκαταβαίνων ἐφθέγγετο, ἐπεὶ οὔτω τὰ περὶ αὐτοῦ καθαρῶς ἠπίσταντο. Καὶ πολλὰ τοιαῦτα εὕρηται καὶ ἀλλαχοῦ σχηματιζόμενα τῇ Γραφῇ, ὥσπερ τὸ, « Ἐγένετο Ἀδὰμ ὡς εἷς ἐξ ἡμῶν. » Οὕτω γὰρ ἐκεῖνος ὑπέλαβε Θεὸς γενήσεσθαι · τῇ δ' ἀληθείᾳ οὐκ ἐγένετο. Ὁ δὲ μέγας Βασίλειος τὸ, « Οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς ὁ Θεός, » λαμβάνει μὲν καὶ αὐτὸς κατὰ τὸ ἀνθρώπινον. « Πολλὰ γὰρ, » φησὶ, « καὶ ἀπὸ τοῦ ἀνθρωπίνου μέρους ὁ Κύριος διαλέγεται (59) · » λαμβάνει δὲ καὶ κατὰ τὴν θείαν φύσιν. Καὶ γὰρ ἐν μιᾷ τῶν πρὸς Ἀμφιλόχιον ἐπιστολῶν οὕτω φησὶν, « Οὐκ ἔξω ἑαυτὸν τιθεὶς τῆς τοῦ ἀγαθοῦ φύσεως ὁ Υἱὸς ταῦτα λέγει· ἀλλ' ἐπειδὴ πρῶτον ἀγαθὸν ὁ Πατὴρ, τὸ, *οὐδείς*, συνυπακουομένου τοῦ *πρῶτος*, εἰρῆσθαι πιστεύομεν. Καὶ τὸ, « Οὐδεὶς οἶδε τὸν Υἱὸν εἰ μὴ ὁ Πατήρ. » Οὐ γὰρ ἐκεῖ ἄγνοιαν τοῦ Πνεύματος κατηγορεῖ · ἀλλὰ πρώτῳ τῷ Πατρὶ ὑπάρχειν τὴν γνῶσιν τῆς ἑαυτοῦ φύσεως μαρτυρεῖ. Οὕτω δὲ καὶ τὸ, « Οὐδεὶς οἶδε τὴν ὥραν καὶ ἡμέραν, » τὴν πρώτην εἴδησιν τῶν ὄντων καὶ τῶν ἐσομένων ἐπὶ τὸν Πατέρα ἀνάγοντος, καὶ διὰ πάντων τὴν πρώτην αἰτίαν τοῖς ἀνθρώποις ὑποδεικνύοντος εἰρῆσθαι νομίζομεν. »

Καὶ ἔτι πάλιν ἐν τῇ αὐτῇ ἐπιστολῇ τὴν μὲν τοῦ Ματθαίου ῥῆσιν, « Περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης καὶ ὥρας οὐδεὶς οἶδεν, οὐδὲ οἱ ἄγγελοι τῶν οὐρανῶν, εἰ μὴ ὁ Πατὴρ μόνος, » ταύτης τῆς ἐξηγήσεως ἀξιοῖ, « Ὅτι πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν ἀγγέλων εἴρηκεν ·

[16] Gen. III, 22. [17] Matth. XXIV, 36.

(59) *Καὶ ἀπὸ τοῦ ἀνθρωπίνου μέρους διαλέγεται. Ex parte humanitatis ;* qua ratione homo erat atque hominis partes implebat ; cujus exemplum ponit Basilius (*epist.* 391) in illa voce : *Da mihi bibere*, quam Deitatis ait, σαρκὶ ἐμψύχῳ κεχρημένης, *utentis carne animata*. Magis proprie dixisset : *Dei ;* quæ vox ipsum Λόγον, et habentem humanam naturam, referat, non Deitatem, quæ ipsa quasi haberi intelligatur ab eodem, ut in qua vere ac per se exsistat. Non placet quod reddit Interpr. *Multa Dominum ad humanum dicendi morem locutum, cum hominibus tractantem.* Id enim totum quis dicat, etiam de Patre ac tota Trinitate, sic humano more, proque hominum captu sermonem efformante, plerisque Scripturæ locis, quam tamen nemo probe Theologus ἀπὸ τοῦ ἀνθρωπίνου μέρους διαλέγεσθαι dicat, ullive convenire, quod sic Basilius loquitur, quam qui vere homo exsistat, verequc exsistens, partes hominis impleat ; qui denique οἰκονομικῶς *cuncta susceperit* (qua nimirum propensione consilio homo exstitit, ac in carne, humanæ salutis negotium gessit), quod totum Græci theologi illa voce significant ; non quod paulo obscurius idem Interpr. *Qui omnia secundum Dei dispensationem suscepit ;* quanquam vox *dispensationis*, ipsa eo sensu Latinis familiaris sit. Cord. in Catena, apte quidem illuc : ἀπὸ τοῦ ἀνθρωπίνου μέρους, *ut homo ;* nec longiori verborum ambage admodum opus. Sequentinus autem admodum confusus : Τὸ τῆς ἀγνοίας ἐπὶ τὸν οἰκονομικῶς πάντα καταδεξάμενον, καὶ προκόπτοντα · *Illud ignorantiæ per dispensationem omnia suscipientem et proficientem*, etc. Ego sic : *Ignorantiam qui dicat, de eo, qui per dispensationem omnia suscepit, quique proficiebat*, etc., *is a vero nihil aberravit.* Hæc Basilii limpida sententia ; dignus certe auctor cujus operum plura illis pares nacta interpretes essent, nec aliter ac Ambrosius in eis labo assent. Istud etiam : Ταύτης μὲν οὖν ἀξιοῦμεν τῆς παραμυθίας τὸ παρὰ τῷ Ματθαίῳ κείμενον, Εἰ μὴ ὁ Πατὴρ μόνος, quod ita reddit Cord. : *Hanc quidem consolationem a Matthæo propositam consequimur, Nisi solus Pater*, sane hominis est Græce nescientis ; cum sit : *Illud a Matthæo dictum, in hunc modum benigne interpretamur*, uti etiam reddidit Mord. riteque Calecas noster exposuit : Ταύτης ἀξιοῖ τῆς ἐξηγήσεως · *Quasi hac dignatur expositione ;* sic lenit, quod paulo durius dictum poterat videri. Gravius in sequentibus mendum, sive ipsius Cord. est, sive typorum : Ἐπειδὴ οὐ πρόσκειται τὸ μόνος, ὡς καὶ παρὰ τῷ Ματθαίῳ · *Cum addatur adjunctum* solus, *quod apud Matthæum jacet.* Imo, non addatur : Εἰ μὴ ὁ Πατὴρ · nusquam μόνος, cujus vocis absentia, nihil violentam suam expositionem (Calecæ relatam) Basilius contendit. Sed perinde Cord. affirmare quod negat Scriptura, vicissimque negare quod illa affirmat, ut jam ante annos 20, in Maximi Scholiis ad Dionysium ipsoque Dionysio, quasi per specimen ostendi. Παραμυθίαν quærat vel ipse Cord. vel qui labis parum Græca interpretantem hominem velint.

Digitized by Google

ἑαυτὸν ὃτε οὐ συμπεριέλαβε τοῖς ἑαυτοῦ δούλοις κατὰ τὴν ἄγνοιαν. Παρασιωπήσας οὖν ὡς ὁμολογούμενον τὸ ἑαυτοῦ πρόσωπον ἐν τῇ λέξει τοῦ Ματθαίου ὁ Κύριος, τοὺς ἀγγέλους εἶπεν ἀγνοεῖν· εἰδέναι δὲ τὸν Πατέρα μόνον, τὴν τοῦ Πατρὸς γνῶσιν, κατὰ τὸ σιωπώμενον, καὶ ἑαυτοῦ εἶναι λέγων. Αὐτὸς γὰρ εἶπε, « Πάντα ὅσα ἔχει ὁ Πατήρ, ἐμά ἐστι. » Καὶ, « Καθὼς γινώσκει με ὁ Πατήρ, κἀγὼ γινώσκω τὸν Πατέρα. » Τὴν δὲ τοῦ Μάρκου ῥῆσιν, « Περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης ἢ ὥρας οὐδεὶς οἶδεν, οὐδὲ οἱ ἄγγελοι οἱ ἐν οὐρανῷ, οὐδὲ ὁ Υἱός, εἰ μὴ ὁ Πατήρ, » οὕτως ἐξηγεῖται, « Ὅτι οὐδεὶς οἶδεν, οὔτε οἱ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' οὐδ' ἂν ὁ Υἱὸς ἔγνω, εἰ μὴ ὁ Πατήρ. » Τουτέστιν, ἡ αἰτία τοῦ εἰδέναι τὸν Υἱὸν παρὰ τοῦ Πατρός. Ἐπειδὴ γὰρ ἐξ αὐτοῦ γεννᾶται, καὶ ὁμοούσιος αὐτῷ ἐστι, τὴν αὐτὴν οὐσίαν τῷ Πατρὶ καὶ γνῶσιν ἔχει. « Καὶ ἐπεί, » φησὶν ὁ θεῖος Κύριλλος, « τὸ σύμπαν τοῦ Υἱοῦ ἐκ τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας πρόεισιν, οὐδ' ἂν ὁ Υἱὸς ᾔδει τὴν γνῶσιν τῶν ὄντων, εἰ μὴ ὁ Πατήρ. »

numero cum servis comprehendisse, velut pari ignorantia ipse laboraret. Silens ergo Dominus suam personam, de qua exploratum esset, in ea Matthæi auctoritate, angelos dixit nescire, solum autem Patrem scire, nempe Patris cognitionem per reticentiam, suam ipsius esse dicens. Ipse enim dixit : *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt* [18]. Et : *Sicut novit me Pater, et ego cognosco Patrem.* [19], » Marci autem auctoritatem : « De die illa et hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater [20], » sic exponit : « Nemo scit, neque angeli Dei ; sed neque Filius ipse sciret, nisi Pater. » Hoc est, nisi Pater Filio sciendi auctor esset. Quia enim ex illo nascitur, eique consubstantialis est, eamdem cum Patre et substantiam et notitiam habet : Et quia, inquit divinus Cyrillus, quidquid Filii est, ex Patris substantia procedit, ne Filius quidem rerum scientiam nosset, nisi Pater. »

Ταῦτα μὲν οὕτως. Τὸ δὲ, « Πάτερ, δοξασόν με τῇ δόξῃ, ᾗ εἶχον, πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, παρὰ σοί, » διὰ τὴν πρὸς ἡμᾶς φανέρωσίν τε καὶ πίστωσιν εἴρηται. Καὶ γὰρ ὡς φησιν ὁ Δαμασκηνός, « Αὐτὸς μὲν γὰρ δεδοξασμένος ἦν τε καὶ ἔστιν· ἀλλ' ἡμῖν οὐκ ἦν φανερωθεῖσα καὶ πιστωθεῖσα ἡ δόξα αὐτοῦ κατὰ τὸ ὑπὸ τοῦ Ἀποστόλου εἰρημένον, « Τοῦ ὁρισθέντος (60) Υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ Πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν. » Διὰ γὰρ τῶν θαυμάτων καὶ τῆς ἀναστάσεως καὶ τῆς ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐφανερώθη τῷ κόσμῳ ὅτι Υἱός ἐστι τοῦ Θεοῦ· » ἀντικρυς τῷ θείῳ Βασιλείῳ ταυτὰ λέγων, ὅς φησιν, « Ἀπὸ τῆς θαλάσσης καὶ τῶν ἀνέμων ὑπακουσάντων αὐτῷ ἐγνώρισαν αὐτοῦ τὴν θεότητα. » Καὶ γὰρ ἡ δόξα ἡ φυσικὴ τοῦ Θεοῦ τοῦτ' ἐστὶ τὸ γεννᾶσθαι ἐκ Πατρὸς ἀϊδίως καὶ ἀνάρχως. Ὥσπερ οὖν εἴ τις αὐτὸν εἰς κτίσμα καταγει, ὅσον τὸ ἐπ' αὐτῷ, τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ καθαιρεῖ· οὕτω καὶ κατὰ τὸ ἀκόλουθον, ὁ συναΐδιον καὶ ὁμότιμον καὶ ὁμοούσιον ὁμολογῶν τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ δοξάζει αὐτὸν τῇ δόξῃ, ᾗ εἶχε πρὸ πάντων τῶν αἰώνων.

Atque hæc quidem ita : illud vero : « Pater, clarifica me claritate quam habui apud te, antequam mundus esset, apud te [21], » tum ob manifestationem inter nos dictum est, tum ob astruendam fidem. Ut namque ait Damascenus : « Ipse quidem clarificat us erat atque est ; nobis tamen ejus claritas perspicue cognita ac certo explorata non erat, juxta ac ait Apostolus, *Qui declaratus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum* [22]. Per miracula enim et resurrectionem adventumque Spiritus sancti, manifestatum est mundo, esse Filium Dei. » Quibus palam eadem ac divinus Basilius loquitur, dum ille ait : « Mari et ventis obtemperantibus, illius Deitatem cognoverunt. » Ac sane naturalis Dei claritas ac gloria hæc est, nasci ex Patre sempiterne et absque principio ; quemadmodum etiam si quis in creatorum sortem detrahat, quod in ipso est, Dei claritatem atque gloriam destruit. Sic etiam consequenter, qui Deo et Patri coæternum parique honore ac consubstantialem confitetur, eum clarificat ea claritate, quam ante omnia sæcula habebat.

Εἰσὶ δὲ καί τινα ἐπὶ Χριστοῦ λεγόμενα κατὰ τὴν ἐπὶ νοῦν διαίρεσιν (61). Ἀνιγὰρ τῇ διανοίᾳ διέλωμεν τὴν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου καὶ τὴν σάρκα, ἅτινα ἐνεργείᾳ εἰσὶν ἀχώριστα, λέγεται δοῦλος καὶ ἀγνοῶν· καὶ γὰρ τῆς φύσεως τῆς δούλης καὶ ἀγνοούσης ἦν τὸ προσληφθέν· καὶ εἰ μὴ ἥνωτο τῷ Θεῷ Λόγῳ ἡ

Dicuntur vero etiam quædam de Christo, ut mentis cogitatu dividitur. Si enim subtili cogitatu Dei Verbi naturam ac carnem diviserimus (quæ quidem actu minime separari possunt) servus dicitur atque ignorans. Nam quæ natura assumpta est, serva erat et ignorans ; ac nisi caro Deo

[18] Joan. xvi, 15. [19] Joan. x, 15. [20] Marc. xiii, 33. [21] Joan. xvii, 5. [22] Rom. i, 4.

(60) *Τοῦ ὁρισθέντος. Qui prædestinatus*, habet Vulg. exponitque subtilius Præceptor Angelicus, aliique Latini. At Græci *declaratum, manifestatum* exponunt, quo spectant quæ hic a Caleca allata sunt ; nec est cur ea expositio displiceat, quam plurium graviorumque Patrum auctoritas fulciat.

(61) *Κατὰ τὴν ἐπὶ νοῦν διαίρεσιν.* Habet Cord. uno contextu cum Basilii superioribus, paulo aliis verbis. Sed non exstant in illa Epistola Basilii. Quod fallentibus oculis legit ἰσχναῖς ἐπινοίαις, reddidque, *intellectualibus vestigiis*, valde absonum est. Nempe est, ἰσχναῖς διανοίαις, *subtilibus cogitationibus*, quod sequentibus vocibus exponit, ἥτοι νοῦ λεπταῖς φαντασίαις, vixque aliis verbis aptius Latine reddatur : *Minutis enim mentis phantasiis* Corderii, satis durum est. Τὸ ἴχνος *vestigium*, omnibus differt a voce ἰσχνὸς, nec unquam ἰχναῖς vel ἰχναῖς reddiderit.

Digitized by Google

Verbo unita esset, serva atque ignorans foret. Ob unionem tamen hypostaticam, nec serva erat, nec pro humana imbecillitate, ignorantia ulla laborabat. Secundum hunc modum, etiam Patrem appellavit Deum suum [22].

Cum itaque multa nomina secundum diversas rationes de Christo dicta sint, operæ pretium est, ut quæ sublimiora sunt, divinæ naturæ tribuamus; quæ vero humiliora, divinæ : quæ autem communia sunt, composito; uni scilicet Christo, qui Deus est et homo. Ac necesse est, ut communia hæc nomina ac parti utrique convenientia, unius Christi esse intelligamus, cunctaque ex illo proficisci opera, ut ex una persona, cum tamen unumquodque opus ad id, quod ei proprium est, referatur; ita nimirum ut divinum opus, in deitatis referamus naturam; humanum vero, humanitati ascribamus. Aliud porro est divinum opus; aliud autem humanum. Dumque eam teneamus fidem, non errabimus. Ex quibus omnibus naturarum, quæ unitæ sunt, distinctio noscitur, quodque, ut sancti (ac imprimis divinissimus Cyrillus) loquuntur, non idem sint in naturali qualitate Deitas et humanitas; tametsi unus sit Filius et Christus et Dominus, qui nimirum personæ ratione sit unus, cum nullo modo unio hypostatica inde dividatur, quod naturalem distinctionem agnoscimus.

Cum hac autem incarnatione, nihil Patrem ac Spiritum habuisse commune confitemur, præterquam voluntatem solam ac beneplacitum : beneplacitum autem et voluntatem cum dicimus, ab eo beneplacito bonaque erga nos voluntate Filium haudquaquam sejungimus. Unus enim Deus est cum Patre et Spiritu, unaque et individua natura. Unde etiam cum dicimus, Quod in mundo erat ob assumptam carnem, quodque per eam ipsum Filium Dei ac Deum agnosceremus, nunquam tamen Patri absens erat; sed et natus ex Virgine versansque in terra, ac cuncta ut homo sustinens, inseparabilis cum Deo et Patre ex quo æternaliter nascitur, et cum divino Spiritu, erat. Nunquam enim Deus fuit Verbi expers. Meminisse enim debemus, non decuisse ut unquam Filius Patri deesset, aut Filio Spiritus, nec fieri posse, ut ulla sectio aut divisio in sancta Trinitate intelligatur, ita nimirum, ut aut Filius a Patre, aut Spiritus a Filio disjungatur, quod aiunt Gregorius Theologus et divus Basilius docetque, illos secutus, Damascenus, his verbis : « Necesse vero est Verbum etiam Spiritum habere. »

Quia vero dicebamus esse quidem Deum unam substantiam, quæ et Trinitas est, Patremque Deum perfectum esse, ac similiter Filium, nec non Spiritum sanctum; idcirco dicimus, juxta ac san-

A σάρξ, δούλη ἦν καὶ ἀγνοοῦσα. Ἀλλὰ διὰ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν οὔτε δούλη ἦν οὔτε ἠγνόει κατὰ τὴν ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν. Κατὰ τὸν τρόπον τοῦτον καὶ Θεὸν αὐτοῦ τὸν Πατέρα ἐκάλεσε.

Πολλῶν τοίνυν ὀνομάτων ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ κατὰ διαφόρους τρόπους εἰρημένων, δεῖ τὰ ὑψηλότερα διδόναι, τῇ θείᾳ φύσει, τὰ δὲ ταπεινότερα, τῇ ἀνθρωπίνῃ· τὰ δὲ κοινὰ τῷ συνθέτῳ, ἤγουν τῷ ἑνὶ Χριστῷ, ὅς ἐστι Θεὸς καὶ ἄνθρωπος· καὶ τὰ κοινὰ ταῦτα καὶ ἀμφότερα ὀφείλομεν γινώσκειν εἶναι τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ· καὶ πάντα τὰ γενόμενα παρ' αὐτοῦ, ὡς ἐκ μιᾶς ὑποστάσεως, ἑκάστου ἔργου ἀναφερομένου εἰς τὸ ἑαυτοῦ οἰκεῖον· τουτέστι τὸ μὲν θεῖον ἔργον ἀναφέρειν τῇ τῆς θεότητος φύσει, τὸ δὲ ἀνθρώπινον τῇ ἀνθρωπίνῃ. Ἄλλο δὲ θεῖον ἔργον· ἄλλο δὲ ἀνθρώπινον. Καὶ οὕτω πιστεύοντες, οὐ πλανηθησόμεθα. Ἐξ ὧν ἁπάντων τῶν μὲν ἑνωθεισῶν φύσεων ἡ διαφορὰ γινώσκεται, καὶ ὅτι, ὡς φασὶν οἱ ἅγιοι, καὶ μάλιστα ὁ θειότατος Κύριλλος, Οὐ ταυτὸν ἐν ποιότητι φυσικῇ θεότης καὶ ἀνθρωπότης· εἷς γε μὴν Υἱὸς καὶ Χριστὸς καὶ Κύριος ἑνὸς ὄντος αὐτοῦ κατὰ τὸ πρόσωπον· κατ' οὐδένα τρόπον διὰ τὴν ἐπίγνωσιν τῆς φυσικῆς διαφορᾶς μεριζομένης τῆς καθ' ὑπόστασιν ἑνώσεως.

Ταύτης δὲ τῆς σαρκώσεως ὁμολογοῦμεν ὅτι κατ' οὐδένα τρόπον ὁ Πατὴρ καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον κεκοινώνηκεν, εἰ μὴ κατ' εὐδοκίαν καὶ θέλησιν μόνον. Ὅταν δὲ κατ' εὐδοκίαν καὶ θέλησιν λέγωμεν, οὐ χωρίζομεν τὸν Υἱὸν τῆς εὐδοκίας ταύτης καὶ τῆς ἀγαθῆς πρὸς ἡμᾶς θελήσεως· εἷς γὰρ Θεός ἐστι μετὰ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Πνεύματος· καὶ μία φύσις καὶ ἄτμητος. Ὅθεν εἰ καὶ λέγομεν Ὅτι ἐν τῷ κόσμῳ ἦν διὰ τὴν τῆς σαρκὸς προσληψιν, καὶ τὸ διὰ ταύτης αὐτὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ καὶ Θεὸν ἡμᾶς ἐπιγνῶναι· ἀλλ' οὐδέποτε τοῦ Πατρὸς ἀπῆν· ἀλλὰ καὶ γεννώμενος ἐκ Παρθένου καὶ διατρίβων ἐν γῇ καὶ πάντα πάσχων ὡς ἄνθρωπος, ἀχώριστος τῷ Θεῷ καὶ Πατρί, ἐξ οὗ ἀϊδίως γεννᾶται, συνῆν, καὶ τῷ θείῳ Πνεύματι. Οὐ γὰρ ἦν ποτε Θεὸς ἄλογος. Μνημονευτέον γὰρ ὡς οὐκ ἔπρεπεν ἐλλείπειν ποτὲ ἢ Υἱὸν Πατρὶ, ἢ Πνεῦμα Υἱῷ· καὶ ὡς οὐκ ἔστι δυνατὸν ἐπὶ τῆς ἁγίας Τριάδος τομὴν ἢ διαίρεσιν ἐπινοηθῆναι· ὡς ἢ Υἱὸν χωρὶς Πατρὸς νοηθῆναι, ἢ τὸ Πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ διαζευχθῆναι· ἅπερ ὁ Θεολόγος Γρηγόριος (62) καὶ ὁ θεῖος Βασίλειος (63) φασίν. Οἷς καὶ ὁ Δαμασκηνὸς ἑπόμενος (64), « Δεῖ δὲ τὸν Λόγον καὶ Πνεῦμα ἔχειν, » διδάσκει.

Ἐπεὶ δὲ ἐλέγομεν, Ὅτι μία μὲν ἔστιν οὐσία ὁ Θεὸς, ἥ καὶ Τριάς ἐστι· καὶ ὁ Πατὴρ τέλειος Θεὸς, καὶ ὁ Υἱὸς ὡσαύτως, καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον· διὰ τοῦτο φαμὲν κατὰ τὸν ἅγιον Διονύσιον (65) καὶ τοὺς

[22] Joan. xx, 17.

(62) Orat. 25, p. 441.
(63) Libr. 5 contra Eunom., etc.
(64) Lib. 1, c. 7.
(65) *De divin. nom.* c. 2.

Digitized by Google

δλους ἅπαντας ἁγίους, ὡς ὅλη ἡ θεία οὐσία ἐσαρκώθη ἐν μιᾷ τῶν αὐτῆς ὑποστάσεων. Καὶ γὰρ ὁ θεῖος Παῦλος φησὶν, « Ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς· » τουτέστιν ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ. Οἱ δὲ ταῦτα λέγοντες ἅγιοι τὸν ὅμοιον τρόπον φασὶν, ὅτι ἡ τοῦ Θεοῦ Λόγου ὑπόστασις ὅλῃ τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει ἡνώθη ἐν μιᾷ ὑποστάσει. Ἐπεὶ καὶ ἐφ' ἡμῶν ὅλη ἀνθρωπίνη φύσις ἐν ἑκάστῳ τελεία ἐστὶ, παραδειγματικῶς εἰπεῖν. Καὶ γὰρ οὐδὲν ἐνέλιπεν· ἀλλὰ τὰ τοῦ τελείου ἀνθρώπου πάντα ἀνέλαβε, σῶμα, ψυχὴν νοερὰν καὶ λογικὴν, καὶ τὰ τούτων ἀδιάβλητα ἰδιώματα. Τὸ γὰρ ἑνὸς τούτων λεῖπόμενον οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος.

A ctus Dionysius, cunctique alii sancti docent, Totam divinam substantiam in una suarum personarum incarnatam esse. Quippe cum dicat divus Paulus. « Habitare in eo omnem plenitudinem divinitatis corporaliter [24], » hoc est, in carne ejus. Qui autem hæc dicunt sancti, eodem modo etiam Dei Verbi personam toti humanæ naturæ in una hypostasi dicunt esse unitam. Nam et in nobis tota humana natura in singulis perfecta exstat, ut exempli causa istud afferam. Neque enim aliquid ei desideratum; quin ea quæ perfecti sunt hominis assumpsit omnia; corpus scilicet atque animam intelligendi ac rationis vi præditam, horumque proprietates, quæ nullam criminis labem habeant. Quod enim horum aliquo deficitur, nec homo censeatur.

Ὅλον τοίνυν ἀνέλαβε τὸν ἄνθρωπον, ἵνα σωτηρίαν ὅλῳ τῷ πεσόντι χαρίσηται. « Τὸ γὰρ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον. » Ἁμαρτίας δὲ, ἢ τῆς κατὰ νοῦν, ἢ τῆς κατ' ἐνέργειαν, οὐδαμῇ κεκοινώνηκεν. Κατὰ νοῦν δέ ἐστιν ἁμαρτία, ὅταν τις σύνθηται τὸ πονηρὸν ποιῆσαι· κατ' ἐνέργειαν δὲ, ὅταν καὶ ἔργοις αὐτὸ τελειώσῃ. Τούτων μὲν οὐδὲν, τὰ δὲ τῆς φύσεως ἀδιάβλητα πάντα εἶχεν· οἷον τὴν πεῖναν, τὴν δίψαν, τὴν δειλίαν, τὸν πόνον, τὴν ἀγωνίαν, τὴν τοῦ θανάτου παραίτησιν· ἃ τοῖς ἀνθρώποις φυσικῶς ἐνυπάρχουσι, καὶ τῇ φθορᾷ τούτων ὑπέκειτο· τῆς κατὰ τὴν ἁμαρτίαν, ἢ τῆς μετὰ θάνατον τοῦ σώματος διαλύσεως φθορᾷ (66), οὐδαμῶς. Ὅθεν κατὰ τὰ εἰρημένα πάθη φθαρτὸν τὸ τοῦ Κυρίου λέγομεν σῶμα, ἐφόσον δηλονότι συναναστρεφόμενος μεθ' ἡμῶν, οὐχ ὡμίλησε [συνωμίλησε ἢ προσωμ.] τῷ θανάτῳ· ἄφθαρτον δὲ μετὰ τὴν ἀνάστασιν, οὔτε τῶν ὑπερειδόντων τὸ σῶμα, καὶ ὧν πρότερον προσεδεῖτο, δεόμενον, οὔτε τινὰ διάλυσιν καὶ φθορὰν ὑπομένον οὐδέποτε. Εἰ δὲ καὶ τροφῆς μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἥψατο, ἀλλὰ τοῦτο κατὰ φυσικὸν λόγον οὐκ ἦν· διὸ πυρὶ δεῖφ, καὶ ὡς αὐτὸς οἶδε, ταύτην ἀνηλῶσθαι λέγομεν. Διὰ δὲ τὴν τῆς ἀναστάσεως πίστωσιν οἰκονομικῶς ἐγεγόνει, ὥσπερ καὶ ταῖς χερσὶν ἀνθρωπίναις ψηλαφηθῆναι· καίτοι τοῦτο πρὸς τὸ κεκλεισμένων τῶν θυρῶν εἰσελθεῖν ἐναντιότητα εἶχε. Καὶ γὰρ τὸ ψηλαφηθῆναι δυνάμενον καὶ φθείρεσθαι ἀναγκαῖον (67)· καὶ τὸ ἄφθαρτον ψηλαφηθῆναι ἀδύνατον.

B Totum itaque assumpsit hominem, ut ei, qui totus corruerat, salutem impartiretur: « Nam quod assumptum non est, curationis est expers. » Nullum vero cum peccato, sive quod mente agitur, sive quod actu perpetratur, unquam habuit commercium. Peccatum quod in mente agitur, vocamus, cum quis consenserit animoque destinaverit ut malum operetur, actum vero, cum et operibus rem peregit. Horum vero Christus nihil, cuncta vero quæ naturæ sunt, vacantque omni crimine, hæc habebat; cujusmodi sunt, fames, sitis, formido, lassitudo, mortis anxius timor ejusque fuga ac recusatio; quæ quidem hominibus natura insunt, horumque corruptioni subjacebat: ei vero corruptioni, quæ est a peccato, vel qua corpus post mortem dissolvitur, nequaquam obnoxius fuit. C Idcirco etiam juxta eos, qui dicti sunt, affectus, Christi corpus corruptibile dicimus, quatenus scilicet versans nobiscum, morte functus est: incorruptibile vero post resurrectionem, cum iis quibus sustentatur corpus, pro prioris vitæ necessitate, nihil ei opus esset, nec ulli unquam dissolutioni ac corruptioni subjaceret. Sin autem etiam post resurrectionem cibum accepit, non tamen id pro naturali exstitit ratione. Quare divino igni, et ut ipse novit, consumptam eam escam dicimus. Certa vero consilii ratione istud actum est, ad conciliandam fidem resurrectioni, sicut et quod manibus humanis contrectaretur; quanquam huic contrarium videbatur, quod clausis januis ingressus est. Nam quod palpari potest, etiam corrumpi necesse est, et quod incorruptibile est, palpari non potest.

Πάντως δὲ ἄφθαρτον τὸ ἑαυτοῦ σῶμα ἦν κεκλεισμένων τῶν θυρῶν εἰσελθόν. Ἀλλ' ὥσπερ ἄνθρωπος γεννηθεὶς, παρθένον τὴν τεκοῦσαν ἐφύλαξε, καὶ δύο ταῦτα συνῆψε, παρθενίαν καὶ τόκον, τὰ ἀνθρώποις ἀδύνατα· οὕτω κἀνταῦθα ξένον τινὰ καὶ ἀδιανόητον

D Prorsus vero ejus corpus incorruptibile erat, quod januis clausis ingressum est. Verum sicut natus homo, cujus partu effusus est, servavit virginem, atque duo hæc copulavit hominibus incognita, virginitatem ac partum, sic hic quoque,

[24] Coloss. II, 9.

(66) *Τῆς διαλύσεως φθορᾷ.* Διαφθοράν habet Psalmus XV, 18, quem Petrus (*Act.* II, 17) exponit de Christo; hincque ejus corpus minime dissolutum ostendit, sed ubi paululum mortem degustasset, illaque defunctum, ad incorruptionem reparatum esse. Hoc enim vult illud Calecæ, προσωμίλησε τῷ θανάτῳ, per eas scilicet passiones, quas versans nobiscum sponte exsolvit; ubi inscitus scriba, οὐχ ὡμίλησε, subdiderat. Sicque ipsemet Calecas paulo inferius, istud ipsum respiciens, quandiu in mundo egit, et morti et reliquis innoxiis passionibus obnoxium fuisse, ait: Καθάπερ εἴπομεν· *Ut dictum a nobis fuit.*

(67) Greg. papa hom. 10 in Evang.

Digitized by Google

novo quodam vimque omnem mentis superante modo, Salvator noster, corpus suum post resurrectionem et incorruptibile exhibuit et palpabile, ut nempe exhibendo incorruptibile, ad spiritalia certamina atque præmia fideles provocaret, quod vero præbebat palpabile, ad fidem confirmaret. Ut itaque ejusdem nobiscum naturæ, diversæ tamen claritatis, corpus suum ostenderet, seipsum et palpabilem exhibuit et incorruptibilem. Quandiu igitur, ut supra diccbamus, in mundo versabatur, morti pariter, iisque omnibus, quas diximus, naturalibus ac innoxiis passionibus obnoxius fuit (idcirco nimirum, quod assumpserat perfectum hominem) in quibus ut homo certavit, modumque quo hæc in nobis moderanda sint, ostendit : nec committendum ut bruto quodam impetu extraque rationem, naturæ nostræ dominentur.

Etenim ut homo, humanam voluntatem habuit : verum illa subjecta erat divinitatis ipsius voluntati, nec contrarie movebatur ; sed hæc quoque ut homo volebat ac faciebat ; quæcunque nimirum divina ejus voluntas suadebat. Concedente enim divina natura, propriis humanæ naturæ innoxiis passionibus pro tempore afficiebatur, ut et spontaneam mortem eligeret ; ac rursus eadem concedente ipsam recusaret. Ait enim ipse : « Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam [25]. » Et : « Nondum venit hora mea [26]. » In nobis autem non ita accidit ; quin potius liberi arbitrii nutu, haud raro prava voluptate seducti, carnis voluntatem præferimus, quæ Dei voluntati adversatur animique perfectioni. De hac enim dictum est : « Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem [27]. »

Ex his porro solvitur etiam illa quæstio, Quid causæ sit, cur ante annum tricesimum signa edere non cœperit. Cum enim omnium consensu exploratum sit, Deus cum esset, factum esse perfectum hominem, uno dempto peccato ; liquet, in quantum Deus erat, etiam cum pueriles ac infantiæ annos ageret, potuisse signa hæc humanitus edere. Tametsi enim ait Evangelista : « Jesus autem proficiebat sapientia et ætate et gratia [28], » non ita intelligendum, quasi paulatim crcsceret, atque ab eo quod est potentia, ad actum perfectiorem (uti se res in hominibus habet) procederet : « Quid enim eo, quod a principio perfectum erat, perfectius esse possit? » sed quia in ejus vultu gestuque, ut homo erat, venustas atque gratia elucebat, quodque paulatim per operationes, pro cujusque ætatis gradu congruentes, ipsius detegebatur divinitas ; ut auctor est Gregorius Theologus. Quia enim ætatis humanæ ac scientiæ perfectio illo maxime consummatur tempore, idcirco etiam ipse cum esset factus homo, sicut reliqua omnia susceperat (nam etiam circumcisus est et in templo

A τρόπον ὁ Σωτὴρ ἡμῶν καὶ ἄφθαρτον μετὰ τὴν ἀνάστασιν καὶ ψηλαφητὸν τὸ ἑαυτοῦ ἔδειξε σῶμα· ἵνα διὰ μὲν τοῦ ἀφθάρτου δείξαι ἐπὶ τοὺς πνευματικοὺς ἀγῶνας καὶ τὰ ἆθλα τοὺς πιστοὺς προσκαλέσηται· διὰ δὲ τοῦ ψηλαφητὸν αὐτὸ παρασχεῖν πρὸς τὴν πίστιν ἡμᾶς βεβαιώσῃ. Ἵνα τοίνυν τῆς αὐτῆς ὂν ἡμῖν φύσεως καὶ δόξης ἑτέρας τὸ ἑαυτοῦ σῶμα δείξῃ, καὶ ψηλαφητὸν καὶ ἄφθαρτον ἔδειξεν ἑαυτόν. Ἕως μὲν οὖν, καθάπερ εἴπομεν, ἐν τῷ κόσμῳ διέτριβε, καὶ θανάτῳ καὶ τοῖς εἰρημένοις ἅπασι τοῖς φυσικοῖς καὶ ἀδιαβλήτοις ὑπέκειτο πάθεσιν (ἐπὶ τέλειον ἀνείληφεν ἄνθρωπον), ἐν οἷς καὶ ὡς ἄνθρωπος ἠγωνίσατο, καὶ ἔδειξε πῶς ταῦτα καὶ ἐν ἡμῖν οἰκονομεῖσθαι δεῖ, καὶ μὴ ἀλόγως ὑπὸ τούτων τὴν ἡμετέραν κατεξουσιάζεσθαι φύσιν.

B

Καὶ γάρ, ὡς μὲν ἄνθρωπος, εἶχε τὸ ἀνθρώπινον θέλημα· ὑπετάσσετο δὲ τῷ θελήματι τῆς ἑαυτοῦ θεότητος, καὶ οὐκ ἐκινεῖτο ὑπεναντίως· ἀλλὰ ταῦτα καὶ ὡς ἄνθρωπος ἤθελε καὶ ἐποίει, ὅσα δηλονότι καὶ τὸ θεῖον αὐτοῦ θέλημα. Συγχωρούσης μὲν γὰρ τῆς θείας φύσεως, κατὰ καιρὸν ἔπασχε τὰ ἴδια τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἀδιάβλητα πάθη, ὡς καὶ τὸ τὸν ἑκούσιον προελέσθαι θάνατον· συγχωρούσης δὲ πάλιν, τὸν αὐτὸν παρῃτήσατο. Αὐτὸς γάρ φησιν, « Ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι τὴν ψυχήν μου, καὶ πάλιν λαβεῖν αὐτήν. » Καί, « Οὔπω ἐληλύθει ἡ ὥρα μου. » Ἐφ' ἡμῶν δὲ οὐχ οὕτω συμβαίνει· ἀλλὰ διὰ τὴν τοῦ αὐτεξουσίου ῥοπὴν, πολλάκις φαύλης ἡδονῆς ἕνεκα ἀπατώμενοι, τὸ τῆς σαρκὸς προαιρούμεθα θέλημα, ὅπερ ἐστὶν ἐναντίον τῷ θελήματι τοῦ Θεοῦ, καὶ τῇ τῆς ψυχῆς τελειότητι. Περὶ τούτου γάρ εἴρηται, « Ἡ σὰρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύματος· τὸ πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκός. »

C

Ἐκ τούτων δὲ λύεται, καὶ τίνος ἕνεκα μὴ πρότερον τῶν τριάκοντα χρόνων ἤρξατο σημεῖα ποιεῖν. Εἰ γὰρ διὰ πάντων ὁμολογεῖται ὅτι Θεὸς ὤν, τέλειος ἐγένετο ἄνθρωπος χωρὶς ἁμαρτίας, φανερὸν ὅτι ὡς μὲν Θεὸς ἐδύνατο καὶ παιδικὴν ἡλικίαν κατὰ τὸ ἀνθρώπινον ἔχων, ταῦτα τὰ σημεῖα ποιεῖν. Εἰ γὰρ καὶ φησὶν ὁ Εὐαγγελιστής, « Ἰησοῦς δὲ προέκοπτε σοφίᾳ καὶ ἡλικίᾳ καὶ χάριτι, » οὐ νοητέον ὅτι κατ' ὀλίγον ηὔξάνετο, καὶ ἀπὸ τοῦ δυνάμει εἰς ἐνέργειαν

D ἐντελεστέραν ὡς οἱ ἄνθρωποι προῄει· « Τί γὰρ τοῦ ἀπαρχῆς τελείου γένοιτ' ἂν τελειότερον ; » ἀλλ' ὅτι κατὰ τὸ ἀνθρώπινον ὥρα καὶ χάρις ἐπέλαμπε τῷ τούτου προσώπῳ· καὶ ὅτι καταμικρὸν διὰ τῶν ταῖς ἡλικίαις ἀναλογουσῶν ἐνεργειῶν ἡ τούτου παρεγυμνοῦτο θεότης, ὡς Γρηγόριος ὁ Θεολόγος φησίν. Ἐπειδὴ γὰρ ἡ τελειότης τῆς ἀνθρωπίνης ἡλικίας καὶ γνώσεως ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ μάλιστα τελειοῦται, διὰ τοῦτο καὶ αὐτὸς ἄνθρωπος γεγονὼς, ὥσπερ τἆλλα ἀνεδέξατο πάντα (καὶ γὰρ καὶ περιετμήθη, καὶ τῷ ναῷ προσηνέχθη κατὰ τὸν νόμον. Αὐτὸς γάρ φησιν, « Οὐκ ἦλθον καταλῦσαι τὸν νόμον, ἀλλὰ πληρῶσαι, » ἵνα μὴ ἀντίθεος δόξῃ)· εὔδηλον ὅτι

[25] Joan. x, 18. [26] Joan. II, 4. [27] Galat. v, 17. [28] Luc. II, 52

Digitized by Google

κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τὰ σημεῖα προείλετο πράττειν, οἰκείως καὶ προσηκόντως τῇ ἕξει τῆς ἡλικίας τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως καὶ τελειότητι· ἵνα καὶ ἡμᾶς διδάξῃ μὴ ἐπιδεικτικοὺς εἶναι, τηνικαῦτα τῶν παθῶν ἀκμαζόντων, πρὸς τοὺς ἀγῶνας καὶ τοὺς πειρασμοὺς ἀποδύεσθαι. Ἔπει καὶ αὐτὸς τότε κατὰ τῶν παθῶν ἠγωνίσατο. « Ἤχθη γάρ, » φησίν, « ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν ἔρημον ὑπὸ τοῦ Πνεύματος, ἵνα πειρασθῇ ὑπὸ τοῦ διαβόλου, καὶ ἵνα μὴ δόξῃ κατὰ φαντασίαν ἀνειληφέναι τὸν ἄνθρωπον (68). Εἰ γὰρ καὶ τούτου γενομένου πάλιν τινὲς ἐτόλμησαν τοῦτο εἰπεῖν, εἰ μηδὲ ταῦθ' οὕτως ᾠκονομοῦντο, τί οὐκ ἂν εἶπον; Καίτοι καὶ πρὸ τούτου διά τινων ἀμυδρῶς ἑαυτὸν ὑπέφαινεν. Ὁ γὰρ ἐν τῷ σπηλαίῳ ἀστὴρ καὶ οἱ ἄγγελοι καὶ οἱ Μάγοι, καὶ τὸ τοῦ ἱεροῦ μέσον ἀναγινώσκειν, καὶ τινὰς τῶν γραμματέων ἐπιστομίσαι, γράμματα μὴ μεμαθηκότα, εἰ καὶ οἱ παρόντες οὐ συνίεσαν, ἀλλὰ ταῦτα θεὸν αὐτὸν ὑπεδείκνυεν. Ὅμως τὸ συνεχῶς περὶ πολλῶν ἔμπροσθεν δημηγορεῖν καὶ διδάσκειν, μαθητὰς ἐπαγόμενον καὶ ποικίλα θαύματα ἐνεργοῦντα διδασκαλίας ἀξίωμα προβαλλόμενον, τοῦτο ὡς οὐ προσῆκον τῇ τῶν ἀνθρώπων παιδικῇ ἡλικίᾳ πρότερον παρητεῖτο, ἵνα μὴ δόξῃ κατὰ φαντασίαν ἅπαντα πράττειν, καθάπερ εἴπομεν.

A oblatus, pro eo ac lex jubebat [29]; ait enim ipse : « Non veni solvere legem, sed adimplere [30], » ne Dei adversarius videretur); manifestum est secundum eumdem modum etiam animo destinasse ut signa operaretur, pro eo scilicet ac humanæ naturæ habitui ac perfectioni conveniens aptumque erat; ut nos jactantiæ non studere doceret, statimque cum affectus vigeant, ad certamina ac tentationes prosilire. Nam et ipse adversus affectus secundum id tempus decertavit : « Ductus est enim, inquit, Jesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo [31]. » Ne item specie tenus et quasi spectro hominem assumpsisse videretur. Nam si etiam cum se ita res habuerit, non defuerunt rursus, qui sic contigisse dicere ausi sint; nisi ea consilii ratione B res administraretur, quidnam dicturi essent? Quanquam etiam prius quibusdam exhibitis vel obscure sese demonstrabat. Stella enim in antro et angeli ac Magi [32]; itemque in templi medio legere, ac nonnullis scribarum, cum litteras non didicisset, os occludere [33], etsi non intellexerunt, qui aderant, hæc tamen cum Deum esse indicabant. Assidue tamen de multis coram concionari atque docere, discipulorum turba comite, variaque patrando miracula, magistri etiam dignitate assumpta atque munere, id vero ut non satis puerilem hominum ætatem addecens, prius repudiavit; ne, quemadmodum dicebamus, quasi spectro sensusque spectatorum ludificando, omnia gerere videretur.

Ἄλλως τε, καθά φησιν ὁ Θεολόγος Γρηγόριος ἐν τῷ εἰς τὰ Φῶτα λόγῳ (69), « Ἐπεὶ ἀπέκειτο τὸν σωτήριον θάνατον ὑπομεῖναι, πάντα συνδραμεῖν ἔδει πρὸς τὸ πάθος, ὅσα τοῦ πάθους· τὴν ἀνάδειξιν, τὸ βάπτισμα, τὴν ἄνωθεν μαρτυρίαν, τὸ κήρυγμα, τὴν συνδρομὴν τοῦ πάθους, τὰ θαύματα· καὶ ὥσπερ ἓν σῶμα γενέσθαι μὴ διεσπασμένον μηδὲ ἀπῃρτημένον τοῖς διαστήμασιν. Ἐκ μὲν γὰρ τοῦ βαπτίσματος καὶ τοῦ κηρύγματος ὁ τῶν συντρεχόντων σεισμὸς (70) (οὕτω γὰρ ἡ Γραφὴ καλεῖ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον)· ἐκ δὲ τοῦ πλήθους ἡ τῶν σημείων ἐπίδειξις καὶ τὰ θαύματα τῷ Εὐαγγελίῳ προσάγοντα. Ἐκ δὲ τούτων ὁ φθόνος· ἐκ δὲ τούτου τὸ μῖσος· ἐκ δὲ τοῦ μίσους· τὸ τῆς ἐπιβουλῆς καὶ τῆς προδοσίας· ἐκ δὲ τούτου ὁ σταυρὸς, καὶ ὅσοις σεσώσμεθα. » Ἀναλαβὼν τοίνυν τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν, καὶ ὡς ἄνθρωπος διὰ πάντων ἀγωνισάμενος, καὶ νικήσας μὲν τὸν ἀντίπα-

Alioqui vero, ut ait Gregorius Theologus orat. *in Lumina* : « Quoniam repositum illi erat ut salutis hominum causa mortem subiret, omnia C utique, quæ ad passionem spectabant, ad passionem concurrere oportebat; nimirum, ostensionem, baptismum, testimonium de cœlo, prædicationem, multitudinis concursum, miracula, et velut unum corpus fieri, non divulsum, nec temporum intervallis disjunctum et interruptum. Etenim ex baptismo et prædicatione turbæ confluentis commotio (sic enim Scriptura tempus illud vocat). Rursus ex populi multitudine et frequentia signorum editio et miracula, quæ Evangelio admoverent. Ex his nata invidia, ex invidia odium : ex odio, insidiæ et proditio. Hinc postremo crux, et quibus omnibus salutem consecuti sumus. » Assumens ergo humanam naturam, et ut homo certamen omne

[29] Luc. II, 21, 22. [30] Matth. V, 19. [31] Matth. IV, 1. [32] Matth. II, 2. [33] Luc. II, 9, 16.

(68) Sic passim Chrysostomus.

(69) Orat. 40.

(70) *Ὁ τῶν συντρεχόντων σεισμός*. Respicit illud Matth. XXI, 11 : Εἰσελθόντος αὐτοῦ εἰς Ἱεροσόλυμα, ἐσείσθη πᾶσα ἡ πόλις· Cum *intrante eo Hierosolymam, commota est universa civitas*. Quasi æstu quodam agitata, pro certantium partium studiis, aliis propensa voluntate Christum suscipientibus, sibique regem adhibentibus, aliis tanta ejus claritate infrendentibus, accensaque odii flamma, in ejus necem anhelantibus. Sic dictum Gregorio et Scripturæ civitatis σεισμὸν, qui reaidat Bill. : *Confluentis multitudinis terræmotus*; non placet, perindeque reddiderit alius, *aquæmotus*; cum idem Matthæus eam vocem utrique D elemento nihil violente tribuat (VIII, 24, et XXVIII 2) duramque nimis sit, cum metaphorice ad homines transfertur, vel terræ meminisse, vel aquæ; et non magis animorum motum, commotionem, æstum seu fluctuationem ac tumultum reddere. Hesych. : σεισμὸς, τρόμος· ut licet κατ' ἐξοχὴν de terra communius dici videatur, sicque Latini eam vocem *terræmotus* accommodaverint; aliis omnibus, quæ ullo modo concuti possunt, ac commoveri impressione aliqua aut passione, communis sit. Solum indicavit Theologus, illa voce ingentem animorum commotionem Hierosolymis significari, qua velut mare æstuans aut terra tremens civitas tota videretur, hoc exordio crucem Salvatori parans.

Digitized by Google

decertans, victoque adversario, ipse semper invictus perseverans, multaque passus, quorum nos eramus rei, ut qui propria voluntate ac consilio peccantes, alieni a Deo facti eramus, postremo mortuus atque sepultus, illius potitus est, qui ob peccatum, humanum genus imperio mancipaverat, eoque condemnato, ab illius nos exemit servitute, qua cruce functus est ac morte. Si enim ob primi Adæ culpam, velut labem quamdam ad nos usque diffusam, divina sententia in nos latam mortis pœnam incurrimus [34] : quomodo non potius, Filii Dei morte justificabimur, ejus scilicet, qui veterem Adam sine peccato assumpsit, ac novus ipse Adam exsistit [35]. Siquidem, ut ait Apostolus : « Damnationem peccati solvit in carne sua [36], » interempto peccato. Ac si propter veterem illum inimici et a Deo desertores facti sumus, quomodo non per ipsum etiam admovebimur, interque Dei necessarios ac amicos cooptabimur?

Diabolus namque a Dei gloria prolapsus, qua superbia in eum elatus est, animi mortem incurrit : siquidem a Deo recedere, hoc animi mortem definiunt. Corporis vero mortem, in eo positam quod animus a corpore separetur, non subiit, eo quod expers corporis erat. Non ferens autem priore se honore excidisse, hominemque Dei gloriam consecutum esse, invidit nobis quod Deo propinqui facti eramus, velutque objecta esca capiens, a Dei mandatis abstraxit, atque peccati noxam invexit. Sic itaque duplicem nobis mortem conscivit ; primam quidem, animi, tumque etiam corporis, cujus ex peccatis indicta nobis necessitas fuit : « Mortem enim, inquit, Deus non fecit, nec delectatur in perditione hominum [37]. » Etenim mors peccati damnatio est [38]. Idcirco etiam nobis, qui mortale corpus induti sumus, inducta est. Medii enim mortalis sortis ac immortalis a Deo formati fueramus, ut siquidem in bono ac honesto perseveraremus, immortalitatem consequeremur ; sin autem malum diligeremus, mortem sustineremus. Qui enim liberi arbitrii conditi simus, nullam exterius ut vel virtutem amplectamur, vel vitium sequamur, necessitatem habemus. Unde et merito digni damnatione ac laudibus sumus : quippe qui motus principium, cum aliquid agere voluerimus, ex nobis habeamus.

Dei itaque Filius factus homo, animi quidem mortem non sustinuit. Quomodo enim, qui ex Virgine natus esset : et in cujus ore non est inventus dolus [39]? Idcirco nec corporis quidem morti obnoxius erat, qua ratione ab omni immunem culpa vitam traduxerat. Operam tamen conferente diabolo per deicidas Judæos sponte eam suscepit propter nos. Mori enim poterat quod veterem Adamum induerat. Et quia ut moreretur in causa non fuit peccatum originis, suum rursus corpus recepit.

λον, ἐν οὐδενὶ δὲ ἡττηθείς, καὶ πολλὰ παθὼν ὅσα ἡμᾶς ἔδει παθεῖν ὡς οἰκείᾳ γνώμῃ ἁμαρτόντας καὶ ἀλλοτριωθέντας Θεοῦ, τέλος ἀποθανὼν καὶ ταφείς, ὑπερέσχε τοῦ διὰ τὴν ἁμαρτίαν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως κατεξουσιάσαντος· καὶ καταδικάσας αὐτὸν, ἠλευθέρωσεν ἡμᾶς τῆς δουλείας ἐκείνου, τῷ ἑαυτοῦ σταυρῷ τε καὶ τῷ θανάτῳ. Εἰ γὰρ διὰ τὴν ἁμαρτίαν τοῦ πρώτου Ἀδὰμ, καθάπερ τινὰ λύμην μέχρις ἡμῶν διαδοθεῖσαν, ὑπεπέσαμεν τῷ θανάτῳ κατακριθέντες, πῶς οὐ μᾶλλον δικαιωθησόμεθα διὰ τοῦ θανάτου τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, τοῦ τὸν παλαιὸν Ἀδὰμ ἀναμαρτήτως ἀναλαβόντος καὶ νέου Ἀδὰμ χρηματίσαντος ; Ἐπείπερ, ὅ φησι Παῦλος, « Τὸ κατάκριμα τῆς ἁμαρτίας ἔλυσεν ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ, » τοῦ θανάτου θανατωθέντος. Καὶ εἰ διὰ τὸν παλαιὸν ἐκεῖνον ἐχθροὶ καὶ ἀποστάται γεγενήμεθα τοῦ Θεοῦ, πῶς οὐ δι' αὐτὸν καὶ προσαχθησόμεθα καὶ οἰκειωθησόμεθα τῷ Θεῷ ;

Καὶ γὰρ ὁ μὲν διάβολος τῆς τοῦ Θεοῦ δόξης ἐκπεπτωκὼς διὰ τὴν ὑπερηφανίαν αὐτοῦ, ψυχικὸν ὑπέμεινε θάνατον· ἐπεὶ τὸ ἀποστῆναι Θεοῦ, τοῦτο ψυχικὸν ὁρίζονται θάνατον· σωματικὸν δὲ θάνατον, ὃς ἐστι τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος χωρισμὸς, οὐκ ἔπαθεν, ἐπείπερ ἀσώματος ἦν. Οὐ φέρων δὲ ἑαυτὸν ὁρᾷν τῆς πρότερας ἐκπεπτωκότα τιμῆς, τὸν δὲ ἄνθρωπον τῆς τοῦ Θεοῦ δόξης ἠξιωμένον, ἐφθόνησεν ἡμῖν τῆς παρὰ τῷ Θεῷ πλησιότητος, καὶ δελεάσας ἀφείλκυσε τῶν τοῦ Θεοῦ προσταγμάτων, καὶ τὴν ἁμαρτίαν εἰσήνεγκεν. Οὕτω τοίνυν διπλοῦν ἡμῖν ἐποίησε θάνατον· πρῶτον μὲν τὸν ψυχικόν· εἶτα καὶ τὸν σωματικὸν, τὸν τοῖς ἁμαρτήμασιν ἐπαγόμενον. « Θάνατον γὰρ, » φησὶν, « ὁ Θεὸς οὐκ ἐποίησεν, οὐδὲ τέρπεται ἐπ' ἀπωλείᾳ ζώντων. » Καὶ γὰρ ὁ θάνατος ἁμαρτίας ἐστὶ καταδίκη. Διὸ καὶ ἡμῖν θνητὸν σῶμα περικειμένοις ἐπήγετο. Μέσοι γὰρ θνητότητος καὶ ἀθανασίας ἐπλάσθημεν, ἵν' εἰ μὲν ἐν τῷ καλῷ διαμένοιμεν, ἀθανασίαν κληρονομήσωμεν· εἰ δὲ τὸ κακὸν ἀγαπήσομεν, τὸν θάνατον ὑπομένωμεν. Αὐτεξούσιοι γὰρ γεγονότες, οὐδεμίαν ἀπὸ τῶν ἔξωθεν ἢ πρὸς ἀρετὴν ἢ πρὸς κακίαν ἀνάγκην ἔχομεν. Ὅθεν καὶ δικαίως ἄξιοι καταδίκης καὶ ἐπαίνων ἐσμὲν, ἅτε τὴν ἀρχὴν τῆς κινήσεως οἰκοθεν κεκτημένοι, ὅταν τι προαιρώμεθα πράττειν.

Ὁ τοίνυν Υἱὸς τοῦ Θεοῦ γενόμενος ἄνθρωπος, ψυχικὸν μὲν οὐκ ἐπεπόνθει θάνατον. Πῶς γὰρ, ὃς ἐκ Παρθένου γεγέννηται, οὐδὲ εὑρέθη δόλος ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ ; Διὰ τοῦτο οὐδὲ τὸν σωματικὸν ἀποθανεῖν ὤφειλε, καθότι ἀναμάρτητος διεβίω. Ὅμως τοῦ διαβόλου συνεργήσαντος διὰ τῶν θεοκτόνων Ἰουδαίων, ἑκὼν αὐτὸν ὑπεδέξατο δι' ἡμᾶς. Ἀποθανεῖν γὰρ ἐδύνατο, τὸν παλαιὸν Ἀδὰμ ἐνδυσάμενος. Καὶ ἐπείπερ οὐκ ἀπέθανε διὰ τὴν προγονικὴν ἁμαρτίαν, πάλιν τὸ ἑαυτοῦ σῶμα ἀνείλετο.

[34] Rom. v, 15. [35] I Cor. xv, 45. [36] Ephes. II, 14. [37] Sap. I, 13. [38] I Cor. xv, 56. [39] I Petr. II, 23.

Digitized by Google

Τῷ οὖν θανάτῳ τοῦ διαβόλου διπλοῦν ἐπάθομεν θάνατον· τῷ δὲ ἁπλῷ καὶ ἑνὶ θανάτῳ τοῦ Χριστοῦ τῷ προαιρετικῷ τοῦ θανάτου ἠλευθερώθημεν, καὶ ἐζωποιήθημεν δι' αὐτοῦ. Καὶ, ὥς φησιν Ἡσαΐας, « Τῷ μώλωπι αὐτοῦ ἡμεῖς πάντες ἰάθημεν. » Εἰ γὰρ καὶ σωματικῶς ἀποθνήσκομεν διὰ τὸ θνητὸν σῶμα, ἀλλὰ πάλιν ἀναλαβεῖν πιστεύομεν τὰ σώματα ἡμῶν ἐν δόξῃ, ὅταν ὁ Χριστὸς φανερωθῇ ἡ ζωὴ ἡμῶν, κατὰ τὸν μακάριον Παῦλον· καίτοι εἰς τὸν κατὰ τοῦ θανάτου ἀγῶνα οὐδὲν ἡμεῖς αὐτῷ συνηράμεθα. Διὰ δὲ τὸ κοινὸν τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, ἣν ἅπασαν προσελάβετο ἐν μιᾷ ὑποστάσει, καὶ διότι Κύριον καὶ δεσπότην αὐτὸν ἐπιβοώμεθα καὶ Σωτῆρα πανηγυρίζομεν, καὶ τοὺς ἐπινικίους ᾄδομεν αὐτῷ εἰς τὴν τοῦ θανάτου νίκην, κοινωνοὺς τῆς νίκης ποιεῖται καὶ τὴν ἐλευθερίαν χαρίζεται. Τοῦ γὰρ Θεοῦ τοῦ Πατρὸς, καὶ Υἱοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος καταδικάσαντος τὸν διάβολον, ὡς ἀδίκως ἐπενεγκόντα τῷ ἀναμαρτήτῳ τὸν θάνατον, οὐκ ἐκρατήθη ὑπὸ τοῦ θανάτου ἡ αὐτοζωή· ἀλλ' ὡς Κύριος τῆς δόξης ὑπερβαλλούσῃ ἐξουσίᾳ τὸν ἄρχοντα τοῦ σκότους καὶ τὰς ὑπ' αὐτῷ δυνάμεις κατήνεγκε, καὶ τὴν ἰσχὺν ἐκείνων διέλυσε· καὶ οὕτω τὰς μὲν ψυχὰς τῶν ἁγίων, οἳ καὶ αὐτὸν ἐξεδέχοντο, τοὺς δεσμοὺς διαῤῥήξας ἀπέλυσε, καὶ μεθ' ἑαυτοῦ ταύτας ἀνήγαγεν, ἐλευθερίᾳ τιμήσας· ἔτι δὲ καὶ τῶν εἰς αὐτὸν ἄρτι τότε πεπιστευκότων· ἀνελάβετο δὲ τὸ ἑαυτοῦ σῶμα, καὶ ἀνέστη τριήμερος νικητὴς τοῦ θανάτου, τὰ σκεύη τοῦ ἄρχοντος συντρίψας, καὶ καθάπερ αἰχμάλωτον αὐτὸν καταστήσας.

Εἶτα καὶ ἐφάνη τοῖς μαθηταῖς, καὶ ἔφαγε καὶ ἐψηλαφήθη, διὰ μόνην τὴν τῆς ἀναστάσεως, ὡς ἔφημεν, πίστωσιν· καὶ τέλος εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνελήφθη πάντων ὁρώντων, ἐπὶ μηδενὸς τούτου πρότερον γεγονότος. Ὁ γὰρ Ἠλίας ἁρπαγείς, οὐκ εἰς οὐρανὸν, ἀλλ' « ὡς εἰς οὐρανὸν » ἁρπαγῆναι λέγεται. « Οὐδεὶς γὰρ ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς. » Καὶ ὁ μὲν ὑπ' ἄλλου, ὁ δὲ Χριστὸς αὐτὸς ὑφ' ἑαυτοῦ εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνεφέρετο. Πρωτότοκος οὖν ἐκ τῶν νεκρῶν καὶ ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων γενόμενος, ἐλπίδας ἡμῖν παρέσχετο τοῦ καὶ ἡμᾶς τὸν ὅμοιον ἀναστήσεσθαι τρόπον, καὶ αὐτῷ παραστήσεσθαι, τῷ ἀρχηγῷ τῆς σωτηρίας ἡμῶν, ἢ δοξασθησομένους, ἢ κολασθησομένους ἀθάνατα· ὅτε δηλονότι, καθὼς πιστεύομεν, τὸ δεύτερον πάλιν ἐλεύσεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς.

Ὁ τοίνυν κατὰ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἐπαιρόμενος, καὶ τὴν οἰκουμένην ὡς νοσσιὰν καυχώμενος καταλήψεσθαι, νῦν ὑφ' ἡμῶν ἐμπαίζεται καὶ γελᾶται τῶν τὸν Χριστὸν προσκυνούντων, τὸν αὐτὸν ὁμοῦ Θεὸν καὶ ἄνθρωπον, καὶ βοώντων, « Ἐπεφάνη ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις, παιδεύουσα ἡμᾶς, ἵνα ἀρνησάμενοι τὴν ἀσέβειαν καὶ τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας, σωφρόνως καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ. » Οὐκέτι γὰρ

A Diaboli itaque morte duplicem passi sumus mortem; unaque ac simplici Christi morte illi sponte suscepta, à morte liberati sumus et per eam vivificati. Atque, ut Isaias loquitur: « Livore ejus nos omnes sanati sumus [40]. » Tametsi enim corpore morimur, quod mortale corpus habeamus; credimus tamen rursum nos corpora nostra recepturos in claritate [41], cum Christus apparuerit vita nostra, uti auctor est beatus Paulus; quamvis agone quo mortem superavit, nihil ei a nobis operæ collatum sit. Ob naturæ tamen communitatem, quam omnem in una persona accepit, et quod Dominum

B rumque eum invocamus et Salvatorem laudamus, ac victoriæ illi cantica canimus pro mortis tropæo, socios nos victoriæ facit ac libertatem tribuit. Deo enim Patre et Filio et Spiritu condemnante diabolum, quod injuste eum morte affecerit qui nullius peccati ipse reus erat, teneri a morte ipsa vere vita non potuit [42]; sed tanquam Dominus gloriæ excellenti potentia tenebrarum principem una cum subjectis ei potestatibus profligavit [43], eorumque robur dissolvit; atque in eum modum sanctorum quidem animas (cujus spe tenebantur) disruptis vinculis absolvit, libertatisque munere donatas, una secum reduxit, eorumque præterea, qui tunc recens in eum crediderunt. Resumptoque suo corpore triduanus mortis victor revixit, contritis principis vasis, ac seu captivum carceri ac vinculis addixit.

C

Deinde etiam se discipulis conspicuum fecit, et manducavit, ac palpari voluit, ob fidem resurrectionis solum astruendam [44], uti diximus; ac demum cunctis videntibus in cœlum ascendit, cum in nullo sic unquam contigisset. Nam Eljas raptus est, non in cœlum, sed, « quasi in cœlum » raptus perhibetur [45]. « Nemo enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo [46]. » Ac quidem Elias, alio sublevante, Christus vero, ipse a se ferebatur in cœlum. Qui igitur « primogenitus ex mortuis et primitiæ dormientium [47], » factus sit, spem nobis præbuit, fore ut et nos eodem modo resurgamus, ipsique coram sistamur, qui noster auctor exsistat salutis [48], ut aut immortalem gloriam, aut supplicia reportemus, tunc nimirum, cum (sicut credimus)

D secundo iterum veniet vivos atque mortuos judicaturus.

Is igitur qui adversus humanum genus efferebatur, quippe qui velut nidum [49], se terrarum orbem comprehensurum gloriabatur, a nobis nunc Christi Dei simul hominisque cultoribus illuditur ac deridetur, quippe qui clamemus: « Apparuit gratia Dei salutaris omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et pie vivamus in hoc sæculo [50]. » Non enim jam deinceps nobis exprobrabit ac condemnabit, quod

[40] Isa. LIII, 5. [41] Coloss. III, 4. [42] Act. II, 24. [43] Luc. XI, 22. [44] Act. I, 3, 4, 9. [45] IV Reg. II, 11. [46] Joan. III, 13. [47] Coloss. I, 18 I Cor. XI, 20. [48] II; Cor. V, 10. [49] Isa. X. 14. [50] Tit. II, 11.

Digitized by Google

ne unus quispiam sit, qui ejus peccati signaculi expers sit, ita nimirum, ut eo illi communicantes ac socii, sub potestate ac communione ipsius diri mundi rectoris ac peccati auctoris necessario simus. Habemus enim ex nostro genere velut donarium hostiamque offerre, quam scilicet Dei Filius citra omnem peccati labem assumpsit carnem, perfectum nimirum hominem, quo cum etiam congressus hostis, penitus profligatus est : « Venit enim, inquit, princeps mundi hujus, et in me non inveniet quidquam [50]. » Et : « Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras [51]. »

A ἡμῖν ὀνειδίσει τε καὶ καταχρινεῖ, ὡς οὐδείς ἐστι τῆς αὐτοῦ σφραγῖδος τῆς ἁμαρτίας ἀμέτοχος, ὥστε κατὰ ταύτην αὐτῷ κοινωνοῦντας, ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν καὶ μετοχὴν αὐτοῦ τοῦ δεινοῦ κοσμοκράτορος καὶ ἀρχηγοῦ τῆς ἁμαρτίας ἀναγκάζεσθαι εἶναι. Ἔχομεν γὰρ ἐκ τῆς ἡμετέρας φύσεως ὥσπερ ἀνάθημα καὶ θυσίαν προβάλλεσθαι τὴν ὑπὸ τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ προσληφθεῖσαν σάρκα ἀναμαρτήτως, τὸν τέλειον ἄνθρωπον· ᾧ καὶ προσβαλὼν ὁ ἐχθρὸς, κατακράτος ἡττήθη. « Ἔρχεται γὰρ, » φησὶν, « ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου, καὶ ἐν ἐμοὶ εὑρήσει οὐδέν. » Καὶ, « Νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐκβληθήσεται ἔξω. »

In cœlum ego receptus, sedensque a dextris Dei ac Patris, quem nobis per se ipse reconciliavit, ob peccatum ab eo aversis ac cum mundi rectore fœdere sociatis etiamnum Deum ac Patrem interpellat pro nobis, uti ait Paulus [52]. Ac quidem ea ratione qua est homo, obsecrat; ut autem cum Patre et Spiritu unus Deus est, supplicum suscipit vota. Magna itaque hominibus collata dignitas, magna fiducia, ingens honos. Audenter enim dixerimus, Deus hominibus ministrat; homo omnium angelorum religioso famulatu adoratur et colitur, habemus in cœlis fratrem et amicum. Ipse enim primus in multis fratribus voluit appellari. Ait enim : « Dicite fratribus meis [53]. » Et : « Non jam vocabo vos servos, sed amicos [54]. » Ita sane ut nobis contingat quod Paulus ait : « Gratia salvati sumus, et non ex operibus legis [55]. » Quid enim tali unquam gratia majus fuerit, quod Dei Filius propter nos cum nihil ipsi prærogassemus, sponte sua homo factus, a simulacris et errore atque legis umbra nos liberaverit, verumque nos ac justum cultum docuerit; mediatorque noster ac pontifex factus, ipse a se chirographum peccati nostri disruperit [56], Deoque admoverit, ac cum illo reconciliaverit, suisque fidelibus necessitudinem secum, mercedem donaverit, ut firmissima spe sæculum hoc transeuntes, cum emigraverimus, ac post rerum universitatis in integrum restitutionem cum eo versemur.

B Ἀναληφθεὶς οὖν, καὶ καθίσας ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς, ὃν ἡμῖν δι' ἑαυτοῦ κατήλλαξεν, ἀπαλλοτριωθεῖσιν ἐκείνου διὰ τὴν ἁμαρτίαν, καὶ τῷ κοσμοκράτορι προστεθεῖσιν, ἔτι καὶ νῦν ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ, καθά φησι Παῦλος. Καὶ ὡς μὲν ἄνθρωπος, παρακαλεῖ· ὡς δὲ Θεὸς εἷς μετὰ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Πνεύματος, τὰς ἱκεσίας δέχεται. Μέγα οὖν ἀξίωμα τοῖς ἀνθρώποις δέδωκε· μεγάλην παῤῥησίαν, μεγάλην τιμήν. Καὶ γὰρ θαῤῥούντως ἂν εἴποιμεν, Ἔστι Θεὸς ἀνθρώποις διακονήσας· ἔστιν ἄνθρωπος ὑπὸ πάντων προσκυνούμενος τῶν ἀγγέλων· ἔστιν ἡμῖν ἐν οὐρανοῖς ἀδελφὸς καὶ φίλος. Αὐτὸς γὰρ ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς πρῶτος καλεῖσθαι ἠξίωσεν. « Εἶπατε γὰρ, » φησὶ, « πρὸς τοὺς ἀδελφούς μου. » Καὶ, « Οὐκέτι ὑμᾶς καλῶ δούλους, ἀλλὰ φίλους. » Ὅσθ' ἡμῖν ὃ φησι Παῦλος συμβαίνειν. « Χάριτι ἐσώθημεν, καὶ οὐκ ἐξ ἔργων νόμου. » Τί γὰρ ἂν εἴη τῆς τοιαύτης χάριτος μεῖζον, ἢ τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ δι' ἡμᾶς μηδὲν προεισενεγκόντας ἄνθρωπον γεγονέναι θελήσαντα, τῶν εἰδώλων καὶ τῆς πλάνης καὶ τῆς τοῦ νόμου σκιᾶς ἡμᾶς ἀπαλλάξαι· καὶ τὴν ἀληθινὴν καὶ δικαίαν διδάξαι λατρείαν, καὶ μεσίτην καὶ ἀρχιερέα ἡμῶν γενόμενον, δι' ἑαυτοῦ τὸ χειρόγραφον τῆς ἁμαρτίας ἡμῶν διαῤῥῆξαι, καὶ τὴν πρὸς τὸν Θεὸν προσαγωγήν τε καὶ καταλλαγὴν ἐργάσασθαι· καὶ μισθὸν δωρήσασθαι τοῖς πειθομένοις αὐτῷ τὴν πρὸς αὐτὸν οἰκείωσιν· ὥστε μετὰ βεβαιοτάτων ἐλπίδων τὸν αἰῶνα τοῦτον περαιουμένους, μετὰ τὴν ἀνάλυσιν καὶ τὴν τοῦ παντὸς ἀποκατάστασιν αὐτῷ συνέσεσθαι ;

Est itaque in dextera Dei et Patris, « qui est in sinu Patris, [57] » quamvis inter nos uti pollicitus est, usque ad consummationem versetur [58], regitque et conflat nostram vitam, quæ in abscondito intelligitur [59]; quam et inde jam per sacramenta auspicamur; consummationem vero illius in futurum exspectamus, si modo non negligentem operam adhibere videbimur, tanta nimirum socordia, ut exiguæ temporaneæque voluptatis causa, tantum munus prodamus, sed omni diligentia, per illius mandata ab eoque tradita sacramenta, in patriam nostram contendamus, atque ad eam recurramus, eique ut capiti tanquam membra nectamur, ac sicut

D Ἔστι τοίνυν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς « ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ Πατρὸς, » καίτοι μεθ' ἡμῶν ὢν ὡς ὑπέσχετο ἕως τῆς συντελείας· καὶ οἰκονομεῖ καὶ συνίστησι τὴν ἡμετέραν ζωὴν τὴν ἐν κρυπτῷ νοουμένην, ἥτις τὴν ἀρχὴν ἐντεῦθεν διὰ τῶν μυστηρίων λαμβάνει· τὴν τελείωσιν δὲ ἐπὶ τοῦ μέλλοντος δέχεται, ἂν μόνον μὴ φανῶμεν ἀμελοῦντες, τοσοῦτον, ὥστε μικρᾶς ἡδονῆς καὶ προσκαίρου χάριν προδοῦναι τὴν τοσαύτην εὐεργεσίαν· ἀλλ' ἐπιμελώμεθα διὰ τῶν ἐντολῶν αὐτοῦ καὶ τῶν παραδεδομένων ἡμῖν ὑπ' αὐτοῦ μυστηρίων πρὸς τὴν πατρίδα ἡμῶν ἐπείγεσθαι, καὶ εἰς αὐτὸν ἀνατρέχειν· καὶ τούτῳ ὡς κεφαλῇ καθάπερ μέλη συνάπτεσθαι· καὶ ὥσπερ

[50] Joan. XIV, 30. [51] Joan. XII, 31. [52] Rom. VIII, 34. [53] Act. XXI, 23. [54] Joan. XX, 17; XV, 15. [55] Ephes. II, 8. [56] Coloss. II, 24. [57] Joan. I, 8. [58] Matth. XXVIII, 20. [59] Col. III, 3.

Digitized by Google

ἐν ἀμπέλῳ κλήματα μένωμεν· ἀλλὰ μὴ ἔξω ῥιφέντες, δαπάνῃ πυρὸς μηδέποτε σβεννυμένου γενώμεθα.

palmites in vite maneamus, non vero foras projecti, nullo unquam tempore exstinguibilis ignis pabulum efficiamur.

ΚΕΦΑΛ. Ϛ'.

Περὶ τῶν ζ μυστηρίων.

Παραδέδοται γὰρ ἡμῖν καὶ θεῖά τινα μυστήρια, δι' ὧν ἔξεστι τελουμένους ἁγιάζεσθαι, τοὺς εἰς αὐτὸν πιστεύοντας, καὶ τὸ ζητούμενον κατορθοῦν. Ἐπεὶ γὰρ ὁ τοῦ Χριστοῦ θάνατος ὥσπερ τις καθολικὴ αἰτία τῆς ἀνθρωπίνης σωτηρίας ἐστί· δεῖ δὲ τὴν καθόλου αἰτίαν ἁρμόζειν πρὸς ἕκαστον τῶν ἀποτελεσμάτων· ἀναγκαῖον ἦν δοθῆναί τινα φάρμακα τοῖς ἀνθρώποις, δι' ὧν ἂν συνάπτηται τούτοις ἡ διὰ τὸν θάνατον τοῦ Χριστοῦ γενομένη εὐεργεσία, καὶ δι' ὧν ἡ πνευματικὴ συνίσταται ζωὴ καθ' ὁμοιότητα τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς. Ταῦτα δὲ δι' αἰσθητῶν γίνεσθαι παρεδόθησαν, ὅτι καὶ ὁ ἄνθρωπος αἰσθητὸς ὤν, διὰ τῶν αἰσθητῶν ἀνάγεται πρὸς τὰ νοητά. Ἐπεὶ δὲ ἐν τῇ ἀνθρωπίνῃ ζωῇ διπλῆ τάξις εὑρίσκεται (71)· οἱ μὲν γάρ εἰσι χορηγοὶ καὶ τακτικοὶ τῆς σωματικῆς ζωῆς, οἱ γεννῶντες· οἱ δὲ τὴν χορηγίαν δεχόμενοι καὶ τὴν τάξιν, τῆς πόλεως νομοθέται καὶ ἄρχοντες· κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον καὶ ἡ πνευματικὴ συνίσταται ζωή.

CAPUT VI.

De septem sacramentis.

Tradita enim nobis sunt quædam divina sacramenta, quibus licet initiatos sanctificari (eos scilicet qui in ipsum credunt) ac quod est votorum adipisci. Quia enim Christi mors velut universalis quædam causa est humanæ salutis, ac necesse est causam universalem singulis quibusque effectibus aptari, plane necessarium erat fut quædam hominibus remedia darentur, quibus beneficium Christi morte paratum, illis conjungeretur, ac quibus spiritalis constituitur vita, velut fere humana ipsa vita conflatur. Hæc vero per sensilia fieri traditione accepimus, quod et homo cum sensilis sit, per sensilia, ad ea quæ spiritalia sunt, erigatur. Quia vero in humana vita duplex occurrit ordo, alii enim sunt qui subministrent, ordinentque corporalem vitam (nempe parentes), alii vero qui subministrationem ordinemque suscipiant, qui nimirum civitatem legibus instituunt, ac pro magistratus eam officio regunt. Ad eumdem modum spiritalis vita constituitur.

Ὥσπερ οὖν ἕκαστον τῶν ὄντων διὰ τῆς γεννήσεως λαμβάνει τὴν ζωὴν, οὕτω κατὰ τὴν πνευματικὴν ζωὴν καὶ ἡμεῖς ἀναγεννώμεθα διὰ τοῦ βαπτίσματος· ὅπερ οὐ μόνον τὴν προγονικὴν ἡμῶν ἁμαρτίαν ἀναιρεῖ, ἀλλὰ καὶ τὰς γενομένας ὑπ' αὐτοῦ τοῦ βαπτιζομένου, πρὸ τοῦ βαπτίσματος δηλονότι· οὐ μὴν τὰς μετὰ ταῦτα γινομένας. Καὶ γάρ, ὡς ὁ Θεολόγος φησὶ Γρηγόριος, « Ἄφεσιν ἔχει τῶν ἡμαρτημένων, οὐ τῶν ἁμαρτανομένων. »

Quemadmodum igitur unaquæque res per generationem vitam accepit, sic nos quoque secundum spiritalem vitam per baptismum regeneramur, quo non solum a primis parentibus contracta peccati labes aufertur, sed et quidquid illi delictorum commissum sit qui eo initiatur, ante baptismum scilicet, non quæ post ipsum committuntur. Ut enim ait Gregorius Theologus: « Remissionem habet eorum delictorum quæ commissa sunt, non quæ commi tuntur. »

Τὸ μὲν οὖν ὁρώμενον ἐν τῷ βαπτίσματι ὕδωρ ἐστίν· ἡ δὲ ἁγία Τριὰς νοητῶς παροῦσα, εἰς ἣν βαπτίζεσθαι προσετάχθημεν, χαρίζεται τὴν ἀναγέννησιν ταύτην· ὃ δὴ βάπτισμα καὶ ὁ Χριστὸς ἐβαπτίσατο· οὐχ ὡς καθάρσεως δεόμενος, ἀλλ' ἵνα τὴν ἡμετέραν ἀνακαινίσῃ φύσιν, καὶ διδάξῃ καὶ τὸν τρόπον τοῦ τελείου βαπτίσματος· τὰ γὰρ πρὸ τούτου, τύπου καὶ ἑτοιμασίας λόγον ἔχοντα, ἀτελῆ ἦσαν· ὅτε καὶ τὸ μυστήριον ἀνεφανερώθη τῆς ἁγίας Τριάδος, τοῦ μὲν βαπτιζομένου Υἱοῦ ἀγαπᾶσθαι παρὰ τοῦ Πατρὸς ὁμολογηθέντος διὰ φωνῆς εἰς τὸν ἀέρα τυπωθείσης, καὶ τὰς ἀνθρωπίνας ἀκοὰς πληρωσάσης, τοῦ δὲ ἁγίου Πνεύματος ἐν εἴδει σωματικῷ περιστερᾶς ἐπὶ τὸν βαπτιζόμενον καταπτάντος.

Quod igitur in baptismo conspicuum est, aqua est, sancta trinitas vero spiritaliter assistens (in quam baptizari præceptum accepimus) hanc regenerationem tribuit. Quem baptismum etiam Christus suscepit; non quasi ipse emundatione indigeret, sed ut naturam nostram innovaret ac instauraret, modumque nos perfecti baptismatis doceret. Quæ enim priora exstiterant, cum figuræ ac præparationis rationem haberent, imperfecta erant, quando nimirum etiam sanctæ Trinitatis mysterium declaratum est, Filio, qui baptizabatur, paterna voce in aere formata, hominumque aures implente, ejus dilectionis præconium habente; ac Spiritu sancto in specie corporali columbæ in ipsum descendente.

Πάλιν ἐπεὶ τὸ γεννηθὲν διὰ τῆς αὐξήσεως ἐπὶ τὴν ὀφειλομένην ποσότητα καταντᾷ, δίδοται καὶ ἡμῖν τελειότης πνευματικῆς ἰσχύος διὰ τῆς τοῦ μύρου (72) χρίσεως· ἐν τούτῳ γὰρ δείκνυται πνευματικὴ ἰσχὺς, ὅταν τὴν τοῦ Χριστοῦ πίστιν τολμῶμεν ἐνώπιον πάντων ὁμολογεῖν· καὶ μὴ διά τινα αἰσχύ-

Rursus vero, quia quod natum est, per augmentum ad debitam devenit quantitatem, nobis quoque per unguenti unctionem spiritalis roboris perfectio confertur. In hoc enim elucet spiritale robur ac perfectio, cum Christi fidem in conspectu hominum confiteri audemus, nec ullo pudore aut metu seu

(71) Greg. orat. 40.
(72) Unguenti sacramentum nostri vocant Confirmationem.

Digitized by Google

ignavia ab ea confessione deterremur. Atque etiam id causæ est, cur in fronte accipiamus, ut fidem confiteri minime erubescamus. In manibus item ac pedibus, ut arma virtutis ac justitiæ, hæc Deo exhibeamus. Unde et Christi signo consignamur, ejus scilicet crucis, qua et ipse Christus pugnavit ac vicit, ut ostendamus sub quo imperatore militiam geramus. Porro unctio hæc ex oleo et aromatibus paratur, ut tum bonam famam in mundo conversantes ex operibus habeamus, quæ velut odoris fragrantia late diffundatur, tum vero ut sicut athletæ in arenam descensuri ungebantur, sic et nos pro Ecclesiæ decretis cum tempus vocaverit, decerjemus.

Rursus quemadmodum corporalis vita naturali indiget cibo ut augeatur et roboretur ac contineatur seu conservetur, sic et in spiritali vita spiritalis cibus datus est, ut per eum, qui sunt renati, et conserventur et augeantur. Est autem iste cibus perceptio Christi corporis atque sanguinis; panisque ac vini symbolis traditur, quod his communius homines ad corporalem cibum utantur. Per hoc autem sacramentum Dominicæ passionis memoriam ac præsentiam accipimus. Ipse enim « Dominus noster Jesus Christus, » uti ait sacrum Evangelium, « qua nocte tradebatur, accepit panem et gratias agens, fregit (in frusta scilicet conscidit divisitque), dixitque discipulis suis: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est sanguis meus, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. » Adjecitque: « Hoc facite in meam commemorationem [60]. » Itaque per hoc mysterium annuntiamus ejus mortem, et quasi ei per affectuum seu vitiorum mortificationem commorientes, per ipsum vivificamur et in gloria resurgemus. Ait enim Apostolus: « Quotiescunque manducaveritis panem hunc, et calicem ejus biberitis, mortem Domini annuntiabitis, » ejusque resurrectionem confitebimini, « donec veniat [61]. »

Quonam igitur modo convertantur panis et vinum in Christi corpus et sanguinem, humanus sermo eloqui non potest; quia tamen creaturæ arbiter hoc modo se rem habere testatus est, quemadmodum credimus ejus verbo mundum ex nihilo conditum esse; ac semel quidem in principio

A νην ἢ φόβον δειλιῶμεν καὶ ἀποφεύγωμεν. Διὰ τοῦτο καὶ ἐν τῷ μετώπῳ λαμβάνομεν, ἵνα μὴ αἰσχυνώμεθα ταύτην ὁμολογεῖν (73)· καὶ ἐν ταῖς χερσὶ καὶ τοῖς ποσὶν, ἵνα ὅπλα ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης ταῦτα τῷ Θεῷ παραστήσωμεν· ὅθεν καὶ σημειούμεθα τῷ σημείῳ τοῦ Χριστοῦ, τουτέστι τῷ τούτου σταυρῷ, δι' οὗ καὶ ὁ Χριστὸς ἐπολέμησε καὶ ἐνίκησεν· ἵνα δεικνύωμεν ὑπὸ τίνι στρατηγῷ τατόμεθα. Ἡ δὲ χρίσις αὕτη ἐξ ἐλαίου καὶ ἀρωμάτων κατασκευάζεται, ἵνα ὁμοῦ μὲν φήμην ἀγαθὴν ἀπὸ τῶν ἔργων ἔχωμεν ἐν τῷ κόσμῳ ἀναστρεφόμενοι, καθάπερ ὀσμὴν διαδιδομένην· ὁμοῦ δὲ, ὥσπερ οἱ ἀθληταὶ τῷ ἐλαίῳ ἠλείφοντο ἀγωνιζόμενοι, οὕτω καὶ ἡμεῖς ὑπὲρ τῶν τῆς Ἐκκλησίας δογμάτων τοῦ καιροῦ καλοῦντος ἀγωνιζώμεθα.

B Πάλιν ὥσπερ ἡ σωματικὴ ζωὴ φυσικῆς τροφῆς δεῖται, ἵνα αὔξῃ καὶ ἑδραιοῖ καὶ συγκρατῇ τὴν φύσιν, οὕτω καὶ ἐν τῇ πνευματικῇ ζωῇ πνευματικὴ ἐδόθη τροφὴ, ἵνα διὰ ταύτης οἱ ἀναγεννηθέντες καὶ τηρῶνται καὶ αὔξωνται. Αὕτη δέ ἐστιν ἡ μετάληψις τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ· ἥτις δι' ἄρτου καὶ οἴνου παραδίδοται, οἷς κοινότερον οἱ ἄνθρωποι πρὸς τὴν σωματικὴν χρῶνται τροφήν. Καὶ διὰ τοῦ μυστηρίου τούτου μνήμην καὶ παρουσίαν λαμβάνομεν τοῦ δεσποτικοῦ πάθους. Αὐτὸς γὰρ « ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, » καθά φησι τὸ ἱερὸν Εὐαγγέλιον, « ἐν τῇ νυκτὶ ᾗ παρεδίδοτο, λαβὼν ἄρτον καὶ εὐχαριστήσας ἔκλασε (τουτέστιν, ἔκοψε, κατέτεμε), καὶ εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, « Λάβετε, φά-

C γετε· τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον (74) εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Καὶ τὸ ποτήριον ὡσαύτως μετὰ τὸ δειπνῆσαι, Τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν καὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. » Καὶ προσέθηκε, « Τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. » Καταγγέλλομεν οὖν διὰ τούτου τὸν θάνατον αὐτοῦ, καὶ οἱονεὶ συναποθνήσκοντες αὐτῷ διὰ τῆς τῶν παθῶν νεκρώσεως, ζωοποιούμεθα δι' αὐτοῦ, καὶ ἀναστησόμεθα ἐν δόξῃ. Καὶ γὰρ ὁ Ἀπόστολος φησὶν, « Ὁσάκις ἂν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον, καὶ τὸ ποτήριον αὐτοῦ πίνητε, τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου καταγγέλλετε, » καὶ τὴν ἀνάστασιν αὐτοῦ ὁμολογεῖτε, « ἕως ἂν ἔλθῃ. »

Πῶς οὖν μεταβάλλεται ὁ ἄρτος καὶ ὁ οἶνος εἰς σῶμα D καὶ αἷμα τοῦ Χριστοῦ, ἀνθρώπινος λόγος εἰπεῖν οὐ δύναται. Ἀλλ' ἐπειδὴ ὁ δεσπότης τῆς κτίσεως τοῦτο εἶπεν οὕτως ἔχειν, ὥσπερ πιστεύομεν ὅτι τῷ ῥήματι αὐτοῦ ὁ κόσμος ἐκ τοῦ μὴ ὄντος συνέστη· καὶ ἅπαξ μὲν ἐν ἀρχῇ εἴρηκεν, « Ἐξαγαγέτω ἡ γῆ βοτάνην χόρ-

[60] Luc. xxii, 19; I Cor. xi, 23. [61] I Cor. xi, 26.

(73) Ita ritu Græco: nobis sola in fronte unctio, sed et manuum impositio, qua illi carent.

(74) *Τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον.* Lucas διδόμενον habet, quam vocem Paulus sic illa altera reddidit, respiciendo speciem panis, qui sic proprie κλᾶσθαι dicatur; frustatim dividi; nempe κοπτεσθαι et κατατέμνεσθαι, ut Calecas exposuit. Nec video ut ad corpus Christi in specie propria, et ut cruce functus est, possit referri. Vocem ἔκλασε constanter tres evangelistæ, ipseque Paulus, ad panem a Domino acceptum, quem in suum corpus verteret, retulerunt; quod ipsum Paulus sic κλώμενον maluit dicere quam solum διδόμενον, ut ejus sic dati ac distributi in modum panis ad esum appositi, mysterium commendaret.

Digitized by Google

του· » καὶ μέχρι τοῦ νῦν ἐξάγει τὰ ἴδια βλαστήματα τῷ θείῳ προστάγματι συνελαυνομένη καὶ δυναμουμένη· οὕτω καὶ τοῦτο ὑπηρετοῦντος τοῦ ἱερέως πιστεύομεν γίνεσθαι· ὥστε τὸν ἄρτον εἰς σῶμα αὐτοῦ καὶ τὸν οἶνον εἰς αἷμα αὐτοῦ μεταβάλλεσθαι διὰ τὴν τοῦ εἰπόντος δύναμιν. Καὶ ὡς φησιν ὁ θεῖος Χρυσόστομος (75), « Σχῆμα μόνον πληρῶν (76) ἕστηκεν ὁ ἱερεύς· ἡ δὲ δύναμις πᾶσα τῶν λόγων ἐστίν. » Αὐτὸς γὰρ εἴρηκεν, « Ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ Υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ πίητε αὐτοῦ τὸ αἷμα, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς. Ἡ γὰρ σάρξ μου ἀληθής ἐστι βρῶσις. » Καὶ πάλιν, « Ὁ τρώγων με ζήσεται. » Ὅθεν χωρὶς πάσης ἀμφιβολίας μετέχειν αὐτῶν ὀφείλομεν, καθαρὰν καὶ βεβαίαν περὶ αὐτῶν ἔχοντες πίστιν· καὶ, ὡς που φησὶν ὁ θεῖος Χρυσόστομος (77), οὕτω διατίθεσθαι ἕκαστον τοῖς θείοις προσερχόμενον μυστηρίοις, ὥσπερ ἀπὸ τῆς τοῦ Κυρίου πλευρᾶς τούτων μεταλαμβάνοντα. Εἰ μὴ γὰρ οὕτω περὶ τούτων πιστεύομεν, οὐ μόνον οὐδὲν παρ' αὐτῶν ὠφελούμεθα διὰ τὴν ἀπιστίαν ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ εἰς αἰωνίαν κατάκρισιν ταῦτα μεταλαμβάνεται. Τὸ δ' αὐτὸ δὲ συμβαίνει, καὶ εἰ πλῆθος ἁμαρτημάτων ἔχοντες, μηδὲν προκαθαρθέντες τούτων μεταλαμβάνομεν. Καὶ γὰρ ὅμοιοι δόξομεν τοῖς σπαράκτσις τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ. Διό φησιν ὁ θεῖος Ἀπόστολος, « Δοκιμαζέτω ἕκαστος ἑαυτὸν, καὶ οὕτως ἐκ τοῦ ἄρτου ἐσθιέτω, καὶ ἐκ τοῦ ποτηρίου πιέτω. » Καὶ, « Ὁ ἀναξίως μεταλαμβάνων τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ κρίμα ἑαυτῷ ἐσθίει καὶ πίνει, καὶ ἔνοχος ἔσται τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ. »

Πρὸς τοὺς τοίνυν διαποροῦντας περὶ τῆς ἀπὸ τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ οἴνου εἰς τὸ σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Χριστοῦ μεταβολῆς τὴν δύναμιν τοῦ Θεοῦ προβαλλόμεθα. Εἰ γὰρ ὁμολογοῦσι τὸν Θεὸν παντοδύναμον εἶναι, οὐδὲν τοῦτο διαπορήσουσιν. Εἰ γὰρ κατὰ δύναμιν φυσικὴν ἡ ὑποκειμένη τοῦ ἀέρος ὕλη δύναται κατὰ τὸ εἶδος μεταβάλλειν εἰς πῦρ, πολλῷ μᾶλλον ἡ τοῦ Θεοῦ δύναμις, ὡς ὅλην τὴν οὐσίαν τῶν πραγμάτων παρήγαγεν, οὐ κατ' εἶδος μόνον μεταβαλεῖ· ἀλλὰ τὸ ὑποκείμενον ὅλον τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ οἴνου εἰς ὑποκείμενον σάρκα καὶ αἷμα μεταποιήσει. Εἰ δέ τις πάλιν διὰ τὰ τῇ αἰσθήσει φαινόμενα τῇ μεταβολῇ ταύτῃ διαπιστεῖ, κατανοείτω ὅτι τὰ θεῖα ἡμῖν οὕτω προβάλλονται ὡς ὑπὸ παραπετάσμασι τοῖς αἰσθητοῖς.

A dixisse : « Educat terra herbam fœni [62]; » hactenusque divino impellente, ac vim præbente præcepto, germina sua educere; sic quoque istud sacerdotis ministerio contingere credimus, ut et panis in corpus ejus, et vinum in sanguinem convertantur, ob ejus qui dixit potentiam. Et ut ait divus Chrysostomus : « Stat sacerdos solum formam implens : at vis omnis verborum est. » Ipse enim dixit : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. » Caro enim mea verus est cibus. » Et rursum, « Qui manducat me, vivet [63]. » Itaque citra omnem dubitationem illa debemus percipere, mundam firmamque de illis habentes fidem. Et ut quodam loco ait divinus Chrysostomus, sic quisque animo B affectus ad divina accedat mysteria operæ pretium est : « Ac si ex ipso Domini latere hausturus sit. » Nisi enim eam de illis fidem habuerimus, nedum nihil ex eis fructus consequemur ob nostram incredulitatem, verum etiam ad æternam hæc condemnationem sumemus. Idemque contingit, si prægravante peccatorum sarcina, iisque multis obruti, nulla prævia emundatione, ea percipiamus. Etenim iis similes videbimur, qui Domini corpus dilacerant. Idcirco ait Apostolus : « Probet autem seipsum homo, et sic de [64] pane illo edat et de calice bibat [65]. » Et : « Qui indigne præsumit corpus et sanguinem Christi, judicium sibi manducat et bibit, eritque reus corporis et sanguinis Christi [66]. »

C Ad eos ergo qui dubitant de conversione panis et vini in Christi corpus et sanguinem, Dei potentiam opponimus. Nam si Deum omnipotentem agnoscunt, nulla rei hujus hærebit dubitatio. Si enim naturali vi subjecta aeris materia in ignem mutari potest; potiori longe ratione Dei virtus, qui omnem rerum substantiam produxit, nedum secundum speciem, verum etiam totam panis et vini substantiam, in carnis ac sanguinis substantiam mutabit. Sin autem rursus aliquis, ob ea quæ sensui apparent, huic transmutationi abrogat fidem, cogitet divina nobis ita proponi, ut sensilium rerum involucro obtecta sint. Idque adeo in causa D est, cur sub panis vinique symbolis (quæ nobis esca

[62] Gen. I, 11. [63] Joan. VI, 54, 55, 58. [64] I Cor. XI, 28. [65] ibid. 29.

(75) Eadem pene hom. 83 in Matth. et in I ad Cor.

(76) *Σχῆμα μόνον πληρῶν. Solum personam implens;* nempe Christum repræsentans ejusque personam velut induens, nec quasi a se, sed ut dicta ab illo verba proferens, quibus ubique Chrysostomus vim illam transmutandi sacra pignora in Christi corpus et sanguinem tribuit. Græci alii fere a Damasceno et VII synodo, ἐπιφοίτησιν (*adventum Spiritus sancti*) ita urgent, ut nisi ejus invocatione, quam eorum liturgiæ habent post verba Dominica diu ante prolata, non omnino Dominicum corpus ac sanguinem, inque ea symbolorum transmutationem (quam et illa fieri exposcunt) videantur agnoscere. Quam quæstionem tractavit P. Jac. Goar, sodalis meus ὁ μακαρίτης, in Euchol. aliique disputantes cum ævi sequioris Græcis. Illustrissimus ac reverendissimus Parisiensis archiep. Petrus de Marca ὁ μακαρίτης sic interpretabatur, cum quæstionis nodum solvere conaretur, ut diceret, Patres quasi unum quid accepisse quidquid ritus est liturgici, et (ut nos vocamus) canonis, nec satis distinxisse quid quæque pars efficiat; in quo paulo subtilius laboravit sequens Scholasticorum sedulitas : quam ipsam intra suos terminos coercere conveniat, quibus et præivit magnus Chrysostomus, vir certe mihi σχολαστικώτατος, cujus et scholasticen, methodumque disserendi ac distinguendi, solerterque enodandi quæ perplexa videantur, in aliis Patrum, magno præsertim Augustino, desiderem.

(77) Hom. 84. in Joan.

Digitized by Google

consueta est) hæc sumenda tradiderit, ne quid horridum ac insuetum sensui videretur. Haud tamen rem specie tenus ac figura geri existimamus. Potens enim est, ut diximus, Deus, tum subjecta dona transmutare, tumque rursus priora accidentia conservare.

Contingit itaque spiritalem vitam affinitatem quamdam et similitudinem cum corporali habere. Quemadmodum enim in illa naturales vires intelliguntur, quibus aliquid nascatur et augeatur ac nutriatur, sic et in ista. Baptisma enim, quo spiritalis hominis regeneratio præstatur, cum gignendi facultate convenit. Unguenti perfusio, quo spiritale augmentum ad perfectum robur perducit, cum augendi facultate. Sacramentorum perceptio, qua spiritalis cibus præbetur, cum nutrimento.

Rursus vero quoniam accidit etiam impedimentum aliquod in vita corporali, quatenus ægra quisque valetudine exsistit, necessario ejus qui sic ægre habet, exterius petitis remediis reparanda seu fovenda valetudo est. Id vero etiam in spiritali vita consideratur. Homo enim quod arbitrii facultate præditus est, peccare potest, cum extra rationis metas, secus ac est suadeat mysteriorum quibus imparatus est, puritas atque sanctitas, aliquid egerit. Siquidem igitur ægritudo hæc ac perversio in animo solum contigerit, per pœnitentiæ sacramentum emendatur. Sin autem a peccato, quo laborat animus, ægritudo ad corpus transit, quod sic illi conducit qui peccatum commisit (sæpe enim contingit, ægritudine laborare aliquem propter peccata, ut erudiatur), emendatur per unctionem sancti olei, quam extremam unctionem vocant.

Datur igitur peccatoribus post baptisma, quæ per pœnitentiam et confessionem præstatur, curatio et emendatio. Non datur autem ea curandi, quod quis eodem rursus baptismate donetur, per hunc scilicet modum. Quia enim per baptisma cum Christo cruci configimur, ut ait Apostolus, « Quotquot baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus[66]. » Et rursus; « Consepulti igitur cum eo sumus per baptismum[67]. » Sicut non convenit Christum denuo crucifigi, sic neque peccantes post baptismum par est iterum baptizari. Ac sicut qui

A Ὅθεν διὰ τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ οἴνου τῆς συνήθους ἡμῖν βρώσεως δέδωκεν ἐκείνων μεταλαμβάνειν, ἵνα μὴ ξένον τι καὶ ἄηθες τῇ αἰσθήσει δοκῇ· οὐ μὴν οὐδὲ κατὰ φαντασίαν γίνεσθαι τοῦτο πιστεύομεν. Δυνατὸς γὰρ, ὡς εἴπομεν, ὁ Θεὸς καὶ τὸ ὑποκείμενον μεταβάλλειν, καὶ τὰ πρότερον συμβεβηκότα πάλιν διατηρεῖν.

Συμβαίνει τοίνυν τὴν πνευματικὴν ζωὴν ἀναλογεῖν τῇ σωματικῇ. Ὥσπερ γὰρ ἐν ἐκείνῃ τὸ γεννητικὸν καὶ αὐξητικὸν καὶ θρεπτικὸν, αἱ φυσικαὶ αὗται δυνάμεις, θεωροῦνται, οὕτω καὶ ἐν ταύτῃ. Τὸ μὲν γὰρ βάπτισμα, δι' οὗ ἡ νοητὴ τοῦ ἀνθρώπου ἀναγέννησις γίνεται, ἀναλογεῖ τῇ γεννητικῇ· ἡ δὲ τοῦ μύρου χρῖσις, δι' οὗ ἡ πνευματικὴ αὔξησις ἐπὶ B τελείαν ἰσχὺν ἄγουσα, τῇ αὐξητικῇ· ἡ δὲ μετάληψις τῶν ἁγιασμάτων, δι' οὗ ἡ πνευματικὴ τροφὴ, τῇ θρεπτικῇ ἀναλογεῖ.

Πάλιν ἐπειδὴ συμβαίνει καὶ ἐμπόδιον περὶ τὴν σωματικὴν ζωὴν, καθὸ ἕκαστον ἀσθενεῖ· ἀναγκαίως εἰσάγεται ἀπὸ τῶν ἔξωθεν ἡ τοῦ ἀσθενῶς ζῶντος θεραπεία. Τοῦτο δὲ θεωρεῖται καὶ κατὰ τὴν πνευματικὴν ζωήν. Ὁ γὰρ ἄνθρωπος, διότι ἐστὶν αὐτεξούσιος, δύναται ἁμαρτάνειν, ὅταν ἔξω τοῦ λόγου καὶ τῆς ἀκολουθίας τῶν ληφθέντων αὐτῷ μυστηρίων ἐνεργῇ τι. Εἰ μὲν οὖν ἐν τῇ ψυχῇ γίνεται μόνον ἡ ἀσθένεια αὕτη καὶ ἡ παρατροπὴ, διὰ τοῦ μυστηρίου τῆς μετανοίας ἐπανορθοῦται· εἰ δὲ ἀπὸ τῆς ἐν τῇ ψυχῇ ἁμαρτίας ἐπὶ τὸ σῶμα ἡ ἀσθένεια C διαβαίνει διὰ τὸ συμφέρον τοῦ τὴν ἁμαρτίαν πεποιηκότος (καὶ γὰρ πολλάκις ἀσθενεῖ τις δι' ἁμαρτίας, ἵνα σωφρονισθῇ), ἐπανορθοῦται διὰ τοῦ μυστηρίου τοῦ εὐχελαίου, ὃ τελευταῖα λέγεται χρῖσις (78).

Δίδοται τοίνυν τοῖς ἁμαρτάνουσι μετὰ τὸ βάπτισμα ἡ διὰ τῆς μετανοίας καὶ ἐξαγορεύσεως θεραπεία καὶ ἐπανόρθωσις. Οὐ δίδοται δὲ αὕτη ἡ θεραπεία διὰ τοῦ πάλιν τὸ αὐτὸ βάπτισμα βαπτισθῆναι κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον. Ἐπεὶ γὰρ συσταυρούμεθα τῷ Χριστῷ διὰ τοῦ βαπτίσματος, ὡς φησιν ὁ Ἀπόστολος, « Ὅσοι ἐβαπτίσθημεν εἰς Χριστὸν, εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν, » καὶ πάλιν, « Συνετάφημεν οὖν αὐτῷ διὰ τοῦ βαπτίσματος· » ὥσπερ τὸν Χριστὸν ἀνασταυροῦν οὐ προσήκει, οὕτω καὶ D τοὺς μετὰ τὸ βάπτισμα ἁμαρτόντας οὐ δεῖ πάλιν

[66] Rom. VI, 34. [67] Coloss. II, 12.

(78) *Ὁ τελευταῖα λέγεται χρῖσις.* Sic usu moderno, *extremam unctionem* vocant, quæ antiquiori potius *unctio infirmorum*, affiniusque verbis Jacobi : Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν ; *Infirmatur quis in vobis?* Quam vocem liquet usurpari de quovis paulo languidioribus viribus, ex ægritudine qua laborat, etsi non omnino depositus sit, et cujus proxima, jam tumque futura mors exspectatur. Nempe sacramenti effectus infirmi relevatio est ac sanitas, per modum medicinæ ægroto præstanda, illique a Deo impetranda, si modo ex ejus rationibus sit, nec alio ferant divina decreta : cui instituto et fini non satis congruere videtur, quod tum demum ægrotus ungatur, cum vix nisi miraculo ad pristina munia reparari potest. Sic certe Græci, statim ac aliquis ægrotat, subestque aliquod vitæ discrimen, nec adeo propinquum, sacerdotes sacro illo ritu peruncturos advocant; nec semel duntaxat, sed et sæpius, eadem etiam nec intermissa ægritudine, quod a Latinorum ac nostratium usu remotius est : quin et nostris in diversis libris rituálibus ejus sacramenti ritus nonnihil varius est. Probandi maxime, qui ægroto gravius affecto, eamque ob rem Eucharistia ad viaticum muniendo, prius unctionem adhibendam jubent; quæ sit aliquid pœnitentiæ ac ejus velut complementum, et ad Eucharistiam, perinde ac reliqua omnia sacramenta, ut in finem ordinetur.

Digitized by Google

ἀναβαπτίζειν. Καὶ ὥσπερ οἱ τῆς φυσικῆς καὶ σωματικῆς ζωῆς διὰ γεννήσεως τυχόντες, ἂν ἐμπέσωσι νόσῳ τινὶ ἐναντιουμένῃ τῇ τελείᾳ ταύτῃ ζωῇ, οὐκ ἀναγεννώμενοι πάλιν, ἀλλ' ἑτέρῳ τρόπῳ ἀλλοιώσεως θεραπεύονται, ἀπαλλαττόμενοι τῆς νόσου· οὕτω καὶ πρὸς τὸ βάπτισμα, πνευματικὴν οὖσαν ἀναγέννησιν, ἀνακάμψαι οὐ δύνανται· ἵν' ἐξαλείψωσι δηλονότι, ἃ μετὰ τὸ βάπτισμα εἰργάσαντο ἁμαρτήματα. Διὰ δὲ τῆς μετανοίας τοῦτο γίνεται. Τίς δὲ ὁ τρόπος τῆς μετανοίας, καὶ πόσα αὐτῆς εἰσι μέρη, καὶ ποίους τινὰς εἶναι δεῖ τοὺς εἰς τοῦτο τεταγμένους πνευματικοὺς ἄνδρας (79)· καὶ πῶς τοὺς μετανοοῦντας αὐτοῖς προσέρχεσθαι δεῖ, καὶ τίνι τρόπῳ τὴν τούτων θεραπείαν ἐπινοεῖν· καὶ πῶς ἔστι τῶν ἁμαρτημάτων ἐλευθεροῦσθαι, ἑτέρας ἂν εἴη πραγματείας· ἄλλως τε καὶ πνευματικῶν ἀνδρῶν τὸ ταῦτα διαιτᾷν κατὰ λόγον ὀρθὸν, ὅπερ εἰς κατάληψιν ἔσται τοῖς ἐπιοῦσι τὰς τῶν διδασκάλων γραφάς.

Ἐπεὶ δὲ, καθάπερ εἴπομεν, ἐκ τῆς τῆς ψυχῆς ἀῤῥωστίας νόσος τις ἐπὶ τὸ σῶμα διαδίδοται διὰ τὴν πρὸς ἄλληλα σχέσιν τε καὶ συμπάθειαν, τοῦ σώματος λέγω καὶ τῆς ψυχῆς, ἥτις δὴ νόσος δι' ὠφέλειαν γίνεται· κόλασις γάρ ἐστι διὰ τὴν ὀφειλομένην αὐτῷ τιμωρίαν, μόνον εἰ τὴν ἀῤῥωστίαν ταύτην ὁ ἄνθρωπος εὐχαρίστως ὑπομένῃ· πολλάκις δὲ ὑπὸ ταύτης νόσου ἐμποδίζεται ὁ ἄνθρωπος εἰς τὸ ἐργάσασθαι τὸ ἀγαθὸν, καὶ διὰ τοῦ ἀγαθοῦ ἔργου ἐπιτυχεῖν τῆς πνευματικῆς σωτηρίας· δίδοται τὸ μυστήριον τῆς τελευταίας χρίσεως, ἤγουν τὸ εὐχέλαιον· ὅπερ καὶ αὐτὸ πνευματικὴ ἰατρεία ἐστὶν, ἵνα ἀπαλλαττώμεθα τῆς τοῦ σώματος ἀῤῥωστίας, ἥτις ἐμποδισμὸς γίνεται πρὸς τὰ πνευματικὰ ἔργα. Περὶ ὧν ὁ θεῖος ἀπόστολος γράφει, « Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν; προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς Ἐκκλησίας, καὶ εὐξάσθωσαν ἐπ' αὐτὸν, ἀλείφοντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου· καὶ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ Κύριος· κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκὼς, ἀφεθήσεται αὐτῷ. » Εἰ δὲ μὴ ἀπαλλάττοιντο διὰ τούτου τῆς τοῦ σώματος ἀῤῥωστίας, οὐκ αἰτιᾶσθαι δεῖ τὴν τοῦ μυστηρίου τούτου δύναμιν. Πολλάκις γὰρ καὶ τὸ θεραπευθῆναι σωματικῶς πρὸς τοὺς ἀξίως τὸ μυστήριον τοῦτο λαμβάνοντας οὐκ ἔστι χρήσιμον πρὸς τὴν πνευματικὴν σωτηρίαν. Ἴσως γὰρ οὐδὲ χρήσονται τῇ ὑγείᾳ πρὸς τὸ συμφέρον. Οὐ μέντοι ἀνωφελῶς πάλιν τοῦτο λαμβάνουσιν, εἰ καὶ μὴ ἡ σωματικὴ θεραπεία ἀκολουθήσει. Ὠφελεῖ γὰρ κατ' ἄλλον τρόπον. Εἰς μὲν γὰρ τὰς ἀσωμάτους νόσους, αἰτιναί εἰσιν εὐκολία πρὸς τὸ κακὸν, ἀμέλεια πρὸς τὸ ἀγαθὸν, διὰ τῆς

A naturalem ac corporalem vitam per generationem nacti sunt, si in morbum aliquem perfectæ huic vitæ adversantem inciderint, non quod denuo generentur, sed alio immutationis modo, morbo liberantur atque sanantur; sic fieri nequit, ut baptisma (quæ spiritalis generatio est) reparatur; ut nimirum peccata post baptismum commissa illo deleantur, sed id præstatur per pœnitentiam. Quinam vero sit pœnitentiæ modus, quotve ejus partes, quales item esse oporteat, qui huic muneri præfecti sint viri spiritales, ac quomodo pœnitentes ad eos accedere debeant: quæ eorum salutis excogitanda ratio; quove modo a peccatis contingat liberari, alterius operæ sit; præterquam quod spiritalium virorum ex recta ratione horum arbitrium est ac dispensa-
B tio, quæ et intelligent, qui doctorum hoc argumento scripta legerint.

Maria, quæ sedebat secus pedes Jesu, et audiebat verba illius [53]. Nam virtus, quæ actione geritur, estque contemplationis origo non ultra nobis permanebit, sed cessatura est, ut quæ solandi causa corporalis laboris consistat. Quæ autem hic habetur contemplatio, et si ejus cessabit contemplandi modus, at nobis tamen origo erit futuræ contemplationis. [54] Nam, ut ait Dominus : « Qui non credit, jam judicatus est [55]. » hoc est, suæ condemnationis inde jam præjudicium habet. Sic rursum, vitam æternam dixit[56], ut Patrem suum Deum verum, cognoscant, ipsumque adeo Dominum nostrum Jesum Christum, quibus cum utique Spiritus sanctus intelligatur, quatenus scilicet vero de eo fides et contemplatio ac cognitio, adipiscendæ beatitudinis causa nobis ac ratio futura est. Tantum enim quis ævo illo visurus est, quantum hoc fide fulsit, vitæque hujus contemplationis ænigmatis veræ contemplationis decor succedet, succedente nimirum post hanc vitam fide ac speculo, dissoluto nobis mortali hoc corpore, meliorique statu reparato atque reassumpto. Ex quibus liquet, qui circa fidem hoc ævo erraverint, nec veram de Deo cognitionem nacti sint, ne illic quidem contemplationis compotes fore, sed profanos habendos, ac qui sinistræ partis impleant numeros.

Idcirco virtutem quæ actione geritur, ut quæ imperfectior est, eorum qui inducuntur ac quasi novitiorum esse dicunt : quæ autem contemplatione, opus esse perfectorum. Unde et Dominus ad Martham, quæ actionis typum gerat ejusque referat modum dixit : « Martha, Martha, sollicita es, [56] et turbaris erga plurima. Porro unum est necesse [57], » versari scilicet circa Dei Verbum. « Beati » enim « qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. » De Maria autem : « Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea [58]. » Ab hac enim contemplatione ad futurum illud gaudium deveniemus, quod a nobis nemo auferet ; sic nimirum ut imagines exemplaribus fidesque contemplationi locum cedant.

λειον, τότε τὸ ἐκ μέρους καταργηθήσεται. » Ταύτης τῆς θεωρίας εἰκόνα καὶ τύπον εἶχεν ἡ Μαρία παρακαθημένη παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἀκούουσα τῶν λόγων αὐτοῦ. Τὸ μὲν γὰρ τῆς ἀρετῆς πρακτικὸν, ὅπερ ἀρχὴ θεωρίας ἐστὶν, οὐκέτι ἡμῖν παραμενεῖ, ἀλλὰ παύσεται, ἅτε διὰ τὸν τοῦ σώματος συνιστάμενον πόνον · ἡ δὲ ἐνταῦθα θεωρία, εἰ καὶ ὁ τρόπος αὐτῆς παύσεται, καθ' ὃν θεωροῦμεν, ἀλλ' ὅμως ἀρχὴ ἡμῖν ἔσται τῆς μελλούσης θεωρίας. Ὥσπερ γὰρ ὁ Κύριος φησὶν, « Ὁ μὴ πιστεύων ἤδη κέκριται · » τουτέστι, τὴν ἀρχὴν τῆς καταδίκης ἐντεῦθεν λαμβάνει· οὕτω πάλιν αἰωνίαν ἔφησε ζωὴν τὸ γινώσκειν τὸν αὐτοῦ Πατέρα τὸν ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ αὐτὸν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, συννοουμένου καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος δηλονότι · καθότι ἡ ἐνταῦθα περὶ αὐτοῦ ἀληθὴς πίστις καὶ θεωρία καὶ γνῶσις αἰτία καὶ ἀφορμὴ ἡμῖν ἔσται τοῦ τυχεῖν τῆς ἀποκειμένης μακαριότητος. Καὶ γὰρ τοσοῦτόν τις ἐκεῖ ὄψεται, ὅσον ἐνταῦθα πεπίστευκε· καὶ τὰ ἐνταῦθα τῆς θεωρίας αἰνίγματα τὸ τῆς ἀληθοῦς θεωρίας διαδέξεται κάλλος, ὑποχωρούσης μετὰ τὸν παρόντα βίον τῆς πίστεως δηλονότι καὶ τοῦ ἐσόπτρου, τούτου τοῦ σώματος ἡμῖν λυθέντος, καὶ πάλιν πρὸς τὸ βέλτιον ἀναλαμβανομένου. Ἐξ ὧν δῆλον καὶ τοὺς περὶ τὴν πίστιν ἐνταῦθα σφαλέντας, καὶ τῆς ἀληθοῦς περὶ Θεὸν ἀποτυχόντας γνώσεως, μηδὲ τῆς ἐκεῖ θεωρίας ἐπιτυγχάνειν, ἀλλ' ἀμυήτους ὑπάρχειν, καὶ μετὰ τῆς ἀριστερᾶς εἶναι μερίδος.

Διὰ ταῦτα τὸ μὲν τῆς ἀρετῆς πρακτικὸν, ὡς ἀτελέστερον, τῶν εἰσαγομένων φασὶ, τὸ δὲ θεωρητικὸν ἔργον εἶναι τελείων. Ὅθεν καὶ ὁ Κύριος πρὸς τὴν Μάρθαν τῷ πρακτικῷ ἀναλογοῦσαν εἶπε, « Μάρθα, Μάρθα, μεριμνᾷς καὶ τυρβάζῃ περὶ πολλά. Ἑνὸς δέ ἐστι χρεία, » τοῦ περὶ τὸν τοῦ Θεοῦ Λόγον ἀναστρέφεσθαι δηλονότι, καὶ αὐτὸν θεωρεῖν. « Μακάριοι » γὰρ « οἱ ἀκούοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ καὶ φυλάσσοντες αὐτόν. » Περὶ δὲ τῆς Μαρίας εἴρηκε, « Μαρία δὲ τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο, ἥτις οὐκ ἀφαιρεθήσεται ἀπ' αὐτῆς. » Ἀπὸ γὰρ τῆς θεωρίας ταύτης εἰς ἐκείνην τὴν μέλλουσαν χαρὰν καταντήσομεν, ἣν οὐδεὶς ἀφ' ἡμῶν αἴρει, τῶν μὲν εἰκόνων τοῖς παραδείγμασι (85), τῇ δὲ θεωρίᾳ τῆς πίστεως ὑποχωρησάσης.

[53] Luc. x, 39. [54] Joan. iii, 18. [55] Joan. xvii, 3. [56] Luc. x, 41. [57] Luc. ii, 28. [58] Luc. x, 42.

(85) *Τῶν εἰκόνων τοῖς παραδείγμασι.* Nempe ὑποχωρησασῶν. *Cedentibus imaginibus, exemplaribus.* Ut sint exemplaria quorum simulacra sunt, ex eis deductæ imagines, et quæ Paulus τύπον vocat (*Hebr.* viii, 5) : Ὅρα, ποιήσεις πάντα κατὰ τὸν τύπον τὸν δειχθέντα σοι ἐν τῷ ὄρει · quæ sunt verba dicta Mosi Exod. xxv, 40 : quibus significatur esse τύπον et exemplar, rei struendæ quasi formam, et *modellum*, ut barbariuscule mechanici vocant. Sic intellexit Theodoretus : Σχήματα γὰρ αὐτῷ δείξας ἐν τῷ ὄρει τινὰ, ἐκείνοις τοπόμοια κατασκευάσαι προσέταξεν · *Cum figuras quasdam illi ostendisset in monte, illis consimilia struere præcepit :* de quibus subdit : Οὐκοῦν τόποι τῶν ἐπουρανίων τὰ παλαιά. Quibus significat hæc sic ostensa Mosi, figuras quasdam ac delineationes cœlestium esse ; eorum ἀντίτυπα, *figuras eis typo respondentes, ac quamdam eorum similitudinem habentes*, uti Paulus vocat, et ut idem semel et iterum c. 8 et 9, ὑποδείγματα, quæ Theophyl. exponit ἀμυδρὰ δείγματα καὶ οἷον σκιαγραφήματα, *obscuras repræsentationes ac velut umbratiles delineationes ;* quæ longe sunt ab iis quæ hic παραδείγματα vocat Calecas, quæ sint ipsa rei exhibitio ac repræsentatio, post ejus imagines ac simulacra, ac corpus loco umbræ, τὸ ὑπόδειγμα etiam pro exemplari sumitur apud Laert. ex Plat. de mundi creat., ὅτι καὶ τὸ ὑπόδειγμα ἦν ἣν ἀφ' οὗ αὐτὸν ἐδημιούργησε. Negat tamen Phryn. vocem esse Atticam, ac pro ea dicendum ait, παράδειγμα.

Digitized by Google

Ἐκείνην τὴν θεωρίαν ὑπὲρ νοῦν ἕνωσιν ὁ ἅγιος Διονύσιός φησι (86) περὶ οὗ καὶ πρότερον ἐμνήσθημεν, τουτέστι μείζω ἢ κατὰ τὴν δύναμιν τοῦ ἡμετέρου νοῦ. Ὁ γὰρ ἀνθρώπινος νοῦς μεταβατικῶς δύναται νοεῖν. Καὶ γὰρ ἐξ ἄλλου εἰς ἄλλο μεταβαίνων, καὶ ἀφ' ἑτέρου εἰς ἕτερον, ὕστερον εἰς τὸ ζητούμενον συμπέρασμα καταντᾷ. Διὸ καὶ ἀτελῆ τὴν γνῶσιν ἔχει, ἅτε μὴ ἀμέσως, ἀλλὰ κατ' ὀλίγον εἰς τὴν τελείωσιν τοῦ νοήματος πορευόμενος. Ὅς δὴ τρόπος τῆς νοήσεως ἡμῖν οὐκ ἔσται τότε· εἰ γὰρ ἔσται, ὁμοῦ μὲν ἀτελῆ τὴν μέλλουσαν χαρὰν καὶ εὐφροσύνην ἕξομεν. Οὐ γὰρ ἐκ τοῦ παραυτίκα καὶ ἀμέσως πλησθησόμεθα καθὸ πεφύκαμεν δέχεσθαι, ἀλλ' ἀεὶ τοῦ δυνατοῦ ἐλλιπεῖς ἐσόμεθα. Καὶ πῶς εἴρηται, « Μακάριοι οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην, ὅτι αὐτοὶ χορτασθήσονται· » καὶ πάλιν, Χορτασθήσομαι ἐν τῷ ὀφθῆναί μοι τὴν δόξαν σου· » ὁμοῦ δὲ καὶ λύπη τις ἔσται παραμεμιγμένη τῇ εὐφροσύνῃ; Καὶ πῶς; ἂν τοῦτο δύναιτο, ὅπου γε οὐδὲ τοὺς πονηροὺς κολαζομένους ὑπὸ τῶν δικαίων ὁρᾶσθαι διδασκόμεθα, ἵνα μὴ τοῦτο συμβαίνῃ; Καὶ πῶς καθεκάστην εὐχόμεθα τοὺς προαπελθόντας ἐκεῖ ταχθῆναι, ἔνθα οὐ λύπη, οὐ στεναγμός, ἀλλὰ ζωὴ ἀτελεύτητος; Οὐ γὰρ τοσοῦτον εὐφραινεῖ τὸ ληφθέν, ὅσον τὸ λειπόμενον ἀνιάσει. Καὶ εἰ τὸ μὴ τυγχάνειν τοῦ τέλους λύπην πανταχοῦ παρίσχει, πῶς οὐ τοῦτο ἡμῖν αἴτιον ἔσται λύπης, καὶ μᾶλλον ὅσῳ καὶ τοῦ μεγίστου ἀποτευξόμεθα; Καὶ γὰρ ἀεὶ ἐπιθυμήσομεν τοῦ πλείονος, καὶ ἀεὶ ζητήσομεν· καὶ ἐν ὅσῳ οὐ τυγχάνομεν, ἀνιασόμεθα, καὶ τῆς ἀνίας οὐδέποτε παυσόμεθα. Ἐπεὶ καὶ ἡ ἔφεσις εἰς τὸ ἄπειρον προχωρήσει. Πρὸς δὲ καὶ οὐδὲν ἧττον μετὰ πίστεως καὶ ἐλπίδος καὶ μετὰ τὸν παρόντα βίον ζησόμεθα. Ἀλλὰ μὴν πᾶσα ἔφεσις καὶ ἐλπὶς καὶ ζήτησις στήσεται, καὶ πᾶν ἡμῶν τὸ ἐπιθυμητικὸν πληρωθήσεται τῆς τοῦ Θεοῦ θεωρίας,

A Hanc contemplationem vocat sanctus Dionysius (cujus supra meminimus) « unionem supra intelligentiam, » majorem scilicet quam pro mentis nostræ facultate. Mens enim humana per discursum habet ut intelligat. Ab uno enim ad aliud, exque altero ad alterum subinde cogitando procedens, postremo ad conclusionem devenit rei, quæ in quæstionem vocatur. Unde et imperfectam habet cognitionem, ut quæ non immediate, sed paulatim ad conceptus perfectionem evadat. Verum hic modus tunc non erit; nam si esset, tum imperfectum nobis gaudium ac lætitia constaret. Non enim statim et sine medio adimpleremur, ut nobis comparatum est, possumusque recipere, sed ejus semper laboraremus inopia, cujus sumus capaces et nobis potest B obtingere. Quomodo igitur dictum est: « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur [59]; » et rursus: « Satiabor cum apparuerit gloria tua [60]; » tumque adeo commista quædam tristitia et dolor cum nostra lætitia foret? At quinam id fiat, cum nec malos quidem tormentis cruciatos a justis videri doceamur, ne quid ejusmodi illis contingat? Quomodo vero etiam pro defunctis quotidie precamur, eos illic collocari, ubi non est dolor aut gemitus, sed vita immortalis? Non enim quod nacti sumus tantum delectat, quantum mœroris affert, quod nobis desideratur. Cumque adeo intento frustrari fine, ubique dolorem faciat, qui fiat non inde nobis conflandum dolorem, præsertim vero, C quo re maximi ponderis nos frustrari, ejusque suspensos exspectatione esse contigerit? Semper enim majus aliquid animo appetemus; nec consecuti, quo nunquam levandi simus, mœrore afficiemur, quod nimirum cupiditas in infinitum tendetur. Accedit fore, ut perinde emenso vitæ hujus curriculo, fide ac spe comite vivamus. Atqui futurum ut desi-

[59] Matth. v, 6. [60] Psal. xvi, 15.

Chrys. ad illa verba, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν· Ἄρα ἐκεῖνά ἐστιν ἀληθινά, ταῦτα δὲ τύποι· καὶ γὰρ ὁ ναὸς οὕτω κατεσκεύαστο, ὥσπερ ὁ οὐρανὸς τοῦ οὐρανοῦ· *Illa ergo sunt vera, hæc vero typi. Templum enim ita erat constructum ut cœlum cœli.* Velut scilicet umbra quædam et obscura ejus delineatio, quæ in nobis est. Gratia, imago expressior est, sed ipsa adhuc imago. Veritas omnino in cœlis reposita. De antitypis in ordine ad Eucharistiam, Epiphaniique diaconi post Damasc. de illis sententia ac sensu, alia graviorque disputatio, de qua inter alios erudite nuper Leo Allat. in suis *Vindiciis* pro synodo Flor. adversus præsertim Anglum Calvinistam, exemplaris, cujus autographum habet Regia Parisiis bibliotheca, ac cujus nobis pridem apographum cum sua versione reliquit charissimus συνόμιλος R. P. Jacob. Goar ὁ μακαρίτης, malum interpretem (suorum ipso doctiorumque judicio) ac vulgatorem. Quidquid sit de illorum mente, et an invocatione illa Spiritus sancti complendam putaverint propositorum in Christi corpus et sanguinem immutationem; tuncque vere non ἀντίτυπα, sed ipsa revera nobis sub mysterio tradita esse divina munera; quod non satis ex vetustiorum Patrum videtur disciplina, sed nimia quadam existimatum simplicitate, quod ita præferre videantur Liturgiarum verba; quibus id explicatur longo verborum circuitu, quod una ipsa verba Dominica religiose prolata a sacerdote Christi nomine et in D ejus persona, ingenti miraculo præstant, ut passim exaggerat Chrys. ac erudite probat; idem serio Chrys. nostra ipsa cœlestia asserit, accersitque statim ab Eucharistia: in qua ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς κεῖται ἐσφαγμένος· *jacet immolatus;* hostia est ac mactatur: atque ut solum figura, nec ipse vere sit præsens, ac nobis cibus et potus cedat suam ministrando sub sacramento carnem ac sanguinem, nihil minus ὑπόδειγμα καὶ σκιὰ quam vetera, nostra hæc dicantur; videanturque illa præstare, quod in legalibus hostiis expressior figura erat Christi immolationis, quam quæ nobis in panis et vini oblatione Christi Testamento commendata sit. Nostra ergo illa cœlestia, *quæ spiritalia, quæ cœlis digna, etsi in terra peragantur;* hoc solum figura dicenda, quod sub rerum sensilium hactenus involucris latent, ipsa nobis in cœlis palam quandoque prodenda.

(86) *De divin. nom.* c. 1.

Digitized by Google

derium omne et spes inquisitioque cesset, visque omnis desiderii, Dei contemplatione nobis impleatur, cum illud deinceps in nullam aliam rerum trahatur.

Qua itaque ratione humanæ naturæ comparatum est, et quantum quisque capere potest, Dei nobis contemplatio illucescet; statimque ac immediate, post expletum extremum judicium, quisque illius heres futurus est. Id enim sanctus «unionem» vocat «supra intelligentiam,» immediatam scilicet cum Deo consuetudinem; supra quam scilicet mens humana consequi potest. Idque Paulus dicebat «facie ad faciem [61], « Joannes vero evangelista: «Videbimus eum sicuti est[62].« Hanc porro arcanam mentis visionem et contemplationem, justorum scilicet hereditatem et sortem, quam beatus Dionysius «unionem mente superiorem» vocat, magnus Gregorius Theologus «regnum cœlorum» affirmat, quem et prius, iis quæ exposita sunt, id vel maxime sentientem ostendimus. In ea enim Oratione quam habuit ob Plagam grandinis, ubi futuri illius status meminit, provocatque auditores, ut memoria recolant, quæ justos et injustos exceptura præmia sint: «Quis,» inquit, «illic patronus? quæ causificatio? quæ falsa defensio? quod artificiosum verborum lenocinium? quando proponentur throni, et Antiquus dierum præsidebit, et libri aperientur, et igneus fluvius volvetur [63]; et lux a fronte, et paratæ tenebræ [64], et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ [65], nunc in Christo absconditæ [66]; qui autem mala egerunt, in resurrectionem judicii, quo ii qui non credunt a Verbo eos judicante, jam condemnati sunt [67]. Atque illos quidem lux excipiet, sanctæque ac regiæ Trinitatis, purius jam ac clarius illucentis, totamque se cum tota mente miscentis, contemplatio (in qua ego, vel sola maxime regnum cœlorum positum esse censeo), hos autem simul cum aliis, vel potius ante alia, istud excruciabit, quod a Deo projecti sint, atque inustam in conscientia sempiternæ ignominiæ notam gerant.» En Gregorius quoque sanctorum hæreditatem esse docet Dei contemplationem, totumque cum toti menti misceri, quod et regnum cœlorum vocat.

Haud tamen in dubium vocandum, qui fiat, ut quod ait Paulus, « facie ad faciem [68] » videamus Deum; ipseque Dominus, « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt [69]. » Sane quidem videbimus pro eo tamen ac mentis nostræ facultas patitur, quanta scilicet nostra cognoscendi vis ac intelligendi. Nunc quidem in umbris videmus et

A ἐπὶ μηδὲν ἕτερον ἐλκομένης λοιπὸν τῆς ἐπιθυμίας.

Ὥστε, καθὸ πέφυκεν ἡ ἀνθρωπίνη φύσις καὶ κατὰ τὸ δυνατὸν ἑκάστῳ, ἡ τοῦ Θεοῦ θεωρία ἐπιλάμψει ἡμῖν, καὶ κληρονόμος αὐτῆς ἕκαστος ἔσται ἐκ τοῦ παραυτίκα καὶ ἀμέσως, τῆς τελευταίας κρίσεως γενομένης. Τοῦτο γάρ ἐστι, ὅπερ ὁ ἅγιος *ὑπὲρ νοῦν ἕνωσιν* καλεῖ, τὴν πρὸς τὸν Θεὸν ἄμεσον ὁμιλίαν, τουτέστιν, ὑπὲρ ὃ δύναται ὁ ἀνθρώπινος νοῦς· καὶ ὅπερ ὁ Παῦλος λέγει « πρόσωπον πρὸς πρόσωπον· » καὶ ὁ Εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης, « Ὀψόμεθα αὐτὸν καθώς ἐστι. Ταύτην δὲ τὴν κατὰ νοῦν ἄῤῥητον ὄψιν καὶ θεωρίαν, τὴν B τῶν δικαίων κληρονομίαν, ἣν ὁ μακάριος Διονύσιος « ὑπὲρ νοῦν ἕνωσιν » καλεῖ, ὁ μέγας Γρηγόριος ὁ Θεολόγος (87) « βασιλείαν οὐρανῶν » τίθεται, ὃν καὶ πρότερον ἀπὸ τῶν ἐκτεθέντων τοῦτο καὶ μάλα φρονοῦντα ἐδείκνυμεν. Ἐν γὰρ τῷ ῥηθέντι λόγῳ διὰ τὴν πληγὴν τῆς χαλάζης, τῆς μελλούσης καταστάσεως μεμνημένος, καὶ τοὺς ἀκροατὰς ἐπὶ τὴν μνήμην προκαλούμενος τῶν μελλόντων διαδέξασθαι δικαίους καὶ ἀδίκους, « Τίς συνήγορος; ἐκεῖ, » φησὶ, « ποία σκῆψις, τίς ψευδὴς ἀπολογία, ποία πιθανότης ἔντεχνος, ἡνίκα θρόνοι προτίθενται, καὶ Παλαιὸς ἡμερῶν προκαθέζεται, καὶ βίβλοι διανοίγονται, καὶ ποταμὸς πυρὸς ἕλκεται καὶ τὸ φῶς ἔμπροσθεν (88), καὶ τὸ σκότος ἡτοιμασμένον· καὶ πορεύονται οἱ τὰ ἀγαθὰ ποιήσαντες εἰς ἀνάστασιν C ζωῆς, τῆς ἐν Χριστῷ νῦν κρυπτομένης, οἱ δὲ τὰ φαῦλα πράξαντες εἰς ἀνάστασιν κρίσεως· ἣν ἤδη παρὰ τοῦ κρίνοντος αὐτοὺς Λόγου οἱ μὴ πιστεύοντες κατεκρίθησαν. Καὶ τοὺς μὲν τὸ φῶς διαδέχεται, καὶ ἡ τῆς ἁγίας καὶ βασιλικῆς θεωρία Τριάδος, ἐλλαμπούσης τρανότερόν τε καὶ καθαρώτερον, καὶ ὅλης ὅλῳ νοῒ μιγνυμένης (ἣν δὴ καὶ μόνην μάλιστα βασιλείαν οὐρανῶν ἐγὼ τίθεμαι)· τοῖς δὲ μετὰ τῶν ἄλλων βασάνων, μᾶλλον δὲ πρὸ τῶν ἄλλων, τὸ ἀπερρίφθαι Θεοῦ, καὶ ἡ ἐν τῷ συνειδότι αἰσχύνη πέρας οὐκ ἔχουσα. » Ἰδοὺ καὶ οὗτος τὴν τῶν ἁγίων κληρονομίαν τὴν τοῦ Θεοῦ θεωρίαν εἶναι διδάσκει· καὶ ὅλον ὅλῳ τῷ νοῒ μίγνυσθαι, ὃ δὴ καὶ βασιλείαν οὐρανῶν ὀνομάζει.

D Οὐ μέντοι ἀπορεῖν δεῖ, πῶς ὀψόμεθα τὸν Θεὸν « πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, » ὥς φησι Παῦλος· καὶ ὁ Κύριος, « Μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, ὅτι αὐτοὶ τὸν Θεὸν ὄψονται. » Ὀψόμεθα μὲν γάρ, ἀλλὰ καθὼς τῷ ἡμετέρῳ νῷ δυνατὸν, κατὰ τὸ ἀνάλογον γνωστικόν. Νῦν μὲν γὰρ ἐν σκιαῖς καὶ ἐν αἰνίγμασι βλέπομεν, ἅπερ ὁ αὐτὸς Γρηγόριος ὁ Θεολόγος γνω-

[61] I Cor. XIII, 12. [62] I Joan. III, 2. [63] Dan. VII, 9, 58. [64] Joel. II, 23. [65] Joan. V, 29. [66] Coloss. III, 3. [67] Joan. III, 18. [68] I Cor. XIII, 12. [69] Matth. V, 8.

(87) Orat. 15.

(88) *Καὶ τὸ φῶς ἔμπροσθεν.* Putem Greg. respexisse illud Joel II, 3: Καὶ ἔμπροσθεν αὐτοῦ πῦρ ἀναλίσκον· sive φῶς illi obrepsit loco πυρὸς, sive de industria ita mutavit; quasi pro eodem habens lumen, quod sit ad torquendum, cum ipso igne sic torquente; paratæ etiam tenebræ, dies illa tenebrarum et caliginis. Matth. XXV, 34, ignis æternus, qui ipse tenebræ, diabolo paratus dicitur et angelis ejus.

Digitized by Google

ρίσματα τοῦ Θεοῦ μετὰ Θεὸν ἔλεγεν ἐν τοῖς θεολογικοῖς αὐτοῦ λόγοις (89)· ἑρμηνεύων δὲ καὶ τίνα τὰ γνωρίσματα ταῦτα, ἐπιφωνηματικῶς ἐπήγαγεν, « Ὥσπερ αἱ καθ' ὑδάτων ἡλίου σκιαὶ καὶ εἰκόνες σαθραῖς ὄψεσι παραδεικνῦσαι τὸν ἥλιον, ἐπεὶ μὴ αὐτὸν προσβλέπειν οἷόν τε, τῷ ἀκραιφνεῖ τοῦ φωτὸς νικῶντα τὴν αἴσθησιν· » τότε δὲ οὐκ ἐν σκιαῖς οὐδ' ἐν αἰνίγμασιν, ἀλλ' αὐτὸν τὸν Θεὸν, καθὼς οἱ ἅγιοί φασιν, οὐ τελείως τὴν οὐσίαν αὐτοῦ κατανοοῦντες, οὐ γὰρ ἔχομεν τὸ ἀνάλογον γνωστικόν· ἢ γὰρ ἦμεν Θεοὶ κατ' αὐτὸν, ἄναρχοι καὶ ἄπειροι καὶ ἀπερίγραπτοι καὶ τέλειοι, γινώσκοντες αὐτὸν ὡς αὐτὸς ἑαυτόν. Ἀλλ' οὕτως ὀψόμεθα, ὥσπερ ὅταν τὸ ὄμμα πρὸς τὸν ἥλιον ἀνατείνωμεν, τὰς ἐν τοῖς ὕδασιν αὐτοῦ σκιὰς ὑπερβάντες. Τότε μὲν γὰρ τὸν ἥλιον βλέπειν εἰποιμεν ἂν ὀρθῶς· οὐ μὴν ἀκριβῶς αὐτὸν κατανοεῖν, οὔτε τὸ μέγεθος, οὔτε τὴν οὐσίαν, καὶ τὸ ὑποκείμενον τὸ δεκτικὸν τοῦ φωτός· οὔτε τὰ κατ' αὐτὸν πάντα, ἐξ ὧν σύνθετός ἐστιν· ὅμως λεγόμεθα βλέπειν τὸν ἥλιον. Καὶ τοῦτο μὲν ὡς παράδειγμα εἰρηται· ὅθεν οὐδὲ τὰ τούτου καὶ ἐπὶ Θεοῦ λαμβάνειν δεῖ πάντα, ἵνα μὴ πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ περιγραπτὸν τὸν Θεὸν φαντασθῶμεν.

A ænigmatis, quæ idem Gregorius Theologus orationibus suis theologicis dicebat, « Dei numinis posteriora Deo indicia; » exponensque quænam hæc intelligenda indicia, velut sententiam claudens subjecit : « Non secus videlicet ac solis in aquis umbræ atque simulacra infirmis oculis solem repræsentant : quandoquidem eum obtueri non possumus, utpote lucis puritate sensum omnem superantem. » Tunc vero non in umbris nec in ænigmatis, sed ipsum Deum, uti loquuntur Sancti; non ejus perfecte perspectam habentes substantiam : non enim ea mentis nostræ vis est, ut paribus illi modis respondeat, alioqui haud secus ac ille dii essemus, principii expertes, infiniti, incircumscripti, perfecti, ipsum cognoscentes, ut ipse
B seipsum cognoscit : sed sic eum videbimus, velut cum superatis quæ in aquis exstant, solis umbris, in ipsum oculos solem intenderimus. Tunc enim recte dicamur videre solem; tametsi eum perfecte non perspiciamus, nec quanta ejus magnitudo, nec quanta substantia ac suppositum lucem gestans; nec denique quanta ejus omnia, ex quibus compositus est. Et hoc quidem velut exemplum assumptum est; unde nec ejus omnia et in Deo usurpanda sunt, ne præter alia, etiam Deum circumscriptum intelligamus.

Μακάριοι τοίνυν ἐσόμεθα, ὅτι ὃ οὐ βλέπομεν, ἀναμφιβόλως πιστεύομεν. Διὰ γὰρ τῆς πίστεως ἐπὶ τὴν ἄῤῥητον τῆς ἁγίας Τριάδος καταντήσομεν θεωρίαν, καὶ τὸν Θεὸν ὀψόμεθα, κατὰ τὴν τοῦ Σωτῆρος ὑπόσχεσιν· ὅτε αὐτὸν ἔχοντες τὸ ἔσχατον ἀγαθὸν, οὐ
C δεησόμεθα τινός· ἀλλὰ πλησθησόμεθα ζωῆς αἰωνίου καὶ χαρᾶς καὶ ἀγαλλιάσεως, καθὸ πέφυκεν ἕκαστος, κατὰ τὴν ἀναλογίαν πίστεως καὶ τοῦ καμάτου αὐτῶν· καὶ γὰρ μονὰς πολλὰς παρὰ τῷ Θεῷ ἠκούσαμεν εἶναι· μὴ κατ' ὀλίγον τὸ δυνατὸν ἡμῖν λαμβάνοντες, ἀτελῆ καὶ μετὰ λύπης τὴν αἰωνίαν ἐκείνην θεωρίαν τοῦ Θεοῦ καὶ ἀπόλαυσιν ἔχωμεν, καὶ μετ' ἐλπίδος καὶ ἐφέσεως κἀκεῖ ζήσωμεν· καὶ τότε συμβήσεται ἡμῖν ἔχουσιν αὐτὸν τὸν Θεὸν, οὗ γενομένοις πάσης θεωρίας ἀνάπαυσις, ὅπερ ὁ Προφήτης φησὶν, « Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται. »

Beati ergo erimus, quod id quod non videmus, citra omnem dubitationem credimus[70]. Per fidem enim, ad arcanam sanctæ Trinitatis contemplationem deveniemus, Deumque, juxta quod Salvator pollicitus est[71], visuri sumus; quando ipsa supremi Boni possessione beati, nullius egebimus; sed vita æterna et gaudio et exsultatione, pro eo ac cuique comparatum est, pro fidei nostræ ratione atque laboris, implebimur. Etenim mansiones multas apud Deum esse audivimus[72]; ne paulatim id cujus capaces sumus accipientes, imperfectam et cum mœrore habeamus æternam illam Dei contemplationem ac jucunditatem, atque illic etiam spe desiderioque vitam sustentemus : tumque continget nobis Deum ipsum habentibus, cujus nobis adeptione omnis sedanda contemplatio est, quod propheta ait : « Justus autem ex fide vivet[73]. »

ΕΠΙΛΟΓΟΣ.

Ἵνα τοίνυν ἐπὶ τὸ ἐλπιζόμενον καταντήσωμεν
D ἀγαθὸν, ὀφείλομεν πιστεύειν καὶ βεβαίως κατέχειν τὰ δόγματα τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας, ἣν μίαν, ἁγίαν, καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ὁμολογοῦμεν· ὅσα περὶ τοῦ ἑνὸς καὶ τρισυποστάτου Θεοῦ κηρύττει· ὅσα τε περὶ τῆς οἰκονομίας καὶ τῆς μελλούσης ἀναστάσεως διδάσκει· καὶ πάντα φυλάττειν ὑγιῶς καὶ γνησίως, μήτε κατὰ τὴν πίστιν, μήτε κατὰ τὴν πολιτείαν χωλεύοντας. Πρὸς μὲν γὰρ τὸν ἀπὸ μόνης τῆς πίστεως θαῤῥοῦντα τῆς αἰωνίου ζωῆς ἐπιτυχεῖν ὁ Κύριος εἴρηκεν, « Οὐ πᾶς ὁ λέγων μοι, Κύριε,

PERORATIO.

Ut igitur ad bonum in spe nobis repositum perveniamus, necesse est ut credamus, ac sanctæ Dei Ecclesiæ, quam unam sanctam catholicam et apostolicam confitemur, decreta firmiter teneamus; quæcunque nimirum de uno ac trine subsistenti Deo prædicat; nec non quæcunque de Christi mysterio, deque futura resurrectione docet; cunctaque sane ac vere servemus, ut neque quod ad fidem spectat, nec quod ad disciplinam, quidquam claudicemus. Ad eum quidem qui ex sola fide æternam vitam se adepturum præsumit, dixit Dominus :

[70] Joan. xx, 29. [71] Matth. v, 8. [72] Joan. xiv, 2. [73] Habac. ii, 4.

(89) Orat. 34.

Digitized by Google

« Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum ; [74] » et : « Quid me dicitis, Domine, Domine, et non facitis quæ dico vobis [75]? Ad eum vero qui ex solis operibus sine fide sperat salutem, infit Apostolus, « Sine fide impossibile est placere Deo [76], » et sine fide opera mortua esse, ut et fidem sine operibus [77].

A Κύριε, εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν » καὶ, « Τί με λέγετε Κύριε, Κύριε, καὶ οὐ ποιεῖτε ἃ λέγω ὑμῖν ; » πρὸς δὲ τὸν ἀπὸ μόνων τῶν ἔργων ἐλπίζοντα ὁ Ἀπόστολος εἶπεν, « Ἄνευ πίστεως θεῷ ἀρέσαι ἀδύνατον · » καὶ ἔργα ἄνευ πίστεως νεκρά εἰσιν, ὡς πίστις χωρὶς ἔργων.

Sunt vero quidam impii, seu hæretici, quibus non raro certa consilii ratione, futura a Deo revelantur: sicque liquet ex gestarum rerum monumentis, velut etiam se in Caipha res habuit [78]: qui cum Pontifex esset anni illius, ut Evangelista ait, prophetavit expedire ut unus homo periret pro populi salute. Quin et quandoque in Dei nomine miracula faciunt, nec ideo minus longe a Deo sunt. De illis enim B dixit Dominus : « In illa die multi dicent mihi, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus ? et tunc confitebor illis, Nunquam novi vos : discedite a me, operarii iniquitatis [79] : » quos utique et cavendos monet, dum ait : « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces [80]. » Idcirco, qui ejusmodi sunt, primum a fide, tum a vita morumque disciplina examinandi sunt : « A fructibus enim eorum, inquit, cognoscetis eos[81]. » Proprius vero maxime homini fructus, mentis rationes sunt ac consilia, quibus proditis noscitur, num veræ Christianorum consentiat fidei, necne. Ad vitam quoque morumque disciplinam quod attinet, etsi simulant ac decipiunt, brevi tamen deprehenduntur. C

Εἰσὶ δὲ καί τινες ἀσεβεῖς, ἢ καὶ αἱρετικοὶ, πρὸς οὓς πολλάκις τὰ μέλλοντα κατά τινα οἰκονομίαν παρὰ τοῦ Θεοῦ ἀποκαλύπτονται, ὡς ἀπὸ τῶν ἱστοριῶν τοῦτο δῆλον· ὥσπερ καὶ ὁ Καϊάφας περὶ τοῦ Χριστοῦ, ἀρχιερεὺς ὢν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου προεφήτευσεν, ὡς ὁ Εὐαγγελιστὴς φησὶν, Ὅτι συμφέρει ἕνα ἄνθρωπον ὑπὲρ τοῦ λαοῦ ἀπολέσθαι. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Θεοῦ θαύματα ποιοῦσιν ἔστιν ὅτε· καὶ ὅμως τούτου οὕτως ἔχοντος, οὐδὲν ἧττον πόῤῥω τοῦ Θεοῦ εἰσι. Περὶ αὐτῶν γὰρ ὁ Κύριος εἴρηκεν, « Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ πολλοί μοι ἐροῦσι, Κύριε, οὐ τῷ σῷ ὀνόματι προεφητεύσαμεν, καὶ δαιμόνια ἐξεβάλομεν, καὶ δυνάμεις πολλὰς ἐποιήσαμεν; καὶ τότε ὁμολογήσω αὐτοῖς, Οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς· ἀποχωρεῖτε ἀπ' ἐμοῦ, οἱ ἐργάται τῆς ἀνομίας· » οὓς δὴ καὶ ἐκφεύγειν παραινεῖ, « Προσέχετε, » λέγων, « ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν, οἵτινες ἔρχονται πρὸς ὑμᾶς ἐν ἐνδύμασι προβάτων, ἔσωθεν δέ εἰσι λύκοι ἅρπαγες. » Ὅθεν τοὺς τοιούτους πρῶτον μὲν ἀπὸ τῆς πίστεως, εἶτα ἀπὸ τῆς πολιτείας ἐξετάζειν δεῖ. « Ἀπὸ γὰρ τῶν καρπῶν αὐτῶν, » φησὶν, « ἐπιγνώσεσθε αὐτούς. » Καρπὸς δὲ οἰκεῖος μάλιστα ἀνθρώπῳ τὰ τῆς ψυχῆς νοήματα, ὧν φανερουμένων γινώσκεται, εἴτε τῇ τῶν Χριστιανῶν ἀληθινῇ συμφωνεῖ πίστει, εἴτε καὶ μή. Καὶ κατὰ τὴν πολιτείαν δὲ, εἰ ὑποκρίνονται καὶ ἐξαπατῶσιν, ἀλλὰ μετ' ὀλίγον ἐξελέγχονται.

Quæ igitur ab Scriptura sacra, et a sanctis Deique Ecclesiæ magistris, de sana Christianorum fide docemur, ista fere sunt : quam et corde credere debemus ad justitiam, et ore confiteri ad salutem, uti Doctor gentium decrevit [82] : « Nisi enim eam quis fideliter crediderit, salvus esse non poterit, » ut magnus Athanasius in confessione fidei ad Julium papam Romanum scriptam adjecit :

Ὅσα μὲν οὖν παρὰ τῆς ἁγίας Γραφῆς καὶ τῶν ἁγίων καὶ διδασκάλων τῆς τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας περὶ τῆς ὑγιοῦς τῶν Χριστιανῶν πίστεως διδασκόμεθα, ταῦτά ἐστιν ἣν καὶ καρδίᾳ πιστεύειν ὀφείλομεν εἰς δικαιοσύνην, καὶ στόματι ὁμολογεῖν εἰς σωτηρίαν, ὡς ὁ διδάσκαλος τῶν ἐθνῶν ἀπεφήνατο. « Ταύτην » γὰρ ἐάν μή τις πιστῶς πιστεύσῃ, σωθῆναι οὐ δύναται, » ὡς ὁ μέγας Ἀθανάσιος (90) ἐν τῇ πρὸς Ἰού-

[74] Matth. vii, 21. [75] Luc. vi, 46. [76] Hebr. xi, 6. [77] Jac. ii. 20, 26. [78] Joan. xi, 50. [79] Matth. vii, 22. [80] Matth. vii, 15. [81] ibid. [82] Rom. x. 10.

(90) Ὡς ὁ μέγας Ἀθανάσιος. De Symbolo Athanasiano luculenter scripsit vir egregie doctus ac catholicus Gilb. Genebrardus, theologus Parisiensis; nec alia auctoritate magno Athanasio asserit, quam illa ipsa Gregorii Theologi, qua usus est noster Manuel Calecas ; ex qua tamen rem minime confici arbitror. Loquitur Gregorius de confessione, seu formula fidei oblata Joviano principi, cum ille ab Athanasio documenta fidei petiisset, ejusque ac Catholicorum communionem ambiret, tentantibus Arianis sibi ipsum addicere, atque illius abuti potestate, uti pridem in Constantio fecerant, postmodumque fecerunt in Valente. Exstant eorum adversus Athanasium interpellationes et repulsæ. Fides ergo et confessio Joviano oblata ab Athanasio, ipsa est Nicæna fides, paucaque illi addita de divinitate Spiritus sancti, quæ sic Gregorius extulit : atque Occidentales et Orientales deinceps veneratos esse ait : Πρῶτος καὶ μόνος, ἢ κομιδῇ σὺν ὀλίγοις ἀποτολμᾷ τὴν ἀλήθειαν σαφῶς οὕτωσὶ καὶ διαῤῥήδην, τῶν τριῶν μίαν θεότητα καὶ οὐσίαν ἐγγράφως ὁμολογήσας · *Primus ille ac solus, aut cum admodum paucis, veritatem palam apertisque verbis promulgare non dubitavit, unam trium personarum divinitatem et essentiam scripto confessus.* Id nimirum Athanasius sic exsecutus, epistola illa quam refert Theodoretus, l. IV *Historiæ Eccles.*, c. 3, quæ una explodit, quidquid de Symbolo Athanasiano, Dominicis diebus ad Primam recitari solito, illi oblato ad ejus formandam fidem, cum prius Treveris illud scripsisset, ut fidei suæ rationem Julio papæ redderet, vel Genebrardus, vel alii scripsere. Alia ratio instituendi Christianissimum principem, seu etiam suam fidem tuendi ac satis-

Digitized by Google

λιον πάπαν Ῥώμης τῆς πίστεως ὁμολογία προσέθηκεν· ἧς δὴ καὶ Γρηγόριος ὁ Θεολόγος (91) ἐν τῷ εἰς

cujus plane etiam Gregorius Theologus in ejus Encomio mentionem faciens : « Solus ille, inquit,

faciendi, quam præferat illud Symbolum : quod non uni, sed sic universis præscribat Romanæ ego Ecclesiæ quasi Symbolum incerto auctore, existimem, hinc Athanasii dictum et putatum, quod dilucide catholicam, ipsamque Athanasii fidem (de Trinitate maxime) complecteretur; cujus inter catholicos sic spectata fides, ut ejus communio velut tessera catholici esset : censeretur que ejus condemnatio ipsa Nicænæ et catholicæ fidei ejuratio; uti se res habuit in Liberio Romano antistite, cui renuit Romana ipsa Ecclesia communicare, habuitque ut hæreticum, cum ille Constantii vexationibus fatigatus in ejus tandem condemnationem consensisset : seque illa condemnatione, Eusebianorum communione polluisset. Ejus Symboli seu formulæ fidei antiquitatem, produnt illi ejus versiculi, quos totidem verbis habet August. in libris *De Trinit.* et alibi, quos non aliunde desumpsisse videatur quam ex eo Symbolo : ac, si desumpsit, longe Athanasii ætatem superat, cui quidam illud falso ascribunt, ut auctor est Joannes Beleth us, antiquus Parisiensis theologus : nisi forte velint aliqua de Christi mysterio addidisse, quæ videantur 4 synodum generalem, ac in eo explicatam fidem, supponere, ut est facile in ejusmodi scripionibus nova addere, majoris explicationis causa, prout novæ cogunt surgentes opiniones seu hæreses. Quanquam nihil vetat dicere, ipsum potius Symboli auctorem ex Augustino aliisque PP. sua consarcinasse. Verum quidquid oppones, nihil necesse Roma vel Latio exire, seu Græcum Symboli ejus auctorem quærere. Latine primum scriptum omnino suadet, quod Latina, ipsa non barbara, eadem prorsus sunt; Græca fere semibarbara, longe alia et alia, prout quisque interpretum sibi indulsit, ut alia aliis verba reponeret ; nec solum in levioribus, verum etiam in iis quæ graviora videantur, ut sunt voces ὑπόστασις et πρόσωπον. Duas refert Genebr. et tertiæ variantes lectiones, exstatque quarta altero tomo Athanasii Operum, Symboli hujus Græca editio : omnesque alium aliumque præferunt auctorem, seu magis interpretem; sic verbis dissentiunt, ac quamvis alii aliis minus barbari sint, præ Athanasio omnes balbutiunt ævique paulo recentioris homines produnt. Movet et illa explicatio dicti evangelici : *Pater major me est*, non satis in eo Symbolo Athanasiana. Verus enim Athanasius, orat. 2 contra Arianos, majorem exponit, ut et fere æquales pauloque suppares viri ecclesiastici, ratione originis et principii, non secundum humanitatem, de qua nemo possit ambigere, et inter quam et Deum (res sic distantes diversique generis) non satis apte illis visa instituta illa majoris comparatio. Μείζων itaque οὐ μεγέθει τινὶ ἢ χρόνῳ, ἀλλὰ διὰ τὴν ἐξ αὐτοῦ τοῦ Πατρὸς γέννησιν· *Major non mole aliqua aut tempore, sed quod ex Patre natus sit.* Subdit que : Πλὴν ὅτι καὶ ἐν τῷ εἰπεῖν, Μείζων ἐστὶν, ἔδειξε πάλιν τῆς οὐσίας τὴν ἰδιότητα· *Cæterum etiam dicendo*, Major est, *essentiæ rursus proprietatem ostendit.* Paulo clarius Greg., orat. altera de Filio, ex quo hausisse videntur nostri theologi, ut sic evangelice Patrem majorem dicant, ut tamen Filium minorem non admittant; qua in re minus scrupulosos fuisse antiquiores liquet. Sic ergo ille : Ἦ δῆλον ὅτι τὸ μεῖζον μὲν ἔστι τῆς αἰτίας, τὸ δὲ ἴσον τῆς φύσεως· καὶ τοῦτο ὑπὸ πολλῆς εὐγνωμοσύνης ὁμολογοῦμεν ἡμεῖς· τάχα δ' ἂν εἴποι τις ἄλλος τῷ ἡμετέρῳ λόγῳ προσφιλονεικῶν, μὴ ἔλαττον εἶναι τὸ ἐκ τοιαύτης αἰτίας εἶναι τοῦ ἀναιτίου, τῆς τε γὰρ τοῦ ἀνάρχου δόξης μετέχοι ἂν, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνάρχου· καὶ πρόσεστι ἡ γέννησις πρᾶγμα τοσοῦτο τοῖς γε νοῦν ἔχουσι, καὶ οὕτω

sane primus ante alios, magna Ecclesiæ columna divinus et sacer Athanasius in suæ fidei professione, quam Liberio papæ exhibuit, cujus illud initium est : « *Quicunque vult salvus esse.* » Spiritus sanctus, *ait*, a Patre et Filio, non factus, non creatus, nec genitus, sed procedens. Τί πρὸς τοῦτο ἔχεις εἰπεῖν; οὐκ ἔστιν ἅγιος οὗτος καὶ τῆς Ἐκκλησίας διδάσκαλος· *An quidquam oppones? Nonne est*

σεβάσμιον· τὸ γὰρ δὴ λέγειν ὅτι τοῦ κατὰ τὸν ἄνθρωπον νοουμένου μείζων ἐστὶ, ἀληθὲς μὲν, οὐ μέγα δέ· τί γὰρ θαυμαστὸν, εἰ μείζων ἀνθρώπου Θεός. *Nonne perspicuum est. Majoris vocem ad causam* (id est, auctorem) *æqualis autem ad naturam referendam esse? Ac nos istud ingenue admodum et candide fatemur. Fortasse etiam dixerit alius quispiam, sermonem nostrum acriori animi contentione prosequens, inferius habendum non esse, ab hujusmodi causa seu auctore, nullam causam seu auctorem habente, proficisci. Nam et qui ab eo, qui principio caret, originem trahit, ejus quoque gloriæ partem sibi vindicat. Et accedit insuper generationis prærogativa, res tanta tamque veneranda, iis certe quidem, qui mente præditi sint; nam quod ratione humanitatis Pater Filio major intelligendus sit, vere quidem dici potest, sed non perinde honorifice. Quid enim mirum, Deum homine majorem esse?* Idipsum Hilarius, aliique. Ac ne pluribus morer, laudata Gregorio Athanasii veritatis aperta confessio, qua unus ipse in Spiritu præstiterit, quod tantus Nicææ Patrum conventus in Filio, ista sunt in catholica illa epistola Athanasii nomine omniumque episcoporum Ægypti : Ἀλλ' οὐδὲ ἀπηλλοτρίωσαν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ὑπὸ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ· ἀλλὰ μᾶλλον συνεδόξαζον αὐτὸ τῷ Πατρὶ καὶ τῷ Υἱῷ· ἐν τῇ μιᾷ τῆς ἁγίας Τριάδος πίστει, διὰ τὸ καὶ μίαν εἶναι τὴν ἐν τῇ ἁγίᾳ Τριάδι θεότητα· *Sed neque Spiritum sanctum a Patre et Filio alienum senserunt : quin potius una cum Patre et Filio eum glorificaverunt, in una sanctæ Trinitatis fide; propterea quod una sit in sancta Trinitate divinitas.* Hæc Athanasius, non ut novam fidem, sed ut ipsam Nicænam, pluribus explicans, quod Patres Nicæni explicata Filii theologia, sic paucis de Spiritu sancto extulerant : Καὶ εἰς τὸ ἅγιον Πνεῦμα· *Et in Spiritum sanctum.* Aliis fatigare religiosissimum principem haud satis opportunum, cum tota quæstio de uno illo verteretur Arianico dogmate et Nicæna fide, adjectis etiam Eunomii ac reliquorum Spiritus sancti impugnatorum stolonibus, quos perinde solers vinitor ac agricola Athanasius, ea confessione excidit, secutaque 11 synodus, quæ 1 Constantinopolitana, Damaso Romano antistite, fuit. Antequam vero manum ex tabella, quandiu in Athanasiano Symbolo sumus, quas repræsentat Genebrardus editiones : Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀπὸ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορευτόν. Παρὰ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ ἐκπορευόμενον, habent : perindeque citat Joannes Plusiadenus pro concilio Florent., alia vero Græca, illud καὶ Υἱοῦ non habent : quod ex diverso studio ac fide sive interpretum sive scribarum ita factum est; uti etiam in Græcis, quæ exstant vii synodi, vox illa desideratur, quam quidam in eis exstitisse autumant. Ut ut sit, Græci pro authentico, certoque Athanasii non habent. Hinc objicienti catholico : Αὐτίκα ὁ μέγας τῆς Ἐκκλησίας στῦλος ὁ θεῖος τῷ ὄντι καὶ ἱερὸς Ἀθανάσιος ἐν τῇ ὁμολογίᾳ τῆς ἑαυτοῦ πίστεως, ἣν ἐξέθετο πρὸς Λιβέριον πάπαν, ἧς ἡ ἀρχή, « Ὅστις ἂν βούληται σωθῆναι, » Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, φησὶν, ἀπὸ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ, οὐ ποιητὸν, οὐ κτιστὸν, οὐδὲ γεννητὸν, ἀλλ' ἐκπορευτόν· *Et*

(91) Orat. 21.

Digitized by Google

aut cum valde paucis ausus est veritatem scripto profiteri. » Hanc vocans Veritatem, quam is ad Julium fidei professionem scripsit.

De hac autem nostra fide, nos quoque eam complentia summe necessaria capita paucis conscripsimus, quæ tu quidem, amice, a me postulasti : nunc autem, tibi reddita habes, quamvis non satis strenue, et quantum sufficiat, sed pro virili nostra facultate, quanta nimirum donavit Deus pro meæ lectionis exiguæque diligentiæ modulo ea subministrans. Quin ne hæc ipsa quidem dicturus eram, quod et initio operis præfatus sum, nisi certo a Sanctis prædicari nossem, eorumque auctoritates in promptu haberem. Mihi enim semper quidem ea inita ratio est, ut superiores, et in eis optimos, sequar; præsertim vero in divinis eam mihi indixi servandam consuetudinem, ut nihil sentiam, nihil dicam, quam quod Scripturæ visum sit, divinoque Spiritu edoctis Ecclesiæ magistris : nihil denique scribam, cujus non apertam certamque auctoritatem, ex sacra Dei Scriptura, ejusque interpretum, quos Dei Ecclesia et laudavit, et suo præconio claros reddidit; idque manifeste liqueat ex illis quæ edidimus, magisque clareat, modo solum ea quæ scripta sunt, sine dolo rectoque judicio perçurrat. Nihil enim prorsus a me ipso intuli, sed id solum, quod ea quæ diversis locis a sanctis dicta sunt, ipse hic collegi, ad eorum qui lecturi sunt, firmandam fidem, ejusque veritatem constabiliendam. Quanquam ne id quidem facturus eram, nisi tu a me exegisses, at neque te exigente, si tibi et otium et libri et eruditionis facultas ad hæc sparsim posita colligenda, ac memoriæ penu reponenda brevi sententia comprehensa, suppeterent: ne videamur superbe aggredi ad hæc conscribenda, ac diaboli morbo laborare [83], cujus vel nudam speciem necesse est ut procul amandemus.

Simile igitur aliquid feci, ac si quis, quam profitemur fidem accipiens, nempe, « Credo in unum Deum, » et quæ sequuntur, id illo probari diceret Scripturæ testimonio, istud alio aliudque alio, et sic deinceps in finem usque; unde neque meipsum

A αὐτὸν ἐγκωμίῳ μνησθεὶς, « Μόνος ἐκεῖνος, » φησὶν, « ἢ κομιδῇ σὺν ὀλίγοις, ἀπετόλμησε τὴν ἀλήθειαν ἐγγράφως ὁμολογῆσαι· » ταύτην λέγων ἀλήθειαν, τὴν πρὸς ἐκεῖνον γραφεῖσαν ὁμολογίαν.

Περὶ δὲ ταύτης τῆς πίστεως ἡμῶν καὶ ἡμεῖς τὰ συμπληροῦντα αὐτὴν ἀναγκαιότατα κεφάλαια ἐν ἐπιτομῇ συνεγράψαμεν, ἅπερ αὐτὸς μὲν, ὦ φίλος, παρ' ἡμῶν ἐζήτησας· ἤδη δὲ ἔχεις τῶν ζητηθέντων ἀπόδοσιν, εἰ καὶ μὴ γενναίως καὶ ἀρκούντως, ἀλλὰ κατὰ τὴν ἡμετέραν δύναμιν, καθόσον ὁ Θεὸς ἐχαρίσατο δηλονότι τῇ παρ' ἐμοῦ περὶ τὴν ἀνάγνωσιν μικρᾷ σπουδῇ τὴν χορηγίαν ἐπιμετρήσας. Καὶ αὐτὰ δὲ ταῦτα οὐκ ἂν εἶπον, ὃ καὶ ἀρχόμενος ἔλεγον, εἰ μὴ βεβαίως ἠπιστάμην παρὰ τῶν ἁγίων κηρυττόμενα, καὶ τὰς μαρτυρίας ἐξ αὐτῶν εἶχον προτιθέναι. Ἀεὶ μὲν γὰρ ταύτην ἐπὶ πάντων τὴν συνήθειαν ἔχω, τοῖς προηγησαμένοις καὶ ἀρίστοις ἕπεσθαι, ἐξαιρέτως δὲ ἐπὶ τῶν θείων ἐμαυτῷ τὴν συνήθειαν ταύτην φυλάττεσθαι βούλομαι, μηδὲν φρονεῖν, μηδὲν λέγειν ὅπερ οὐ δοκεῖ τῇ Γραφῇ καὶ τοῖς μαθητευθεῖσιν ὑπὸ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, τοῖς διδασκάλοις τῆς Ἐκκλησίας· μηδὲν γράφειν, οὗ μὴ ἔχω φανερὰν καὶ βεβαίαν τὴν μαρτυρίαν παρὰ τῆς ἁγίας τοῦ Θεοῦ Γραφῆς καὶ τῶν ταύτης ἐξηγητῶν, οὓς ἡ Ἐκκλησία τοῦ Θεοῦ καὶ ἐπῄνεσε καὶ ἐδόξασεν. Ὃ καὶ ἀπὸ τῶν ἐκτεθέντων δῆλόν ἐστι, καὶ γινώσκεται καθαρῶς, εἴ τις μόνον ἀδόλως καὶ ἀπ' ὀρθῆς κρίσεως τὰ γεγραμμένα ἐπέλθοι. Ἀπ' ἐμαυτοῦ γὰρ οὐδὲν εἰσήνεγκα πάντως· τοῦτο δὲ μόνον, ὅτι τὰ τοῖς ἁγίοις ἐν διαφόροις ῥηθέντα τόποις, αὐτὸς ἐνταῦθα συνῆψα πρὸς τὴν τῶν λεγομένων βεβαίωσιν καὶ ἀλήθειαν. Καίτοι οὐδὲ τοῦτ' ἂν ἐποίουν, εἰ μὴ παρὰ σοῦ τοῦτ' ἀπῃτούμην· οὐδέ γε, εἴπερ ἦν σοι καὶ σχολὴ καὶ βιβλία καὶ τις δύναμις λόγου ταῦτα συλλέγειν σποράδην κείμενα, καὶ συμπερασματικῶς τῇ διανοίᾳ ἐναποτιθέναι· ἵνα μὴ δόξωμεν ὑπερηφάνως ἑλέσθαι ἐπὶ τὸ ταῦτα συγγράφειν, καὶ τὴν τοῦ διαβόλου νόσον νοσεῖν, ἣν καὶ μέχρι τοῦ δοκεῖν ἀπορρίπτεον.

Ὅμοιον οὖν τι πεποίηκα, ὥσπερ ἂν εἴ τις τὴν ὁμολογίαν τῆς πίστεως ἡμῶν λαβὼν, λέγω δὲ τὸ, « Πιστεύω εἰς ἕνα Θεὸν, » καὶ τὰ ἑξῆς, τόδε μὲν, εἶπεν, ἐκ ταύτης συνίσταται τῆς γραφικῆς ῥήσεως, τὸ δὲ ἐξ ἑτέρας, καὶ ἄλλο ἐξ ἄλλης, καὶ περὶ πάντων

[83] I Tim. III, 5.

sanctus iste et Ecclesiæ doctor? Opponit Rhacendita : Ἅγιον μὲν καὶ διδάσκαλον ἔχω· πλὴν ἀμφιβάλλω μὴ εἶναι τὴν ῥῆσιν ταύτην γνησίαν αὐτοῦ· *Per me sanctus est et doctor; attamen sententia a te allata in dubio est, an legitima sit;* nec is aliter vindicat, quam ex communibus, quod scilicet his affinia aliis locis non suspectis idem Athanasius dicat; quod utique ipsum non sufficit, nisi et libri authentici sint facientes fidem aliaque adminicula. Quod non satis occurrit in eo Symbolo; vix enim exstat, præterquam in Recentiorum collectaneis, librisque eorum polemicis, quibus ipsum vel impugnant, vel etiam defendunt : idque volunt illi, qui aiunt non haberi in Græcorum libris, non enim sic stupidi videntur, ut negent Græce haberi. Observandum et quod Plusiadeno, C data hæc fidei professio dicatur Liberio papæ, reliquis vero editis, ut et nostro Calecæ, Julio : quod et ἐπιγραφὴν mutantem reddit, exque arbitrio adscriptam, suspicionem facit. Titulos ementiendi magna pridem fuit licentia : nullusque probatus auctor, cui non alia plura ascripta sint; qui error et in sancta irrepsit divinaque officia et ὡρολόγια, ut vocat Genebr. Quanta enim auctoris imperfecti, hominis non satis catholici, legimus nomine Chrysostomi? Quanta Fulberti Carnotensis, pluriumque incertorum nomine Augustini? Pseudo-Hieronymiana quædam abstersit justa sequentium pontificum censura. Hæc forte plura, quam pro loci ratione, ipsa forsan ad ejusmodi monumentorum censuram non inutilia.

Digitized by Google

ὁμοίως μέχρι τοῦ τέλους. Ὅθεν οὐδ' ἄξιον ἐπαίνων ἐμαυτὸν διὰ τοῦτο κρίνω· πλὴν εἰ μή λέγει τις, καὶ οἶμαι δικαίως, ὅτι καθὸ μηδὲν ἴδιον εἶπον καὶ ἀσύμφωνον τῇ Γραφῇ καὶ τοῖς ἁγίοις, ἄξιος ἐπαίνων εἰμί. Τὸ γὰρ τὴν Πατέρων πίστιν καὶ ὁμολογεῖν καὶ συγγράφειν τοῦτ' ἐστί· διὸ πολλοὶ στεφανοῦνται. Εἰ δ' ἐπὶ τούτοις οὔ φημι δίκαιον ἀξιοῦσθαι ἐπαίνων, καθότι ἄλλοι κεκοπιάκασι, καὶ ἐγὼ εἰς τὸν κόπον αὐτῶν εἰσελήλυθα· πολλῷ μᾶλλον οὐδὲ μέμψεως. Ἑκάτερον γὰρ ἐπὶ τὴν διδασκαλίαν τῆς Γραφῆς καὶ τοὺς ἁγίους ἀναδραμεῖται. Τὰ αὐτὰ γὰρ πάλιν ἐρῶ, ὡς οὐδὲν ἀπ' ἐμαυτοῦ ἴδιον εἶπον, ἀλλὰ τὰ παρὰ τῆς ἁγίας Γραφῆς καὶ τῶν διδασκάλων τῆς τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίας περὶ τῆς ὑγιοῦς τῶν Χριστιανῶν πίστεως διδασκόμενα, ταῦτα ἐξελεξάμεθα, ἃ καὶ διὰ τὴν σαφήνειαν ἰδιωτικῶς καὶ κεφαλαιωδῶς κατὰ τὸ δυνατὸν ἐν τῷ παρόντι σχεδιάσαντες ἐξεθέμεθα.

A ob eam collatam operam laude dignum existimo; nisi quis forte dicat, ac puto merito, ea me ratione laudem promeritum, quod nihil proprium dixerim, autve Scripturis sanctisque dissonum. Hi enim Patrum fidem profiteri sit ac conscribere; quo nomine multi coronantur. Sin autem idcirco dicam haud æquum esse me laudem consequi, quod alii laboraverunt, et ego in laborem illorum intravi; longe potiori ratione nec par fuerit inde mihi vituperium crearl. Utrumque enim in Scripturæ doctrinam sanctosque redibit. Eadem enim rursus dico : Nihil a me atque proprium me dixisse, sed quæ ab Scriptura sacra ac Dei Ecclesiæ magistris docentur de sana Christianorum fide, hæc selegisse; eaque ipsa claritatis causa rudi sermone paucisque perstringendo quoad licuit, defunctorie leviorique opera in præsenti libro exposuisse.

B

ANNO DOMINI MCCCLV.

JOANNES CYPARISSIOTA

NOTITIA

FABRIC., *Biblioth. Gr.* ed. Harles, t. XI.

JOANNES Cyparissiota, cognomine Sapiens, Palamæ ipsi suppar, post ann. 1360 scripsit Παλαμικῶν παραδόσεων, *Palamiticarum transgressionum* libros 4, ex quibus primum et quartum vulgavit Combefisius Græce et Latine in Auctario novissimo, parte secunda, p. 68 et 85-105. [Inde Latine in *Bibl. max. Patr. Lugd.* tom. 21, p. 476-489.] Liber secundus et tertius adhuc inediti latent, sicut et alia spissa ejus opera quatuor adversus eumdem Palamam, ut 1) Λόγοι 8, adversus Palamæ tomum ejusque novam fidem : 2) alii λόγοι 8 criminationibus Palamæ in adversarios de Lumine increato respondentes, ac aliquot quæstionibus omnem de illo considerationem complectentes. 3) Λόγοι tres (quorum primus in capita 75 dispescitur) contra Palamitarum anniversarias in adversarios diras et exauctorationes, sive contra illorum ἀποστασίαν. 4) opus Anti-Palamiticum, unum cætera fere omnia æquans magnitudine, et ante illa etiam ab Cyparissiota publicatum.

Exstat et aliud istius Cyparissiotæ huc spectans, et simul mysticam tradens theologiam, opus subtile et eruditum, quod inscribitur Ἔκθεσις στοιχειώδης ῥήσεων θεολογικῶν, *Expositio elementaria eorum, quæ de Deo a theologis dicuntur*, in decem decades tributa, 1) de theologia symbolica; 2) de theologia demonstrativa; 3) de divinis enarrationibus; 4) de divinis nominibus eorumque origine et informatione; 5) de proprietatibus divinorum nominum; 6) de apparitionibus divini luminis; 7) de divina participatione; 8) de infinitate Dei in creaturis; 9) de infinitate in Deo; 10) de divina simplicitate. Hoc opus Græce repertum Messanæ in Sicilia in bibliotheca D. Joannis Lascaris, Franciscus Turrianus Latine cum scholiis editum dedicavit Antonio Augustino, archiep. Tarraconensi, Rom. 1581, 4; unde recusum Latine in Bibliothecis Patrum Coloniensi, tom. XI, et Lugdunensi, tom. XXI, p. 377. (FABR.) Paris. in bibl. publ. cod. 1246, sunt Joan. Cyparissiotæ 1) Palamicarum transgressionum libri 4. Secundus ineditus; inc : Πρόδηλον μὲν οὖν ; tertius etiam inedit. Ὅσα μὲν οὖν. 2) Libri octo adversus Palamam, ejusque novam fidem; inc. Ὡς ἂν δὲ καὶ δι' ὧν. 3) Libri octo, criminationibus Palamæ respondentes; init. Τὸ τρίτον βιβλίον πρὸς τὰς καθ' ἡμῶν. 4) Libri tres contra Palamitarum ἀποστασίαν· init. Τὸ τέταρτον βιβλίον πρὸς τάς. 5) Adversus Nilum Thessalonicens. Antirrheticorum libri quin-

Digitized by Google

que ; inc. Τῶν μὲν ἡγησαμένων βιβλίων τό τε πρότερον. Add. Montfauc. *Bibl. biblioth. Mss.* p. 732 E et 776 C de codd. Paris. (HARL.)

Scripsit Cyparissiota post Nicephori Gregoræ obitum, cujus cadaver Palamitis ludibrio habitum indignatur libro IV *Palamiticarum transgressionum*, ubi statum miserum Ecclesiæ CPolitanæ sub patriarchis Palamiticis per decem quæstiones depingit. Natus Gregoras ann. 1295, non ante ann. 1360 obiit, cum historiæ telam usque ad ann. 1359 pertextam ab eo habeamus. (FABR.) V. Saxii *Onom. lit.* II, p. 380, ad ann. Chr. 1370. — Oudin. Comm. de SS. Eccl. tom. II, col. 1062 seq. ad ann. 1360, qui adnotat, *Expositionem elementariam*, s. *materiarum* haberi Græce in bibl. regis Hispan. et Romæ inter libros, quos Turrianus dedit societati ; et Henr. Wharton. in Append. ad Cavei *Hist. litt. SS. Eccl.* II, p. 65, ad ann. 1360. (HARL.)

ΚΥΠΑΡΙΣΣΙΩΤΟΥ

ΤΩΝ ΠΑΛΑΜΙΚΩΝ ΠΑΡΑΒΑΣΕΩΝ

ΛΟΓΟΣ Α΄.

CYPARISSIOTÆ

PALAMITICARUM TRANSGRESSIONUM

SERMO I.

Quod non licet Joannis Cyparissiotæ Palamicum omne opus in meo Auctario vulgare, ac quale spisso volumine majore, charta bombycina explicata continet gaza Regia ; unum ipsum justo par tomo, si quando cum Latina versione juris publici fieri contigerit, docti alicujus curis ac marte : quodque vero fas non est, hoc in pulvere versanti, Auctorem tantum, et qui in manu sit, ejus mihi oblata copia insalutatum relinquere, et ut nostro Calecæ eadem ipsa palæstra ipsi æqualem, Palamitarumque profliganda impia portentosaque nugacitate pridem sodalem, non et antistitem, mea hac Antipalamica lucubratione, leviore saltem addam munere : operæ pretium putavi, ut ex tanta ejus λόγων (quos vocat) segete, ac in quos βιβλία (Libros) dividit, Vir vere sapiens (quod ei singularissime nomen multiplex eruditio, altaque divinarum humanarumque rerum cognitio, magnifico titulo peperit) unum omnium primum e quatuor primi libri, λόγων, tibi hic, lector reponerem : quod illo, quidquid est Palamici furfuris, ejusque originum, luculentissime expressum elisumque sis deprehensurus, et ut is unus, omnium loco tibi esse possit, si modo cum Calaca conferas. Ipsa auctoris ætas, ex illo tibi clara erit ; nedum quod ita post Palamam et Isidorum, Palamitarumque Tomum (haud secus ac Calecas) scribit, sed et quod annos quingentos septuaginta, ac iis plures, ab Iconomachorum cœpta hæresi, ad suam inde ætatem statuit : quo falso omnino Coccii aliorumque calculos ostendit (et si Colonienses secuti sunt) quibus existimatum spectare ad XI circiter sæculum : eo scilicet quod ejus duntaxat decades viderant ; ex quibus ad ætatis ejus epocham id unum certi habemus, non excessisse Euthymii ætatem, ex cujus Panoplia Maximi locum in suos derivarit alveolos. Parturio et diatribam evoluto serio volumine, ne quid, lectori desit hic, quod in rem tuam videatur.

INDEX CAPITUM.

1. *De pace, et quod eam Palamas dissolverit, facta ei ad tempus rei venia ; ac quæ causa sermonum.*

2. *Non posse Palamitas quidquam negare Palamæ lucubrationum, vel cujusquam eorum, qui post eum fuerunt*

3. *Quomodo Palamas exitiosum dogma ab errore et contentione auspicatus sit.*

Α

ΠΙΝΑΞ ΤΩΝ ΚΕΦΑΛΑΙΩΝ.

α΄. *Περὶ εἰρήνης, καὶ ὅπως ταύτην παρέλυσε Παλαμᾶς, πρὸς καιρὸν συγχωρηθείς · καὶ τίς ἡ τῶν λόγων αἰτία.*

β΄. *Ὅτι οὐ δύνανται Παλαμῖται ἀρνήσασθαί τι τῶν τοῦ Παλαμᾶ συγγραμμάτων, ἢ κἂν τινος τῶν μετ' αὐτόν.*

γ΄. *Ὅπως ἐκ πλάνης καὶ φιλονεικείας ἤρξατο Παλαμᾶς τοῦ δόγματος τοῦ ὀλεθρίου.*

Digitized by Google

δ'. Ὅπως τὰ τῆς πλάνης συμπτώματα, ὡς ἑαυτοῦ κατορθώματα λογογραφεῖ.

ε'. Ὅπως ἐκ πολλῶν καὶ διαφόρων ἑαυτοῦ λόγων τὸν τῆς πλάνης ὡς φῶς συνιστάμενον νέον ἀνοικοδομεῖ Θεὸν, πάντα κομπάζοντα τὰ τοῦ μόνου Θεοῦ.

ς'. Ὅπως ἐκ τῆς ἐπισυναγωγῆς τῶν τοιούτων λόγων ὁ τῷ Παλαμᾷ φαντασθεὶς ἀνούσιος Θεὸς δημιουργὸς καὶ διοικητὴς ἀναφαίνεται πάσης κτίσεως, καὶ τέλος πάσης μακαριότητος.

4. *Erroris vitia jactare atque referre, ut propria sua recte facta ac munera.*

5. *Quomodo ex multis diversisque libris suis ac sermonibus, novum erroris Deum luminis in modum consistentem fabricetur, cuncta crepantem quæ unius Dei sunt.*

6. *Quomodo ex talium sermonum aggregatione, quem Palamas comminiscitur, ipsum non vere exsistentem ac substantia Deum, creator apparent arbiterque omnis creaturæ, ac omnis beatitatis finis.*

ΚΕΦΑΛ Α'.

Περὶ εἰρήνης· καὶ ὅπως ταύτην παρέλυσε Παλαμᾶς, πρὸς καιρὸν συγχωρηθείς· καὶ τίς ἡ τῶν λόγων αἰτία.

bilem, infinitum, expertem coloris, inaspectabilem, ex nulla (1) naturali repræsentatione cognitum, qui notionem, quando, aut quomodo sit, omnino repellit; quem nullo modo quavis parte mens capere potest, nisi tantum per fidem (2) ex creaturis ejus, quod sit, non autem quid sit. Secundum axioma est, Deum unum, Patrem esse, et Filium, et Spiritum sanctum, in quibus est divinitas, sive potius, qui sunt divinitas, quæ est una et sola increata natura. Unitas enim est in Trinitate, et Trinitas in unitate adorata, et nihil aliud ante æternitatem habens præter Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum; quippe cum divinitas in Trinitate completa sit, quod autem extra Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum est, id omne servum est, ut nos. Tertium axioma est, ab ipsa una natura trium personarum, quæ supra substantiam, et supra divina (3) est, quæcunque sunt, facta esse, cum aliquando non essent, sive sub aspectum cadunt, sive non; sive tempore cœperunt, sive non, sed cum ævo; sive participantia, sive participata (4): sive universalia, sive particularia; nihilque inter ipsam divinam naturam et creaturas ejus medium esse, quoniam sola divina natura creaturæ antecellit; et cætera omnia quæ post divinam naturam sunt, creata sunt. In hæc tria axiomata universa Christianorum sanctissima theologia (5) concluditur; mysterium A enim supranaturale divinæ incarnationis non dixerunt esse modum theologiæ, sed exinanitionem inexplicabilis dispensationis Verbi Dei propter nos factam. Hæc sapientes et sacri theologi divinis libris suis insecuti, omnem quidem hæresim ex Ecclesia Christi expulerunt, universam vero theologiam purissimam et limpidissimam explanarunt, et animis nostris divine imposuerunt. Quibus hodie invocatis, hanc methodum materiariam eorum quæ de Deo dicuntur, quibus usi sunt, elaboravimus, et quam sint inter se concinentes, et in sapientia theologiæ tanquam in divina musica apte resonantes, ostendimus. Quoniam vero omnis expositio materiaria a primis ad secunda et tertia transit, eisdem iterum invocatis, consideremus B quemadmodum prius posuerunt omnem theologiam in duas partes distributam esse: unam symbolicam, alteram demonstrativam, utramque vero distinxerunt: illam quidem symbolicam, in sacram formationem figurationis sub sensum cadentis, et in sacram formationem translationis cadentis sub intelligentiam: hanc vero demonstrativam, in affirmantem et negantem, ut jam quatuor sint partes theologiæ. Aut enim theologia describitur per figurationem secundum sensum, ut illa scala a cœlo usque ad terram pertingens, ille ignis in rubo, illi tres viri ab Abraham hospitio excepti, illa poste-

Scholia.

(1) *Ex nulla naturali repræsentatione cognoscitur Deus.* Sicut lapis cognoscitur per speciem et similitudinem, quæ est in oculo; quia ἀνείδεος est, ut Dionysius ait, id est, omni specie caret et similitudine; ipse enim nullius creaturæ similitudinem habet, nec habere potest Deus: ita quæ non cognoscimus videntes, quod est cognoscere ἐποπτικῶς, sed ὑποπτικῶς ex creaturis per rationem; id est, ex similitudinibus Dei, quæ in creaturis cernuntur, cognoscitur Deus, non quid sit, sed quod sit.

(2) Cum ait hic auctor, *quod nullo modo quavis parte potest mens Deum capere, nisi per fidem*, tantum quod sit, non quid sit, non negat quin ratione naturali cognosci possit Deus, quod sit, siquidem demonstrari hoc potest ex effectis ejus: sed loquitur de cognitione altiore necessaria: hujusmodi enim cognitio Dei fides est. Hanc cognitionem Dei vocat beatus Basilius comprehensionem intellectilem per fidem. Sic enim ait, edisserens illud: Attende tibi: Ne in Deo quæras cognitionem per oculos, sed menti fidem committe, et intellectilem de Deo comprehensionem habe. Græce dixit κατάληψιν. Similiter locutus est S. Maximus in prima centuria theologica, cap. 8. Sic enim ait: Quæcunque sunt, intellecta nominantur, et habent in se ipsis demonstrabilia principia cognitionis. Deus autem non nominatur intellectus a nobis; sed ex creaturis, inquit, intellectis a nobis, solum esse creditur. Cum dicit, solum esse creditur, non negat quin naturali etiam ratione ex creaturis esse cognoscatur; sed loquitur de cognitione per fidem, quam in nobis requirit Deus, tanquam necessariam, quam quidem ipse dat, omni demonstratione firmiorem, de qua Apostolus ait: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quia remunerator est* (*Hebr.* II, 6). Non dixit, Oportet scire, quia est; tametsi demonstrari hoc et sciri C potest, quia demonstrationes non omnes capere possunt, credere autem omnes possunt, adjuvante Deo, et debent. Principia autem hujus cognitionis per fidem non sunt demonstrabilia, ut ait idem sanctus Maximus, quia, inquit, fides est eorum quæ sunt supra mentem et rationem.

(3) *Supra divina*, quia sunt qui participatione dicuntur Dei, suprà istos est Deus; idcirco Trinitatem vocat ὑπέρθεον, id est, supra quam divinam, sive supra divinam.

(4) *Participata* vocat ea, a quibus nominamur tales, ut a bonitate boni, a vita viventes, a sapientia sapientes, et similiter in aliis quæ abstracte considerata dicuntur, et sunt simpliciter participationes: recepta in subjecto dicuntur et sunt participata; ipsa vero subjecta participantia. Participata universalia sunt providentiæ universales, quas hoc nomen divinum boni complectitur, ut ait Dionysius cap. 5, de divinis nominibus. Participata particularia sunt providentiæ particulares, quas reliqua nomina significant, ut vita, sapientia, et deinceps, ut in decade VII, cap. 6. D

(5) *Theologiam* proprie veteres vocaverunt mysterium Trinitatis, et œconomiam mysterium incarnationis, vocabulo ex eo translate sumpto, quod Christus unus in utraque natura Filius Dei, et idem Filius hominis, ad instar boni patrisfamilias bene ac sapienter domum et domestica omnia gubernantis, tanquam fidelis, ut Apostolus ait, in tota domo sua, quæ domus sumus nos, genus humanum per peccatum amissum, et peccatis venditum, summa misericordia et sapientia ac justitia per passionem et mortem, recuperavit et redemit, restituens illud, et quidem abundantius, in pristinam gloriam, in quam a principio in Adam multos filios, sicut Apostolus ad Hebræos scripsit, adduxerat.

Digitized by Google

riora Dei apud Moysen, item illa apud Isaiam, Danielem, et Ezechielem, et alios secundum sensum formata; aut describitur per translationem verbi secundum intellectum, ut ebrietas et crapula Dei, vigilia, somnus arma ad protegendum et ad nocendum, et cætera omnia quæ ad imitationem hominum facta sunt. Aliæ duæ partes sunt, una theologiæ affirmantis, ut cum dicimus, Deum bonum, sapientem, sanctum, beatum, salvatorem, et reliqua omnia, quibus eum aientes laudamus; vel rursus negantis, ut cum ipsum vocamus invisibilem, incomprehensibilem, suprasubstantiam, suprabonum, supraviventem, suprasapientem: hæc enim omnia sive privanter, superlate dicantur, negationibus declarantur. Cum igitur quatuor partes sint, ex duabus quidem prima decas conficitur, qua theologia symbolica in universum continetur; ex reliquis vero duabus secunda, qua theologia demonstrativa in universum item comprehensa est; deinde theologia demonstrativa generalis distinguitur in partes: affirmativa quidem partitur, tum in divinas emanationes, et facit hæc partitio tertiam decadem; tum in divini nominis informationem, et facit quartam. Rursus ipsa materies divinarum emanationum dividitur in proprietates divinorum nominum, et efficitur quinta decas, et sexta: et in divinas participationes, et fit septima decas: hic desinit pars theologiæ demonstrativæ affirmantis. Pars vero theologiæ demonstrativæ quæ negat, partitur tum in infinitatem Dei, quæ est in rebus, et facit octavam decadem, tum in divinitatem, quæ est in Deo, et facit nonam, tum in divinam simplicitatem, et efficitur decima eademque extrema decas. Universa itaque expositio materiaria eorum quæ de Deo a theologis dicuntur, his terminatur. Poterat etiam subdividi tota theologia ad symbola pertinens, in coincidentia (1): sed hæc fere, exceptis proprietatibus eorum, in prima decade tractata sunt. Fortassis autem Deo adjutore, et copiam librorum nacti de his etiam disseremus, nunc enim quia exagitabamur, et odio gratis ab omnibus habebamur, libris et otio ad hæc meditanda, et iis quæ ad aliam meliorem compositionem pertinent, caruimus; quo circa hæc quæ nunc exposuimus, magno labore collegimus, quædam ex his occulte et furtim, ad alios usus et propter alias occasiones nobiscum portantes: ob hanc causam multis adjumentis ad perfectionem horum privati fuimus, sed interim ab iis quæ maxime necessaria erant, non aberravimus. Expositio autem materiaria, quæ in unaquaque decade est, docet in extremo decadis, hoc ipsum quod in decade continetur, esse expositionem materiariam eorum quæ in ipsa secundum continuationem sequuntur, accedit etiam ratio inscriptionis decadis, et quemadmodum quæ ad eam pertinent, satis completa sint.

PRIMA DECAS. — *DE THEOLOGIA SYMBOLICA.*

CAPUT I.

Quod duplex sit theologia.

Dionysius in epistola ad Titum episcopum sic ait: Cæterum hoc advertendum est, duplicem esse traditionem theologorum, unam arcanam et mysticam, alteram vero philosophicam et demonstrantem: illam quidem symbolicam et ad mysteria pertinentem, hanc vero apertam et manifestiorem: estque arcanum sive mysticum cum symbolo (1) implicatum et connexum, illud quidem philosophicum et demonstrans fidem facit, et astringit veritatem eorum quæ dicuntur: illud vero arcanum et mysticum afficit et in Deo iis quæ non docentur institutionibus firmat. Hoc dictum sanctus Maximus et Dionysius Alexandrinus adnotarunt: Maximus symbolicam et ad mysteria pertinentem theologiam illam dicit, quæ ex symbolis conficitur, cujusmodi sunt mysteria cultus Mosaici, et mysteria nostri sacri cultus; tametsi altiora sunt et magis spiritalia nostra; philosophicam vero et demonstrantem theologiam illam dicit, quæ exsistit ex perspicientia creaturarum, divinæque in quibusdam rebus providentiæ, et expositione speculatrice eorum quæ de Deo in Scripturis di-

Scholia.

(1) Ὑποδιαίρεσις, id est, subdivisio Theologiæ symbolicæ *in coincidentia*, quæ Græci vocant συμπίπτοντα, est divisio in ea quæ promiscue ad translationem verbi intellectilem pertinent, et ad figurationem sensilem: ut dicere in Deo, os, oculos, faciem, manus, pedes, et similiter in aliis partibus corporis, quæ et figurari possunt secundum sensum, et dici translate secundum intellectum, ut si diviso animali in rationale oppositum irrationali, et in irrationale oppositum rationali, rursus fiat subdivisio animalis in herbivorum, et carnivorum, quæ non sunt opposita, sed coincidunt in genere animalis rationalis et irrationalis: siquidem reperiuntur ratione utentes herbivori, et alii carnivori, et animantes item ratione carentes similiter herbivoræ, et aliæ carnivoræ. Sic divisa theologia symbolica in figurationem secundum sensum oppositam translationi verbi secundum intellectum reperitur rursus in quibusdam figuratio secundum sensum incidens in translationem verbi secundum intellectum, et vicissim translatio verbi secundum intellectum incidens in figurationem secundum sensum, ut in exemplis superiorum nominum.

(2) *Mysticum cum symbolo.* Est enim, ait sanctus Maximus, in Symbolo tanquam umbra tecta veritas, ut in pascha Mosaico verum pascha, sicut scriptum est: *Pascha nostrum immolatus est Christus.* (I Cor. v, 7.) Huc pertinet illud ad Galat. iv, 22: *Abraham duos filios habuit*, etc. hæc enim sunt duo testamenta; et illud I Cor. x, 4: *Bibebant omnes de consequente eos petra, petra autem erat Christus* et similia. Quod autem *Symbolum* verti, interpretationem Sancti Maximi secutus, Dionysius vocat, τὸ ῥητὸν, id est, non tacitum, quia quod mystice latet in symbolo, est ἀπόῤῥητον, id est, arcanum, et tacitum, itaque mysteria, quæ in symbolis significantur, sunt ἀπόῤῥητα ἐν ῥητοῖς νοούμενα, id est, occulta intellecta in Symbolis.

Digitized by Google

cuntur. Dionysius vero Alexandrinus, Theologia, inquit, philosophica et demonstrans fidem facit, et astringit veritatem; id est, eorum quæ dicuntur veritatem tanquam sigillo quodam obsignat, et tanquam vinculo alligat, et efficit, ut qui audiunt, credant. Altera vero pars theologiæ, quæ symbolica est, per ea quæ fiunt, adjungit ad Deum quodam ipsius rei habitu et informatione, quod quidem vocavit ἀδιδάκτους μυσταγωγίας. Hinc igitur patet veluti generatim universam theologiam his duabus partibus comprehensam esse; una est arcana et occulta, quæ non docetur rationibus, cujus vis et in afficiendo, et quæ in animis de iis quæ cernuntur, vel audiuntur, firmitatem imponit: altera pars conclusionibus argumentorum, et auctoritate celebri eorum qui id prius dixerunt, fidem facit, et cogit auditores assentiri.

CAPUT II.

Quod duplex sit Theologia symbolica.

Magnus Dionysius in eadem epistola ad Titum: Arbitrati igitur sumus oportere ut, quoad fieri posset, tum Timotheo, tum aliis omnis generis formas quæ per sacra symbola de Deo formantur, explicaremus. Quæ enim in istis formis et signis symbolicis extrinsecus apparent, plena sunt incredibilis et commentitii monstri, quale est quod effingitur in supra substantiali Dei generatione uterus (1) Dei, Deum corporee generans, et cor hominis (2) eructans verbum in aerem effusum: et delineatur spiritus ex ore (3) spirans, et quod Scriptura (4) sinus divinæ generationis Filium Dei complectentes, in modum corporis laudibus celebrat: aut in modum stirpis hæc ipsa effingit, et arbores (5) quasdam, et surculos (6), et flores, atque radices (7) proponit, aut fontes (8) aquis manantes aut luminis fecunditates producentes splendores (9) aut quasdam alias sacras descriptiones rerum divinarum et supra naturam, quæ declarant Dei providentias (10), quas mente contemplamur, aut dona ejus (11), aut ostensiones (12), aut potestates (13), aut proprietates (14), aut status (15), aut mansiones (16) aut emanationes (17), aut secretiones (18) aut uniones (19), aut formam viri Deo affingit mystica Scripturæ sanctæ theologia imo varias figuras ferarum (20), aliorumque animantium et stirpium (21) atque lapidum; quin etiam ornatus muliebres (22), et barbaras armaturas (23) illi imponit; figlinam atque (24) fornacem tanquam opifici cuidam sor-

Scholia S. Maximi.

(1) *Uterus.* Psal. cvii: Ex utero ante luciferum.

(2) *Cor hominis.* Eructavit cor meum verbum.

(3) *Ex ore.* Psal. xxxii: Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

(4) *Sinus.* Joan. i: Filius qui est in sinu Patris. In his est, ut mihi videtur, theologia mystica generationis Filii e substantia Patris tanquam ex utero et sinu; et processionis Spiritus sancti ex Filio, tanquam ex ore Patris, ac proinde processionis ex Patre et Filio. Mysticum vero dicitur et est quod tegitur vel figuratione rei vel translatione verbi.

(5) *Arbores.* Prov. iii: Lignum vitæ, etc., et Apoc. ii: Vincenti dabo edere de ligno.

(6) *Surculos.* Gen. xlix: Ex germine, fili mi, ascendisti. Isa. lxiii: Ascendit sicut virgultum.

(7) *Flores atque radices.* Esa. ii: Egredietur virga de radice Jesse, et flos, etc.

(8) *Fontes.* Hier. i: Dereliquerunt fontem aquæ, et Ps. xxxv: Apud te est fons vitæ.

(9) *Splendores.* Ut apud Paul. de Filio, Qui est splendor gloriæ.

(10) *Dei providentias.* Deut. xxxii: Sicut aquila proteget nidum suum, et super pullos, etc., et Exod. xix: Portavi vos tanquam super alas aquilarum, etc. Illud quoque ad Providentiam pertinet, punire scilicet impios. Osee xiii: Ero eis sicut ursa indigens cibo, etc.

(11) *Dona ejus.* Psal. cxliv: Aperis tu manum tuam, etc.

(12) *Ostensiones.* Ut cum in figura hominis apparebat antiquis, ut in Gen. cap. xviii, et in specie columbæ Spiritus sanctus.

(13) *Aut potestates.* Ut oculi, qui habent potestatem videndi, ne quid in bonis aut in malis lateat. Psal. xxxiii: Oculi Domini super justos; pedes, qui potestatem ambulandi, ad ferendum auxilium aut puniendum. Gen. iii: Et cum audirent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso; similiter in nominibus aliarum partium corporis.

(14) *Proprietates.* Ut in propheta Amos, cap. vii, adamas vocatur Deus, quod significat, non posse pati Deum, neque domari; et ignis, Deut. iv, quia habet vim consumendi habitus pravos.

(15) *Status.* Τὸ ἀναλλοίωτον τῆς θείας φύσεως significat, id est, immutabilem esse naturam divinam.

(16) *Mansiones.* Τὸ ἀμετάστατον, id est, non posse transmoveri, utrumque significat mystice lapis in fundamenta jactus, Isa. xxviii.

(17) *Emanationes.* Communicationem divinæ bonitatis dicit, quæ mystice significatur, cum Deus dicitur lilium et flos propter communicationem odoris, ut in Cant.: Ego flos agri et lilium convallium.

(18) *Secretiones.* Quæ, inquit Apostolus, participatio justitiæ cum iniquitate? quæ societas luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? Hanc secretionem, sive separationem quam Deus facit, significat Scriptura mystice, cum in ea ignis etiam dicitur; hæc enim proprietas inest igni, esse διακριτικόν, id est, habere vim secernendi et separandi: separat enim plumbum ab argento et cinerem a carbone.

(19) *Uniones.* Quod uniat secum Deus creaturas et ad se convertat, mystice significatur, cum dicitur Deus lapis angularis.

(20) *Varias figuras ferarum.* Ut leonis, leænæ, pardi, ursi, Osee xiii, aliorumque animantium, ut Joan. i: Vidi descendentem quasi columbam.

(21) *Et stirpium.* Isa. liii: Ascendet quasi virgultum, et Joan. xv: Ego sum vitis vera.

(22) *Ornatus muliebres.* Qualis apud Isa. cap. iii, et Ezech. xvi, quibus describitur omne genus divinæ providentiæ, qua Deus populum suum circumsepsit, et qua eum nudavit; et illud: In vestitu deaurato circumdata varietate, etc.

(23) *Et barbaras armaturas.* Psal. xliv: Accingere gladio super femur tuum, potentissime. Et autem rhomphæa barbaricum telum, ut ait Philarchus historicus.

(24) *Figlinam et fornacem.* Significant hæc mystice in Deo providentiam reformantem ac refingentem, aut vim et facultatem secernendi et repurgandi. Esa. xxix, 64; Jer. ix, Malac. iii.

Digitized by Google

dido attribuit ; et equos (25) ipsi, et currus (26), et sedes (27) supponit, et convivia (28) quædam epulis instructa apparat, item bibentem, et ebrium et somnum capientem et crapula (29) affectum facit. Quid attinet dicere iras (30) dolores (31) varia juramenta (32), pœnitentias (33), maledictiones (34), iras inveteratas (35), multiplices et obliquas rationes frustrandi promissiones (36) item illam in Genesi cum gigantibus pugnam (37), in qua dicitur Deus robustis illis viris propter metum insidiatus, cum alioqui, non ut alios læderent, sed ut se incolumes servarent, illud ædificium moliti essent : et concilium illud (38) in cœlo ad decipiendum Achab fabricatum, et illas rursus Canticorum veluti corporeas et meretricias voluptates : et quæcunque alia sacra signa, quæ scriptura valde audet in Deo formare, patentia occultis obducens, multiplicata et partita simplicibus atque individuis imprimentia signum, et multiformia iis quæ signum et formam capere non possunt, quorum pulchritudinem intus latentem si quis intueri possit, reperiet omnia mystica et divina, et multo lumine scientiæ de Deo plena ; et illud : *In lumine vultus tui ambulabunt*[1] et : *In lumine tuo videbimus lumen*[1a], et similia. Ex his igitur perspicitur, quod symbolica Theologia est sacra formatio, quæ divinis signis et notis ex iis quæ corporee delineata sunt, adumbrat et pingit ea, quæ in Deo latent, corporis et formæ expertia. Est autem animadvertendum, quod hæc symbolica Theologia rursus partitur. Aut enim formatur in verbis, cujusmodi sunt dormire, vigilare, ebrium esse, pœnitere, quæcunque alia sic verbis simpliciter in Scriptura dicta, posita sunt ; aut formatur in formis corporalibus, cujusmodi est ille ignis in rubo, videri Deum sedere in throno, illa in Jordane columba, illæ linguæ igneæ, et alia.

CAPUT III.

Quod theologia symbolica secundum speciem, sive formam corpoream, semper in corpore, et secundum sensum delineatur.

Ait divinus Lucas in suo sancto Evangelio : *Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato, et orante, apertum est cœlum, et descendit Spiritus sanctus corporea specie sicut columba in ipsum*[1b]. Hoc Gregorius cognomento Theologus

[1] Psal. LXXXVIII, 16. [1a] Psal. XXXV, 10. [1b] Luc. III, 21.

Scholia S. Maximi.

(25) *Equos.* Equi Dei significant mystice in oratione Habacuc prophetæ sanctos apostolos : Quoniam ascendes, inquit, equos, et equitatus tuus salvatio. Equi, inquit Cyrillus in eo loco, apostoli et evangelistæ sunt omnibus modis divinæ voluntati subjecti, et frenis parentes, ad omne munus celeres et prompti, Christum pro auriga habentes, ex quibus fuit unus Paulus, de quo ipse Christus ait : Vas electionis mihi est hic, ut portet nomen meum coram gentibus. (*Act.* IX, 15.) Et equitatus tuus salus. Currebant enim non frustra, sed ut servarent civitates et regiones. Hactenus Cyrillus.

(26) *Currus.* Angeli sunt, quos in modum currus Scriptura figurat, διὰ τὴν συζευτικὴν τῶν ὁμοτιμῶν κοινωνίαν, id est, propter communionem conjungentem ordines qui sunt ejusdem hierarchiæ, ut ait idem Dionysius in extremo capite *Cœlestis hierarchiæ*. Psal. LXVII : Currus Dei multiplex, millia lætantium.

(27) *Sedes* τὸ κριτήριον Dei, id est, judicium significatur Dan. VII.

(28) *Convivia.* Ut est in Evangelio, cum vitulus occiditur in reditu filii luxuriosi, et in Luc. XII, Ut edatis et bibatis super mensam meam, etc.

(29) *Somnus et crapula.* Psal. LXXVII : Excitatus tanquam dormiens, tanquam potens crapulatus a vino.

(30) *Iras.* Exod. XV : Misisti iram tuam, etc., et in Psal. VI : Domine, ne in furore tuo, etc.

(31) *Dolores.* Judic. X : Doluit super miseriis eorum.

(32) *Varia juramenta.* Gen. XXII : Per memet ipsum juravi, etc., et Isa. XLV, Psal. XCVI : Quibus juravi in ira mea, Ezech. XVIII : Vivo ego, dicit Dominus, et Hier. XLIV : Juravi in nomine meo magno.

(33) *Pœnitentias.* Gen. VI. Pœnituit eum, quod hominem fecisset, et de Saul I Reg. XV.

(34) *Maledictiones.* Malach. II : Maledicam benedictionibus vestris. Habac. III : Maledixi sceptris ejus.

(35) *Iras inveteratas.* Hier. IV : Horum omnium recordatus est Dominus, etc., et Exod. XX : Ego sum Dominus fortis, zelotes, visitans iniquitatem *patrum in filios* in tertiam et quartam generationem. Gen. XLIII : En sanguis ejus exquiritur, quasi servans iram usque ad illud tempus.

(36) *Multiplices et obliquas rationes frustrandi promissiones.* Frustrationes promissionum vocat hic cum ea quæ promissa sunt non videntur ad exitum perducta, quatenus sensui apparet, sunt tamen secundum perfectam intelligentiam spiritus, ut quod promissum fuit Jacob, Eris dominus fratris tui, impletum est in Christo ex semine ejus : sicut promissiones factæ Abrahæ de possessione terræ, et benedictione gentium, et factæ David et Salomoni de regni perpetuitate. Obliquas ergo vocat hujusmodi rationes frustrandi promissiones, quia non fuerunt promissiones directe ad eos relatæ, qui frustrati videntur, sed ad Christum.

(37) *Cum gigantibus pugnam.* Insidiatus dicitur Deus, id est, cepisse consilium in illos, quasi metueret, ut doceret nos sic, ut quamvis injuria afficiamur, et simus potentiores, apologiis tamen mutuis utamur, excusemusque nos apud eos qui injuria nos afficiunt. Ecce, inquit, unus populus, et unum est labium omnium, cœperuntque hoc facere, neque desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus, et confundamus ibi linguam eorum : id est, nemo queratur, quod divisionem hanc faciam, quia enim non recte usi sunt ὁμοφωνίᾳ, id est, uno labio, oportet facere ut utantur διαφωνίᾳ, id est, diversitate labii. Sic igitur metum Deus figuravit, ut hoc quod dixi, mystice doceret.

(38) *Et concilium illud.* Illa factio personarum, quæ scripta est lib. III : Reg. c. XXII, Dei interrogantis in illo concilio, Quis decipiet Achab regem ? et spiritus mali stantis coram Deo in terra, et respondentis, Ego decipiam illum, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus, et dixit Dominus, Decipies, et prævalebis, egredere, et fac ita ; illa, inquam, fictio personarum docet mystice spiritum fallaciæ uti hominibus impiis et sceleratis tanquam instrumentis, et per eos promittere falso victoriam, idque permissu Dei fieri, quia cum prohibere possit, non prohibet, quia indignus sit custodia et defensione qui decipitur, ut tunc Achab.

Digitized by Google

edisserens : Oportebat, inquit, ut hoc etiam corporee appareret, si quidem Filius nobiscum corporee versabatur. Et rursus idem alias : Cum fulgor angelorum et splendor corporee signantur, arbitror symbolum esse puritatis eorum. Ad hæc, divinus Chrysostomus generalius hoc tractans : Et si, inquit, fieri potuit, ut Spiritus sanctus oculis corporis, specie columbæ videretur, non tamen continuo omnino necesse fuit, ut omnibus hoc fieret manifestum, nam et Zacharias multa vidit specie sub sensum cadente, et item Ezechiel, nemo tamen alius eadem cum eis vidit ; et Moyses multa vidit, quæ nullus alius ; et transfigurationem illam quæ in monte facta est, non omnes discipuli perceperunt ; neque visio resurrectionis Christi cum omnibus communicata fuit, idque aperte Lucas declarat, cum ait : *Et dedit eum manifestum fieri testibus præordinatis a Deo* [1], et rursus idem Chrysostomus homilia 26, in Evangelium Joannis : Omne illud quod sub sensum cadit substantiam angelorum declarare non potest, sed corpus, quod habet crassitudinem, et triplicem dimensionem. Ex his ergo perspicuum evadit, quod theologia symbolica, quæ in specie sive forma corporea formatur, iis quidem qui digni sunt, notescit ; reliquis vero omnibus in arcano et occulto relinquitur ; quod illis visis alte significatur.

CAPUT IV.

Quod symbolicæ theologiæ, quæ in specie sub sensum cadente versatur, proprium est, ut quibusdam divinis et sacris visis informetur.

Magnus Dionysius in primo *De divinis nominibus* capite ait : Atqui theologi non hæc solum divina nomina celebrant, quæ a providentiis in universo (1) aut in parte (2), aut ab iis quæ providentiam capiunt, ducuntur, sed etiam a quibusdam divinis visis (3), quæ aliquando in sacris templis (4), aut forte alibi magistros mysteriorum, vel prophetas illuminarunt, ob multiplicem causam et vim nominant bonitat m divinam, quæ omne nomen, omnemque splendorem superat ; formasque ei, figurasque humanas, aut igneas, aut electri inducunt ; et oculos ejus (5), atque aures (6), capillos (7), facies (8), manus (9), scapulas (10), alas (11), brachia (12), posteriora (13), et pedes (14) laudant tum coronas (15), sedes (16), pocula (17), et crateras (18), et quædam alia ei affingunt, de quibus in symbolica theologia pro virili parte dicemus. Secundo autem capite cœlestis Hierarchiæ ait : Quod vero ea quæ signari non possunt, convenienter signis obtecta sint, et quæ figurari nequeunt, figuris ; nemo hoc solum in causa esse dicet, quod proportione nostra non possimus sine interjecto intermedio ad contemplationes earum rerum quæ sub intelligentiam cadunt, adniti ; opusque sit nobis familiaribus et naturæ nostræ cognatis adminiculis, quæ formas exhibent, quas capere possumus, eorum quæ formari nequeunt, quæque naturam superant, sed etiam quod hoc magis mysticas Scripturas decet, ut arcanis et sacris ænigmatibus obtegantur, et non pateat vulgo aditus ad sacram et occultam divinarum mentium veritatem. Hinc igitur patet omnem theologiam symbolicam habere aliquid effictum, sive illud sit in sermonibus, sive in nominibus, sive etiam in formis sensui subjectis, maxime vero proprium est theologiæ symbolicæ, quæ in iis quæ sensu percipiuntur, versatur, formas ex animalibus quæ cernuntur, aut ex eorum partibus effingere et induere, neque solum ex talibus, sed ex coloribus omnis generis, quæ omnia verus ille theologus Dionysius uno verbo div na visa appellavit, distinguens ea a profanis et fortuitis visis.

CAPUT V.

Quod omnis etiam in angelis sacra formatio ad hanc partem symbolicæ thologiæ referitur.

Magnus Dionysius secundo capite *Cœlestis hierarchiæ* : Ad hæc dicendum est, quibus formis sacris sacræ Scripturæ cœlestes ordines figurant ; et

[1] Act. x, 40, 41.

Scholia S. Maximi.

(1) *In universo.* Ut rex, creator, omnipotens, hæc enim nomina sunt divinæ providentiæ in genere.

(2) *In parte.* Ut Deus deorum, Dominus dominorum, rex regum : non enim omnes, sed quidam dicuntur dii, domini, reges.

(3) *Visis.* Sic vocat revelationes Dei in symbolis.

(4) *In templis.* Designat hic Dionysius illud visum apud Isa. c. VI : videturque dicere, vidisse Isaiam in templo illud visum de sedente in solio, et de Seraphinis supra illud. Quæ deinceps hic in Dionysio sequuntur, dicta sunt de visione Ezechielis cap. I, et de alia cap. X.

(5) *Oculos.* Psal XXXII : Oculi ejus super pauperem respiciunt.

(6) *Aures.* Jacob. V : Clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.

(7) *Capillos.* Dan. VII : Et capilli capitis ejus quasi lana alba.

(8) *Facies.* Psal. XXXIII : Facies Domini super facientes mala.

(9) *Manus.* Job. cap. X : Manus tuæ fecerunt me.

(10) *Scapulæ.* Psal. XC : Scapulis suis obumbrabit tibi.

(11) *Alæ.* Psal. XVI : Sub umbra alarum tuarum protege me.

(12) *Brachia.* Psal. LXXXVIII : Brachium meum confortabit eum.

(13) *Posteriora.* Exod. XXXIII : Posteriora mea videbis.

(14) *Pedes.* Genes. III : Et audierunt vocem Domini deambulantis in paradiso.

(15) *Coronas.* Psal. LXIV : Benedic coronæ anni benignitatis tuæ.

(16) *Sedes.* Ps. LXXXVIII : Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi.

(17) *Calix.* Psal. LXXIV : Calix Domini in manu ejus.

(18) *Crateras.* Prov. IX : Miscuit crateram suam, apud LXX.

Digitized by Google

ad quid unum et simplex (1) per eas formas quæ effinguntur, revocare nos oporteat, ne ipsi etiam mere vulgi profane existimemus, cœlestes et divinas mentes multos pedes et multas facies habere, atque ad similitudinem boum, aut ad formam leonum expressas esse, et ad speciem aquilarum aduncis rostris formatas, aut ad similitudinem volucrum habere pennas instar capillorum, et ne cogitemus rotas quasdam igneas super cœlum, et sellas materiatas Deo ad sedendum accommodatas, ac quosdam equos variis coloribus, satellites, duces exercitus, et cætera omnia quæ Scripturæ sanctæ variis symbolis divine effingunt. Idem in eodem capite: Quod vero absonæ similitudines magis mentem nostram erigunt, nemo, ut opinor, cordatus contradicet, in nobilioribus enim formis effingendis credibile est errare aliquos, qui existiment esse naturas cœlestes specie quadam aurea, viros quosdam micantes, fulgore decoros, vestitu splendido, et igneum vibrantes non lædendo et quæcunque aliæ ejusmodi formæ sunt, quibus theologia Scripturæ sanctæ cœlestes mentes figuravit, quod quidem ne iis eveniat, qui nihil altius, quam illa pulchra et speciosa quæ apparent, mente complexi sunt, Scripturæ sanctæ sapientia, quæ sursum ducendi vim habet, ad dissimilitudines absonas sancte se dejicit, non permittens ut sensus nostri corporis in illis indecoris imaginibus hærentes acquiescant; quin potius eam partem animæ, quæ ad alta tendit, ipsa deformitate figurarum excitat et stimulat, tanquam non videatur fas esse et verum, ne iis quidem qui sunt terrenis rebus valde affixi, tam absurdis formis similia revera esse illa supracœlestia et divina quæ in symbolis cum admiratione spectantur. Hinc igitur apparet, quod divina Scripturæ sanctæ scientia non solum in natura Dei, qui supra naturam est, divinis visis, sed etiam in angelis, qui figurari non possunt, formis sacris effictis usa est: ut hinc naturam symbolorum perspicere liceat.

CAPUT VI.

Quot modis signetur symbolica theologia sive sub aspectum sive sub sensum aurium cadat.

Gregorius Theologus secundo *De theologia* libro ait: Quid de Isaia et Ezechiele, qui maximorum mysteriorum spectator fuit, ac de reliquis prophetis dicere poteris, ex quibus ille quidem Dominum Sabaoth sedentem in throno gloriæ vidit, et hunc a Seraphinis sexaligeris stipatum, laudatum, et obtectum, seque carbone ignis purgatum, et ad prophetiam instructum; hic vero vehiculum ex Cherubinis describit, et super eos thronum, et super thronum firmamentum, et eum qui in firmamento apparebat, et voces quasdam, et impetus, et actiones, atque hoc quidem sive erat visum diurnum solis sanctis aspectabile; sive nocturna et vera visio; sive informatio futurorum tanquam præsentium in mente (2), sive alia species arcana prophetiæ, non possum affirmare; Deus prophetarum novit, et quibus talia contigerunt. Et divinus Chrysostomus in homilia de Eutropio, quando inventus extra Ecclesiam, abstractus et abreptus fuit: Nemo enim, inquit, vidit id quod Deus est; non igitur cum Deus videtur, apparet quod est, sed quod potest videre is cui apparet, non mutans substantiam suam, sed aspectum figura informans pro varietate rerum subjectarum. Sanctus Gregorius Nyssenus in eo libro *Contra Eunomium*, cujus principium est, *Prima quidem*, sic ait: Etenim in Jordane post virtutem Spiritus sancti, et rursus audientibus Judæis, et in transfiguratione, vox sonante, et vocibus sub sensum cadentibus non formatis pulsu aeris, eam partem qua imaginamur, operari; ita ut vere audiat et videat, qui divina docetur, nec enim creditur divinum esse, in quo nihil amplius est, quam quod in naturæ ordine cernitur. Sic enim nos, cum nocte per somnum imaginamur, sæpe videmus et audimus, cum nemo est qui loquatur aut videatur; multo magis hoc sanctis experrectis et vigilantibus vere eveniet, Deo operante in ipsis vigilantibus secundum gratiam admirabilem, quod in nobis lege naturæ fieri consuevit. Nocturnam et veram visionem existimo eum vocare aut intelligentiam perfectam rerum futurarum, quæ in anima per somnium fit, ut in Joseph et Daniele; aut visionem rerum divinarum cadentem sub aspectum oculorum propter summam passionis vacuitatem ex multa purgatione proficiscentem. Informationem vero futurorum tanquam præsentium in mente arbitror eum κατ' ἔμφασιν dicere figuras futurorum sanctis ostensas simplici modo tanquam in imagine secundum simplicem et non dividuam notionem mentis. Hæc ego ausus sum, ait sanctus Maximus, ex conjectura dicere nullam gratiam experiendi hæc adeptus, ob eam tantum causam, quod tu jussisti.

Scholia S. Maximi.

(1) *Ad quid, unum et simplex.* Sic vocat vacuum a materia, ut cum Scriptura tribuit angelo formam effictam aquilæ, verbi gratia, oportet scire per hanc formationem aquilæ, quæ non simplicis naturæ, sed compositæ est, ad quidnam simplex in angelo intelligendum revocamur, scilicet revocamur ad intelligendum esse in angelis aciem quamdam acutissimam spiritalis et sublimis perspicientiæ; atque id quidem necesse est scire, ne nobis eveniat, quod vulgo, ut existimemus forte habere angelos pedes, facies, alas et similiter in aliis formis effictis.

(2) *Atque hoc quidem sive erat visum diurnum solis sanctis aspectabile, sive nocturna et vera visio: sive informatio futurorum tanquam præsentium in mente.* S. Maximus explanans hunc Gregorii locum: Numeravit, inquit, hoc loco nobis beatus Gregorius species prophetiæ, ego vero nihil interim affirmans, conjectura ducor diurnum visum vocasse visionem et auditionem rerum et sermonum, quæ sancti neminem videndo, et neminem audiendo, tanquam per sensum spiritu videbant et audiebant; non enim fas est dicere, oportere omnino in divinis ad informationem imaginationis præsens esse id in quod cadit imaginatio, sed admirabiliter, et supra naturam, ac nullo præ-

Digitized by Google

perne edita est, quæ homines doceret, ne illud solum esse existimarent, quod apparebat; sed crederent esse etiam verum Filium Dei dilectum. Talis vox, ut audientes perciperent, formata est a Deo in corpore aereo, ut facere consueverunt qui loquuntur; sic Deus qui *omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* [a], ad salutem eorum qui audierunt, sermonem in aere articulate impressit, sicut Dominus dixit Judæis, qui putabant tonitruum esse factum, quia sonus in aere confectus fuerat: *Non propter me hæc vox venit, sed propter vos* [b]. Ex his patet, quot modis in prophetis et aliis beatis theologia symbolica declaratur nominatim quidem tripliciter (1), arcane vero et occulte etiam aliter, et ut Deus prophetarum scire potest.

CAPUT VII.

Quod hanc symbolicam theologiam, ii in quos cecidit, visum et visionem appellaverunt.

Magnus ille spectator Dei Moyses: *Transiens*, inquit, *videbo visum hoc ingens, quare rubus ardet, et non comburitur* [c]; et visio quam vidit Isaias: *Et ego visiones multiplicavi, et in manibus prophetarum assimilatus sum* [d]; et, *Juvenes vestri visiones videbunt* [e]: et infinita alia hujusmodi in vetere Scriptura. In primis vero Salvator noster de sua in monte Thabor theophania, id est, Dei apparitione: *Nemini*, inquit, *dixeritis visionem hanc* [f], et divinus Dionysius, cap. 13, *Cœlestis hierarch.* ait visionem illam ostensam esse Isaiæ theologo per unum ex iis angelis sanctis, qui nobis præsunt. Ex quibus fit manifestum, quod quæcunque sacra visa divinis symbolis formata prophetæ sensu visus perceperunt, verbo sibi cognato visiones nominaverunt, vocabulo visionis alioqui communi rebus ipsis quas videbant, tanquam proprio imposito. Hujusmodi est in Deo vocabulum processionis (*a*).

CAPUT VIII.

Quod hæ visiones et Theophaniæ, id est, Dei apparitiones, non aliter quam intermedias virtutes cœlestes informatæ sunt.

Magnus Dionysius quarto capite *Cœlestis hierarchiæ*: Hi igitur, inquit, sunt qui in primis et multipliciter occultum Dei (1*) manifestant, quamobrem cætera omnia vocabulo angelorum egregie signati sunt, quia ipsi primum a Deo illuminantur, et per ipsos nobis nostræ revelationes transmittuntur, sic igitur lex (2), ut divinus sermo testatur, per angelos nobis data est: et illos celebres ante legem (3) et post legem (4) patres nostros angeli ad Deum adducebant, aut quod agendum erat (5) exponentes, et ab errore (6) et vita profana ad rectam viam veritatis traducentes; aut manifestantes sacros ordines (7), aut mysteriorum quæ supra mundum sunt, (8) abditas visiones, aut divinas quasdam prædictiones (9) tanquam nuntii et ministri explanantes. Si quis vero dicat, quibusdam sanctis, nullo interjecto medio Deum ex se apparuisse, discat etiam hoc ex sapientia sacrarum Scripturarum ipsum illud, quod Dei est occultum (10), neminem vidisse, neque visurum esse; sed apparuisse sanctis Deum ostendentem se, ut eum decebat, per visa quædam sacra, et iis qui ea videbant, congruentia. Sermo autem divinus omni sapientia plenus visum illud, quod divinam similitudinem in illo ipso viso figuratam ostendebat, ut figuratur, quod figurari non potest, quia adducit eos qui vident, ad Deum, merito inde Theophaniam, id est, apparitionem Dei vocat, utpote quæ divinam illuminationem videntibus immittat, et aliquid de divinis eos sacre doceat. His divinis

[a] I Tim. II, 4. [b] Joan. XII, 30. [c] Exod. III, 3. [d] Osee XII, 10. [e] Joel. II, 28. [f] Matth. XVII, 9.

Scholia.

(1) *Tripliciter.* Scilicet aut formatione rei cadentis sub sensum visus, aut sub sensum aurium, aut translatione verbi significantis aliquid spiritale, ut ebrietas Dei, et somnus, etc.

(1*) *Occultum Dei.* Quatenus hoc cognosci potest per ea quæ facta sunt, quia angeli in primis præ cæteris naturæ Deum participant, quia ut ait sanctus Maximus, eorum substantiæ sunt νοῦς ζῶν id est, mens vivens, idcirco in primis per se ipsos a Deo creatos occultum Dei manifestant, quod scilicet est ens, quod vita, quod mens, tametsi supra hæc est illud occultum Dei, supra etiam quam ut comparari possit.

(2) *Lex.* Galat. III: Lex ordinata per angelos in manu mediatoris; et Act. VII: Qui accepistis legem in dispositione angelorum.

(3) *Ante legem.* Ut Abraham, et Manoe, et reliquos.

(4) *Post legem.* Ut Joseph, et Petrum et alios deinceps ad voluntatem, Dei faciendam adduxerunt angeli. Matth. II, Act. II.

(5) *Quod agendum erat.* Ut in Jesu Nave, et Gedeon, et aliis.

(6) *Ab errore abducentes.* Ut in Cornelio, Act. II,

(7) *Sacros ordines.* Ut Daniel c. VII decies centena millia ante conspectum Dei astantia vidit; Ezechiel Cherubinos, cap. X; Isaias Seraphinos, cap. VI aut mysteriorum.

(8) *Visiones.* Ut in Moyse et rubo, et in Paulo rapto usque ad tertium cœlum, et in Apocalypsi Joannis.

(9) *Prædictiones.* Ut in Manoe, et aliis.

(10) *Occultum est Dei.* Vide quomodo interpretatur Dionysius quod ait Joannes: Deum nemo vidit unquam. Quia enim sciebat visum esse hominibus in Scriptura, ut Adæ in paradiso, Abrahæ ad quercum Mambre, et proficiscenti Sodomam, et Moysi, et aliis, dicit nunc occultum Dei neminem vidisse, neque visurum esse, id est, id quod est substantia ejus, vel altius, quid sit Deus, nemo comprehendere intelligentia, nec exprimere unquam potuit, neque poterit, cum autem dicitur in Scriptura apparuisse, sive visus esse, sic intelligendum est, quod unusquisque illorum proportione fidei habebatur dignus visione quadam, quæ illi Deum ostendebat; per quam visionem illuminationem capiebat cognitionum divinarum, quæ ipsi adveniebant.

(*a*) Vocabulum processionis alioqui commune, factum tamen est proprium Spiritus sancti.

Digitized by Google

vis præclari illi patres nostri ministerio angelorum initiabantur. Imo magnus quoque Athanasius ait (a): Induunt figuras angeli ad quemcunque usum Dominus Deus velit; atque ad eum modum iis qui digni sunt, apparent, et divina illis mysteria aperiunt. Ex his perspici potest, visionem, similitudinem, et Dei apparitionem idem repræsentare; huc etiam accedit, quod per intermedios angelos indutis figuris ad Dei nutum hujusmodi similitudines formantur.

CAPUT IX.

Quod ipse Dominus noster Jesus Christus, quatenus est Deus homo, non refugit ab ordine Deum decente a se constituto.

Magnus Dionysius, cap. quarto *Cœlestis hierarchiæ* ait: Video autem angelis primum, divinum humanitatis Jesu mysterium apertum fuisse, per eos postea nobis gratiam cognitionis transmissam esse. Sic igitur divinus Gabriel Zachariam quidem pontificem docuit, filium quem præter spem divina gratia generaturus erat, futurum esse prophetam ejus qui ostendendus erat in virili (1) divina operatione ad salutem mundi, ut bonitatem ejus decebat. Mariam vero docuit mysterium formationis Dei (2) in ea mirabiliter supra quam dici potest, a Deo operandum; alius angelus Joseph erudivit, quomodo quæ Deus David progenitori Christi promisisset, vere effecta essent; alius angelus pastoribus tanquam in solitudine, secessu et quiete purgatis evangelizavit, et cum eo multitudo cœlestis exercitus illam valde celebrem, et a multis cantatam laudationem iis qui in terra erant, tradidit. Ascendam præterea ad celsissimas in Scripturis sanctis apparationes Dei. Video enim ipsum Jesum qui est naturarum supra quam cœlestium supra naturam auctor, qui ad nostram naturam humanam immutabilis venit, non refugere a conservatione ordinis qui homini congruit, et ab ipso ordinatus et electus est, quin potius et obedienter se submittit formis a Deo Patre per angelos effectis, et per eosdem intermedios nuntiatur sancto Joseph ille a Deo Patre provisus filii in Ægyptum secessus: et inde rursus in Judæam reditus. Videmus etiam fuisse per angelos (4) paternis legibus subjectum, prætermitto enim ut dicam tibi tanquam gnaro ea quæ sunt nobis a sancto scilicet Luca apostolicis traditionibus (5) reserata de angelo Jesum confortante, quin etiam hujus magister, et totius orbis lumen ait. Testatus est autem in quodam loco quis, dicens: *Quid est homo quod memor es ejus? Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, omnia subjecisti sub pedibus. In eo enim quod subjecit omnia, nihil dimisit non subjectum ei. Nunc autem nondum videmus omnia subjecta ei. Eum autem qui modico quam angeli minoratus est, videmus Jesum per passionem mortis gloria et honore coronatum* [b]. Ex his igitur constat, si Dominus noster Jesus Christus per passionem mortis paulo infra angelos minor factus est, et eum videmus per angelos paternis legibus subjectum, neque declinare a conservando ordine hominem decente, quem ipse constituit et amplexus est, præbuisseque se obedientem iis formis, quas Deus Pater per angelos effecit, manifestumque est de omnibus mysteriis Christi angelos prius eruditos fuisse: deinceps per eos gratiam cognitionis ad nos devenisse: quomodo aliquis quandiu humanam vitam degit, licet valentissimus Theologus sit, superbe renuat, quin in ipso etiam, quatenus homo sit, ab angelis formæ signentur? erudiaturque is de divinis, et divine ut consentaneum est, afficiatur: restat igitur fieri non posse, ut quis hanc partem theologiæ symbolicæ et arcanæ doceatur nisi per angelos formis per angelos factis ad hujusmodi visiones adducatur.

CAPUT X.

Quod omnino oportet ad altiores notiones ex utraque parte symbolicæ theologiæ adduci, sive similitudinibus per angelos formatis, sive verbis quatenus primo aspectu apparet, absonis illis quidem et dissentaneis.

Magnus Dionysius in epist. ad Titum: Ne existimemus, inquit, signa formarum apparentium sua tantum causa et ratione effecta esse (6), sed potius

[b] Hebr. II, 7.

Scholia.

(1) *In divina virili.* Incarnationem Verbi significat, quia Deus in carne humana opera divina operabatur. Itaque dicendo virilem, perfectum hominem fuisse docet; dicendo divinam, simul perfectum Deum.

(2) *Formationis Dei.* Dicitur formatum esse Deum in utero Virginis et matris, sicut illud dictum est: Verbum caro factum est.

(3) *Non refugit.* Id est, non reputavit indignum, si cum esset Dominus angelorum, obediret tamen illis; per angelos enim nuntiata est Joseph fuga in Ægyptum, et inde reditus. Sic itaque dixit hic Dionysius, non refugit, sicut dixit Paulus in Epist. ad Philipp. c. 2: Qui cum in forma Dei esset, id est, verus Deus, non rapinam arbitratus est, hoc est non reputavit indignum, si cum esset alioqui æqualis Deo natura, et non falso sibi vindicans divinitatem sicut qui alienum rapit, *fieret tamen homo.*

(4) *Angelos.* Quia factus est Christus sub lege, sicut Apost. ait (*Galat.* III, IV), et lex data est per angelos, idcirco dicitur Christus factus sub lege per angelos.

(5) *Traditionibus.* Significat Dionysius sibi et Timotheo traditum fuisse hoc mysterium de angelo confortante a Paulo ἀγράφως, id est, sine scripto; quod quidem postea a Luca scriptum est in Evangelio quod Paulus prædicabat, et ex Paulo didicerat. Si quis vero quærat hic, quid opus erat angelo confortante, ubi divinitas aderat, docet sanctus Maximus respondendum esse, multa miracula Deum per angelos operari, idque universam Scripturam testari.

(6) *Propter se efficta esse.* Id est, ut sic intelligantur, ut extrinsecus secundum litteram nudam

(a) Athanasius in quæstionibus ad Antiochum.

Digitized by Google

integumenta esse scientiæ arcanæ, et vulgo hominum occultæ, ut ea quæ sanctissima sunt, non sint profanis facilia ad intelligendum, sed tantum vere studiosis sanctitatis aperiantur, utpote expeditis ab omni puerili cogitatione in sacris symbolis, et qui acie mentis, et ingenii facultate ad contemplandum idonea, veritatem simplicem et supra naturam symbolorum collocatam assequi possint. Et rursus idem cap. 2 *De cœlesti hierarchia:* Sic, inquit, omnes divina sapientia eruditi, et divini afflatus ministri et interpretes Sancta sanctorum a profanis et ab iis qui initiati non sunt, pure separant, et formas effictas dissimiles celebrant, ut neque divina a profanis facile percipi queant; neque qui studio spectandi sacras istas imagines inclusas tenentur, in illis extrinsecus figuris et signis tanquam in veris hæreant. Imo et magnus Basilius: Qui, inquit, ad celsiores notiones ex verbis non ascendit, sed in ipsis delineationibus corporum verborum compositione factis residet, audiet ex Moyse, Deum esse ignem; et a Daniele sapiente ad alias opiniones detorquebitur; ita fiet ut non solum falsas cogitationes, sed inter se pugnantes ex ipsis rebus colligat. Ex his patet non oportere hærere in symbolice effictis formis, quomodocunque effingantur, sive in specie sub sensum cadente, sive in vocabulis quæ videntur habere multum absoni et absurdi; A sed potius omni studio ad sublimiores cogitationes recurrere. Ut igitur simplici et distincta repetitione exponam capita quæ tractavi, ostensum est in primo capite, tanquam in genere quodam, simpliciter theologiam in duas species distributam esse, in quarum altera, quæ est theologiæ symbolicæ, proxime explicatum necessario est, quæ et quot sint quæ in ea aperiuntur et declarantur, deinde sequebatur statim, ut qualia ista essent, expediretur, nempe corporea et sub sensum cadentia, postea, quid horum proprium sit, deinceps non solum quæ de Deo sunt, istiusmodi formis et imaginibus instructa esse, sed etiam quæ de angelis: proximum erat, quot modis ista symbolica percipiuntur et apparent, deinde, quo vocabulo ista sunt tecta, et B involute appellata, ad hæc, quibus iuterme diis ista geruntur, deinde ostensum est non posse hæc aliter fieri nisi per intermedios, per angelos scilicet, postremo non esse hærendum in hujusmodi typis, sive in solis verbis sint efficti, sive in formis et imaginibus. nihil igitur hic deest, quin sint hæc absoluta. Consentanee vero hujusmodi theologia arcana nobis et mystica dicitur, quia non sinit nos in visis sistere, sed ulterius progredi cogit eos qui pennas, quibus in sublime ferantur, a natura acceperunt.

SECUNDA DECAS. — *DE THEOLOGIA DEMONSTRATIVA.*

CAPUT I.

Quod duplex sit theologia demonstrativa.

Magnus Dionysius secundo capite *Cœlestis hierarchiæ:* Duo, inquit (1), modi sunt sacræ nominationis Dei: alter quidem, ut consentaneum apparet, per similes imagines ac signa sacra tendens; alter vero per dissimiles formas in speciem absonam et dissentaneam effictus, ac traditiones quidem mysticæ Scripturarum Deum enuntiantium, venerandam ejus qui supra substantiam est, et θεαρχία (2), id est, Deus deorum, beatitudinem interdum tanquam mentem et Verbum et substantiam (3) laudant, cum C ratiocinationem (4) quæ Deum decet, et sapientiam ejus declarant, et talem ac tantum esse, qui sit vera causa substantiæ rerum; et tanquam lumen eam effingunt, ac vitam vocant, cum alioqui hujusmodi formæ in Scriptura sacra effictæ, honestæ quidem et graves sint, et quæ formas terrenas excellere quodammodo videantur; sint tamen infra similitudinem Dei cum ipsa veritate; est enim supra omnem causam, et vitam; cum nullum quidem lumen possit Deum exprimere; omne autem verbum et mens ab ipsa Dei similitudine infinito intervallo distent; quandoque vero dissimilibus (5) declara-

Scholia S. Maximi.

apparet, non enim sic accipienda sunt, sed potius D secundum sensus, quos symbola intus habent alte reconditos.

(1) *Duo*, inquit, *modi*. Quod duobus modis laudatur Deus, aut tanquam similis omnibus (omnia enim in ipso consistunt) aut tanquam dissimilis (nihil est enim eorum quæ sunt), exponit deinde Dionysius, quomodo formantur isti modi nominandi D um per similia, ut cum dicitur Deus in Scriptura Verbum, et mens; ut illud: Quis cognovit sensum, sive mentem Domini? (*Rom.* II), et istud in prophetis frequens: Et factum est verbum Domini ad me.

(2) *θεαρχία*. Cum Dionysius Deum vocat θεαρχίαν, ab eo nominat quod est potissimum Dei donum, facere scilicet angelos et sanctos homines, quoad fieri potest, deos quosdam, sicut scriptum est: Ego dixi, Dii estis (*Psal.* LXXXI), et illud: Deus deorum in Sion (*Psal.* LXXXII). Θεαρχίαν itaque dicit, quasi θεῶν ἄρχοντα; dicamus nos Deum deorum, ut David dicit.

(3) *Substantiam laudant*. Ut cum dicit Scriptura in Exodo (cap. III): Ego sum qui sum; et: Qui est, misit me; et illud in Psal. CIII: Tu autem idem ipse es, ἀπὸ γὰρ τοῦ εἶναι καὶ τοῦ ὄντος ἡ οὐσία καὶ τὸ παράγωγον οὐσίας ἡ ὕπαρξις, dicamus nos more nostro, ab esse enim et ente ducitur essentia, quæ est exsistentia, hoc est, exsistens substantia, accidens enim non est ὕπαρξις sed ἐνύπαρξις; id est, non est exsistentia, sed in exsistentia.

(4) *Ratiocinationem*. Non sic dicit, quod velit significare esse Deum rationalem, tanquam participem rationis, qui est totus ipsa per se subsistens ratio.

(5) *Quandoque vero dissimilibus*. Dissimilia vocat, quia quæ neganter de Deo dicuntur, non quid sit, sed quid non sit, declarant.

Digitized by Google

tionibus ab ipsis illis Scripturis sanctis divine laudatur, cum inaspectabilem eum vocant, et infinitum, et qui capi non possit; et similiter in aliis, unde non quid est, sed quid non est, significatur. Ex his efficitur duplicem esse theologiam demonstrativam, unam quæ affirmanter et ex effectis inducitur; alteram quæ neganter et privative: et illa quidem ex similibus formis effictis, hæc ex dissimilibus; hoc tamen in affirmativa theologia cernitur, ipsam etiam per formas fictas in Scriptura sacra progredi, honestius tamen quam per ea quæ symbolice dicta sunt in utroque genere (1) formationum, quas patres vocaverunt προσύλους, nos dicamus terrenas, quatenus etsi altera pars theologiæ, scilicet symbolicæ, in verbis translatis et adumbratis pergit, multum tamen absoni et dissentanei in eis apparet. Quomodo enim cogitabit, qui in Deo crapulam audiat, et pœnitentiam, et juramenta, et imprecationes, et alia ejusmodi?

CAPUT II.

Quod theologia demonstrativa, quæ videtur esse sine integumento, per typos nobis effictos procedit.

Magnus Dionysius, in Epist. ad Titum: Quod, inquit, hujusmodi integumenta cognata naturæ nostræ sunt, declarant etiam qui audita aperta theologia (2) sine involucris, effingunt in se typum quemdam, qui eos ad intelligentiam ejus theologiæ quam dixi, adducat: et ipsius quoque mundi (3) qui cernitur fabrica invisibilibus Dei obducta est, sicut Paulus, et ipsa Veritas (4) testatur. Alter vero Dionysius (*a*) hæc edisserens ait, eos qui apertam theologiam, et velis nudam audierunt, typos (5) cogitatione sua formare, qui ad intelligentiam auditores adjuvent. Ex his igitur manifestum efficitur quod antea dictum est, typos esse et imagines ea etiam quæ aperte nobis et sine velis obtentis in Scriptura sancta Deo dicuntur, quamvis demonstrative dicantur affirmando.

CAPUT III.

Quod per omnem theologiam ratio speculi et ænigmatis progreditur.

Admirandus et magnus Apostolus ait (1): Videmus nunc per speculum in ænigmate. Et rursus: Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus, cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Et iterum: Per fidem ambulamus, et non per speciem. Hoc præclarus auctor Basilius cum perspectum haberet: Illud, inquit (*b*), facie ad faciem, et perfecte cognoscere in futuro sæculo dignis reddendum esse promissum est; nunc vero, sit licet Paulus, licet Petrus, videt quidem vere quæ videt, et non fallitur, per speculum tamen videt et in ænigmate, illud autem quod ex parte est, nunc grato animo, accipiens, quod perfectum est, in futuro perspicue exspectat. Item cum eo Gregorius Theologus (*c*): Quocirca, inquit, omnem cognitionem Paulus quæ in terra de Deo habetur, nihil supra quam specula et ænigmata esse ponit, utpote in minutis imaginibus veritatis locatam. Et iterum idem in oratione de constituendis episcopis: Ecquis est,

Scholia.

(1) *In utroque genere.* Id est, in formatione figurationis sub sensum cadentis, et in formatione translationis cadentis sub intelligentiam.

(2) *Qui audita aperta theologia.* Exemplum sit quod scriptum est in Jerem. c. XIII, de iis quæ aperte dixit Dominus sine ullo typo aut integumento, quomodo populum Israel sibi adjunxisset, et quomodo propter peccata esset puniendus, ut de lumbari, in quo tanquam in typo efficto voluit, ut Jeremias (cap. XIII) supplicium de populo Israel sumendum. Et suam cum illo populo conjunctionem magis adhuc intelligeret, melinsque aliis exponeret. Et dixit Dominus ad me: Surge, et vade ad Euphraten, et tolle inde lumbare, quod præcepi tibi ut absconderes illud ibi. Et abii ad Euphraten, et fodi, et tuli lumbare de loco ubi absconderam illud; et ecce computruerat lumbare, ita ut nulli usui aptum esset. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Hæc dicit Dominus: Sic putrescere faciam superbiam Juda, et superbiam Jerusalem multam. Et paulo post: Et erunt sicut lumbare istud, quod nulli usui aptum est. Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israel, et omnem domum Juda, dicit Dominus, ut essent mihi in populum, et in nomen, et in laudem et in gloriam, et non audierunt, et quæ sequuntur. Frequentia sunt hujusmodi exempla in prophetis de aperta theologia, et de typis sive symbolis ad eam adhibitis. *ipsius*

(3) *Mundi qui cernitur.* Fabrica mundi quodammodo vicem symbolorum tenet, ut notavit sanctus Maximus.

(4) *Veritas testatur.* Christum dicit, qui in Evangelio multa, quæ ad theologiam apertam et demonstrantem pertinent, per symbola et parabolas loquebatur, unde Nicodemo dixit, ut Pachimerus Dionysii paraphrastes observavit: Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis? ut perinde sit hoc, ut mihi quidem videtur, ac si diceret: Si cœlestia et divina dixi vobis per symbola corporea, et naturæ vestræ cognata et familiaria, et non creditis, ut credendo intelligatis; quomodo si dixero vobis cœlestia absque istis imaginibus vobis notis, credetis? Docuerat enim Dominus Nicodemum exemplo venti de operatione occulta et spirituali creaturam ex aqua et Spiritu sancto regenerante, ubi vocem tantum audimus: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; sed quomodo operetur, aut unde incipiat, et ubi desinat, nescimus; ut in vento, qui est, ut ait idem Dionysius, in cap. 15 *Cœlestis Hierar.*, imago et typus divinæ operationis propter proprietates venti quas ibidem Dionysius notavit, ubi etiam locum Evangelii citat: Spiritus ubi vult spirat.

(5) *Typos.* Ut Deum esse trinum et unum, ad apertam et demonstrantem theologiam pertinet, quam tamen ut facilius auditores et lectores credant, et credendo intelligant, ex antiquis patribus alii typos et imagines effingunt trium lampadarum, et unius flammæ, alii solis, radii et luminis, alii rosæ, floris, et odoris, aut radicis, rami, et fructus, aut digiti, manus, et brachii, et similium.

(*a*) Dionysius Alexandrinus scholia etiam in Dionysium Areopagitam scripsit.

(*b*) In oratione de confessione fidei.

(*c*) Gregorius lib. 2, de theologia.

Digitized by Google

inquit, qui in tam sublime potest ferri, ut Paulum æquet? et tamen videre se dicit per ænigma, et fore tempus cum facie ad faciem videbit. Et rursus in eadem oratione: Quomodo, inquit, sensus in eodem manet, et id quod foris est, attrahit? quomodo mens in te manet, et in alia mente verbum gignit? quomodo verbo notio datur? Si nihil horum intelligentia comprehensum habes, homo, comprehendes autem forte aliquando, cum recipies quod perfectum est: *Videbo*, inquit, *cœlos opera digitorum tuorum* [10], ut suspicemur, quæ nunc videntur, non esse ipsam veritatem, sed simulacra veritatis, quomodo Deum, id quod est, et quantus est, nosse te existimas? Ad hæc, magnus Dionysius in Epist. ad Titum: Atqui nec in sanctissimis mysteriis sancti magistri Evangelicæ aut Mosaicæ disciplinæ a symbolis, in quibus Deus repræsentabatur, abstinuerunt, quin potius videmus angelos omni sanctitate plenos per ænigmata res divinas mystice promere (1), et Jesum parabolis de divinis loqui, ac deifica et a Deo facta sacramenta per typos panis et vini tradere. Par enim erat, ut non solum sancta sanctorum servata essent, ne ea vulgus hominum pollueret; sed ut ipsa vita humana, quæ incorporea simul et corporea est, lumen divinæ cognitionis convenienter sibi caperet; et eam partem animæ, quæ a patiendi extrinsecus necessitate libera (2) est, id est mentem, contemplandis simplicibus, et intra imagines Deum repræsentantes, abditis et alte reconditis destinaret et attribueret; illam vero partem animæ, quæ necessitati patiendi vim externam subjecta est, ut naturæ ejus convenit aptaret, et in divinissimas res per typica symbola eis artificiose obducta protenderet. Præterea sanctus Maximus in theologicis (*a*): Dominus, inquit, quandoque peregrinatur, quandoque nobiscum versatur: peregrinatur in ratione contemplandi facie ad faciem; versatur nobiscum in ratione contemplandi in speculo et in ænigmate. Ac idem præterea in centuria tertia de charitate: Per fidem, inquit, ambulamus, non per speciem; et in speculis cognitionem habemus atque in ænigmate, idcirco multo studio nobis in ea re opus est, ut diuturna exercitatione et commentatione habitum contemplationum valde confirmatum comparemus. Ex his liquet, quod anima nostra de omni theologia convenienter naturæ suæ tractat, ex sibi cognatis et partibilibus, id est corporeis, typos et notiones exprimens sive ista ex formationibus materialis exprimat, sive sine integumento ex iis solum quæ in mundo sita sunt, ubi ea quæ pulchra nunc videmus, non sunt ipsa veritas, sed veritatis simulacra. Consentanee igitur omnis theologica cognitio hujus utriusque partis non transit specula et ænigmata, hoc autem est hujus cognitionis partibile et imperfectum; idcirco cum venerit quod perfectum est, id quod huic ex parte est, et illud quod est in ea partibile, evacuabitur; videbimusque facie ad faciem [11], id est, impartibilia impartibiliter, et immateriata immateriate.

[10] Psal. VIII, 5. [11] I Cor. XIII, 12.

CAPUT IV.

Quod fieri non potest, ut qui corpore præditi sunt, sine corporeis de Deo philosophari possint.

Gregorius theologus, in secundo de *theologia* libro: Ut est, inquit, impossibile ei etiam qui valde festinat, umbram suam transire (tantum enim semper umbra anticipat, quantum antevertitur) aut sicut fieri non potest, ut extra aquam piscis natet, sic non potest fieri, ut qui in corpore sunt, absque corporeis, cum iis quæ intelligentia complectuntur, omnino sint: semper enim aliquid de nostris rebus intercidet, quamvis se mens ab iis quæ cernuntur, maxime avocet, et sola secum collecta, cognata et inaspectabilia intelligentia assequi nitatur. Idem adhuc in eadem oratione: Perorabimusne hic, usque ad materiam, et ea quæ sub aspectum cadunt, provecti? An vero quia scit Scriptura fuisse tabernaculum Moysis imaginem universi mundi, qui ex iis quæ cerni, et quæ non cerni possunt, constat, primo velo detracto, et sensum prætervecti, in Sancta sanctorum introibimus, id est, ad naturam intelligibilem et cœlestem? At nec hanc quidem incorporee videre possumus, quæ cum alioqui incorporea sit, ignis tamen et spiritus vocatur. Et paulo ante: Nonne spiritus, et ignis, et lumen nomina sunt naturæ divinæ? quid igitur? An spiritum sine agitatione et flatu fuso intelligas? an ignem extra materiam, et non ferri sursum, neque proprium colorem et figuram habere? an lumen non cum aere commistum, et solutum ab eo qui eum veluti generat et illuminat? Et rursus paulo infra: An, inquit, opus est, ut nos ab istis avocati, ipsam divinitatem ex istis, quoad fieri potest, videamus privata quadam cogitatione ex conjecturis collecta? Sanctus Maximus (*b*): Omnis, inquit, sæculi hujus cognitio, etiam quæ valde alta et sublimis est, si cum cognitione futuri sæculi conferatur, rudis est, et veluti figuræ viventis imago, quæ non erit postea, ostensa jam vera vita, et cognitione. Scientiæ enim, inquit, cessabunt, et prophetiæ evacuabuntur. Recte igitur magnus Basilius de Deo philosophatus est: Si quid eorum quæ supra hunc mundum, qui cernitur, sunt, intelligentia comprehenderis, infra divinum spiritum est. Imo summus Theologus

Scholia.

(1) Ut fuit Angelus qui Jesum filium Josedec de Christo docuit in ænigmate, Zachar. III, et Gabriel, qui Danielem, c. IX.

(2) *Libera.* Non omnino, sed quatenus non habet foris sic causas patiendi, sicut habet organum corporeum quo non mens sed sensus utitur.

(*a*) In secunda centuria theologica cap. 57.

(*b*) Centuria 2, c. 47.

Digitized by Google

Dionysius (*a*) : Quia inquit, non potest mens nostra ad illam incorpoream cœlestium ordinum imitationem ac contemplationem protendere aciem suam, nisi corporeo adminiculo sibi apto utatur. Et rursus idem : Non potest, inquit, aliter fieri, ut radius divinæ cognitionis nobis illuceat, nisi variis velis sacris anagogice obtectus, et convenienter naturæ nostræ divina providentia adornatus. Quo in loco ait divinus Maximus : Sine typis et symbolis non possumus, dum in corpore sumus, aspicere incorporea et materiæ expertia. Hinc perspicitur, si mens nostra non potest per se ne angelos quidem imitari et contemplari, nec ad ista adniti, nisi adjumento materiato et sub sensum cadente sibi convenienti utatur, nulla ratione et via fieri posse, ut intelligentiam Dei sine materia et corpore assequatur ; idcirco impossibile est, eos qui vitam in corpore degunt, sine corporeis ad contemplationem Dei ascendere. Quod si nos per inane ad ea quæ supra sæculum sunt, evagantes, ut assolet, quid tandem etiam ante ista erat, investigemus, neque sic abducemus nos ab iis quæ corporea sunt, et animæ vicina et cognata, quæ quidem immensa ratione inferiora sunt quam spiritus Dei, qui supra naturam omnem est.

CAPUT V.

Quod neque totam et integram de Deo cogitationem habere in hoc sæculo possumus, aut per eam de Deo plene philosophari, neque per aliam quamlibet a nobis informatam notionem.

Gregorius Theologus, in secunda oratione de theologia : Justificatus, inquit, est ex fide magnus patriarcha Abraham ; et sacrificat sacrificium novum et inauditum, ac illius magni sacrificii imaginem. Deum vero non ut Deum vidit, sed ei tanquam homini cibum apposuit ; et laudatus est, quod tantum veneralionis adhibuit, quantum intelligentia comprehendit. Ibidem cum de Jacob meminisset : Et luctatur, inquit, cum Deo tanquam cum homine, quæcunque ista est Dei cum homine lucta, fortassis humanæ virtutis cum divina comparatio. Rursus in eodem loco : Quomodo Manoem judicem prius, et Petrum discipulum postea, non es miratus ? illum quidem, quia nec aspectum Dei typo et imagine informari passus est ; unde illud : *Periimus*, inquit, *o uxor, vidimus Deum* [12], tanquam non possint homines imaginem Dei in sensus notione effictam et informatam capere, nedum naturam ejus ; hunc vero, quia Christum quem cernebat, in naviculam non recipiebat, et ob eam causam eum dimittebat. Et rursus in eadem oratione : Nec de ipsa creatura perfecta perspicientia est, siquidem credendum est hujus etiam umbras solum te habere, cum audias : *Videbo cœlos opera digitorum tuorum lunam et stellas* [13], et (*c*) firmitatem in ipsis fixam, quasi non cernas nunc, cernes autem suo tempore. Et Gregorius Nyssenus : Quomodo, inquit, reperiatur, quem nihil eorum quæ notescunt, declarat ? non forma, non color, non circumscriptio, non figura, non quantitas, non qualitas, non locus, non conjectura, non similitudo, non proportio ; quin potius semper est extra omnem viam comprehendendi. Idem iterum. Hæc, inquit, est notionis ejus maxime propria nota, naturam ejus esse supra omnem notam notionis designatricem. Et summus theologus Dionysius (*c*) : Illam igitur divinam supra quam substantiam quodcunque est illa supra quam essentia bonitatis, quæ supra bonitatem est, neque tanquam rationem aut potentiam neque, tanquam mentem, aut substantiam, aut vitam laudibus celebrare fas est, ulli, qui veritatis, quæ supra omnem veritatem est sit studiosus, quin imo laudare eam oportet tanquam ab omni habitu, motu, vita, imaginatione, opinione, nomine, sermone, cogitatione, intelligentia, substantia, statu, fundatione, unione, fine, immensitate, denique ab omnibus quæcunque sunt, superiate abstractam. Hinc efficitur manifestum, quod neque notione typis et imaginibus informata, aut alia qualibet cogitatione Deum comprehendere, et de eo philosophari possumus ; quin potius extra hæc omnia est ; quoniam omnis phantasia, id est, cogitatio, triplicem usum habet (*d*) : una figurat ea quæ sensibus percipiuntur, imprimens memoriæ quæcunque ex sensibus assumpta sunt, quæ singulas imagines ordine, ut ita dicam, et articulate disponit et distinguit ; quam vocant sanam phantasiam, et magnæ naturæ fœtum : altera imprimit obscura quædam vestigia, quæ non sinit cogitata illa, ulla ex parte manere ; sed confusas imagines, et aliter alio tempore commutatas promiscue objicit, et prius fere quam cogitatione ficta sint, ab illis ipsis excidit, et omni fructu et utilitate caret, qualis est inanium somniorum in quiete cogitatio, et eorum quæ temere et fortuito cogitatione finguntur ; tertia est in iis quæ agenda sunt, sine recta ratione progrediens, qua id quod non est, tanquam sit, cogitatur, quæ lætatur quibus dolendum erat, et dolet quibus lætandum ; et quod sibi persuaserit, non poterit ei dissuaderi ; adamat autem et amplectitur quæ cogitatione depingit, ceu leges quasdam divinitus sibi informatas, contenditque, ut quæ clarissima et ante oculos posita sunt, si fieri possit, ad errorem suum pervertat. In hujusmodi cogitationem qui incidunt, insanabiles fiunt ; qui si potentes sint, in perniciem civitatum imminent ; si infirmi, et non valentes opibus, non desistent, quin quantum in se erit, eas perdant. De his

[12] Judic. XIII, 23. [13] Psal. VIII, 4.

(*a*) In oratione de confessione fidei. Cap. 1. *Cœlestis hierarchiæ.*

(*b*) Interpretatio est verborum quæ sequuntur : Quæ tu fundasti.

(*c*) Cap. 1. *de divin. nom.*

(*d*) Hæc de triplici phantasia ex Sch. S. Maximi in c. 1. Dionysii *de divinis nominibus*, sed copiosius, et explanatius hic.

Digitized by Google

duabus cogitationibus ad cogitandum de Deo ne meminisse quidem oportet ; illam autem primam alioqui laudabilem, existimandum est ipsam etiam tam longe abesse ut par sit ad informandum notionem Dei, ut propter infinitam distantiam conferri cum ea non possit.

CAPUT VI.

Quod Deus neque ex repræsentatione (1) *naturali cognoscitur, nec est quidquam ex intelligentibus, aut intellectis, ut ex substantia ejus liceat de eo philosophari.*

Divinus Maximus primo capite ex theologicis (*a*). Unus, inquit, Deus, sine principio, incomprehensibilis, totam vim, ut sit, habens per totum, notionem quando et quomodo sit, penitus repellens, utpote nulli eorum qui sunt, ex repræsentatione naturali cognitus. Et rursus idem (*b*) : Omnis, inquit, intelligentia sicut in substantia omnino ponitur, ut qualitas ; sic etiam circa substantiam qualitate affectam habet motionem : non enim aliquid ex toto solutum et simplex per se exsistens potest ipsam intelligentiam suscipere, quia non est soluta et simplex : Deus autem cum in utroque horum omnino simplex sit, et substantia scilicet soluta ab eo quod est in subjecto, et intelligentia non habens ullum prorsus subjectum, efficitur, ut neque sit ex iis qui intelliguntur, neque quæ intelliguntur, quippe qui supra substantiam et intelligentiam sit. Adhuc idem cap. 11 primæ centuriæ : Res (2) omnes, quæcunque sunt, intelligentia prius perceptas nominamus, quæ in scipsis habent principia notitiarum demonstrabilia : at Deus non cognitus nominatur, quin potius ex iis tantum quæ intelligentia percipiuntur, creditur esse ; quamobrem nihil eorum quæ intelliguntur, cum eo quacunque ex parte confertur. Idem iterum secundo capite, secundæ centuriæ : Omnis intelligentia est intelligentium, et eorum quæ intelliguntur ; Deus autem nec unus intelligentium est, nec aliquid eorum quæ intelliguntur ; est enim supra ista : siquidem circumscribitur qui intelligit, tanquam indigens habitudine rei quam intelligit ; aut naturaliter subjicitur intelligenti, qui propter habitudinem intelligitur. Relinquitur igitur ut existimemus, Deum nec intelligere, nec intelligi, sed potius supra quam intelligere, et supra quam intelligi. Et theologiæ scientissimus Dionysius (*c*) : Sicut enim (3), inquit, ea quæ sub intelligentiam cadunt, per ea quæ sub sensum, intelligentia comprehendere et contemplari non possumus, neque per ea quæ typis et signis informantur, ea quæ simplicia sunt, et typis non signantur, neque per figuras corporum, incorporea, quæ neque sensum tactus subire, neque figuram et formam capere possunt ; sic eadem ratione veritatis supra substantias est illa supra substantiam infinitas ; et supra mentes illa supra mentem unitas et omnibus ratiocinationibus inscrutabile illud supra ratiocinationem unum ; omni verbo ineffabile illud supra verbum, bonum, unitas effectrix (4) universæ unitatis ; et substantia supra substantiam, vacans ratione (5), intelligentia, nomine ; et mens non cadens sub intelligentiam, ratio non effabilis, quia

Scholia.

(1) *Repræsentatio* naturalis in mente sive intellectu est quæ ortum et principium ducit ex phantasmatibus rei sub sensum cadentis, cum qua Deus nullo modo potest comparari, ut intellectus conversus ad phantasmata possit aliquo modo Deum cognoscere, sicut potest alias substantias alioqui incorporeas.

(2) *Omnia quæ intelliguntur*, habent in se principium cognitionis, quia vel sunt in sensibilibus, quorum sunt phantasmata, a quibus abstrahuntur species intelligibiles, quibus intellectus informatus intelligit ; aut sunt incorporea, quæ in se habent unde comparentur cum sensibilibus, ad quorum phantasmata, quæ sunt imagines et similitudines eorum, ad animos pervenientes, se convertit intellectus, ut aliquid de incorporeis intelligat. Sunt autem similitudines principia sentiendi et intelligendi, ut ait sanctus Thomas p. 1 q. 84, art. 3. Deus autem non potest sic cum creatura sensibili comparari, unde non sic intelligitur, sed tanquam causa et per excessum ut ait S. Thom. ead. q. 84, art. 7.

(3) *Sicut enim.* Docet hic quomodo Deus non possit intelligentia comprehendi ; etenim si quæ incorporeæ substantiæ sunt, et simplices, et intellectiles et unitæ, non solum non subjiciuntur sensibus, ut angeli et animæ, ut per eos cognosci possint, sed neque per sensilia quæ inferioris ordinis sunt, cognitione eas comprehendere, nec earum essentiam spectare possumus ; quanto magis excellit Deus sensus et sensilia, qui non est substantia, sed supra substantiam ; neque simplex, sed supra quam simplex ; neque intellectus, sed supra intellectum ; nec unitas, sed supra unitatem ; nec ullo termino circumscriptus, sed infinitate sua ab omnibus solutus : qui ut in se est, neque ratione vestigari, nec intelligi, neque nominari potest. Cum igitur audis in Scriptura formam Dei, et speciem et faciem, intellige per anagogen, id est, elevare supra corpora, ut Deo dignum est : cum vero unitatem audis, ne intelligas quasi varia quædam ad unionem concurrant ; non enim de his nunc sermo fit, sed de Deo, qui nec est principium numerorum, neque compositus, sed supra simplices substantias unitus, unitas.

(4) *Effectrix unitatis.* Postquam ea quæ de Deo sunt ex omnibus quæ in rerum natura sunt, exemit, deinceps sequens linguæ nostræ modum (non enim supra hunc ferri possumus) ex *illis* ipsis Deum laudat, e quibus eum exemit ; et unitatem vocat, sed effectricem unitatum, id est, simplicium substantiarum, ut angelorum et animarum ; et mentem non intellectilem, id est, quæ a nulla mente intelligitur. Si enim simile a simili cognoscitur, si mens esset, oporteret ut a mentibus cognosceretur, at quis cognovit mentem Domini ? Est igitur mens supra mentem, et nomen supra omne nomen : Et nomen, inquit, meum non manifestavi eis ; quamobrem omnibus est sine nomine, imo nec ens est : etenim si ea quæ sunt, ex nihilo creat, non est igitur ex iis quæ sunt, sed supra ea quæ sunt. Quod si dicit : Ego sum qui sum (*Exod.* III), intellige, ut decet, esse scilicet sine principio, et sine fine ; quin etiam inscrutabilem, et similiter in aliis quæ Deo natura conveniunt.

(5) *Vacans ratione intelligentia.* Sicut Dionys.

(*a*) Centuria 1 cap. 1.
(*b*) Centuria 1, cap. 3.
(*c*) Cap. 1 *de divinis nominibus.*

Digitized by Google

nullius rei similitudinem habet, et causa est u omnia sint, ipse vero non est, ut qui sit extra omnia quæ sunt, et ut ipse de se sibi proprie et scienter efferre potest. Ex his liquet, quod Deus nec naturali repræsentatione cognosci ab ullo unquam possit : fugit enim omnibus modis cognitionem, quando, aut quomodo sit, nec est eorum qui intelligunt, aut eorum quæ intelliguntur ; est enim substantia, quæ subjectum esse non potest ; est notio quæ nulla ratione subjectum habet. In quo igitur id fundatum cognoscet, quod non potest prorsus recipere subjectam ad notionem? Recte igitur est immensitas supra substantiam, et mens omnibus cogitationibus incogitabilis ; quin potius mens non cadens sub intelligentiam, et ratio ineffabilis est nobis, sine ratione, sine intelligentia, sine nomine, idque propter superlationem substantiæ et intelligentiæ ; sicut lumen excellens aciem oculorum efficitur nobis tenebræ, et sonus item excellens sensum auditus, surditas.

CAPUT VII.

Unde tandem, et ex quibus sit de Deo philosophandum.

Magnus Dionysius cap. 7, *De divinis nominibus :* Præterea, inquit, quærendum est quomodo nos Deum cognoscimus, qui neque sensu percipitur, nec intelligentia, et ut universe dicam, nihil est ex iis quæ sunt. An non potius vere dicatur, quod Deum non cognoscimus ex natura ejus (id enim quod naturæ ejus est, incognitum est, et omnem rationem ac mentem superat), sed ex ordine omnium rerum tanquam ab ipso proposito, et imagines quasdam ac similitudines exemplarium ejus (1) divinorum in se habente ad cognoscendum illud summum bonum, et omnium bonorum finem via et ordine pro viribus ascendimus in ablatione (2) et in superlatione omnium, et in omnium causa? Gregorius Theologus in secunda oratione de Theologia : Sic, inquit, illa a Deo perfecta ratio, et omnibus innata, ac prima in nobis lex, et cum omnibus colligata, nos ex iis quæ cernuntur, ad Deum adduxit. Ac rursus idem (*a*), Deus, inquit, mente tantum adumbratur, et ea quidem valde obscure et minute, non ex iis quæ in natura ejus sunt, sed quæ cum circumstant, alia ex alio cogitationis informatione collecta in unam quamdam veritatis imaginem. Hoc autem alii post Gregorium interpretati, Deus, inquiunt, non ex iis quæ in eo sunt, id est, ex substantia ejus, sed ex iis quæ circum ipsum sunt, id est, ex creaturis percipitur. Et sanctus Maximus in *Theologicis :* Ex nulla, inquit, re, quæcunque sit, percipi potest (3), hoc uno excepto, quod per fidem cognoscitur, idque ex iis quæ ab ipso effecta sunt, cognoscitur, inquam, quod sit, non quid sit. Ac rursus idem in tertia centuria : Quod proprie est, ex eo quod non est proprie, cognoscitur esse ; cognoscitur, inquam, non habitudine aliqua, qua ad illud quod non est proprie, referatur, aut cum eo comparetur. Quomodo enim quod proprie est, et ut omnium causa supra omnia est, et non cognoscendo illud, sicut alia cognoscuntur, cognoscitur, cum iis quæ non sunt proprie, ullus unquam ulla ex parte conferet? cum alioqui non possimus nos id quod est supra substantiam aliter indicare, quam si ex iis quæ sunt, hoc tantum de eo exigue indicemus, videlicet quod est. Et adhuc idem in secunda centuria de charitate capite vicesimo septimo, Qui, inquit, de Deo philosophaturus es, ne rationes de natura ejus disseremdi quæras; non enim humana mens invenire

Scholia.

cap. 7, *De divinis nominib.* Paulum imitatus, sapientiam Dei ratione vacantem, et amentem et stultam vocavit, ut excellentiam ejus significaret, quod ita antecellat rationem nostram, ut a ratione aliena habeatur ; ita mentem, ut amentia et stultitia putetur ; sic hoc loco, quia cognitio Dei infinito intervallo rationem creaturæ, et intellectum, et nomina quæ de Deo dicuntur, superat, cum alioqui Deus ex omnibus creaturis per rationem vestigari possit, et intelligi ac nominari ; dicit tamen esse cum ἀλογίαν, et ἀνοησίαν et ἀνωνυμίαν, id est, ἄλογον, ἄνουν et ἀνώνυμον, hoc est, ratione, mente, et nomine vacantem.

(1) *Imagines quasdam et similitudines exemplarium in se habente.* Quæcunque sunt, id est, species et singulæ creaturæ, ut ordines angelorum, et omnia sensilia, imagines sunt et similitudines divinarum idearum, id est, exemplarium quæ sunt in Deo, quæ quidem exemplaria æternæ Dei intelligentiæ sunt, per quas, et secundum quas omnia in ipso erant, quæ non erant alia ab ipso ; et per eas, et secundum eas omnia quæ produxit, facta sunt, sicut beatus Joannes in Apocalypsi, cap. IV, ait dixisse illos viginti quatuor seniores : Omnia in ipso erant, et creata sunt. De ideis dictum est, quod erant; de imaginibus autem et similitudinibus idearum id est, exemplarium, quod creatæ sunt.

(2) *In ablatione et superlatione, et causa.* Tribus modis ascendimus ad cognoscendum Deum ex creaturis, uno modo auferendo ei neganter tanquam non decentia quæcunque creata cernuntur, quia nihil eorum Deum esse dicimus, sed omnia negamus, aientes : Non est Deus angelus, neque anima, nec ullum animal, aut istud, aut illud, quodcunque sit ; alio modo perfectiones creaturarum, ut vitam, sapientiam, et alia hujusmodi, removendo a Deo, quia sapientia Dei omnem sapientiam creatam excellit, et vita Dei omnem vitam, et perfectiones reliquæ reliquas omnes perfectiones creaturarum superant ; tertio modo, quatenus omnia sunt a Deo creata, quæcunque in natura rerum et universitate mundi sunt.

(3) Non negat, quin possit demonstrari ex creaturis Dei Deum esse, sed negat cognosci posse secundum essentiam ex effectis, meminit autem S. Maximus de cognitione Dei ex fide, quod sit, et non de cognitione naturali per demonstrationem ex effectis, quia cognoscere hoc per fidem multo excellentius est et valentius quam cognoscere per rationem naturalem quanto excellentior est gratia quam natura ; fides enim ex gratia Dei est.

(*a*) In oratione de Nativitate Christi.

Digitized by Google

poterit, imo nec ulla cœlestis mens post Deum, sed rationes disserendi de iis quæ eam circumstant, ut de perpetuitate, de immensitate et infinitate, de bonitate, potentia, sapientia creandi, providendi, judicandi; hic enim est magnus apud homines theologus, qui rationes de his aliquas etsi exiliter adinveniat. Et in centuria tertia, capite septuagesimo primo : Ex iis quæ sunt, causam omnium cognoscimus; et ex varietate rerum sapientiam per se exsistentem ejus qui proprie est, docemur, et ex naturali motione rerum, vitam ejusdem per se exsistentem discimus; vim dico vitam tribuentem rebus, scilicet Spiritum sanctum. Ex his evadit manifestum cognosci Deum ex iis solum quæ circum ipsum sunt, quæ sunt creaturæ, et inde de Deo philosophandum esse, ex imaginibus scilicet et similitudinibus exemplarium ejus divinorum, quæ superius specula et ænigmata vocata sunt. Ne autem quis in dubium veniat, quomodo quæ imagines et similitudines sunt, et a veritate rerum distant, ad philosophandum de Deo apta magis esse possunt, et idcirco majorem Dei contemplationem quam ex istis similitudinibus etiam in hac vita quærat, opus est docere, quod summi etiam theologi ultra contemplationem ex creaturis non progrediuntur.

CAPUT VIII.

Quod summi theologi de Deo philosophantur ex creaturis; et posteriora Dei ipsæ creaturæ sunt, et earum rationes.

Gregorius Theologus, in secunda oratione de theologia : Currebam quidem, inquit tanquam Deum cognitione comprehensurus; atque ita ascendi in montem, et divisi nubem in eam ingressus. Et paucis interjectis : Cum paulum, inquit, prospexissem, non vidi primam et æternam naturam, quæ sibi, id est, Trinitati nota est, et quanta intra primum velum manet, et a Cherubinis contegitur [14]; sed illam quæ extrema est, et ad nos pervadit, quæ est (quantum intelligo) amplitudo illa, vel ut David ait [15], magnificentia, quæ in creaturis, et iis quæ ab ipso effecta sunt et gubernantur, cernitur : hæc enim sunt posteriora Dei [16], quæ post eum sunt ipsius indicia; sicut solis umbræ et imagines in aquis, quæ infirmis oculis solem utcunque ostendunt : siquidem impossibile est solem intueri adversum, cujus radiis acies oculorum vincitur. Ad hunc igitur modum de Deo philosophaberis, sis licet Moyses, et deus Pharaonis [17]; licet usque ad tertium cœlum, ut Paulus pervenias [18], et audias arcana verba; licet supra illos ad statum et ordinem aliquem angelorum aut archangelorum ascendas. Quamvis enim omne cœleste, et aliquid supra quam cœleste, multo excellentiore natura quam nos sit et Deo propinquius; magis tamen distat a Deo, et a perfecta ejus intelligentia, quam nostram hanc naturam compositam et humilem et deorsum inclinatam antecellat. Et magnus Athanasius (a) velut percunctando ait : Cum Deus sit incorporeus, et figura careat, quæ tandem posteriora ejus vidit Moyses? Deinde solvens quæstionem : Credimus, inquit, ante sæcula et ante cunctas creaturas esse Deum totum solum increatum. Ex quo fit, ut posteriora Dei sint creaturæ, et earum rationes, quas cum vidisset exposuit, inquiens : *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Item divinus Gregorius Nyssenus in libro *De vita Moysis* : Gloria, inquit, increata, natura scilicet divina omnino est secundum se ineffabilis, et quæ comprehendi non potest neque videri; nihil enim quod est, ipsum hoc per se (1), nudum (2) potest intelligentia liquide comprehendi, aut oculis corporis ullo modo cerni; increatum enim est. Quod autem est increatum, nullus potest oculis corporis cernere, quamvis Moyses sit, quamvis Paulus, qui in tertium cœlum ascendit, quamvis angelus sit qui Deum videt. Quod enim vere est, vera vita est, hoc autem ab angelo aut ab homine cognosci non potest. Ex quibus clare notescit, valentissimos etiam theologos non ultra creaturam progredi in iis quibus Deum vident; sed potius ipsam creaturam, et quæ in natura ejus insunt, considerare. Quod si ad hunc modum, et hac via et ratione de Deo disserunt, necessario sequitur, theologiam quæ in negatione versatur longe præstantiorem esse, et ad contemplationem magis idoneam ea theologia, quæ in affirmatione cernitur.

CAPUT IX.

Quod in Theologia demonstrativa magis propria et præcipua est illa quæ in negationibus versatur; et quod in hac Theologia affirmationes non sunt contrariæ negationibus.

Summus theologus Dionysius, primo capite *De mystica theologia* : Oportet, inquit (3), in ea ponere et affirmare omnes omnium rerum affirmationes

[14] Exod. xxxvii. [15] Psal. viii, [16] Exod. xxxiii. [17] Exod, vii. [18] II Cor. xii.

Scholia.

(1) *Quod est ipsum hoc per se.* Nulla creatura est per se id quod est, sed per participationem, solus Deus est ipsum hoc, quod est per se, id est, sua essentia, et suum esse, et non secundum participationem.

(2) *Nudum.* Id est, secundum substantiam suam tantum, et non secundum ea quæ circum ipsum sunt, id est, creaturas.

(3) *Oportet ponere et affirmare.* Deum omnia esse, ut Deum decet, positio est; et nihil eorum esse, ut supra substantiam est, negatio; utrumque proprie dicitur in Dei amplitudine, ut Deus est vita, Deus est bonitas, positio et affirmatio est, Deus non est vita, non est bonitas, negatio vera est, quia est supra hæc quæ nos intelligimus.

(a) Quæst. ad Antiochum.

Digitized by Google

tanquam in omnium causa; et omnes eas magis proprie negare tanquam quæ sit supra omnia; nec existimandum est contrarias esse negationes affirmationibus; quin potius multo prius esse ipsam primam causam supra privationes, cum sit supra omnem et ablationem (1) et positionem. Ac rursus idem capite secundo *Cœlestis hierarchiæ*: Aliquando, inquit, laudatur divine in Scripturis suis sanctis dissimilibus nominationibus (2), cum eum vocant inaspectabilem, et infinitum, et non potentem comprehendi, et similiter in aliis, quæ non quid sit, sed quid non sit, declarant. Hoc autem, ut arbitror, magis proprium est ei: siquidem ut tacita, id est, sine scripto, sacerdotalis traditio (3) exposuit, vere dicimus non esse secundum naturam illius rei ex iis quæ sunt: cæterum ignoramus illud in eo non definitum, quid sit quod supra substantiam est, quodque nec intelligi, neque dici potest. Si igitur negationes in divinis veræ sunt, affirmationes vero non congruunt (4) cum occulta divinitate eorum quæ de Deo efferri non possunt, consequens est, ut iis quæ non sunt aspectabilia, magis propria sit nominatio illa quæ per dissimilitudines formatur. Et Gregorius Theologus, in oratione secunda de theologia: Multo, inquit, facilius et brevius est dicendo quod est, declarare quod non est, quam negando (5) quod non est, indicare quod est. Et rursus: Sed oportet, postquam dictum erit quæ non est, dicatur etiam quod est: atque eo magis, quod facilius est unum aliquid complecti, quam omnia sigillatim negare; ut ex negatione eorum quæ non est, et affirmatione ejus quod est, illud intelligentia complectamur. Sanctus Maximus in *Theologicis*: Qui philosophatur, inquit, de Deo aiendo, Verbum facit carnem, dum non potest aliunde, quam ex iis quæ cernimus et contrectamus, Deum cognoscere tanquam causam; qui vero A neganter, auferendo philosophatur, Verbum facit spiritum, utpote quod erat in principio, et erat apud Deum, eum qui est supra quam Incognitus, ex nulla penitus re earum quæ cognosci possunt, recte cognoscens. Hinc fit perspicuum, quod magis proprium est philosophari de Deo per negationes, quam per affirmationes, quatenus alterum facit Verbum spiritum, alterum facit Verbum carnem. Ac theologia quidem affirmans vim habet comparandi et figurandi ac conjectandi; et hoc tantum probat, scilicet Deum esse, ex iis quæ ab ipso facta sunt; theologia vero negans demonstrat Deum esse supra omnia; ac veritatem maxime assequitur qui dicit non esse Deum quidquam eorum quæ sunt, sed esse supra substantiam, et supra omnia. Præterea in B Deo negationes non sunt contrariæ affirmationibus: nec enim quod affirmatio affirmavit, hoc ipsum negatio negavit: quin imo sicut affirmatio non ponit quid sit Deus, sic neque negatio tollit quid sit Deus: quod enim non ponit, quomodo tollat? Denique æque non assequitur substantiam Dei tum affirmatio, tum negatio: hoc solum differunt, quod propius accedit ad veritatem qui dicit, Deus non est hoc quod nos existimamus.

CAPUT X.

Quod Deus est supra omnem affirmationem et negationem; et quod solum nesciendo et penitus non videndo simul eum cognoscimus, et de eo philosophamur.

C Magnus Dionysius capite primo *Mysticæ Theologiæ*: Mea igitur, inquit, precatio hæc sit, tu vero, amice Timothee, relinque, vehementi studio et exercitatione contemplandi arcana, tum sensus, tum mentis intelligentias, et omnia quæ sub sensum et intelligentiam cadunt, ac omnia quæ non sunt (1), et quæ sunt, et quantum viribus consequi poteris ad conjunctionem cum eo supra omnem sub-

Scholia.

(1) *Supra omnem ablationem.* Est positio simplex, ut Deus est vita, bonitas, lapis, est etiam positio hypothetica, cum affirmationi adjungimus comparationem, ut magis est Deus vita, quam lapis, et magis bonitas, quam ignis, similiter, ablatio simplex, sive negatio, ut Deus non est lapis, non irascitur, et similia hypotheticam, ut magis non est Deus ebius, quam non est sermone explicatus supra D utrumque genus positionis et ablationis est Deus, de his Dionys. cap. III *Mysticæ Theolog.* In positionibus hypotheticis, quæ magis Deo conveniunt, illa sortiuntur illud magis, ut magis est Deus vita, quam aer, contra vero in ablationibus, quæ remotiora sunt a Deo recipiunt magis, ut magis non irascitur Deus, quam non intelligitur. Rursus cap. II *Mysticæ Theolog.*: Positiones, inquit, sunt quæcunque in Deo dicuntur, ut ei conveni, ut ens, vita, lumen et alia: ablationes autem quæcunque a Deo aliena negantur, ut non est corpus Deus, non anima, nec quidquam eorum quæ in cognitionem cadunt.

(2) *Dissimilibus nominationibus.* Dissimiles nominationes vocat quæ dicunt de re quæ est, non quid sit, sed quid non sit, quod est dissimile.

(3) *Tacita traditio.* Traditio occulta sacerdotalis vocatur traditio apostolorum sine scripto.

(4) *Affirmationes vero non congruunt.* Tanquam falsæ, quia supra has est, est Deus, ut non est substantia, sed supra substantiam; non est vita, sed supra vitam; et ideo non definiri potest, quia definitio constat ex affirmatione, et ipse est supra affirmationes, quæ ei non congruunt.

(5) *Quam negando.* Verbi gratia, si quæratur bis quinque quot sunt? expeditius est respondere, decem affirmando, quam dicere negando: Non sunt tria, non quatuor, non quinque, non viginti, et deinceps.

(6) *Ac omnia quæ non sunt.* Prius dixerat: Et omnia quæ sub sensum et sub intelligentiam cadunt; idem nunc ἐκ παραλλήλου declarat, cum ait: Ac omnia quæ non sunt: hæc enim respondent sensibus, quæ veteres dicebant non esse, ut quæ omnem mutationem caperent, et non semper in eodem statu essent. *Et ea quæ sunt.* Hæc respondent ad illa sub intelligentiam cadentia. Intellectilia enim idem veteres esse dicebant, quippe quæ semper essent immortalia voluntate auctoris, et substantiam non mutarent. Proprie igitur sunt intellectilia, homonyme autem sensilia.

(a) In centuria 2, cap. 39.

Digitized by Google

stantiam et intelligentiam est, ignorando admittere (1) : tua enim libera, soluta et pura avocatione a corpore et ab omnibus rebus ad radium suprasubstantialem divinæ obscuritatis detractis omnibus et ab omnibus expeditus adduceris. Ac rursus idem capite secundo : In hac, inquit, caligine, quæ lumen vincit, ut nos simus, precamur, et ut non videndo et ignorando, videamus et cognoscamus, et eum qui est supra quam substantia, supra substantiam laudemus, omnibus rebus ab eo separatis, et illam caliginem divinam, quæ ab omni lumine quod in rebus est, obtegitur, cernamus. Et iterum idem in epistola prima ad Caium, Tenebra, inquit, lumine aufertur e conspectu omnium, et copioso lumine magis aufertur ; cognitiones auferunt ignorantiam, et multæ cognitiones magis adhuc auferunt. Hæc superlate (2), et non privanter intelligens, pronuntia verissime, quod qui habent quod est lumen (3), et habent creaturarum cognitionem, latet eos ignoratio Dei (4), et tenebra ejus supraposita, et omni lumine obtegitur, omni cognitione subducitur ; et si quis Deum vidit, et cognovit quod vidit, non vidit Deum, sed aliquid creaturarum ejus, et eorum quæ cognitione percipiuntur : ipse autem supra mentem et substantiam constanter manens, hoc ipso quod neque cognoscitur, nec est, est supra substantiam, et supra mentem cognoscitur, et illa melior et universa ignoratio cognitio est ejus qui est supra omnia quæ in cognitionem cadunt. Et sanctus Maximus : Hanc solam, inquit, habet Deus veram cognitionem, non cognosci. Ex his patet, Deum esse supra omnem affirmationem et negationem, et nos solum ignorando perfecte, et non videndo, cognoscere eum, et de eo philosophari.

A Ex omnibus igitur quæ hactenus dicta sunt, firmissime constat, theologiam generatim in quatuor partibus versari : symbolicam quidem in duabus partibus, imaginibus scilicet, et in verbis ; demonstrativam vero in alteris duabus, scilicet in aientibus, et negantibus : quod autem est ultra quam hæc, ad ignorationem Dei, qui neque cognosci, neque videri potest pertinet, quæ quidem non est posita pars theologiæ, quæ enim nata est, ut supra mentem et sermonem et rationem perficiatur, ubi eam collocabunt qui de hac re quærunt? nisi hanc partem, cognitionem supra mentem vocare statuant omnes illos præclaros et divinos viros, qui, ut mihi videtur, ex eo quod illam experti sunt, nomen ei indiderunt, et non ex demonstratione quapiam. Conjunctio enim cum
B Deo supra mentem, id est, ingredi per ignorantiam perfectam in illud infinitum, et quod comprehendi non potest, et in pelagus immensum naturæ ejus, et ubi omnis natura defatigata sistit se, et ulterius progredi non audet, quod a divino quodam odore, et quadam a corpore et a creaturis avocatione, in laudabilem et beatum statum, non solum admirabilius quam dici possit, sed quam intelligi, aliquando restituit, conjunctio, inquam, hæc cum Deo supra mentem, et ujusmodi divina exstasis, nulla species theologiæ tunc numerata est. Omnis enim scientia et informatio, eorum causa quæ sciuntur et informantur, fit ; ubi autem nihil horum est, quæ hujus
C scientiæ ars esse dicenda est? Ut igitur hanc partem repetitis capitibus expediamus, demonstratum est duplicem esse theologiam demonstrativam; deinde quod nec hæc sine typo et ænigmate cernitur; tertio necessario conclusum est, in omni theologia versari rationem speculi et ænigmatum :

Scholia.

(1) *Ignorando adnitere.* Nusquam magis, ait sanctus Maximus, declarat Dionysius quid sit per ignorantiam cognoscere Deum, quam cap. II *Mysticæ Theologiæ*, et in epist. 5, ad Dorotheum : Nota, inquit, cap. II *Mysticæ Theologiæ*, hoc esse sub divinam caliginem ingredi, non videndo et ignorando videre et cognoscere quod est supra aspectum et cognitionem, videre, inquam, et cognoscere hoc ipso, quod non videmus neque cognoscimus. Et in epist. 5 ad Dorotheum, illam caliginem, in quam ingressus est Moyses in monte in Exodo (cap. 24), interpretatur Dionysius mystice esse ignorantiam
D istam, qua dicit Deum cognosci, ita ut in illa caligine sit qui habetur dignus ut vere videat et cognoscat Deum, hoc ipso quod non videt neque cognoscit, hoc ipsum cognoscens, quod est supra omnia intellectilia, et sensilia. Divina itaque caligo, ait Dionysius, est illud lumen inaccessum, in quo habitare Deus dicitur, invisibile quidem propter exsuperantem claritatem et inacessum propter nimiam et supra naturam illuminationem. In hac caligine mystica, id est, in hac illuminatione interpretatur, ut paulo ante dixi, esse eum qui non videndo et ignorando videt vere et cognoscit Deum. Ad intelligendum quod dictum est, id est, quomodo caligo est illuminatio et ignorantia cognitio : Sume, inquit sanctus Maximus, exemplum ab oculo corporis : quod enim efficit absentia luminis, scilicet vacationem sensus oculorum, hoc efficit intendere fixe aciem oculorum adversus solis radios meridie.

(2) *Hæc superlate et non privanter.* Ne, inquit, quod ait : Et non secundum privationem, secundum sensum communem intelligendum esse suspiceris, quod sicut tenebræ lumine solvuntur, et multo lumine maxime solvuntur, aut sicut ignorantia, quæ est tenebræ quædam, cognitione tollitur, et multa cognitione maxime tollitur, sic ignorantia de Deo similis sit ignorantiæ per inscitiam, imo quo magis quis illuminatur in cognitione Dei, et quo magis cognitionem colligit eorum quæ sunt, id est intellectilium, et intelligentium angelorum, inquam et animarum, eo magis ascendens ad altiorem cognitionem cognoscet hoc ipsum, non posse scilicet comprehendi, et ignorari, lumen esse et cognitionem supra omnia cognita. Non igitur secundum privationem dicitur ignorari Deus, sed secundum superiationem cognitionis.

(3) *Qui habent quod est lumen.* Habere quod est lumen significat habere cognitionem veritatis ex creaturis.

(4) *Latet eos ignoratio.* Quia neque sciunt hoc, quod eum ignorent; sic enim cum ignorare, quod sciamus nos ignorare, quoddam scire est. Non itaque sic ignoramus, quasi alius aliquis sciat; non enim alio sciente nos ignoramus, tanquam qui non didicerimus quod esset ignorare privanter, sive secundum privationem; sed ignoramus quod ab omni creatura ignoratur, et omni creaturæ supra quam ignotum est, quod est ignorare superlate.

Digitized by Google

ex quo sequebatur, eos qui adhuc in corpore sunt, non posse sine corporeis de Deo philosophari; quinto loco, neque phantasiam Dei, id est cognitionem ejus per typos et imagines posse nos integram et totam suscipere propter corporum fluxionem; deinceps sexto capite, si nos ita infirmi sumus, nequaquam cognitionem ejus ex naturali repræsentatione tenemus, aut esse ipsum ex iis quæ intelligunt aut qui intelliguntur, existimemus; septimo capite continetur, si neque nos propter corpus idonei sumus ad philosophandum de Deo, neque Deus propter excellentiæ superlationem potest comprehendi, unde oportet sumere ad philosophandum de eo? concluso autem, sumendum esse ex iis quæ sunt circum ipsum, quæ quidem sunt creaturæ, quærebatur deinde, an forte summi theologi præstantioribus quam sint creaturæ, philosophantur: ostenso autem hoc, non aliunde scilicet quam ex creaturis eos agere de Deo, capite nono continetur comparatio, quid amplius valeat theologia quæ negat, quam quæ ait: concluso autem, magis propriam theologiam esse quæ versatur in negantibus, quam quæ in aientibus; et quod hic non sunt inter se contraria negantia et aientia, exstitit decimum caput ex positis: si enim non sunt contraria, relinquitur ut æquo intervallo ambæ theologiæ a Deo absint; sitque demum Deus supra omnem negationem et affirmationem, quæ est cognitio ejus, et theologia, nihil videlicet de eo cognoscere aut philosophari, sed potius nescienter, et sine omni intelligentia eorum quæ intelligentia percipiuntur, cum eo conjungi et copulari. Absoluta igitur sunt hæc, ita ut nihil desit. Recte autem theologia demonstrativa dicatur tanquam ex affirmationibus et negationibus constituta; et quia supra has ad illam inexplicabilem et occultam ac mysticam theologiam, quæ demonstrationem vincit, occurrit.

TERTIA DECAS. — *DE DIVINIS EMANATIONIBUS.*

CAPUT PRIMUM.

Quod duplex est emanatio, una in Deo, altera extra, ab ipso Deo ad creaturam.

Magnus Dionysius, capite secundo *De divinis nominibus*: Hæc, inquit, sunt unionēs et distinctiones in illa ineffabili unione et essentia. Est autem divina distinctio emanatio Deum decens divinæ unionis, quæ supra quam unite, bonitate Dei multiplicatur. Quod quidem edisserens interpres: De inexplicabili, inquit, Trinitatis emanatione usque ad tres personas, philosophatur nunc, quod Deus et Pater sine tempore, convenienter Deo et amanter motus processit ad distinctionem personarum, absque imminutione et partitione in se toto manens, proprio ejus splendore supra quam unite, et supra quam simpliciter emisso, ut exsisteret tanquam imago viva; et Spiritu sancto ex Patre venerando, et supra quam perenniter procedente, sicut Dominus docet [20]: Dei autem bonitate causa omnium in tribus personis divinis multiplicata est. Item Gregorius Theologus disputans contra Eunomium: Est vero etiam, inquit, alio modo distinctio divina, emanatio Dei ob nimiam bonitatem ad multiformem creationem aspectabilem, et non aspectabilem. Ex his autem fit manifestum, quod Deus et Pater ad sua manando Filium suprasubstantialem, et Spiritum sanctum, duo hujus et ejusdem divinitatis lumina univoce protu-, nullo modo a se ipso toto egressus, sed potius ad se ipsum motus sine distantia intermedia ex æternitate in naturam trium personarum desivit. Hæc igitur emanatio mota a divina persona in divinas personas, in Trinitate, ad quam mota est, substitit, et motionem non creatam exhibuit. Omnis enim emanatio fit causa eorum quæ emanant. Talis igitur est emanatio, qualia sunt ea, ad quæ facta est emanatio. Si hæc non sunt creata, et intelligentiam vincunt, similis et par est eis emanatio, quæ ad ea ipsa fit. Et præterea in suprasubstantiali Trinitate alia diversæ rationis distinctio, quæ ad creaturas emanat; et hac emanatione creaturas istas efficit Trinitas. Quod si alia ratio est hujus distinctionis, liquet in illis ipsis eam perfici, ad quæ emanavit. Quocirca non est obscurum, duplicem esse emanationem, unam scilicet qua Deus et Pater in se univoce motus est; alteram, qua ad creaturam æquivoce, id est, illa naturaliter, hac voluntarie. Simul demonstratum est, omnem distinctionem hujus ab illo motionem quamdam esse et distinctionem.

CAPUT II.

Quod omnis causa et motus et principium, quod propter generabilia dicitur, generatio est, quæ cum effectis ipsis simul efficitur.

Sanctus Maximus in interpretatione illius sententiæ Gregorii Theologi (*a*): *Propter hoc unitas a principio mota* (1), etc.: Omne, inquit, illud quod propter causam est, et propter causam movetur,

[20] Joan. xv.

Scholia.

(1) *Propter hoc unitas a principio mota.* Idem Pictor sanctus Maximus prosequens ibidem locum de creaturis, quæ a Deo tanquam principio et fine fiunt et moventur, subjungit concludendo: Una igitur est ejus quod est, quomodocunque est, et quod secundum naturam movetur, causa tanquam prin-

(*a*) In prima oratione de Filio, et in de Theologia.

Digitized by Google

necessario principium habet ut sit ; illam causam scilicet propter quam factum est ut esset ; finem vero motionis illam ipsam causam, propter quam movetur, et ad quam properat. Omne autem quod propter causam est et movetur, necessario est generabile : si autem ejus quod movetur, finis est causa, propter quam movetur ; necessario ipsa eadem causa est, propter quam generatum est, et est. Ac rursus idem in tertio titulo ex excerptis in dogmatica Panoplia : Nihil, inquit, eorum quæ sunt, a se ipso fit, nec est expers causæ, quod autem non est expers causæ, nec immobile est ; quod autem non est immobile, necessario propter causam movetur, quod eo ipso fit, quod movetur naturaliter a causa, propter quam et ad quam motionem facit. Nihil enim eorum quæ moventur, natura aptum est ut sine causa moveatur ; restat igitur, ut generatio eorum quæ moventur, principium sit omnis motus naturalis ; principium vero generationis eorum quæ generata sunt, Deus tanquam auctor generationis. In interpretationibus autem quæ feruntur in illud : *Dominus creavit me* [21], hæc etiam reperiuntur : Omne, inquit, principium, aliquorum principium est ; significatque habitudinem, et non effectionem ipsius substantiæ : talia enim sunt quæ referuntur ad aliquid, ut dextrum, et sinistrum. Quare sapientia Dei, quæ substantia est, non est aliquorum principium (1) (ante creaturam enim habet essentiam sapientia Dei), cum autem acceperit habitudinem ad creaturas, tunc efficitur principium viarum Dei, ad faciendum et providendum in opera quæ ab auctore exsistunt, quæ nihil conferunt sapientiæ ipsi, ut sit sapientia ; sed habitudo, secundum quam principium et effectio dicitur, tunc exstitit, cum effecta exstiterunt. Principium enim non antecedit ea, quorum exsistit principium ; nec ista post principium exsistere dicuntur ; quamvis creaturæ in tempore exsistunt : sapientia enim cum sit æterna, non est subjecta tempori. Principium igitur compar et socium est creaturarum : sapientia vero, quæ Filius Dei est, creaturam antecedit. Si ergo dicat : *Dominus creavit me*, ne intelligentiam ad divinæ substantiæ effectionem referas ; sed potius ad habitudinem quam dicit creatam esse in opera ; ut esset principium, id est, causa viarum providentiæ providentium. Ex quibus efficitur manifestum, quod omnis causa et motus et principium, quod est ad aliquid, principium et finem habet causam, propter quam cœptum est aliquid, et qua terminatum : et propterea necessario est generatio, et hæc est ejus essentia, esse scilicet generationem : ad causam enim et ad principium et ad motum ea quæ sunt ab ipsis effecta et cœpta et mota, spectant ; effectionem vero et causam ac principium capiunt ipsum suum motum naturalem. Deus autem omnis generationis est effector, et omnis naturæ auctor ; est igitur omnis secundum generationem principii et causæ ac motus effector et formator. Adhuc etiam ex his constat, quod in istis ipsis generatio et principium et creatio tunc exstitit, quando exstiterunt quæ inde profecta sunt : quare sapientia Dei, quæ est

[21] Prov. VIII, 22.

Scholia.

cipium et finis : propter quam causam et est et movetur omne quod est et movetur ; virtus enim Dei efficax et facit quæ fiunt, ut Deum decet ; et producit ac trahit provide tanquam finis quæ moventur ; eaque circumscribit. Si autem quod movetur ac generatur, propter causam est et movetur et generatum est ; omne igitur quod non est propter causam, idem neque factum est, neque mobile est ; nec enim movetur quod penitus non habet causam ut sit. Si autem causam non habet, necessario etiam est immobile : immobilis igitur est Deus, ut qui nullam causam essentiæ suæ habeat, sitque ipse omnium rerum causa. Hoc loco quæstionem ponit sanctus Maximus, ad quam respondet : Quomodo, inquit, dicet aliquis, hic admirabilis doctor (Gregorium Nazianzenum dicit) Deum facit mobilem ? Sic enim ait : Idcirco unitas in dualitatem mota, in trinitate substitit. Respondebimus, inquit sanctus Maximus, maxime omnium novisse Gregorium esse Deum immobilem : sed (ut exemplo utar) sicut ratio scientiæ cujuscunque artis manens in se penitus immota, dum formatur secundum singulas formas sive species, quæ sub illa arte continentur, moveri dicitur, cum magis ipsa moveat secundum se id quod arte fit, quam moveatur, et sicut lumen, quod aspectum movet, ad videndum, moveri dicitur, cum proprie omnem aspectum magis moveat, quam moveatur : sic Deus cum sit omnino immobilis secundum substantiam et naturam, quippe infinitus, et omni habitudine solutus, et incircumscriptus ; tanquam quædam ratio scientiæ in naturis et substantiis rerum exsistens, moveri dicitur, dum movet provide unamquamque creaturam secundum rationem qua innatum est ei ut moveatur ; et tanquam causa omnium omnia quæ prædicantur de iis quorum causa est, nihil patiendo recipiens : quia scilicet ipse est omnia, quatenus est auctor omnium. Ac sane quidem versatus in hac quæstione Dionysius (*b*), Quid denique, inquit, volunt theologi, qui aliquando quidem vocant Deum amorem et dilectionem, quandoque vero amabilem et diligendum ? quatenus scilicet amor et dilectio est, quia a se effundit amorem, moveri dicitur procreator amoris : quatenus vero amabilis et diligendus, movet ad se quæ amoris et dilectionis sunt capacia, quibus inest vis et facultas eum appetendi, ut cuique convenit : et ut explanatius rursus dicam, movetur quidem generans in ipsis creaturis habitudinem interiorem amoris et dilectionis ; movet vero tanquam trahens natura appetitum eorum quæ ad eum moventur. Hactenus sanctus Maximus. Plura de his in quinta decade, cap. 3, ubi de proprietatibus divini amoris.

(1) *Non est aliquorum principium.* Sanctus Maximus in prima centuria theologica, cap. 7 : Omne principium, inquit, et medium, et finis non negant prorsus prædicamentum ad aliquid, Deus autem infinito intervallo omni habitudine superior est ; quare consentanee neque principium, neque medium, neque quidquam aliud in universum eorum in quibus prædicamentum ad aliquid secundum habitudinem consideratur.

(*b*) *De divinis nominibus.*

Digitized by Google

substantia, et ante omnem creaturam ex æternitate A sapientia existit, viarum Dei, quæ in efficiendo et providendo consistunt, efficitur effectrix et origo et causa, eatenus tamen, quatenus creationes istas incipit ratione causæ et principii earum, ut principium supra quam principium.

CAPUT III.

Quod omnis generatio est interjecta duobus, et impossibile est hanc exsistere altero absente ex duobus quæ habitudinem faciunt.

Sanctus Maximus in disputatione contra Pyrrhum, Sicut, inquit, inflammatio inflammatum et inflammantem secum infert, et refrigeratio refrigeratum et refrigerantem, et visio videntem et rem visam, et intelligentia intelligentem et rem intellectam (non enim potest habitudo sine habentibus habitudinem intelligi et significari): sic, ut consequens est, deificatio deificatum et deificantem secum inducit. Et rursus idem, cap. secundo tertiæ centuriæ: Quorum esse in multitudine cernitur, horum esse differens et varium est; quorum autem esse differens est, horum habitudo inseparabilis est; quorum vero habitudo inseparabilis est, proprium est eis, ut a se ipsis mutuo prohibeantur, ne infinita esse existimentur: quorum autem esse non est infinitum, eorum scilicet, quorum generationem sæculum aut tempus antecessisse cogitatur, liquet eorum generationem esse ex eo quod non erat. Et Joannes Damascenus: Oportet, inquit, quæ sunt ad aliquid, qualiacunque sint, sub aliquod aliud prædicamentum reducere, ut ipsa prius in se considerentur; postea, tanquam habitudinem habentia, opus est sub prædicamentum eorum quæ sunt ad aliquid, redigere. Opus enim est esse quædam prius solute, et postea considerari eorum habitudinem. Imo et beatus Cyrillus: Habitudine, inquit, ad Deum adoptati filii, deificamur. Ex quibus efficitur, non posse fieri, ut generatio aliquorum consideretur, altero quovis eorum quæ ad habitudinem pertinent, sublato. Quod quidem verum est in personis divinis, quia hæ sunt æternæ, simul scilicet exsistere habitudinem; tamen in Deo et in creaturis ejus postea efficitur habitudo, quando ipsa illa quæ habitudinem habent, exsistunt, ut demonstratum est.

CAPUT IV.

Quod habitudo et motio Dei ad efficiendas creaturas, et omnium creaturarum generatio et productio, emanatio ejus et operatio vocatur, et sapientia et virtus et magnificentia, et quæcunque ad principium viarum ejus pertinent, quæ ex mirabili effectione creaturarum cognoscuntur.

Magnus Dionysius capite nono *De divinis nominibus*: Nunc autem, inquit, divinam diversitatem non mutationem quamdam illius qui idem est immutabiliter, esse suspicemur; sed potius multiplicationem singularem, et emanationes simplices ad omnia. Divinus Maximus, dum hoc ipsum explicat, Multiplicationem, inquit, singularem cum dicit, intelligere oportet Deum in sua simplicitate manentem multiplices et varias species creaturarum efficere: emanationem enim vocat illum veluti motum et conatum ad creaturas fabricandas. Rursus idem Dionysius capite quinto *De divinis nominibus*: S. quidem, inquit, causa omnium ab emanatione, creaturarum effectrice, et bonitate exorsa, et per omnia means, et cuncta a se ipsa implens exsistentia, et in omnibus creaturis exsultans; cuncta in se ipsa habet anticipata (1), una superlata simplicitate omnem duplicitatem excludente; cuncta similiter continet infinitate sua supra quam simplici; et ab universis unice participatur. Quem locum rursus adnotans idem qui prius: Emanationem, inquit, vocat non solum se contemplari, sed fundere se, et meare, et creaturas efficere. Et iterum adhuc idem Dionysius capite secundo *Ecclesiasticæ hierarchiæ*: Ut enim, inquit, præclarus noster doctor dixit, primus quidem motus mentis ad divina, est dilectio Dei; sacræ vero dilectionis manatio summa ac maxime princeps ad faciendum sancta mandata divina, est generatio illa summe mystica, qua efficitur ut simus divine. Magnus vero Basilius in adnotatis a sancto Maximo, de energia, contra Monothelitas: Aliud inquit, est qui operatur, aliud operatio, aliud opus; ac maxime ista inter se differunt: operans enim est qui ad operandum movetur; operatio est veluti motus operatorius, ipseque, ut ita loquar, conatus voluntatis ad operandum aliquid tendens et spectans, et simul ut electio facta est, quiescens ac desinens, et cito mota ac præteriens: opera vero sunt, quæ hac operatione perficiuntur, et inde exsistunt. Et idem rursus in secundo, contra Eunomium: Potentiam enim, inquit, et sapientiam, atque artem, non autem ipsam Dei substantiam (2), indicant creaturæ, imo nec ipsius auctoris totam potentiam necessario ostendunt; contingit enim aliquando, ut artifex non omnes vires suas in iis quæ facit, collocet, quin potius sæpenumero in operationibus artis suæ remissis viribus utatur. Ac rursus idem: Amplitudinem, inquit, Dei, et potentiam ac sapientiam, tum bonitatem et providentiam, qua nos procurat, et justitiam judicii ejus dicimur cognoscere, non autem ipsam substantiam. Iterum idem Basilius in oratione de principio Proverbiorum: Qui cognoscit, inquit, ex fabrica mun-

B C D

Scholia.

(1) *Anticipata*, dicit propter ideas omnium creaturarum in Deo, quas Apostolus προορισμούς vocat, ut S. Maximus in scholiis in Dionysium notavit, id est, prærordinationes, sive prædefinitiones, sive prædestinationes.

(2) *Non autem ipsam Dei substantiam.* Non significant creaturæ, sicut neque nomina eis imposita, bonus, sapiens, et similia, Dei substantiam, sed operationem, quando consideramus creaturas, quatenus habent perfectiones Dei participatas et a Deo effectas, quibus significandis nomina sunt a nobis prius imposita. Quando vero ex ipsis creaturis ad auctorem contemplandum deducimur, substantiam ejus nobis indicant, ut copiosius

Digitized by Google

di architectum, idem cognovit ex sapientia mundi Deum : *Invisibilia enim Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* [22]. Et iterum ibidem : Et in Summa, illud : *Dominus creavit me principium viarum suarum* [23], de sapientia quæ in mundo apparet, dictum est, quæ per ea quæ cernuntur, vocem fere mittit, se a Deo factam esse. Præterea etiam sunt quædam rationes sapientiæ, quæ ut primum seminarium ante alia ingenerata est creaturæ in ipsa creatione. Hæc sapientia silendo, creatorem suum et dominum clamat, ut per eam ad cogitationem ejus qui solus sapiens est, te referas. In prima et œcumenica synodo ex responsione Patrum ad philosophum, quam Eusebius litteris mandavit : Advertendum, inquiunt, est, hunc esse Dominum, qui sapientiam ratiocinantem creavit principium viarum suarum ; quam præparavit homini ad imaginem suam a se creato : et in Sapientia Syrach : *Omnis sapientia*, inquit, *a Domino, et cum ipso in sæculum : prior omnibus creata est sapientia, et intellectus prudentiæ, ab ævo : radix sapientiæ cui revelata est ? et astutias illius quis agnovit ? Unus est sapiens, pertimescendus, sedens super thronum illius Dominus : ipse eam creavit, et effudit eam super omnia opera sua* [24]. Divinus Chrysostomus, Videamus, inquit, quid Philippus videre velit : an sapientiam Spiritus sancti ? an bonitatem ? Minime, sed illud, quid est Deus ; ipsam, inquam, substantiam (1). Et Gregorius Theologus in oratione secunda, *De theologia :* Non vidi, inquit, primam et æternam naturam, quæ sibi, id est, Trinitati nota est, et quanta intra primum velum manet, et a Cherubinis contegitur, sed illam quæ extrema est, et ad nos pervadit : quæ est, quantum intelligo, amplitudo illa, vel, ut David ait [25], magnificentia, quæ in creaturis, et in iis quæ ab ipso effecta sunt et gubernantur, cernitur. Hæc enim sunt posteriora illa Dei [26], quæ post eum sunt ipsius indicia et notæ. Magnus Dionysius, in capite octavo *De divinis nominibus :* Infinitæ potentiæ Deus non eo solum quod omnem potentiam producit, sed quod est supra omnem potentiam, et ipsa per se potentia ; et quod est supra quam potens ad producendas infinite infinitas alias potentias : et quod nunquam possint infinitæ potentiæ in infinitum productæ effectionem supra quam infinitam potentiæ ejus potentifice hebetare et retundere. Et rursus : Hoc ipsum etiam esse potentiam, si fas est dicere, habet (2), ut sit ab ipsa potentia, quæ supra substantiam est. Et divinus Chrysostomus in homilia 64, in Matthæum : Cum dicit *Nemo bonus*, non hoc, inquit, dicit, quasi se neget bonum, apage ; non enim dixit : Cur me dicis bonum ? non sum bonus ; sed dixit, Nemo bonus, id est, nullus homo, et hoc ipsum cum dicit, non privat bonitate homines, sed ad distinctionem bonitatis Dei ho pertinet. Et iterum in eodem Matthæo homilia 24 : *Si vos*, inquit, *cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris* [27], etiam illic etiam malos vocavit, non quod omnem naturam humanam malitiæ condemnaret, *vos* enim, ait, non *vos homines :* quin potius sic nominavit, id est, malos, conferens bonitatem hominum cum bonitate Dei. Item ex Panariis (3), synodus habita contra Manichæos ab episcopo Carorum Abucara : Bonitas, inquit, quæ in universitate mundi cernitur, accretionem et decretionem recipit, ut quæ accidens sit. Et rursus : Bonum in Deo substantia est ; in creaturis vero accidens. *Estote* enim, inquit, *misericordes sicut Pater vester cœlestis* [28]. Et iterum Dionysius : Verum, inquit, est nos Deum cognoscere, non quidem ex natura ejus (hæc enim ignota est, et omnem rationem ac mentem vincit), sed ex ordine omnium rerum, utpote qui a Deo ipso factus sit, et imagines quasdam et similitudines exemplarium ejus habeat. Imo et Joannes Damascenus, libro tertio, cap. 62 : Dicitur, inquit, ἡ ἐνέργεια ἐνέργημα, id est, operatio opus, et opus operatio ; sicut τὸ κτίσμα κτίσις, id est, creatum creatura, et creatura creatum, hoc est, res creata, sic enim loquimur, omnis creatura, cum omnes res creatas significamus. Est autem advertendum energiam, id est, operationem, motum esse, et magis effici, quam efficere, sicut ait Gregorius Theologus, in oratione de Spiritu sancto ; et si energia est Spiritus sanctus, efficietur scilicet, non efficiet : et simul ut erit effectus, quiescet. Ex his liquet, quod operatio et emanatio idem sunt. Ut enim emanatio motus et conatus est ad efficiendas creaturas, sic est operatio veluti motus operatorius et conatus ipse (ut ita dicam) electionis, ac rursus, ut erat, habitudo conatus et motus inter eos, quorum est inter se habitudo : sic operatio media est inter opera quæ fiunt, et operantem. Emanatio igitur, et operatio, et habitudo, et generatio,

[22] Rom. I, 20. [23] Prov. VIII, 22. [24] Eccli. I, 1, 3, 4, 6, 8, 10. [25] Psal. VIII, 3. [26] Exod. XXXIII, 23. [27] Matth. VII, 11. [28] Luc. VI, 36.

Scholia.

decade 4, cap. 9, dicetur, tum a Cyparissioto in epilogo ejusdem capitis, tum a nobis in scholio.

(1) *Ipsam substantiam.* Id est, quæ sit substantia, sive essentia, sive natura Dei.

(2) Cum dicit : *Si fas est dicere*, significat, ait S. Maximus, non esse possibile esse aliquod quin existat a Deo, quod usque adeo scilicet verum est, ut si ipsum esse esset, ipsum esse esset a Deo ; sed esse, inquit S. Thom., non dicitur proprie esse, sive quod sit, sed quod per esse aliquid sit.

(3) *Panaria* vocat voluminа, in quibus hæreban-tur diversorum auctorum confutationes hæresum, sicut Epiphanius opus suum contra hæreses *Panarium vocavit.* In istis *Panariis*, quæ dicit, ferebantur fortasse quæ scripserunt contra Manichæos Titus Bostrenus, Diodorus Cilix, Georgius Laodicensis, Eusebius Phœnix, quos Theodoretus nominat ; et istius synodi contra eosdem Manichæos disputatio ; cap. proximo sequenti quæ hic vocavit *Panaria*, vocat scripta contra omnes hæreses.

Digitized by Google

ac motus idem sunt : ac proinde consequens est, A ut habitudo et motus Dei ad efficiendas creaturas, et ars et sapientia et potentia et generatio creaturarum, et emanatio et operatio ejus idem sint.

CAPUT V.

Quod quæcunque habent rationem operationis, et media esse probantur, natura per se non exsistunt; et sunt solummodo, quatenus fiunt.

Magnus Basilius libro quarto, *Contra Eunomium:* Si, inquit, opus est Filius, et non germen, nec qui operatus est, nec operatio est ipse; aliud enim est operatio præter ista; alioqui non exsisteret per se; nulla enim operatio per se exsistit. Sin vero est opus ipsum, sequitur ut sit tertius ex Patre, et non sine intermedio, est enim primo, qui operatus est, postea operatio, et ita tertio opus factum. B Et Basilii frater Gregorius Nyssenus, libro secundo *Confutationum* arguens Eunomium, qui Filium aiebat esse sigillum operationis Dei omnipotentis : Tertium, inquit, facit post Patrem illa operatione non per se exsistente intermedia : imo videtur facere eum non esse. Et iterum in eodem libro : Qui habet, inquit, aures audiendi, animadvertat et consideret quod est operationis sigillum. Omnis enim operatio cernitur in elaborante aliquid, perfecto autem quod elaborabatur, non exsistit : ut operatio cursoris, quæ est motus qui pedibus conficitur, quiescente motu, non amplius exsistit operatio. Similiter dicendum est in omni exercitatione, pariter cum studio laborantis in re aliqua C desinere operationem, non exsistere autem per se, neque cum quis operatur quod sibi propositum est ad laborandum in eo : neque cum laborandum in eo, neque cum laborare desinit. Quid igitur cogitat operationem esse per se, quæ neque substantia est, neque character, id est, sigillum, nec hypostasis? Dixit igitur similem esse ipsum non exsistenti per se, quod autem simile est non exsistenti; necessario nec ipsum est : hoc est novorum dogmatum monstrum, credere scilicet in eum qui non est. Quod enim (ut iterum dicam) simile est rei quæ non est, prorsus nec ipsum est. Synodus autem a Theodoro episcopo Carorum contra Manichæos habita, quæ fertur in iis quæ contra omnes D hæreses scripta sunt, ait : Omnis operatio est cum fit, quæ nec ante motum operantis, id est, actionis est, neque post motum durat : opus, tantum quod effectum est, sæpe ad memoriam actionis relinquit. Si igitur energia actus est, omnis autem actus alicujus substantiæ actus est, igitur absque substantia non est. Ex his perspicuum est, quod operatio rationem medii præfert, et ob eam causam non exsistit per se, solummodoque est cum fit, non ante motum operantis, id est, ante actum : neque post motum permanet. Similis est ergo operationi omnis emanatio, et generatio, principium et causa, ut ex superioribus demonstratur.

CAPUT VI.

Quod sicut operatio est eorum quæ fiunt, et emanatio eorum quæ emanant; sic et voluntas et expetitio eorum quæ velle et expeti contingit.

Magnus Athanasius libro tertio *Contra Arianos :* Sicut, inquit, voluntati opponitur id quod est præter mentem, sic superat et præcedit voluntatem quod naturale est. Domum igitur quispiam deliberando fabricat; filium vero naturaliter generat, atque illud quidem quod voluntate fit, cœpit esse, et extra eum qui fecit, est; filius vero proprius fetus est substantiæ patris, et non est extra eum; quamobrem non deliberat de eo, ne videatur etiam de se ipso deliberare. Quanto igitur excellit filius, tanto quod natura fit, excellit id quod voluntate fit. Rursus idem in disputatione Niceæ contra Arium : Et quidem quod non sint idem voluntas et substantia, hæc est nostra ratio, idcirco enim filium dicimus esse fetum substantiæ, nos vero fetum voluntatis, ut autem tu concedis, non sunt idem voluntas et substantia; substantia vero neque cœpit, neque desinet; non igitur imago cœpit, neque desinet, voluntas vero et incipit, et desinit. Et Gregorius Theologus, in libro *De statu episcoporum :* Fac, inquit, velis fieri filium, et fiat filius; fac similiter velis fieri quidpiam aliud eorum quæ fiunt, et procedat voluntas in opus; at si nihil horum sequitur voluntatem, Deum vero velle, facere est, aliter quidem homo creat, aliter vero creator omnium Deus. Et sanctus Justinus philosophus et martyr, in libro *Contra gentiles :* Cum Deus, inquit, habeat substantiam quidem ut exsistat, voluntatem vero ut creet, qui substantiæ et voluntatis differentiam abjicit, exsistentiam simul et creationem tollit : exsistentiam quidem Dei, creationem vero eorum quæ non sunt. Et paulo post : Substantia enim, inquit, non recipit non esse, voluntas vero recipit non esse; voluit enim Deus, et factus est sol, noluit ut fieret secundus sol, et non est factus : nec enim opus erat. Et Joannes Damascenus : Opus, inquit, divinæ naturæ sempiterna generatio est; opus vero divinæ voluntatis creatio. Ex his liquet, quemadmodum voluntas Dei ad creandum creaturas posterior est et diversa a substantia Dei. Quo enim ministerio indigere potest (ait magnus Basilius de Unigenito) is qui simul ut voluit, creatura exsistit quam vult? Si igitur simul cum voluntate creatura exsistit, sicut non est ex æternitate creatura, sic nec voluntas eam creandi, et opus, opus enim Dei velle est; et sicut opus voluntatis est creatura, et hæc voluntatem sequitur, sic divina generatio Filio simul terminatur, et idcirco generatio divina, quæ a Deo Patre in Filium procedit et manat, eadem est re cum eo ipso Patre, quæ verbis explicari non potest. Est autem Verbum Dei increatum, increata igitur est generatio ejus supra naturam creatam, tanquam naturalis emanatio Patris; voluntas vero et nutus Dei ad producendas creaturas, quæ ex

Digitized by Google

æquo cum emanationibus et operationibus Dei proficiscitur, differt, sicut ratio poscit, a substantia Dei, quia illa scilicet voluntas Dei cœpit, et est extra facientem et creantem, hæc vero, id est, substantia Dei æterna est, et intra se ipsam fixe manet, illa incipit et desinit, hæc initii et finis expers est; illa recipit non esse, cum Deus non vult esse, hæc nunquam recipit non esse.

CAPUT VII.

Quod secundum hanc voluntatem et desiderium Dei ipsius erga nos providentiæ dicuntur.

Athanasius, in tertio *Contra Arianos* : Omnia, inquit, dedit Pater Filio, et omnia rursus Pater habet in Filio : divinitas enim Filii, divinitas Patris est, atque ita Pater providentiam omnium in Filio gerit. Et iterum idem, *Contra gentiles* : Per incarnationem, inquit, Verbi providentia omnium patuit, et ipsum Verbum hujus providentiæ suppeditator et auctor est; ipse enim factus est homo, ut nos deificaremur, se ipse per corpus manifestum fecit, ut nos Patris inaspectabilis notitiam caperemus. Imo et magnus Basilius in *Moralibus*, quarto et quadragesimo Psalmo : *Intende*, inquit, *prospere procede, et regna* [19], id est, qui curam hominum per carnem habere cœpisti, fac ut curam hanc intendas, continues, et nullo unquam tempore relaxes. Et Damascenus Theologus : Providentia, inquit, est cura Dei de omnibus. Et Theodorus cognomento τῶν γραπτῶν : Cujusnam, inquit, rei providentia erit, si non sit quod servetur incolume? Providentia enim ex iis est quæ sunt propter causam. Quare ex his patet, quemadmodum propter ea quæ a se facta sunt, providentiam habet Deus, qua illa procurat et gubernat; et ipse est Dei Verbum, hujus providentiæ suppeditator et auctor. Quod si propter ista facta est, quomodo non sit condita et creata et in iis numerata, quæ sunt propter causam, secundum naturam operationum et emanationum, et aliorum quæ ad habitudinem pertinere intelliguntur?

[19] Psal. XLIV, 5.

CAPUT VIII.

Quod generatim omnes divinæ emanationes providentiæ dicuntur mente contemplabiles.

Magnus Dionysius primo cap. *De divinis nominibus*, ait : Non solum enim est causa continendi omnia, et vitæ ac perfectionis causa est, ita ut ab hac sola, aut ab alia providentia bonitas, quæ omne nomen superat, nominetur, sed universa simpliciter et incircumscripte in se anticipavit (1) perfectis bonitatibus ipsius unicæ et omnium effectricis providentiæ, et ab omnibus rebus apte laudatur et nominatur. Atqui non solum hæc nomina divina theologi celebrant, quæ a providentiis generalibus, aut a providentiis in parte, aut ab iis quibus providetur, et aliquando a quibusdam divinis visis dicuntur. Idem rursus, in *Epistola ad Titum* : In providentiis, inquit, Dei, quas mente contemplamur, vel in donis (2), vel visionibus (3), vel proprietatibus (4), vel facultatibus (5), vel statibus, vel mansionibus (6), vel emanationibus, vel distinctionibus (7), vel conjunctionibus (8). Et rursus cap. quarto *De cœlesti hierar.*: Cuncta, inquit, quæ sunt, providentiam participant, quæ ex divinitate, quæ omnem naturam antecellit, et omnium rerum causa est, effluit. Quo in loco sanctus Maximus : Omnia, inquit, opera creationis summatim declarat, cum dicit : *Quæ sunt*, omnia scilicet intellectilia et sensilia; universa enim fecit Deus, cum non essent, et ob eam causam solum, ut bonitate ipsius fruerentur, fruuntur autem providentia ipsa, ut quæque res apta est; providentia enim Dei principium est naturæ cujusque rei, atque hinc patet Dionysium omnem emanationem Dei providentiam appellasse, hoc enim est illud apud Dionysium : Ab hac sola, vel ab alia providentia; et illud : A generalibus providentiis, vel providentiis in parte, vel ab iis quibus providetur; et illud rursus : In providentiis Dei, quas mente contemplamur; plane contentus fuit Dionysius pro emanationibus providentias dicere; nisi quis forte dicat, idem esse providentiam, et emanationem, emanare enim propter aliud quid, quid aliud est quam providere suis, propter

Scholia.

(1) Id est, *ita in se omnia anticipavit*, et omnia est, ut cum eis non sit coagmentatus, neque corporee unitus, hoc est simpliciter et incircumscripte omnia esse in eo, et ipsum esse omnia. Contra aiebat Manichæus Deum omnibus corporibus συνουσιασμένον, id est, ut ita vertamus, consubstantiatum providentia.

(2) *Donis*. Ut in illo : *Aperis tu manum tuam* (*Psal.* CXLIV, 16), etc.

(3) *Visionibus*. Ut cum in Veteri Testamento apparebat Deus specie hominis; et sicut Spiritus sanctus apparuit in specie columbæ, et linguarum ignearum.

(4) *Proprietatibus*. Ut in propheta Amos, adamas, providit Deus, ut similitudine et exemplo adamantis ostenderet nobis τὸ ἀπαθὲς καὶ ἀδάμαστον αὐτοῦ, ut cum dicit Scriptura : *Deus ignis consumens est* (*Deut.* IV, 24), providit ut sic significaret vim consumendi pravos habitus.

(5) *Facultatibus*. Ut oculi, qui facultatem videndi, et pedes ambulandi significant, species providentiæ sunt.

(6) *Statibus vel mansionibus*. Ut cum dicitur, lapis fundamenti, significat providentiam status immutabilis.

(7) *Emanationibus vel distinctionibus*. Ut cum dicitur, flos agri et lilium convallium, varietas providentiæ significatur.

(8) *Conjunctionibus*. Ut cum vocatur lapis angularis, significatur providentia convertendi ad se, et secum copulandi.

Digitized by Google

quos a principio emanationem fecit, et adhuc eorum curam gerit, quod magis adhuc ex eo constat, quod providentia Dei principium est naturæ rerum, omne autem principium aliquorum in iis quæ ab ipso principio exsistunt, concluditur; liquet igitur esse providentiam unum ex iis quæ a Deo voluntate sua facta sunt. Enumerat autem Dionysius in providentiis dona et visiones et alia, utens voce disjunctionis, vel ad declarandum, non esse improbandum, si quis hæc hoc aut illo verbo vocet.

CAPUT IX.

Quod secundum ipsas Dei providentias et emanationes atque operationes fiunt nostræ divinæ participationes, et divina nomina.

Magnus Dionysius, capite primo *De divinis nominibus*, Hæc, inquit, ex Scripturis divinis didicimus; et omnem fere sacram Scripturam reperies ad declarandum nobis Deum et ad laudandum eum, divina nomina formare secundum divinæ bonitatis emanationes. Et iterum in secundo capite : Absolute (1) communicationes vitæ, sapientiæ, et alia dona divinæ bonitatis omnium rerum effectricis, in quibus donis divinæ personæ; quæ sine naturæ suæ participatione participantur, a participationibus et participantibus laudantur. Quo in loco S. Maximus : Secundum substantiam, inquit, divinitas neque participatur, nec intelligitur : participabilis vero est, quatenus ab ea exsistunt omnia, et ab ea continentur et conservantur ut sint. Ac rursus Dionysius in eodem cap. : Omnia, inquit, divina, etiam quæcunque nobis declarata sunt, participationibus solum cognoscuntur, ipsa autem divina qualia tandem sint ex proprio principio et fundatione; neque mente, neque cogitatione ulla aut cognitione assequi licet, ut si abditam illam essentiam Dei, quæ supra omnem naturam est, Deum, aut vitam, aut substantiam, aut lumen, aut rationem vocemus, nihil aliud intelligimus, quam multiplicem facultatem ab eo productam et communicatam, vel ad deificandum, vel ad capiendum substantiam, vel ad vitam præstandam, vel ad sapientiam largiendam : ad ipsum vero Deum intelligendum mentem intendimus nude ac solute ab omni operatione, nullam cernentes deificationem, aut vitam, aut substantiam, quæ perfecte similis sit illi causæ, quæ omni genere excellentiæ et præstantiæ extra omnia posita est. Quem locum adnotans idem Maximus : Nomen, inquit, Dei non significat substantiam, neque quid est Deus, sed beneficentiam quamdam erga nos : et quod ex participationibus a Deo nobis donatis nomina Dei formamus, quid autem est Deus, omnibus est incogitabile. Ex quibus manifestum fit, ex emanationibus Dei, et donis ac beneficiis ejus erga nos nomina ipsius confici, ea vero ipsa quæ in Deo sunt, cujusmodi demum sint ratione sui principii et fundamenti, et quæ in eo sunt, supra omnem mentem, notionem ac cognitionem naturalem putandum esse : atque etiam (id quod prius demonstrabatur) ex magnificentia et rerum ordine Deum cognosci, non autem ex substantia sua. Quamvis enim deificationes ab eo ad nos proficisci audiamus, aut facultates deificas vel substantiæ, vel vitæ, vel sapientiæ effectrices, nihil aliud intelligimus, quam ab ipso ad nos proficiscentes habitudines, motiones, emanationes et operationes, nulla autem ex istis motionibus, si sic eas vocemus; similitudinem aut proportionem habet cum illa omnium rerum causa, et omnem naturam superante; hæc enim omnia propter causam mota sunt, omne autem quod propter causam est, et movetur, factum est, ac principium et finem habet.

CAPUT X.

Quod Deus est unus, et impartibilis, et non multiplicabilis, et immobilis : in his autem emanationibus videtur moveri, et partiri, ac multiplicari, et dividi.

Magnus Dionysius, capite secundo *De divinis nominibus* : Quia Deus supra substantiam est, et omnibus quæ sunt, dat esse, et omnes substantias producit, multiplicari dicitur illud unum ens, eo quod ex productione ejus multa exsistunt, cum aliqui nihilominus maneat et unum in multiplicatione, et unitum in emanatione. Ac rursus idem in eisdem : Divinam discretionem, inquit, dicimus, sicut dictum est, emanationes Dei, bonitatem ejus decentes; largiens enim omnibus esse, et fundens affluenter omnium bonorum participationes, distribuitur unite, et multiplicatur singulariter, efficiturque multiplex non recedens ab uno. Quem locum adnotans S. Maximus : Dicitur, inquit, unum multiplex fieri, quia ex ipso, ac per ipsum, et in ipsum cuncta condita sunt; et ipse est caput omnium quæ sunt, et ipse omnes substantias produxit : recte igitur propter ea quæ ab ipso effecta sunt, multiplicari dicitur. Ac rursus idem Dionysius, cap. nono *De divinis nomin.*, Quid, inquit, cum rursus theologi dicunt in cuncta meare, et moveri immobilem, nonne hoc ut Deum decet, intelligendum est? Pie enim putandum est moveri Deum, non quasi feratur, aut mutetur, aut varietur aliquo modo, aut motu loci sive recto, sive rotundo, sive ex utroque compósito, neque motu intelligentiæ, neque naturali, nec animali, sed quatenus omnia Deus producit ut sint, et omnia continet, et omnibus varie providet. Hunc locum edisserens S. Maximus : Deus, inquit, non movetur aliquo ex istis genere motus, quin potius

Scholia.

(1) *Absolute.* Ex parte principii, sive essentiæ divinæ, quia essentia divina secundum se non communicatur cum creaturis, sed remanet soluta ab omni habitudine participationis, communicatur tamen secundum similitudinem.

Digitized by Google

motus immobilis, et eodem modo se habentis voluntas ejus dicitur, qua vult esse ea quæ sunt, et emanatio providentiæ ad omnia. Ex his patet, Deum nulla ex iis motionibus, quas Dionysius ingeniose enumeravit, moveri, illa tantum excepta, quæ externa est, et qua creaturas per suas divinas emanationes produxit, multiplicatus et dispertitus ac distributus non quatenus ipse est, sed quatenus manens immobilis et impartibilis et multiplicationis expers, et eodem prius et postea tenore, sola voluntate omnia produxit, neque sic a se ipso ullo modo recedens. Quo enim moveretur, qui omnia substantia sua replet? Imo sicut si una faciens maneat, cujus forma nulla parte et nullo modo varietur, et ponamus multas circum facies ex fulgore illius emicare, videor mihi ex hac tenui imagine ac similitudine conjecturam de his facere : ad hunc modum recte quis dicat, non distribui aut partiri aut multiplicari Deum, sed nos potius ab eo tanquam similitudines et imagines exemplarium ejus distinctos ac variatos esse : et multiplicationem et partitionem sublisse : hujusmodi enim affectiones similitudinibus non Deo conveniunt. Sic a Dionysio rerum divinorum peritissimo hæc quæ in Deo apparet, discretio appellata est. Videtur enim, inquit, et dicitur unius Dei discretio et multiplicatio; est tamen nihilominus principium divinitatis supra omnem naturam unus Deus impartibilis in partibilibus, et secum ipse copulatus, et permistionis plurium, ac multiplicationis expers. Sed ut jam capita hujus decadis in summam redigamus, exponam simplicem eorum seriem materiarum. Demonstratum est duplicem esse speculationem divinarum emanationum : unam emanationum in Deo naturaliter; alteram emanationum extra Deum ad creaturas pertinentium voluntarie : aggredientes igitur hanc exteriorem, in qua multitudo divinarum emanationum versatur, secundo loco principium ad creaturam et motum ac causam demonstrabamus generationi rerum convenientem : nulla autem generatio sine habitudine est, unde tertio necessario sequebatur, altero eorum quæ habitudinem faciunt, deficiente, non consistere generationem; quarto deinceps loco, omnis effectio, quæ ad effecta refertur, emanatio est in ea et operatio; postea quærebatur, quæ esset harum emanationum et operationum essentia, et an per se exsisterent, ac non potius essent cum fierent; hoc autem explicato, in sextum locum incidit de voluntate et expetitione Dei disserere, et quomodo sicut emanationes Dei eorum sunt quæ a Deo emanant, sic voluntas Dei eorum est quæ Deus vult; deinde explanabatur, quemadmodum hujusmodi voluntates tum emanationes, tum providentiæ Dei dicuntur, et rerum gubernationes; post septimum sequebatur octavum caput, in quo docebamus pro emanationibus nomen divinarum providentiarum accipi; nono autem et decimo capite duo sunt ordine conclusa : unum est, secundum ipsas divinas providentias et emanationes omne nomen divinum et Dei participationem fieri; alterum, eum qui est unus Deus, et impartibilis, et immobilis, et non multiplicabilis, videri in ipsis illis providentiis et emanationibus dispertiri, moveri ac multiplicari. Recte igitur a theologis de divinis emanationibus explicatum est, et merito emanationes Dei dicuntur; effectionis enim, sive creationis, et aliarum emanationum conditor et auctor et effector est Deus; et nullus motus ad terminum creatum refertur, quin secundum terminum ad quem refertur, ceperit naturam; propter creaturam enim cepit principium, et exstitit, et perfectus est, ubi autem sunt principia et fines rerum, etiam universum in illis concluditur.

QUARTA DECAS. — *DE INFORMATIONE DIVINI NOMINIS.*

CAPUT I.

Quod omne nomen Dei est nostræ mentis inventum, et ob eam causam omnis nominatio Dei dicitur νοητή, id est intellectilis, sive sub intelligentiam cadens.

Gregorius Theologus, in sermone Epiphaniæ : Cum dupliciter, inquit, infinitum contemplemur, quando mens in illud profundum superum aspexit, quia non habet ubi sistat et innitatur cogitans de Deo, hoc sursum infinitum, et unde egredi non potest, ἄναρχον, id est, carens principio vocavit : quando autem in infera, et ea quæ subter sunt, sine interitu et immortalem : quando vero totum complectitur, ἀϊδιον, id est, æternum appellat. Et idem in eodem sermone : Mente, inquit, sola adumbratum ac delineatum; idque valde obscure et tenuiter. Dionysius vero theologus summus, cap. decimo tertio *De divinis nominibus*, Hæc, inquit, nos divina nomina quæ collegimus, pro viribus explicavimus. Et in extremo ejusdem capitis : Sed hæc quidem, ut Deo placet, sic habeant et dicta sint; sitque quod ad nos pertinet, hic finis nominibus Dei, quæ mens excogitavit, ad symbolicam vero theologiam Deo duce transibo. Multis in locis cum de nominibus Dei tractat, reperitur vocare illa νοητὰ, id est ad mentem pertinentia. Ex his igitur liquet, omne nomen Dei, et omnem divini nominis appellationem ad negotium et tractationem mentis nostræ pertinere, atque inde νοητὴν vocari, id est, ad intelligentiam pertinentem, cum scilicet mens aut ad ea quæ supra sunt, cietur, aut ad ea quæ subter, aut universum lustrat; atque ita nominationes Dei adinvenit.

CAPUT II.

Quod ab effectis Deus laudatur, et ex ipsis nominatur.

Magnus Dionysius, cap. primo *De divinis nominibus* : Quoniam vero Deus, utpote ipsa bonitas,

Digitized by Google

eo ipso quod est, omnium causa est, providentia Dei eorum qui dii dicuntur, principis, quæ omnium bonorum principium est, ab omnibus effectis laudanda est, quia et circum ipsum sunt omnia, et propter ipsum; et ipse est ante omnia, et in ipso omnia consistunt, et esse eum producit omnia, et facit ut exsistant. Hoc autem sanctus Maximus edisserit et retractat : Ex his, inquit, solvuntur fatuæ opiniones eorum qui ausi sunt dicere, insitam esse Deo natura quadam vim creandi, sicut insitum est araneolis texere ; demonstrat enim propter solam bonitatem producere Deum omnia. Quamobrem non audent theologi laudare Deum ab iis quæ ipsius sunt, id est, a natura et essentia ejus (hæc enim ignota sunt), sed ab emanatione, quæ est providentia ejus in ea quæ ab ipso auctore effecta sunt. Hanc divinam providentiam, qua omnibus Deus providet, laudibus celebrant. Rursus idem Dionysius capite secundo *De divinis nominibus* : Non est perfecta et absoluta similitudo eorum quæ effecta sunt, et causarum ; quin potius habent quidem effecta causarum quoad fieri potest, imagines ; ipsæ vero causæ ex effectis exemptæ sunt ; et pro ratione principatus sui supra locatæ ac fundatæ. Quem locum iterum adnotans sanctus Maximus : Effecta, inquit, sunt omnia creata sive in cœlo, sive in terra, causæ vero efficientes sive creantes personæ sanctæ Trinitatis sunt. Manifestum igitur est, nullam esse horum inter se similitudinem, causarum scilicet et effectorum. Rursus idem in centuria octava, capite 24 : Advertendum, inquit, est, quod effecta causarum imagines habent, quatenus habere possunt, esse sunt, quæcunque creata sunt ; causæ vero, quæ illa efficiunt et creant, nulla autem similitudo est causarum et factorum. Ex quibus patet quemadmodum ex effectis, id est, ex creaturis nomina Dei, quibus Deum laudamus et imploramus, humana mens considerando adinvenit.

CAPUT III.

Quæ sint effecta, et quæ eorum materia.

Gregorius Nyssenus in explanatione Cantici canticorum : Omnia, inquit, mira, quæ in universo contemplamur, materiam divinorum nominum præbent, quibus Deum sapientem, potentem, bonum, sanctum, beatum, æternum, judicem, salvatorem, et aliis hujusmodi celebramus. Et Damascenus Theologus (*a*), Deus, inquit, propter ineffabilem bonitatem voluit de nostris rebus, et nostro more nominari, ne simus funditus notitiæ ejus expertes. Ex his liquet, quemadmodum humana mens est causa, quæ format, et veluti specie (1) afficit divina nomina; materia vero, illa admirabilia, et effecta, A quæ in universitate mundi contempiatur ; unde hujusmodi divinorum nominum formam et distinctionem colligit.

CAPUT IV.

Quare ab effectis nominatur Deus, et non ab iis quæ sunt naturæ ejus.

Magnus Basilius in iis quæ contra Eunomium scripsit : Si divinam, inquit, naturam in se contemplari possemus, et quod proprium ejus est, et quod alienum, per ea quæ cernuntur invenire, penitus non indigeremus rationibus, neque conjecturis ad comprehendendum quod quæritur : sed quia celsior est quam ut perspici possit quod quæritur, ex conjecturis autem cognitionem eorum quæ nos fugiunt, venamur, necesse est omnino ut ad scrutandum divinam naturam per operationes deducamur. Ac rursus idem in primo contra eumdem : Unus Dominus cum sit, et una substantia simplex et expers compositionis, alias aliter se nominat, aptans sibi nominationes quæ nostris cogitationibus inter se differunt, diversa enim nomina sibi imponit, ut sunt diversæ operationes subjectæ, et diversa earum ad ea quæ fiunt habitudo. Idem etiam : Nos vero ex operationibus Deum nostrum cognosci dicimus : ad essentiam tamen ejus appropinquare non promittimus, operationes enim Dei descendunt ad nos : at essentia ejus manet inaccessa. Ex his igitur manifestum efficitur, quod sicut ex iis quæ in Deo sunt, philosophari de Deo non possumus, sic neque per ea Deum nominare : at ex conjecturis quibusdam, quæ sunt eorum quæ in Deo sunt, similitudines et simulacra, notitiam Dei colligimus, conjecturas et operationes idem esse intelligentes. Ut enim ex conjecturis de Deo ratiocinamur, sic per operationes ad intelligendum eum adducimur; sive ex operationibus, et ex iis mirabilibus quæ in universo speculamur, Deum nostrum declarare nos dicimus. Atque hinc secundum differentiam operationum subjectarum, et ut quæque operatio ad ea quæ fiunt refertur, negotium divinorum nominum conficimus, non putantes intempestive facere quod hæc nomina ex conjecturalibus argumentis colligimus et imponimus. Conjicere autem quid aliud est, quem ex iis quæ in universo mira contemplamur, et ex effectis ipsis ad quæ emanationes et habitudines referuntur, similitudinem et formam ducere ? Cum ergo dicimus illud, a quo et unde materia, non appropinquamus illi ad quod tendimus, id est, substantiæ ejus, sicut cum dicimus, unde nomen cœli sumptum est, non attingimus substantiam cœli, operationem tamen ejus maxime, argumentamur enim undique ipsum a nobis aspici.

Scholia.

(1) *Specie* afficere nomina est litteris ac syllabis ea inserere ; ex compositione enim et serie litterarum ac syllabarum exsistit species et forma nominis et vocabuli.

(*a*) Lib. I, *De fide orthodoxa.*

Digitized by Google

CAPUT V.

Quomodo Deus fiat a nobis multorum nominum.

Gregorius Nyssenus disputans contra Eunomium: Ego, inquit, quod ex Scriptura sancta didici, fideliter pronuntio, eum qui est supra omne nomen, fieri nobis multorum nominum, cum pro varietate beneficiorum varie nominatur; lumen enim dicitur, cum caliginem ignorantiæ depellit; vita, cum immortalitatem largitur; via, cum ab errore ad veritatem deducit: sic turris fortitudinis, et civitas munita, et fons, et petra, et vitis, et medicus, et resurrectio, et omnibus hujusmodi nominibus appellatur. Rursus idem: Deus quidem est secundum se id quod demum esse creditur: nominatur autem ab iis qui eum appellant, non idipsum quod est (non enim explicari potest natura ejus), quin potius ex iis quæ ad vitam nostram pertinentia operari creditur, homonymias habet, id est, nomina quæ æquivoca vocant. Et Basilius Magnus, Naturam, inquit, divinam quatenus est, nihil eorum quæ excogitantur, declarat. Ex his igitur liquet, fieri nobis Deum multorum nominum, quoniam multis beneficiis ejus ad custodiendam vitam indigemus, nosque sumus qui difficultatibus circumplicamur, et in eis Deum excogitatis et adinventis nominibus imploramus. Quare hoc etiam efficitur manifestum, quod licet Deus ex infinitis operationibus multis nominibus afficiatur, quam tamen naturam habeat, funditus intelligentia nostra non assequitur. Cum enim duplex sit quæstio, quod est Deus, et quid est; illud quidem, id est, esse, omnino inter omnes convenit: quid vero sit, et qua natura, non solum nobis, sed angelis etiam est ignotum.

CAPUT VI.

An sint ex æternitate nomina Dei.

Basilius in secundo libro *Contra Eunomium*: Non enim, inquit, natura rerum nomina sequitur, imo post res ipsas inventa sunt nomina: etenim si hoc esset verum, non esse nomina rebus posteriora, opus esset ut quorum sunt eædem nominationes, una et eadem substantia esset: ex quo fieret, ut quia qui sunt virtute perfecti, digni nomine Dei habentur, et dii appellantur, essent homines homonoii, id est, ejusdem substantiæ qua Deus; verum sicut dicere hoc manifesta insania est, sic illud dicere æque dementia est. Imo et Gregorius Nyssenus libro XIII, disputans contra Eunomium: *Miserator*, inquit, *et misericors Dominus, patiens, et multæ misericordiæ* [30], quid hæc aiunt significare? naturamne, an operationem? nemo sane aliud declarare dixerit, præterquam operationem. Quando igitur miseratus est Dominus, ut ex operatione miserationis nomen duceret? nunquid ante vitam humanam? ecquis tunc misericordia indigebat? At vero post peccatum prorsus misericordia opus fuit, peccatum autem post hominem exstitit; post hominem igitur actio miserendi, et misericordiæ nomen. Et iterum idem in secundo, Ut enim, inquit, non esset medicus nisi propter ægrotos, sic rursus neque misericors, neque miserator, nec aliis ejusmodi nominibus appellaretur, nisi propter eum qui misericordia et miseratione indiget: sic etiam nec omnipotens esset, nisi omnis creatura ut ab eo teneretur et custodiretur, opus haberet. Et iterum in primo libro: Alia, inquit, nomina significant utile ad aliquid, ut adjutor, protector, auxiliator, et cætera quæ ejusdem significationis reperiuntur: in quibus si eum qui auxilio indiget, tollas, vis quæ in ipso nomine cernitur, vacua fuerit. Unde manifestum efficitur, posteriora esse nomina ipsa æternitate Dei, et post hominem et mentem hominis inventa esse, accidereque aliquando, ut sit ipsa nominatio supervacua si forte ope indigentem tollas. Denique per omnia demonstratum est, quemadmodum mens sicut aliarum rerum nomina adinvenit, sic etiam nomina Dei, aggressa, et veluti materiam nacta, illa ipsa effecta et admirabilia, quæ in universo contemplatur, hæc enim insequens, et de Deo inquirens, nomina imposuit. Declarant hoc in primis qui hæc primum invenerunt, sive antiquissimum quemdam Theuthin, sive alium quempiam fuisse dicunt. Gentiles hactenus fuerunt, et in dogmatibus gentilium alti et educati, qui præterquam in divino et supra naturam mysterio nostræ humanitatis, alia Dei nomina invenerunt, et nominarunt, sicut nos hodie. Sed quia omne nomen et notio propter usum quidem a principio introducta sunt, ad aliquid vero referuntur, unde sumpta sint divina nomina, et quid ipsa per se significent, dictum est; ad quid autem rei subjectæ referantur, et quid istis nominibus sic significetur, ex his quæ sequuntur, patebit.

CAPUT VII.

Quod sicut divina nomina ex effectis sumpta differentiam operationum repræsentant, sic ad Deum relata diversas res repræsentare non possunt.

Basilius Magnus, in epistola ad Eustathium: Omnes, inquit, notiones et nomina quæ Deum decent, æqualis inter se honoris sunt, quatenus significatione rei subjectæ nihil differunt; non enim ad aliam rem subjectam mentem ducit appellatio boni, et ad aliam appellatio sapientis, et potentis, et justi: quin potius quæcunque nomina dixeris, unum est quod significatur, et si Deum dicas, eumdem ostendisti, quem per reliqua nomina mente concepisti. Ex his igitur manifestum fit, quod eadem divina nomina, et eædem notiones nostræ de Deo dicuntur, nullamque differentiam rei subjectæ ad Deum relata repræsentant, et quod nomina Dei triplicem habent causam, efficientem quidem mentem ipsam humanam; materiam, illa unde colliguntur, id est, effecta; finem, Deum, ad quem referuntur.

[30] Psal. CXLIV, 8.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Si non possunt divina nomina diversas res in Deo repræsentare, relinquitur ut solam substantiam ejus declarent, non quid est, sed quod est.

Magnus Athanasius docens (*a*) recte dictum esse a Patribus concilii Nicæni vocabulum *homousii :* Cum inquit, audimus : *Ego sum, qui sum*, et : *In principio creavit Deus cœlum et terram*, et : *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est*, et : *Hæc dicit Dominus omnipotens* [51], nihil aliud quam ipsam simplicem et beatam, et quæ comprehendi non potest, substantiam ejus qui est intelligimus. Tametsi enim, quid est, comprehendere non possumus, tamen cum audimus, Pater, et, Omnipotens, nihil aliud præterquam ipsam substantiam ejus qui est, intelligimus. Et rursus idem in *Apologetico pro synodo Nicæna :* Si Deus est, inquit, aliud simplex, ut quidem est, cum dicimus Deum, et nominamus Patrem, nihil tanquam circa eum, sed ipsam substantiam ejus intelligimus. Et Gregorius Theologus (*b*) : Ὁ ὤν, id est, qui est, et Deus, magis quodammodo sunt nomina substantiæ : et ex his magis ὁ ὤν. Et rursus idem : Nonne Spiritus, et Ignis, o amice, et Sapientia, et Justitia, et Mens, et Verbum, et aliæ ejusmodi nominationes naturæ sunt? Et iterum idem contra Evagrium : Sed nominatio, inquit, utilis est, quæ nos propter necessitatem ad notionem eorum quæ sub intelligentiam cadunt, ducit. Quidam vero dum crasse opinantur simul cum nominibus substantiam dividi, opinantur intelligentiis suis, quas concipiunt, quæ sunt penitus indigna divinis. Consentaneum vero nobis est, ut qui veritatis studiosi sumus, sclamus divinam et simplicem Dei substantiam esse impartibilem, et unius formæ. Item Gregorius Nyssenus : Si, inquit, nomen Dei (1) personam declarat, cum tres personas dicimus, tres deos necessario dicimus : at si nomen Dei substantiam significat, cum confitemur unam substantiam sanctæ Trinitatis, unum Deum consentanee putamus : siquidem nomen Dei, unius substantiæ nomen est. Ac magnus etiam Basilius : Si vero, inquit, substantiam Dei lumen esse statuimus, aut vitam, aut bonum totum, id est, cum sit vita, totum lumen est, et totum bonum, vita autem consequens habet ingenitum : quomodo non est expers compositionis, qui est secundum substantiam simplex? Idem etiam : Nomina magni Dei, naturam indicant. Et Damascenus Theologus : Divinitas, inquit, naturam declarat, Pater autem personam. Ex quibus patefit, quod cum theologi respiciunt unde nomina Dei nobis collecta sunt, ab iis scilicet, quæ in universo mira speculamur, et ab effectis ipsis, operationem et effectionem Dei aiunt repræsentare, et non quid est, et ipsam substantiam; post hominem enim inventa sunt nomina; imo mens humana ad usum suum hæc invenit; cum autem rursus volunt per hæc nomina efferre rem significatam, et ad aliquid referimur, Deum per hæc nomina invocantes, non dividitur res subjecta, ut dividuntur notiones (expers enim partis, et indivisa est substantia Dei); idcirco affirmant se nominibus istis hanc ipsam substantiam Dei significare, non quid est, sed quod est solum repræsentantes, sicut in aliis nominibus evenire consuevit. Cum enim forte quærimus, unde nomen ἀνθρώπου derivatum sit, et quid per se significet, affirmamus repræsentare vim τοῦ ἄνω ἀθρεῖν, id est, facultatem in sublime aspiciendi, sive ἀναθρεῖν ἃ ὄπωπεν, id est, facultatem recogitandi quæ aspexit, nomine ex quadam etymologia et actione circa rem ab humana mente excogitato. Cum autem sic rem aliquam nominatam significaverit, ad definitionem ejus, et quid est, revertimur. Aliud igitur est quid hoc nomen declaret, et aliud rursus ad quid pertineat res a nobis sic nominata : ac nomina quidem ex convento (2) inventa sunt affectionibus animæ ducibus; res vero foris quatenus unaquæque est exstiterunt. Consentanee igitur in omni nomine quærimus, quis primus invenit, et unde mens hominis illud accepit : et ad quam rem earum quæ extra sunt, per nomina adducimur.

[51] Exod. III; Gen. I; Deut. VI.

CAPUT IX.

Quod nomina divina ad rem ipsam, Dei scilicet substantiam relata, proprie ipsam significant, et non per abusionem : et quod per unumquodque horum nominum Trinitatem, quæ supra quam substantia est, declaramus.

Sanctus Cyrillus in *Thesauris* (*c*) ait : Oportebat tacere, et nihil ad istorum ita fatuam argumentationem respondere. Et paulo post : Quare si quis hominem nominavit, quia homo non est hoc omnino nomen, quod hominem significat, ut isti argumentantur, intelligat igitur aliud quid, et non hoc penitus, quod nomen significat : at si hoc in-

Scholia S. Thomæ.

(1) Hæc vox, *Deus*, sicut continet personas, sic etiam significat et declarat personas, et de illis prædicatur : sed quia non solum declarat personam, sed etiam unam naturam communem non cogitatione sola, sed re, idcirco qui dicit tres personas, non dicit dicit tres deos (sicut qui tres homines) sed unum : deitas vero etsi continet personas, et de illis prædicatur secundum rem, tamen quia secundum modum communem significandi, naturam sine proprietatibus hypostaticis significat, non prædicatur proprie de personis. Pater enim divinitate et paternitate tanquam forma et proprietate hypostatica Pater est; et similiter in reliquis.

(2) Hoc dicit, quia nomina ex constituto significant : et ea quæ sunt in voce, signa sunt affectionum quæ in anima sunt.

(*a*) In epist. de synodis Arimini et Seleuciæ.
(*b*) In secunda oratione de Theologia.
(*c*) Lib. VII. cap. 2.

Digitized by Google

saniæ plenum est, non sunt repudiandæ propriæ nominationes ; nec aliud quid, præterquam quod per ipsa nomina significatur, intelligendum est : sic enim evanesceret hæreticorum amentia. Demonstret vero nobis qui magna argumentandi facultate præditus est, non esse verbum proprium nomen Filii Dei, et contradicat Scripturis et beato Joanni, qui novit appellationem maxime decentem, et propriam Filii Dei novit esse, cum vocatur Verbum : *In principio* enim, inquit, *erat Verbum* [32]. Imo et Gregorius Nyssenus : Omne, inquit, quod non proprie est, verbo solum, et per abusionem consuetudinis dicitur esse. Et rursus idem : Quomodo, inquit, vere esse aliquid dicitur, quod non probatur etiam proprie esse ? Necesse est enim in quibus non est certum proprium esse, cum nominibus oppositis collocari ; quod enim non est proprium, improprium penitus est. Quare cum quid argumentamur non esse proprie, funditus per se non esse demonstramus. Et beatus Dionysius in secundo cap. *De divinis nominibus* : Et hoc igitur, inquit, in alio etiam loco a nobis expensum demonstratum est, omnia nomina (1) divina Deum decentia non singulariter, sed in tota et perfecta et integra et plena

[32] Joan. I, 1.

Scholia.

(1) *Omnia nomina divina*. Ex hoc etiam loco apparet, non ita esse, ut quidam putaverunt, divina nomina, secundum Dionysium, secundum causam tantum de Deo dici ; ut bonus, quod sit auctor bonitatis ; sapiens, quod sapientiæ ; et similiter in aliis : si enim sic dicerentur de Deo, clauderent in suo intellectu, ut ait sanctus Thomas, bonitatem creaturæ ; ac proinde de creatura in primis dicerentur ; quasi Deus diceretur bonus et sapiens ad similitudinem boni, cui dat bonitatem, et sapientis, cui sapientiam ; at non sic Dionysius sensit, ut nomina divina secundum causam tantum de Deo dicerentur ; sed sic, ut Deo primum attribuerentur, ut eum decent ; id est, imparticipate et essentialiter ; cum enim dicit Scriptura : Nemo bonus, nisi solus Deus (*Marc.* x, 18), perinde est, ut si dicat : Nemo per se bonus, id est, nemo supra bonitatem participatam, nisi solus Deus ; sic enim intellexit et interpretatus est idem Dionysius cap. secundo, *De divinis nominibus* in principio, ut jam bonus et sapiens dicatur Deus, quia bonitas in eo antecellat et exsuperet omnem bonitatem creatam et participatam. Rursus ait idem Dionysius ibidem, nomina divina Deum decentia attribui Divinitati trium personarum ἀμερῶς, hoc est, non participate ; igitur plene, de plenitudine enim participantur, quæcunque ex Deo participantur, ac proinde absolute, perfecte, et omnimodis, sicut ipsa divinitas est in qualibet persona, ex tribus tota, perfecta, integra et plena. Hujusmodi divina nomina, quæ secundum plenitudinem, et non secundum participationem Deo redduntur, vocat Dionysius Θεοπρεπῆ, id est, nomina Deum decentia. Si igitur secundum causam tantum dicantur, non erunt nomina Deum decentia, quia sic dicta in se includunt, ut dixi, solum participationes creatas, ut bonus bonitatem participatam, cujus auctor bonus Deus ; sapiens sapientiam, cujus auctor sapiens Deus ; et ad eumdem modum alia. Quare Dionysio contradicit et repugnat, qui dicit, nomina divina secundum Dionysium secundum causam tantum dici de Deo ; sic enim dicta, non sunt Deum decentia, ac proinde sic accepta, non sunt divina nomina. Dionysio autem auctore nomina divina Deum decentia absolute, perfecte, integre et plene, id est, exsuperanter et eminenter Deo conveniunt. Ex his igitur patet, utrumque verum esse : operationem divina nomina proprie repræsentare, non divinam naturam, quando materiam eorum consideramus, et unde nobis hæc comparata et collecta sunt ; ac rursus etiam substantiam Dei proprie significare, quando ad ipsam rem subjectam ex ipso nomine deducimur. Utrumque horum in nominibus quæ de Deo dicuntur, novit etiam sanctus Thomas, p. I, q 13 art. 6, his verbis : Dicendum est, quod quantum ad rem significatam per nomen, per prius dicuntur de Deo, quam de creaturis ; quia a Deo hujusmodi perfectiones in creaturas manant ; sed quantum ad impositionem nominis per prius a nobis imponuntur creaturis, quas prius cognoscimus ; unde et modum significandi habent, qui competit creaturis. Quod sanctus Thomas dixit : Quantum ad impositionem nominis, per prius a nobis imponuntur creaturis, dixit hic auctor Cyparissiotus, proprie operationem nomina divina significare, quando materiam eorum consideramus, unde collecta sunt : materiam enim eorum unde collecta sunt, consideramus, quando consideramus creaturas, quæ perfectiones Dei participatas, et a Deo effectas habent, quibus perfectionibus participatis proprie significandis hæc nomina a nobis imposita sunt ; verum tamen sic prius, et proprie hæc nomina operationem, id est, perfectiones a Deo creatas significare, cum ipsa creaturis imponimus, et non proprie et absolute sic de Deo dici, sed secundum causam, hoc non prohibet quin alia ratione proprie etiam et absolute de eo dicantur, et non operationem sive causam significent, sed potius ipsam substantiam Dei. Huc pertinet locus Gregorii Nysseni citatus, et locus Cyrilli ; qui ut melius intelligatur, repetendus est integre ; sic enim ait Cyrillus : Estisne, inquiunt hæretici, sic indocti, ut imposita vocabula rebus non alia esse contendatis, quam res ipsæ sint ? Ecce cœlum opus Dei præcipuum est, et nomen ejus longe aliud ; nec enim res præcipua est, præterea cœlum ipsum res visibilis est, vocabulum vero suum non visui, sed auditui subjicitur ; Filius ergo Dei Verbum dicitur, neque tamen ita Verbum est, ut multi intelligunt, sed aliud quid naturaliter quam verbum. Respondet Cyrillus : Tacere oportebat, et nihil ad hujusmodi rationes respondere, et tamen ne simpliciores ab istis seducantur tacere non possumus. Dicimus igitur, vocabula rebus imposita ipsas rerum essentias significare, etiam si alia sint præter ipsas : homo enim, verbi gratia (vox ista dico) aliud est quam ipse homo, et tamen rem ipsam subjectam verbo significat ; nam si non significaret ipsum hominem, hoc nomine audito, non intelligeretur homo, sed aliud quidpiam, quod stultissimum est ; non ergo aliud intelligere debemus, quam quod per vocabulum significatur ; et ita insania hæreticorum evanescit. Aut demonstret nobis Enomius non esse proprium vocabulum Filii Dei Verbum. Et paulo post, cap. 3 : Ad hæc, Verbum in Scriptura Filius appellatur, et prolationem vocis acutus homo Enomius intelligit, ignorans ex nostra consuetudine vocabulum esse sumptum ; loquitur enim Pater ineffabiliter ad Filium ; habet enim Filius naturaliter perfectam voluntatis paternæ cognitionem, nec exspectat verbum, cum

Digitized by Google

divinitate a sanctis Scripturis laudari, et ipsa omnia imparticipate, absolute, sine observatione ullius differentiæ, universe, ad omnem universitatem ex toto perfectæ, et totius divinitatis referri : siquidem, ut in divinis divinarum personarum informationibus meminimus, nisi quis de tota divinitate dicat dictum esse hoc nomen, audet ille quidem divinitatem, quæ supra quam una et simplex est, distrahere et vituperare. Ex his igitur patet, utrumque verum esse, operationem divina nomina proprie repræsentare, et non naturam divinam, quando materiam eorum consideramus, et unde nobis hæc comparata et collecta sunt : ac rursus etiam substantiam Dei proprie significare, quod est, non autem quid est, quando ex unoquoque nomine ad ipsam rem subjectam deducimur ; et per ea nomina Trinitatem beatam, et supra substantiam invocamus.

CAPUT X.

Quod idem ipse unus Deus quatenus quid est secundum naturam, nomine apud nos penitus caret : rursus vero multorum nominum idem et unus efficitur, quia solum ex iis quæ produxit, cognosci potest.

Magnus Dionysius, capite primo *De divinis nominibus* : Hoc igitur cum scirent theologi, Deum laudant et tanquam nomine carentem, et ab omni nomine, tanquam nomine carentem, ut cum aiunt, Deum ipsum in una ex mysticis visionibus symbolicæ apparitionis Dei increpasse eum qui dixerat : *Quod est nomen tuum ?* et tanquam ab omni divino nomine abducentem dixisse : *Quare interrogas de meo nomine ?* et hoc est admirabile [23]. Annon est hoc vere nomen admirabile, nomen dico, quod est supra omne nomen, quod caret nomine, quod est collocatum super omne nomen, quod nominatur sive in hoc sæculo, sive in futuro [24] ? Multorum vero nominum faciunt, ut cum ipsum Deum introducunt dicentem : *Ego sum qui sum* [25] : vita, lux, Deus, veritas (1) : et cum sapientes ipsum Deum omnium effectorem ab omnibus effectis laudant ; ut bonum, ut pulchrum, ut sapientem, ut dilectum, ut Deum deorum, ut Dominum dominorum, ut Sanctum sanctorum, ut æternum, ut eum qui est, et ut auctorem sæculorum, ut largitorem vitæ, ut sapientiam, ut mentem, ut Verbum, ut cognitorem, ut superlate habentem omnes thesauros omnis scientiæ ; ut potentiam, ut potentem ; ut Regem regum, ut antiquum dierum, ut non senescentem,

[23] Gen. XXXII, 29 ; Judic. XIII, 18. [24] Philipp. II, 9, 10. [25] Exod. III, 14.

Scholia.

ipse sit Verbum Dei. Quando igitur aliquid de Deo humano more dicitur, qui audit, non humano more, sed spiritualiter divina intelligat. Sed non sufficit (inquit Eunomius) vocabulum *Verbi* ad significandum verum Filium ; non enim manifestari potest per illud, ipsum esse Filii ; multa enim alia vocabulo *verbi* nominantur, quæ non subsistunt, ut voces scilicet. Hac ipsa ratione (ait Cyrillus) Dei etiam vocabulum non sufficiat ad significandum ipsum Deum ; multi enim alii quamvis dii non sint, sic tamen appellantur, sicut scriptum est : Ego dixi, Dii estis (*Psal.* LXXXI, 6). Illud etiam poterit quispiam dicere, quoniam bonus, sanctus, cæteraque hujusmodi de hominibus quoque per participationem veri boni, et veri sancti dicuntur, non proprie de Deo ista dici ; quod si multa nomina Deo et creaturis communia sunt, et tamen de ipso solo secundum naturam dicuntur, quid prohibebit Verbum etiam proprie Filium Dei appellari, et hoc vocabulo maxime ipsum esse Filii, prout homines percipere possunt, significari ? quamvis multa quoque alia verba sint abusive, et per imitationem veri Verbi appellata. Hactenus Cyrillus. Ex his ergo colligitur, cum hujusmodi nomina divina de creaturis quas prius cognoscimus, et prius nominamus, dicuntur, habere ea modum significandi qui competit creaturis, sicut ait S. Thomas, et secundum nostram cognoscendi consuetudinem proprie significare, ut ait hic auctor, operationem sive effectum participatum, ut *bonus* bonitatem creatam, *sapiens* sapientiam item creatam, et simili ter in reliquis nominibus significantibus hujusmodi perfectiones participatas ; et ut sic, non dicuntur proprie de Deo, quia Deus est supra ista, supra bonum, supra sapientem ; cum vero de Deo proprie dicuntur, essentiam ejus significare, et secundum naturam dici, et acta de creaturis quoad rem significatam non proprie, sed per abusum verbi, et per imitationem et similitudinem quamdam dici ; at hæc ita quæ sunt communia Deo et creaturis nomina, quoad rem significatam vere et proprie, id est, essentialiter et per se, dicuntur de Deo ; de creatura vero non vere, neque proprie, quia non per se dicuntur ; quoad vero impositionem nominum, proprie significant id, ad quod imposita sunt, imposita enim sunt prius ad significandas perfectiones participatas, quas a Deo in creaturis effectas cognoscimus, ex quibus ad cognoscendas utcunque possumus perfectiones essentiales Dei deducimur, sicut scriptum est : Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur (*Rom.* I, 20).

(1) [S. Thom.] *Vita et veritas.* Joan. 14. *Lux.* Joan. 8. *Deus.* Exod. III. *Ut bonum.* Luc. XVIII. *Ut pulchrum.* Cant. I. *Ut sapientem.* Job, IX. *Ut dilectum.* Cant. V. *Ut Deum deorum.* Psal. XLIX. *Ut Dominum dominorum.* Apoc. XVII. *Ut sanctum sanctorum.* Dan. IX. *Ut æternum.* Baruch. IV. *Ut eum qui est.* Exod. III et Job. XIV. *Ut auctorem sæculorum.* Eccli. XXIV. *Ut vitæ largitorem.* Act. XVII. *Ut sapientiam.* I Cor. I. *Ut mentem.* Isa. XIV, et Rom. XI. Quis cognovit sensum Domini ? Græce est, νοῦν, id est, mentem. *Ut verbum.* Osee. I : Verbum Domini quod factum est ad Osee, et Joel. I : Verbum Domini quod factum est ad Joel ; et similiter in aliis prophetis, quod ut Cyrillus in commentariis in Osee cap. I. ait, nihil aliud significat quam cognitionem futurorum instar luminis illustrasse mentem ejus prophetæ, ad quem factum est verbum Domini, id est, sanctæ Trinitatis. Quod autem ejusmodi revelatio non lingua ac verbis more nostro fieret in prophetis, docet (inquit idem Cyrillus ibidem) Paulus cum ait (I *Cor.* XIII) : An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus ? *Ut cognitorem,* II Tim. II, et Dan. XIII. *Ut superlate, sive exsuperanter habentem omnes thesauros omnis scientiæ.* Coloss. II. *Ut potentiam.* I Cor. I, ubi interpres virtutem vocat. *Ut potentem.* Psal. XXVII. *Ut regem regum.* Apoc. XIX. *Ut antiquum dierum.* Dan. VII. *Ut non senescentem.* Ps. CI. *Ut immutabilem.* Jacob. I. *Ut salutem.* Matth. I. Ipse enim, inquit, salvum faciet populum suum a peccatis eorum, a salute enim dicitur Deus Salvator. *Ut ju-*

Digitized by Google

et immutabilem, ut salutem, ut justitiam, ut sanctificationem, ut redemptionem, ut magnitudine omnia superantem; et ut in aura tenui. Atqui et in mentibus eum esse dicunt, et in animis; et corporibus, et in cœlo, et in terra, et simul in eodem eumdem, in mundo, circa mundum, supra mundum, supra cœlum, supra substantiam, solem, stellam, ignem, aquam, spiritum, rorem, nubem, per se lapidem, petram, omnia quæ sunt, et nihil eorum quæ sunt. Sic igitur ei qui omnium rerum causa est, et supra omnia, congruit carere nomine; et congruunt rursus omnia rerum omnium nomina, ut sit perfecte regnum universitatis rerum, et circa ipsum sint omnia, ex ipso tanquam ex causa, principio, et fine cuncta pendeant, et ipse sit, ut ait Scriptura [36], omnia in omnibus. Ex his igitur manifestum fit, esse ipsum unum Deum tum nullius nominis, tum multorum; nullius quidem, quoad quid est, multorum vero, quatenus ex iis quæ fecit, probatur esse; non discrepat quod ex demonstratis sequitur: verum enim est quod humana mens nomina Dei adinvenit, utens vice materiæ rebus miris, quas in universo speculatur et contemplatur; et idcirco ad unam rem subjectam, ad ipsum scilicet Deum se ipsa deducens, ad informationem ejus rei quam quærit, revocatur. Ut igitur hæc summatim repetamus, et secundum expositionem materiarum retractemus, primum demonstratum est, quemadmodum mens hominis nomina Dei excogitavit: et ob hanc causam hæc de nominibus Dei tractatio νοητή vocatur, id est, ad intelligentiam pertinens; secundo, demonstratum est Deum ab effectis laudari: tertio, quæ sunt effecta, et quæ eorum materia: posteo quærebatur, quomodo Deus ab effectis nominatur, et non ab iis quæ sunt naturæ ejus: hac autem dubitatione soluta, quinto capite quæstio ac dubitatio erat, quare Deus multorum nominum efficitur nobis, et eum non paucis nominibus invocamus; deinde cognito rursus nostro usu multiplici et vario nominandi Deum, et concessa multitudine nominum, ad sextum caput deducimur, rursus dubitantes, an ex æternitate nomina Deo tribuantur; postquam vero audivimus post res ipsas inventa esse nomina, et post hominem imposita fuisse, ad contemplandum quæ sunt septimi capitis, occurrimus; quod scilicet sicut varietate nominum varietatem operationum repræsentamus: sic nominibus variis ad Deum relatis non possumus varietatem rerum subjectarum intelligere; ostenso autem multa dici de uno subjecto, necessario sequebatur octavum caput, non esse scilicet aliud subjectum in Deo, nisi divinam et beatam substantiam ejus, quam nono loco proprie nominari didicimus, non quid est, curiose inquirentes, sed quod est tantum; ad imponendum finem decadi sequebatur decimum caput, in quo conclusum est ex demonstratis, eumdem et unum Deum carere nobis nomine, et esse nobis multorum nominum: illud quidem, id est, carere prorsus nomine, quatenus quid est, hoc vero, quatenus solum est; sic enim infinitis nominibus ex iis quæ produxit, appellatur. Nihil itaque eorum quæ scire hic opus erat, theologi reliquerunt: recteque inscripta est decas, De informatione divini nominis; non enim proprietates divinorum nominum enumerantes, materiariam expositionem earum a theologis traditam ordinabamus; dicemus enim deinceps de eis breviter et contracte quoad fieri poterit. Quot autem modis divinum nomen tractatur, superius ostendimus, tripliciter eos partiti, informationem nominum, et unde sumpta sunt, et ad quid ista nomina nos adducant et perficiant; cætera alia accommodate ad ista quæ quærebamus, inciderunt.

[36] I Cor. XIII, 28.

Scholia.

stitiam, ut sanctificationem, ut redemptionem. I Cor. I. *Ut magnitudine omnia superantem.* Psal. XCIV. *Et ut in aura tenui.* III Reg. XIX. *Atqui et in mentibus eum esse dicunt.* Ephes. III. Mentes enim vocat ibi Paulus corda. *Et in animis.* Sap. VII. Et in animas, inquit, sanctas se transfert. *Et in corporibus.* I Cor. VI, et I Thessal. V: Ut integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela servetur; hoc autem fit habitante Deo in mente, et in anima, et corpore; mentem vocavit hic Paulus spiritum; et II Cor. VI: Et inhabitabo in illis, scilicet in mentibus, et animis, et corporibus. *Et in cœlo, et in terra.* Hier. XXIII. *Et simul in eodem eumdem.* Hoc exponit idem Dionysius cap. IX de magno, et parvo, et eodem, etc. *In mundo.* Joan. I. *Circa mundum.* Eccli XLIII. *Super mundum.* Isa. LXVI. *Supra cœlum et supra substantiam.* Ps. CXII. Super cœlos gloria ejus. *Solem.* Malach. IV. *Stellam.* Apoc. ultimo. *Ignem.* Deut. IV. *Aquam.* Joan. VII. *Spiritum.* Joan. IV. *Rorem.* Osee. XIV. *Nubem.* Osee. VI. *Per se lapidem* αὐτόλιθον. Ps. LXXX. Esse enim fundamentum propriæ virtutis, et per se, Christo convenit propter divinitatem, quæ una et eadem est in tribus personis, quæ fecit in ipso Christo, summo lapide angulari, utraque unum cui convenit esse αὐτόλιθον. *Petram.* I Cor. X. Est igitur B. Petrus (ut ubique hæreticis nostri temporis occurramus) petra Ecclesiæ, ut Evangelium testatur; non tamen est αὐτόλιθος, nec αὐτοπέτρα, id est, per se lapis, vel per se petra; neque si unquam in Scriptura vocatur, ut Christus Deus noster, qui sic est αὐτοθεμέλιος, id est, per se fundamentum, præter quod per se fundamentum aliud nemo potest ponere, sicut Apostolus ait; de hoc enim per se fundamentum loquitur.

Digitized by Google

CAPUT I.

Quæ sint in singulis proprietatibus divinorum nominum observanda.

Magnus Dionysius cap. quinto, *De divinis nominibus* : Tantum, inquit, commentabimur, quantum propositi ratio postulat ; non enim propositum est substantia quæ est supra quam substantia, eatenus aperire et declarare, quatenus est supra quam substantia (hoc enim dici non potest, et ignotum est, et penitus expromi non potest, et ipsam copulationem (1) mentis superat), sed potius propositum est laudare substantiæ deificæ, et quæ omnis substantiæ principium est, in universa quæ sunt emanationem substantiarum effectricem : siquidem nomen boni de Deo declarat omnes emanationes auctoris omnium, et porrigitur (2) hæc nominatio Dei a bono tum ad ea quæ sunt, tum ad ea quæ non sunt ; estque supra ea quæ sunt, et supra ea quæ non sunt, nomen vero vitæ de Deo ad omnia viventia tenditur, et supra viventia est, nominatio Dei a sapientia porrigitur ad omnia quæ intelligunt (3), quæ ratiocinantur (4), quæ sentiunt (5) ; et supra omnia ista est. Has igitur Dei nominationes, quæ providentias Dei aperiunt, propositum est celebrare ; non enim tractatio nostra promittit enodare et aperire bonitatem Dei, quæ supra substantiam est, neque substantiam et sapientiam divinitatis, quæ est supra quam substantia, et quæ est supra quam locata supra omnem bonitatem et divinitatem et substantiam et vitam et sapientiam, quæ est, sicut ait Scriptura, in abscondito [a] ; quin potius providentiam patefactam, bonorum effectricem, bonitatem excellentissimam, et bonorum omnium causam laudibus celebrat ; et exsistentem et vitam et sapientiam substantiæ et vitæ effectricem, et causam quæ sapientiam tribuit iis quæ substantiam et vitam et mentem et rationem et sensus participant, non dicit hæc nostra tractatio aliud esse bonum (6), et aliud exsistens, aliudque vitam, vel sapientiam neque multas causas, et alias aliorum effectrices divinitates, superiores et inferiores ; sed unius Dei universas bonas emanationes, et nominationes Dei a nobis laudatas, atque unam quidem esse quæ totam providentiam unius Dei declarat ; alias vero magis et minus generales providentias patefaciunt. Ex quibus fit manifestum, efferre, id est, expromere, et subtiliter enarrare, quatenus naturam et sedem ac fundamentum habet substantia quæ est supra quam substantia, omnino dici non potest, nec intelligi, superatque silentium illud, quod nobis per plenam ex omni parte ignorantiam et reticentiam advenit. Non est igitur nunc nobis sermo de ea, nec propositum est nobis explicare, bonitas supra substantiam, quomodo secundum se sit substantia, vel vita, vel sapientia, et alia omnia, quæ Deus noster secundum se esse creditur, quin potius nominationem Dei, quæ illa quæ sunt circa ipsum, declarat, dico esse ordinem rerum, et providentiam, et aptam universi dispositionem. Hoc igitur est nobis in hac tractatione propositum, laudare Deum ab emanatione ejus ad omnia omnium rerum effectrice et deifica ; externæ enim providentiæ Dei erga nos, et emanationes in iis quæ produxit, efficiuntur, et emanatio, sive providentia effectrix substantiæ, dicitur ipsa effectio substantiæ effectrix bonitatis, ipsa bonorum effectio. Θεαρχικὴ καὶ Θεαρχία principium deificationis, sicut mors θεαρχικὴ laudatur, id est,

[a] Job xxviii, 11, 13.

Scholia.

(1) *Et ipsam copulationem*, id est, excedit ipsam copulationem intellectus beatorum, qui essentiam Dei vident per copulationem sui intellectus cum ipsa Dei essentia ; quamvis enim videant ipsum Deum, non tamen est tanta perfectio visionis, quanta est perfectio ipsius esse divini, et quanta est perfectio visionis, qua Deus se videt, ex S. Thomas.

(2) *Porrigitur hæc nominatio Dei a bono, tum ad ea quæ sunt, tum ad ea quæ non sunt, et est supra ea.* Vocare solet Dionysius, ut sanctus Maximus notavit, ea quæ sunt expertia materiæ ; quæ vero materiam habent, vocat quæ non sunt, propter interitum. Porrigitur etiam nomen boni ad ea quæ non sunt, quia Deus vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt ; participatio enim boni est posse esse, ut ait sanctus Thomas : aut porrigitur ad ea quæ non sunt, quia non esse bonum est, cum contemplamur illud in Deo, qui est supra omne quod est, ut bonum est non esse sapientem, sanctum, et alia hujusmodi, qualia in creaturis cognoscimus, quod Deo conveniat, a quo hæc removentur, ut ait sanctus Thomas non propter defectum, sed propter excessum, aut esse supra ea quæ sunt, et quæ non sunt, significat esse loco incircumscriptum, id est, esse ubique, ex sancto Maximo.

(3) *Quæ intelligunt.* Nomine intelligentium comprehendit angelos et animas, et licet animas solet Dionysius vocare νοερὰς, id est, intelligentes, cum eas distinguit ab angelis, quos vocare solet νοητὰ, id est, intellectilia, quia habent angeli infra se a quibus intelligantur, nempe animas ; animæ vero non habent : nunc tamen, ut dixi, communi nomine intelligentes vocat tum angelos tum animas, quia tum angeli tum animæ intelligunt Deum, et intelligendo Deum ad eum se convertunt.

(4) *Quæ ratiocinantur*, Homines intelligit ; anima enim dum in corpore est, ratiocinari potest per conversionem ad phantasmata, non autem separata.

(5) *Quæ sentiunt.* Animalia, quæ non participant rationem, quæ sapientiam Dei in in suis a natura insitis conatibus participant, ut beatus Basilius in Hexaemero docet, non dicit aliud.

(6) *Esse bonum.* Hoc dicit non otiose, sed ut reprehendat eos philosophos, et Simonem Magum, qui ponebant deos κοσμοποιοὺς, id est opifices partium mundi, majores et valentiores majorum creaturarum ; et infirmiores infirmiorum, secundum gradus suos descendentes in opificio suo usque ad materiam, ex S. Maximo.

Digitized by Google

quæ facta est principium deificationi : et corpus ζωαρχικὸν et θεοδόχον, id est, quod dedit principium vitæ, et Deum recepit (*a*). A Providentia igitur bonorum effectrice in creaturis ostensa oportet laudare bonitatem superlatam, et omnium bonorum causam, ipsum inquam Deum ; demonstratum enim est, quam naturam habeat Deus, non solum nos, sed nec angelos posse attingere : quatenus vero omnia ex nihilo fecit, a nobis laudandus est. Quare in singulis divinorum nominum proprietatibus oportet attendere ortus rerum universi, et emanationes circa eas, et inde Dei laudes ducere et celebrare, et exquirere quam proprietatem unaquæque nominatio Dei sortita sit, quæ autem sit bonitas Dei, aut substantia, aut vita, vel sapientia, vel alia secundum naturam ejus, funditus cavendum est ut inquiramus : quærere enim ut exprimamus substantiam Dei, perinde est ut si velimus exprimere ejus vitam, vel sapientiam, vel potentiam, vel bonitatem. Restat igitur, ut laudetur Deus a vita, quam produxit, et a sapientia similiter, non autem a vita, aut a sapientia, quæ est ipse Deus. Adhuc ex his liquet, quandoquidem postea audituri sumus principia, et participationes, et per se participationes, et sigillatim, per se vitam, per se sapientiam, per se essentiam, quem admodum Dionysius admonens et præmuniens, Oportet, inquit, observare in hujus modi nominationibus non esse existimandum aliud esse bonum, et aliud exsistens, et aliud vitam, vel sapientiam, neque multas esse causas, neque alias divinitates alias producentes, superiores, et inferiores, sed unius Dei totas emanationes bonas secundum nomina Dei a nobis laudata, atque unum quidem, quod universam providentiam unius Dei declarat, nempe nomen boni, alia autem nomina emanationes magis aut minus generales, sicut ipsa progressio tractandi declarabit. Hoc præterea observandum est, cum audiemus bonitatem supra omnem bonitatem, et divinitatem supra divinitatem, ne A existimemus fieri superlationem in sui ipsius bonitatem et divinitatem ; alienissimum enim a ratione est, arbitrari esse Deum se ipso superiorem, quin potius, ut sanctus Maximus Dionysii verba exposuit, Nota, inquiens, recte hic dici bonitatem supra omnem bonitatem et divinitatem : inferiores igitur divinitates intellige angelorum, et hominum justorum ; et in universum observare debemus, ut rursus Dionysius dixit, alienum a ratione et absurdum esse existimare non attendere vim propositi, sed voces tantum ; hoc enim non esse proprium eorum qui divina volunt intelligere, sed qui solos sonitus percipiunt, et hos quidem extra aures continent, nec in eas penetrare sinunt.

B

CAPUT II.

De bonitate et pulchro ; et ubi copulantur, et in quibus discernuntur, et quæ eorum proprietas.

Dionysius, capite quarto, *De divinis nominibus*, Age, inquit, ad ipsum nomen boni progrediamur quod exempte ab omnibus, divinitati supra divinitatem attribuunt theologi, vocantes, ut arbitror, bonitatem ipsam essentiam divinam (1), divinitatis scilicet creatæ originem : et quia sic essentia sua bonus est Deus, ut tanquam substantiale bonum bonitatem in omnia porrigat. Quem locum adnotans Maximus, Substantiale, inquit, bonum vocat ipsum Deum ; et paulo post : Deus, inquit, bonum habet non ex accidenti tanquam qualitatem quamdam, sicut nos habemus virtutes ; quin C imo substantia boni ipse Deus est, sicut lumen est substantia solis (2). Idem Dionysius quarto cap. *De divinis nominibus* : Hoc, inquit, bonum laudatur a sacris theologis ut pulchrum, et ut pulchritudo, et ut dilectio, et ut dilectum, et quæcunque alia sunt divina nomina, quibus ipse speciosus decor, et effector pulchritudinis decenter nominatur. Pulchrum autem, et pulchritudo non sunt distinguenda in causa quæ universa in uno complexa est ; hæc enim in omnibus rebus in participationes et in participantia dividentes, pulchrum et conjunctum, quod vocatur accidens, neque tanquam sit animal, velut præditus anima, voluntate benefaciendi intus lumen accipit, et in omnia dispertit (potius enim contra, neque animatus est, neque voluntatem benefaciendi habet ; caret enim ratione, nec aliunde lumen accipit ; est enim hoc ipsum lumen, et illuminat), sic in Deo intelligere oportet, quod Deus scilicet non habet bonum conjunctum tanquam qualitatem quamdam, sicut nos habemus virtutes, quin potius substantia ipsius boni ipse Deus est, sicut lumen substantia solis ; et tanquam qui est idipsum bonum, fulgorem bonitatis in omnia porrigit. Hactenus S. Maximus, qui cum ait lumen, quod alioqui qualitas est, substantiam solis esse, more philosophorum loquitur, qui proprietatem naturæ alicujus ad eam categoriam referunt, ad quam natura illa pertinet : ut idem sanctus Maximus in *Divinis nominibus* notavit.

D

Scholia.

(1) *Essentiam divinam.* Divinitatis originem dicit, in creaturis scilicet, quia Deus est auctor divinitatis in cunctis hominibus et angelis, qui Deum imitantur, et ei similes fiunt, de quibus scriptum est : Ego dixi, Vos dii estis (*Psal.* LXXXI, 6), unde divinitatem deificam, et Deum deificum frequenter vertimus, quod Dionysius θεαρχίαν et ὑπαρξιν θεαρχικὴν dicit, *sicut lumen substantia.*

(2) *Solis.* Non significat lumen esse formam substantialem solis (non enim substantia, sed qualitas est lumen), sed quia natura solis, qui est corpus luminosum, non consistit sine lumine, dicit substantiam ejus esse, id est, consequi naturaliter formam substantialem solis, sicut calor est substantialis igni, id est naturaliter consequens formam substantialem ignis. Hunc igitur locum interpretans sanctus Maximus : Nemo, inquit, suspicetur, judicare Dionysium de Deo omnino ad exemplum solis ; quin potius sic intelligendum est, sicut sol, cum non sit aliud præterquam lumen, non habet lumen adventitium et conjunctum, quod vocatur accidens, neque tanquam sit animal, velut præditus anima, voluntate benefaciendi intus lumen accipit, et in omnia dispertit (potius enim contra, neque animatus est, neque voluntatem benefaciendi habet ; caret enim ratione, nec aliunde lumen accipit ; est enim hoc ipsum lumen, et illuminat), sic in Deo intelligere oportet, quod Deus scilicet non habet bonum conjunctum tanquam qualitatem quamdam, sicut nos habemus virtutes, quin potius substantia ipsius boni ipse Deus est, sicut lumen substantia solis ; et tanquam qui est idipsum bonum, fulgorem bonitatis in omnia porrigit. Hactenus S. Maximus, qui cum ait lumen, quod alioqui qualitas est, substantiam solis esse, more philosophorum loquitur, qui proprietatem naturæ alicujus ad eam categoriam referunt, ad quam natura illa pertinet : ut idem sanctus Maximus in *Divinis nominibus* notavit.

(*a*) Sumptum est ex Dionysio c. 3 *de divinis nominibus.*

Digitized by Google

quidem dicimus, quod pulchritudinis particeps est ; pulchritudinem vero participationem causæ omnia pulchra efficientis. Quo in loco ait sanctus Maximus: Pulcher dicitur Deus in Cantico canticorum [37], et David : *Speciosus forma præ filiis hominum* [38]. Dicitur autem pulchrum et pulchritudo, quia distinguitur in rebus in participantia et participata, in Deo autem non sic : καλὸς namque, id est, pulcher dicitur, et quia tribuit omnibus pulchritudinem, et quia omnia ad se καλεῖ, id est, vocat ; rursus καλὸν ὡς ἀεὶ ὄν, id est, pulchrum tamquam semper exsistens, secundum Græci nominis etymologiam, utpote nunquam decrescens, nec augescens. Ibidem etiam Dionysius : Quamobrem idem est pulchrum atque bonum, quoniam omnia secundum omnem causam pulchrum et bonum appetunt (5) : et nihil est in rerum natura, quin pulchrum et bonum participet : audebo etiam hoc dicere, quod non est, pulchrum et bonum participare, tunc enim est ipsum, pulchrum et bonum, quando in Deo laudatur supra substantiam auferendo omnia (4). Quod autem idem est pulchrum atque bonum in Deo, qui est supra substantiam ; et quod hæc quæ substantiam Dei, quæ est origo deificationis, declarant, ad ipsum per divina nomina pulchri et boni pertinent : et quod ad ea quæ in Deo sunt, non distinguuntur in participationes et participata, liquet ex consensu theologorum. In quibus autem distinguitur bonitas, et per ipsam pulchrum, et quod in creatura distinguuntur, et quæ ipsorum nominum proprietas, ex his manifestum sit. Synodus contra Manichæos ab episcopo Caron habita, quæ in *Panariis* fertur, ait : Bonum in Deo substantia est, in creaturis autem accidens. Et idem ibidem : Bonitas enim, quæ in universo cernitur, intensionem et remissionem ut accidens recipit. Et Dionysius capite decimo tertio *De divinis nominibus*, Nec ipsum, inquit, nomen bonitatis divinitati tanquam aptum accommodamus, sed desiderio aliquid intelligendi et dicendi de natura illa arcana et ineffabili, quod est omnium nominum maxime venerabile, ipsi primum consecramus. Ubi sanctus Maximus : Ob hanc causam, inquit, nomen boni aut pulchri non proprie accommodatur Deo, quia hæc in rebus reperiuntur : sic etiam superius dictum reperies, quia hæc passiones et accidentia in rebus censentur, quod in Deo non ita est, qui omnia antecellit. Rursus idem : Desiderio intelligendi et dicendi aliquid de Deo nomen boni Theologi Deo attribuerunt, proprie enim Deus est supra quam bonus, et supraquam substantia, bonitas autem nomen est venerationis. Item idem incumbens in ea quæ sunt in quarto capite de eisdem divinis nominibus : Bonum, inquit, et pulchrum, quod in omnibus inest, non est illud primum pulchrum et bonum omnium, cujus participatione omnia sunt pulchra et bona, quod enim est in rebus pulchrum et bonum, non est substantia, neque genus substantiæ, sed accidens, quod habet similitudinem aliquantulum cunjunctam. Ex quibus patefit, quemadmodum bonitas et ipsum pulchrum in Deo copulantur ; et idem est bonum atque pulchrum, extra Deum vero, et in creaturis ejus discreta sunt, passionesque, et accidentia numerantur. Etiam proprietatem horum intelligemus, si quæ dicit summus theologus Dionysius advertimus : Boni enim, inquit, nomen, quod universas emanationes auctoris omnium declarat, in ea quæ sunt, et quæ non sunt, tenditur et porrigitur ; et supra omnia quæ sunt, et quæ non sunt est : si autem bonum idipsum cum pulchro est, communem omnino cum eo proprietatem habebit ; eritque proprietas pulchri tendi in ea quæ sunt, et quæ non sunt, propter pulchrum enim et bonum cuncta producta sunt, imo propter hæc ipsa, pulchrum dico et bonum, item ea quæ non sunt, non sunt producta, quoniam unus sol propter bonum et pulchrum factus est, et alter sol qui non est, propter bonum item et pulchrum non est factus : itaque duo non sunt facti propter eamdem bonitatem et pulchritudinem. Si enim unum solem in ardore ferre non possumus, si duo essent, quis non combustus remaneret ? Propter bonitatem igitur et pulchritudinem etiam quod non est, non est factum. Simul demonstratum est, omnia nomina in Deo non dividi in participationes et participata : extra Deum autem, cum agitur de emanationibus, tunc et participationes, et passiones, et accidentia reputantur : sicut motus in mobilibus, et operationes in effectis ; nec quæ talia sunt, substantiæ dicuntur, quia ut antea demonstratum est, tunc sunt, cum fiunt.

[37] Cant. I, 15, [38] Psal. XLIV, 3.

Scholia.

(5) *Omnia secundum omnem causam pulchrum et bonum appetunt.* Quia Deus est causa omnium effectrix, qui cum omnibus bonitatem et pulchritudinem suam communicat, et quia finis omnium, omnia enim facta sunt, ut divinam bonitatem et pulchritudinem, ut quidque potest, imitentur. Est præterea causa exemplaris Deus, quia omnia priusquam fierent, et inter se distinguerentur, in ipso erant, et secundum rationes et exemplaria omnium quæ in se habebat, omnia facta et discreta sunt.

(4) *Quando in Deo laudatur supra substantiam auferendo omnia.* Exponit quando quod non est, participat pulchrum et bonum, quando scilicet aliquis dicit : Hoc non est Deus, nec illud, sed est supra hæc ; hoc igitur non esse, ablatio inquam omnium, sive negatio participat pulchrum et bonum, quatenus Deus dicitur non esse. Potest etiam dici hic non esse materia ut dici solet a Dionysio, quatenus expers est pulchræ formæ, potest item dici non esse malum, ut etiam alias dicitur, et hoc etiam participat bonum, quia fit propter aliquid, quod pulchrum et bonum videtur. Ex S. Maximo, et ex Pachymero.

Digitized by Google

CAPUT III.

De amore, et dilectione, et quæ eorum proprietas.

Magnus Dionysius capite quarto *De divinis nominibus* : Audiant, inquit, illa, qui nomen amoris criminantur : *Ama illam et custodiet te : sepi illam, et extollet te : honora eam, ut complectatur te* [39]; et quæcunque alia in amatoriis de Deo sermonibus celebrantur. Atqui visum est quibusdam nostris sacrarum Scripturarum tractatoribus, nomen amoris divinius esse quam nomen dilectionis. Scribit enim divinus Ignatius : Meus amor crucifixus est. Et in iis quæ aditum ad Scripturas præparant (1), invenies quemdam de divina sapientia aientem : *Amator pulchritudinis ejus factus sum* [40]. Quare ne propter hoc nomen amoris metuamus ; nec ullus de hoc nomine sermo nos moveat, aut terreat, mihi enim videntur theologi existimasse quidem commune nomen esse amoris et dilectionis, sed attribuisse divinis Scripturis verum amorem propter hujusmodi hominum turpem mentis anticipationem. Cum enim verus amor non a nobis solum, sed ab ipsis sanctis Scripturis, ut Deum decet, laudetur, vulgus hominum, cum non percepisset illud unum, quod divinum nomen amoris A significat, convenienter sibi ad amorem partibilem et corporeum atque distractum delapsum est, qui non est verus amor, sed imago, vel potius lapsus a vero amore; multitudo enim non potest cogitatione capere illud singulare divini et unius amoris : quamobrem tanquam nomen, quod vulgo videtur durius, ponitur in divina sapientia, ut vulgus ad cognitionem veri amoris elevetur et erigatur : et in nobis rursus, ubi sæpenumero aliquid absurdum homines terræ affixi cogitare possent, ponitur nomen quod honestius videtur : Cecidit, ait quidam, dilectio tua in me, sicut dilectio mulierum (2), quoniam sacri theologi nomen dilectionis et amoris adhibent secundum divinas elocutiones, ut eamdem vim habeant apud eos qui divina recte audiunt. Est præterea B divinus amor exstaticus, qui non sinit esse suos eos qui sunt amatores, sed eorum quos amant. Unde divinus Paulus divino isto amore captus, et vis exstaticæ particeps factus, divino ore ait : *Vivo ego, non jam ego, sed vivit in me Christus* ; tanquam verus amator, et qui excessit e se Deo [41] (3), et non jam vitam suam, sed amati tanquam vehementer caram vivens. Quid vero denique significare volunt theologi qui nunc quidem amorem et dilectionem ipsum vocant (4),

[39] Prov. IV, 6. [40] Sap. VIII, 2. [41] Galat. II, 20.

Scholia.

(1) *Et in iis quæ aditum ad Scripturas præparant.* Divinam Scripturam Salomonis, ut ait sanctus Maximus, intelligit; unde scriptum est illud : Factus sum amator pulchritudinis illius, Sap. VIII. Ex quo patet falsum esse quod quidam scripserunt, Philonem esse auctorem libri Sapientiæ, qui tunc, cum Dionysius hæc scripsit, nondum haberetur inter canonicas Scripturas, cum plane hoc loco Dionysius in Scripturis divinis numerare videatur, quas προεισαγωγὰς, id est, ut verbum de verbo exprimamus, antegredientes introductiones Scripturarum vocat; et rursus paulo post Scripturas sacras Græce, τὰ λόγια vocat, in quibus nomen amoris reperitur; reperitur autem etiam in Sapientia, unde idem Dionysius auctoritatem produxerat, Sap. VIII. Explicandum vero est, quare libros Salomonis vocavit Dionysius προεισαγωγὰς, quod quidem ex ipso intelligere licet, cum libros Scripturæ sanctæ Veteris et Novi testamenti ex significatione ac notatione argumentorum cujusque libri designat in *Ecclesiastica Hierarc.* cap. *De communione*, sic enim ait : Aut exponit Scriptura præcepta de actionibus vitæ; libros morales Salomonis Proverbiorum, Ecclesiastes, et Sapientiæ D et librum Sapientiæ Sirach, qui Ecclesiasticus vocatur, intellexit, his adjunxit : Aut cantica divinorum amorum, et divinas imagines ; Cantica canticorum intellexit, quæ sunt per symbola et imagines scripta ab eodem Salomone. Quia igitur disciplina sancta bene et ex virtute vivendi, quæ in Proverbiis, Ecclesiaste, Sapientia Salomonis, et in Ecclesiastico traditur, necessaria est ad intelligendas Scripturas sanctas, quæ sine fide non intelliguntur, et fides neglecto studio virtutis amitti solet, sicut Apostolus I ad Tim., capite I, scripsit. Quam quidam repellentes (bonam scilicet conscientiam, quam dixerat) circa fidem naufragaverunt, et Sap. cap. I : In malevolam, inquit, animam non introibit sapientia; neque habitabit in corpore subdito peccatis; unde Paulus Timotheum admonens : Attende, inquit, tibi, et doctrinæ (I. Tim. IV, 16); prius enim dixit tibi, quod virtus docentis, et proba vita in viam recte docendi tanquam dux introducat; ideirco ut mihi quidem videtur, libros Scripturæ morales, quos dixi, tanquam duces percipiendi sapientiam C Scripturarum προεισαγωγὰς, id est, (ut totam vim verbi exprimamus) antegredientes introductiones vocavit Dionysius. Præclare scripsit magnus Athanasius in extrema pagina libri de Incarnatione Verbi : Qui theologorum intelligentiam consequi cupit, debet prius animam abluere atque detergere, et per vitæ, morumque similitudinem ipsos adire.

(2) *Sicut dilectio mulierum.* Verba sunt David mortem Jonathæ deplorantis. Quæ stulti, inquit Theodoretus, reprehendunt, cum hic David ad significandam amoris et charitatis suæ erga Jonatham vehementiam, similitudinem et exemplum sumpserit ex amore arctissimo uxoris et viri; qui tantus est, ut lex conjugalis dicat : Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, id quod Elcana etiam significavit, cum uxorem consolans, Nonne, inquit, ego bonus sum tibi supra decem filios? Itaque ut connubialis conjunctio unum efficit conjuges, sic eorum qui vere inter se amant, animos charitas in unum copulat. Hactenus Theod.

(3) *Et qui excessit e se Deo.* Observavit hic sanctus Maximus quomodo ex hoc loco intelligitur quod Apostolus, II. Cor. V, ait : Sive excedimus Deo? scilicet intelligitur, sicut Dionysius accepit, de amore exstatico Pauli, quem descripsit in epist. ad Gal. inquiens cap. II : Vivo non jam ego, vivit vero in me Christus ; sic etiam intellexit locum Pauli S. Diadochus, in libro *De perfectione spirituali*, cap. 14. De hoc amore exstatico notavit in eodem loco S. Maximus intelligi illud in Psal. CXV : Ego dixi in excessu meo, id est, in amore Dei exstatico.

(4) *Et dilectionem.* Hic interpretatur Dionysius quod ait Joan. in epist. cap. IV, Deus charitas sive dilectio est; est enim ipse amoris et charitatis auctor et generator, qui hæc quæ in ipso erant, produxit foras, id est, creaturas, motus scilicet charitate : Sic dictum est (ait sanctus Maximus)

Digitized by Google

nunc vero amabilem et dilectum? illius quidem, A id est, amoris ac dilectionis auctor, et tanquam productor et generator est; hoc autem, id est amabilis et dilectus ipse est, illo quidem, id est, amore et dilectione movetur; hoc autem, id est, ut amabilis et dilectus movet, quia se ipse adducit, et sibi adducit et movet: hac autem ratione dilectum et amabilem eum vocant, tanquam pulchrum et bonum: amorem vero rursus et dilectionem tanquam moventem (1), eum scilicet ad creaturas, et ad se creaturas adducentem, qui solus est ipsum propter se pulchrum et bonum et tanquam indicem sui ipsius per seipsum, et ut bonum progressum superlatæ unionis, et amatoriam motionem (2), simplicem, per se mobilem, per se operantem, prius exsistentem in bono et ex bono in ea quæ sunt B redundantem, ac rursus ad bonum revertentem, in quo perpetuitatem suam, et carere se origine divinus amor excellenter demonstrat, sicut quidam æternus circulus, propter bonum conversione inerrante circumambulans, et in eodem secundum idem et progrediens, et manens, et revertens. Quædam ex his adnotans sanctus Maximus: Dilectionis, inquit, et amoris ipsum scilicet Deum vocat emissorem, et parentem: ipse enim hæc, quæ in ipso erant, produxit in ea quæ foris sunt, id est, circa creaturas. Item idem ibidem: Amatorius motus prius exsistens in bono, simplex, per se mobilis, per se operans, postea providentiis externis in creaturas progrediens rursus eodem redit, fine et principio carens: quod quidem desiderium nostrum in Deum declarat. Adverte autem, quemadmodum circulum dicit in bono, progrediente illo quidem in ea quæ sub intelligentiam et sub sensum cadunt, et rursus ad seipsum illa convertente, et neque cessante, neque finiente. Ac rursus idem Dionysius in eodem capite. Et hoc, inquit, vere audemus dicere, quod ipse qui est omnium causa, propter excellentiam bonitatis omnia amat, omnia perficit, omnia continet, omnia convertit ad se; et est divinus amor bonus boni propter bonum, ipse enim amor divinus, qui bonitatem in iis quæ sunt, operatur, quia prius exstitit in bono superlate, non sivit ipsum in se sine fetu manere, sed potius movit eum ad operandum secundum excellentiam virtutis suæ omnium rerum effectricis. Quo in loco sanctus Maximus mirifice dicit, quod bonus amor, qui ante omnia in bono exstitit, non remansit sine fetu, sed potius bonum amorem nobis peperit, per quem pulchrum et bonum expetimus. Observa hinc divinum motum, amor enim bonorum effector movit Deum ad providendum nobis, et ut nos constitueret, ut cum moveretur, produceret, et non remaneret expers fetus. Hinc evadit manifestum, quod nomen amoris divinum et venerabile a principio theologi celebrarunt; et quod idem est, eamdemque vim habet nomen amoris et dilectionis, et quod est etiam exstaticus amor divinus, qui non sinit amantes esse suos, sed eorum quos amant; et quod providentiæ rerum extra Deum sunt, et secundum

Scholia.

Deus charitas est, propter creaturas quas produxit, C est alioqui Deus, ne quis hoc tolli putet: absolute ipsa per se charitas superlata, non creata, sed omnium creatrix.

(5) *Tanquam moventem.* Observavit hic S. Thomas tripliçem effectum amoris, sive charitatis, primus est, quod amor, sive charitas movet amantem ad operationem, unde (ut hoc obiter observetur in hæreticos, qui hominem per solam fidem justificari tradunt) sicut aqua operationem ab igne, scilicet calefactionem recipit, et calefit (operatio enim ignis aquam movet), sic fides operationem recipit a charitate, qua operatione veluti vivificatur et calefit et sine ea friget, et ut ait B. Jacobus (cap. II) mortua est, ex quo fit, ut hujusmodi fides sit, quæ in Christo valet, sicut Apostolus ad Galatas (cap. V) scripsit, quæ, inquam, per charitatem movetur scilicet erga Deum; secundus enim effectus est, quod movet operationem erga amatum, unde sic intelligendum est quod idem Apostolus dixit: Quæ D per operationem, scilicet charitatis, operatur, id est, movetur, passive enim accipiendum est vocabulum ἐνεργουμένη, ut alias a nobis probatum est; tertius effectus, quod amor seipsum ostendit erga eum, erga quem est, unde beatus Jacobus (cap. II), contra eum qui de fide sine operibus gloriatur: Ostende tu, inquit, fidem tuam sine operibus, et ego ostendam tibi fidem meam ex operibus. Deinde observavit etiam idem S. Thomas quinque proprietates amoris sive charitatis in his quæ hic ex Dionysio recitantur; prima est, progredi ad uniendum eum qui diligit, cum eo quem diligit; et quanto excellentior est amor, tanto excellentius unit; unde quia amor in Deum est excellens, excellenter cum Deo conjungit; et erga magis conjuncta major est; secunda proprietas charitatis est, quod facit ut is qui amorem sive charitatem habet, ad eum tendat, erga quem habet charitatem, contra atque facit cognitio, quæ rem cognitam trahit ad cognoscentem; amor vero trahit amantem ad eum quem amat; tertia proprietas est, esse simplicem motum charitatis, quia est primus motus appetitus: et primum in unoquoque genere oportet ut sit simplex, quia ex eo cætera in eo genere composita exsistunt; quarta proprietas est, esse per se mobilem, quia in unoquoque genere prius est quod est per se, quam quod est per aliud; unde in genere motus appetentis oportet ut primus motus, qui est amor, sit per se mobilis, unde timor quia est sicut motus violentus extrinsecus accedens, non est in charitate, sicut ait beatus Joannes (*I Joan.* IV), sed perfecta charitas foras expellit timorem, quia charitas motus est ab intimo, ut ait sanctus Thomas, procedens; quinta proprietas est, operari per se, quod proprium est charitatis, in quo ab spe differt, qui enim propter spem alterius operatur, propter aliud operatur, qui autem (inquit sanctus Thomas) ex amore operatur, per se ipsum operatur illud tanquam sibi hoc placeat. Præstat scire quæ efficiat charitas, et quæ sint ejus propria ad cognoscendum excellentiam et præstantiam ejus supra fidem solam, quam hæretici vane jactant, non intelligentes quæ dicunt, amatoriam.

(6) *Motionem.* Quatenus amor et charitas ex ipso Deo manant ad creaturas, ipse amoris et charitatis auctor moveri dicitur, quatenus vero ipse est amabilis, et diligendus, movet et ciet ad amorem omnia, quibus vis amandi convenienter ipsis insita est.

Digitized by Google

eas ipse etiam Deus extra se est, conversione inerrante instar circuli circummeans; et quod Deus amor præexstitit in Deo simplex, per se mobilis, per se operans, et quod erat divina et beata ejus substantia : quare tota Trinitas suprasubstantialis, quæ est amor, et dulcedo, et desiderium, non sivit eam in se ipsa sine fecunditate manere, sed potius movit se ipsa ad faciendum et creandum. Providentiæ igitur Dei externæ nihil aliud sunt, quam creatura, et creatio; et ex his plane nobis notescit, quod omnis creatura Deum habet producentem et generantem, ipse enim hæc cum in se haberet, produxit ea foras, hoc est, circum creaturas : quocirca nomen amoris et dilectionis in unum et idem cum pulchro et bono redit; cumque in Deo sint, et ad eumdem referantur, divinam et beatam ejus substantiam, quod est tantum, repræsentant : extra Deum vero cum sunt, in negotio creaturæ desinunt; idcirco passiones et accidentia circa eam censentur et numerantur. Apparet etiam per hæc, quod ad proprietatem horum nominum pertinet, ratio enim amoris et dilectionis eadem est atque ratio bonitatis et pulchritudinis. Deus enim propter excellentem amorem omnia produxit; et propter eumdem amorem, quæ non sunt, non produxit, dum cavit, ne producendo, quidquam eorum quæ amabat, læderet. Potest autem intelligi aliquid etiam magis speciatim proprium, quod scilicet divina bonitas in infinitum progrediatur, divinus vero amor instar circuli circumeat; nam e se quidem incipit operari, deinde per ea quæ produxit, providentiis suis foris manens fine imposito ad se rursus redit.

CAPUT IV.

De ente et de partibus ejus, et quæ sit in iis quæ sunt, propietas entis.

Magnus Dionysius capite quinto, *De divinis nominibus :* Age, inquit, laudemus bonum tanquam quod vere est, et omnium substantias efficit, et secundum vim suam quæ supra substantiam est, omnibus tribuit ut sint totum id quod sunt, et est vere effector exsistentiæ (1), personæ, substantiæ, naturæ; item principium, et mensura sæculorum et temporum, et facit ut sæcula et tempora sint : est sæculum eorum quæ sunt : tempus eorum quæ fiunt; est esse iis quæ sunt quomodocunque; est generatio quomodocunque genitis ex eo qui est; sæculum, substantia, et unum : et tempus, et generatio, et quod gignitur : est ea quæ sunt in iis quæ sunt; et quæ quocunque modo exsistunt, et quæ per se exsistunt. Deus enim non sic est, ut sit quodammodo, sed simpliciter et infinite totum esse in se complexus (2). Et paulo post : Et ante alias ejus participationes productum est esse, et est ipsum secundum se esse antiquius quam esse per se vitam (3), et per se sapientiam, et per se similitudinem divinam, et alia, quorum participationem quæ habent, ante omnium illorum participationem participant esse : imo vero ipsa per se omnia quæ ab iis quæ sunt, participantur, ipsum per se esse participant; et nihil est cujus non sit substantia, et sæculum ipsius per se esse. Deus igitur cum sit, ut consentanum est, omnibus aliis magis principialis, ab antiquiore dono suo laudatur, siquidem prius esse, et excellentius esse cum prius habeat, et excellentius habeat prius fecit esse quod est : ipsum, inquam, per se esse, et per ipsum omne quod quomodocunque est, exsistere fecit. Atqui principia eorum quæ sunt, omnia participant esse, et sunt, et principia sunt; et primum sunt, et postea principia sunt, et si vis viventium, quatenus vivunt, principium dicere per se vitam : et similium, quatenus similia sunt, per se similitudinem : et copulatorum, quatenus copulata sunt, per se copulationem; et ordinatorum, quatenus ordinata sunt, per se ordinationem : et similiter in aliis, quæcunque hoc, aut illud, aut utrumque, aut multa participant? et hoc, aut illud, vel utrumque, aut multa sunt participata, reperies

Scholia.

(1) *Est vere effector exsistentiæ, personæ, substantiæ, naturæ.* Quæ exsistunt, considerari possunt ut singularia, et ut species; vel genus, et ut natura, verbi gratia, Socrates est persona, homo animal, species, et genus; quæ potestate continent singularia, quia possunt cogitari in singularibus, humanitas est natura, quæ nec actu, neque potestate continet singularia, itaque homo secundum substantiam constat ex humanitate, quæ est hominis natura, cujus partes sunt corpus et anima in universali; secundum exsistentiam constat ex hoc corpore, et ex hac anima, natura generis, vel speciei, id est, universalis, ea tantum actu continet, quæ in definitionem cadunt, ut humanitas, quæ non continet actu carnes et ossa, quæ non cadunt in definitionem, sicut continet homo; quia notio hominis non abstrahit ab istis, sicut abstrahit notio humanitatis; continet tamen potentia, carnes et ossa, quia potest cogitari humanitas in homine universali, qui definitur, principia autem individui neque potentia continet, humanitate enim est homo; sed non est, neque cogitari potest esse humanitate hic homo, ex S. Thom. Ad hunc modum se habent per se participatio, participatio, et hæc participatio, ut verbi gratia, per se vita, vita, et hæc vita, per se vita naturam vitæ significat, id est, ea quæ cadunt in definitionem vitæ; vita, est universale speciei, ut vita hominis, vita equi; vel universale generis, ut vita angeli, hominis, equi; et sicut Deus est auctor per se hominis, id est, humanitatis, est, inquam, causa, ut natura hominis sit esse animal rationale (hæc enim continet humanitas), et auctor hominis, et hujus hominis; sic causa est per se vitæ, et vitæ et hujus vitæ, per se vita non est proprie et vere ens subsistens, ut homo, lapis, sicut neque humanitas, sed quo aliquid est; ut per se vita vivens, sicut humanitate homo.

(2) *Est simpliciter et infinite Deus totum esse in se complectens,* quia omnibus dat esse per esse sui participationem; et ipse est omnia secundum causam; et suo esse omnia quæ sunt, et quomodocunque sunt, facit esse, sic est causa proprie absoluta et incircumscripta.

(3) *Per se esse* et secundum se esse idem significant hic, ut τὸ αὐτὸ εἶναι, ἢ τὸ καθ' αὑτὸ εἶναι, καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι, similiter αὐτὴ ἡ ζωὴ, καὶ ἡ αὐτοζωὴ, καὶ ἡ καθ' αὑτὴν ζωὴ ἦγουν ὅλη ζωὴ ὡς τὸ καθ' αὑτὸ εἶναι ἦγουν ὅλον τὸ εἶναι, progreditur,

Digitized by Google

per se participationes primum participare esse, et sic primum esse quod sunt, deinde hujus, aut illius principia esse : et participando esse, exsistere, et participari. Si hæc autem, quæ aliorum principia numerantur, per participationem esse sunt, multo magis quæ ipsa illa principia participant. Primum igitur donum per se esse, cum per se illa supraquam bonitas producat, merito ab antiquiore et prima omnium participationum laudatur. Et paulo post : Si autem vult Clemens philosophus ad aliquid dici exemplaria quæ sunt in rebus principaliora, progreditur quidem cum sic loquitur, non per propria et perfecta et simplicia nomina (1) : sed si concedamus recte hoc dici, oportet meminisse Scripturæ, quæ ait : *Non ostendi illa tibi* (2), *ut eas post illa* [a]; sed ut per proportionem cognitionis horum ad cognoscendam omnium causam, quoad possumus, adducamur. Hæc adnotans S. Maximus, Hoc nomen, inquit, imposuit sibi Deus, cum dixit : *Ego sum, qui sum* [b], a quo consentanee laudatur ante alia quæ de ipso dicuntur, qualia sunt nomen vitæ, sapientiæ, et alia ejusmodi, illud autem, prius esse, et supra esse declaravit esse Deum, carere principio, et Deum penitus comprehendi intelligen- A tia non posse : qui prædestinatione cognitionis suæ ineffabilis omnia in se ipse complexus est, et omnia in se ex toto esse tanquam in exemplari et idea fecit, hoc enim statim prima notione mens cogitat, esse inquam, postea hoc, aut illo, aut alio modo esse contemplatur. Esse igitur simpliciter, et non aliquo modo esse, declaravit cum dixit, per se esse, sicut deinceps dixit per se vitam, per se similitudinem, et alia ejusmodi, esse enim prorsus vitam (3), et simpliciter vivere non significat hanc talem vitam ; et similiter in aliis : sicut exempli gratia (4) in qualitatibus, prius per se qualitates insunt, postea accidentes operantur, ad hunc modum proportione in iis quæ diximus, intelligendum est. Item dicit in primo cap. idem Maximus : Creationem vitæ, et creationem substantiæ, id est, res B ipsas fecit Deus exsistere. Primum igitur notionem rei ipsius menti informamus ; postea universalem ejus rei notionem, ut notionem vitæ vel substantiæ universe consideratam, deinde id parte, id est, notionem secundum singulas species accepimus, ut vitæ ; vel substantiæ angelicæ, vel humanæ, aut reliquorum in universa specie. Præterea idem cap. quinto, participationes dicit, quas ea quæ sunt, participant,

[a] Exod. xxv, 40. [b] Exod. III, 14.

Scholia.

(1) *Non per propria et perfecta et simplicia nomina*, id est, per se esse, et per se vita ; et per se sapientia, et similia quæ sunt principia et causæ eorum quæ sunt, quæ vivunt, et quæ sapientia C prædita sunt, non possunt dici proprie exemplaria ; quia quorum. ista sunt principia, non fiunt ut imitentur illa ipsa principia, sed fiunt ut impleatur in eis quod divina Sapientia ordinavit, id est, quod erat in idea et exemplari divino, non sunt etiam perfecta exemplaria, cum ipsa aliis exemplaribus indigeant, non sunt simplicia, quia simul sunt exemplar ad formata (quæ vulgo vocantur exemplata) et exemplaria, ex sancto Thoma.

(2) *Non ostendi illa tibi.* Locum Exod. xxv citat Dionysius οὐ κατὰ τὸ ῥητὸν, ἀλλὰ κατὰ τὴν διάνοιαν, id est, non secundum verba, sed secundum sensum, sic apostolici discipuli a sanctis apostolis didicerunt citare aliquando Scripturam, sicut ipsi sancti apostoli interdum faciunt, sic enim ait Scriptura : Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte (*Exod.* xxv, 40). Cum ait, inspice, et fac secundum exemplar (sive exemplaria, non enim fuit D unum exemplar, sed multa) tibi ostensum in monte, satis clare dicit, ostendi exemplar, sive exemplaria non ad colendum illa (hoc enim erat, ire post ea, colere illa, et habere ea pro diis), sed ostendi exemplaria ad faciendum secundum illa, quæ facienda sunt in tabernaculo et vasis ejus, et in sacerdotibus et eorum sacrificiis, et in aliis, lex enim umbram habebat futurorum bonorum, scilicet spiritualium, quæ quidem ostensa sunt Moysi in spiritu, quorum exemplarium imagines erant omnia quæ in lege fiebant, sicut ait idem Dionysius in extrema pagina cap. 4 *Eccles. Hier.* Quia igitur Clemens videbat τὰ νοητὰ, id est, spiritualia ostensa Moysi vocari in Scriptura Exodi παραδείγματα, quæ sunt ad aliquid, quia referuntur ad imagines (exemplar enim dicitur imaginis, et imago exemplaris), similiter Clemens quæ sunt in rebus principialiora, exemplaria dici voluit, quæ ad aliquid referuntur, ad illa scilicet, quorum sunt principia, ut causæ ad effecta, et effecta ad causas, si sic accepit Clemens, ut plane accepisse videtur, recte accepit ; et sic etiam ista principialiora, quæ exemplaria vocat, creata sunt, sicut illa spiritualia exemplaria ostensa Moysi in monte, non quidem tanquam exemplaria illa divina, quæ sunt increata et æterna, invisibilia Dei, et adoranda, quæ sunt ipse Deus simplicissimus, sed tanquam exemplaria creata et informata menti Moysis divinitus, ut secundum ea faceret, quæ facere Deus ei præcipiebat, quæ erant omnia imagines tenuiter et obscure adumbratæ illorum exemplarium. Alii hunc locum a Dionysio citatum ex Deut. cap. IV, sumptum esse adnotaverunt ; sed nulla ratione quadrat. Ego Georgium Pachymerum secutus sum, qui ad illum locum Exodi xxv retulit, quem dixi citatum esse a Dionysio secundum sensum, sicut aliquando solent apostoli, et sancti Patres, similiter citavit etiam ibidem Dionysius locum epist. ad Rom. cap. I : Invisibilia ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur ; citavit, inquam, hunc locum secundum sensum, qui est, ut ait Dionysius, per proportionem cognitionis creaturarum adduci nos, quoad possumus, ad cognoscendum causam omnium. Itaque cum dixit : Invisibilia ipsius (ut hoc obiter observetur), videtur plane Paulus intellexisse illa in Deo exemplaria æterna, quæ ideæ vocantur, secundum quas omnia per essentiam suam simplicissimam cognoscit, et fecit omnia tanquam per principium et causam omnium, et est omnia, ut omnium causa.

(3) *Vitam.* Vitam dicit, cum vita absolute consideratur ; ita ut tota consideratio sit vitæ, non quatenus est omnium, aut particularium, id est, non consideratur generaliter, neque particulariter ; sed simpliciter vita, quæ dicitur per se vita.

(4) *Verbi gratia.* Ipsa per se corporalis albedo adveniens corpori album facit corpus, et postquam accidit corpori, disgregat visum, quæ est propria ejus operatio.

Digitized by Google

quale est ipsum per se esse, ipsam per se vitam, ipsam sapientiam, ipsum ordinem, et reliqua; quæ quidem participationes divina dona sunt, quas principia eorum quæ sunt, vocavit. Ex his igitur constat, quemadmodum Deus secundum potestatem sive virtutem suam, quæ supra substantiam est, causa est effectrix et creatrix totius esse, et partium ejus, exsistentiæ, personæ, substantiæ, naturæ, aut sæculi, et temporis. Quod si Deus totius esse effector est; haud dubium, quin partium ejus effector sit, et totum penitus efficiat, totum vero esse est, quod statim prima notione mens informat.; secundum quam primam notionem genera in disputationibus contemplamur; postea partes totius ordine expromimus, et sicut logice a generibus ad species, sic est per se esse, id est, totum esse; et ad quod intelligendum mens primum vim intendit, antiquius est aliis quæ postea mens cotemplatur. Non enim possumus vitam secundum se contemplari, aut sapientiam, aut similitudinem, nisi primum esse ponamus, est enim vita primum; et tunc secundum se contemplantes, ὡς τὸ τί ἐστι, vocamus per se vitam; si igitur subter esse, per se vita, et per se sapientia, et per se similitudo, et alia collocantur, totius autem esse auctor est Deus, quomodo non erit auctor horum quæ per se dicuntur, sive ea vocentur tanquam exsistentia, sive tanquam motus, formatio vitæ, formatio substantiæ, similitudinis imitatio, et alia? Primum enim fecit Deus esse res ipsas, postea esse generalem earum notionem, quale est contemplari vitam, vel substantiam in omni genere, et omnibus modis. Ex his sententia Dionysii notior exstitit, quod sicut Deus auctor est eorum quæ singularia sunt, sic et eorum quæ prima sunt, ex quibus dubitationem Clementis philosophi de iis quæ magis principalia in rebus exsistunt, id est, de naturis earum, duabus auctoritatibus Scripturæ solvit; una est: Non ostendi hæc tibi, ut eas post ea; altera est: *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* [48], ex magnitudine enim et pulchritudine creaturarum proportione effector consideratur, hoc enim significat quod dixit, ut per proportionem cognitionis horum ad cognoscendum omnium causam adducamur. Sic autem solvisse dubitationem, quomodo non apertissime patefacit creata esse ea quæ sic sunt in rebus magis principalia, quæ concedit dici exemplaria ad aliquid, ut per ea proportione quadam, tanquam per specula et ænigmata cognoscamus divina? Ex iis etiam quæ antea demonstrata sunt, apparet quod ad proprietatem pertinet: in illis enim, scilicet bono et pulchro, in ea quæ sunt, et quæ non sunt, tenditur proprietas nominis boni et pulchri; in his autem, in ea solum quæ sunt, nomen divinum τοῦ ὄντος, id est. entis, porrigitur. Et hæc est proprietas ejus. Nota tamen etiam hoc, esse primam participationem et antiquiorem aliis divinis donis ait esse proprietatem τοῦ ὄντος, id est, entis: siquidem bonitas non habet similem rationem in ordine donorum, quoniam porrigitur et tenditur supra ea quæ sunt: præterea potest esse proprietas ejus quod est per se esse, quia hoc ante alia quæ sunt produxit Deus prius: deinde hoc per se esse, tanquam natura quadam utens, universum, quomodocunque est, produxit; adhæc, alia rerum principia nunquam possunt esse, quin sit ipsum per se esse: hoc autem sine illis est, deinde participatione hujus aliæ dicuntur participationes, et per se participationes, et dicuntur esse et manere. Hoc autem sublato, nulla erit participatio; tum etiam ipsum per se esse, quæ est participatio prima, a nullo ante se participatur, omnia autem post eum et participant, et fiunt aliis infra, participationes. Habent autem hæc non parvam quæstionem, quomodo Dionysius cum præmunitione. Si vis, inquit, viventium tanquam viventium principium dicere per se vitam, quatenus scilicet manifestum est, hæc absoluta, non proprie absoluta esse, solus enim Deus horum auctor absoluta causa dicitur: quæ autem ab ipso effecta sunt, voluntati permittitur, ut sic ea nominet, verum cum adjunctione, viventium quatenus vivunt, principium esse per se vitam, non autem quatenus substantiæ sunt, aut sapientiæ, aut rationes, hæc enim subter aliud et aliud principium collocantur, quod quidem in Deo efferre non est consentaneum, una siquidem causa et uno principio omnia producit, ut demonstrabitur.

CAPUT V.

Quomodo Deus dicitur per se esse, et per se vita, et per se sapientia, et quomodo rursus idem horum effector dicitur.

Magnus Dionysius cap. 9, *De divinis nominibus*: Sed quia, inquit, alias me per epistolam interrogasti, quid appellem per se esse, per se vitam, per se sapientiam, et tecum ais dubitasse, quomodo Deum aliquando quidem voco per se vitam, aliquando vero effectorem per se vitæ; necessarium esse arbitratus sum, homo Dei sancte, ab hac dubitatione quoad possim te liberare. Ac primum quidem, ut nunc repetamus quæ millies dicta sunt, non pugnant secum Deum per se potestatem, et per se vitam; et dicere Deum creatorem per se vitæ, vel per se pacis, vel per se potestatis, hæc enim dicitur Deus ex iis quæ sunt, et maxime ex iis quæ prima sunt, tanquam causa omnium quæ sunt; illa autem dicitur, tanquam quæ sit supra-substantialiter supra omnia quæ sunt, et quæ primo sunt. Quæris autem quod prorsus dicimus per se esse, aut per se vitam, aut quæcunque absolute et principaliter esse, et ex Deo ac primo creata esse ponimus. Respondemus, non esse hoc contortum, sed rectum, et simplicem habens explanationem, non enim per se esse substantiam quamdam divinam aut angelicam esse dicimus,

[48] Rom. 1, 20.

Digitized by Google

quæ sit causa ut sint omnia quæ sunt (solum enim qui est supraquam substantia, principium et essentia et causa est ut sint omnia quæ sunt, et ipsum esse) nec aliam divinitatem, quæ vitam pariat, præterquam vitam (1) supraquam divinam omnium quæcunque vivunt et ipsius per se vitæ causam ponimus; nec, ut summatim dicam, alias causas principiales rerum, et creantes, et per se exsistentes, quas quidam et deos rerum, et effectores temere effutiverunt (*a*) : quos vere et proprie dicere (quippe cum non essent) nec ipsi, nec eorum patres ac majores sciverunt : quin potius per se esse, et per se vitam, et per se divinitatem principialiter quidem et divine, et efficienter unum omnium principium et causam supraquam principium, et supraquam substantiam esse dicimus. Ut autem in donis suis participatur Deus, providentias a Deo, qui in se non participatur, manantes, dicimus per se substantiæ effectionem, per se vivificationem, per se deificationem; quorum participationem quæ, ut cuique convenit, habent, substantiam habentia et viventia et divina sunt et dicuntur, et similiter in aliis, quamobrem bonus ille et ipsorum, quæ prima sunt, auctor esse dicitur, deinde eorum quæ generatim et universe illa participant, postea eorum quæ in parte. Sed quid attinet de his dicere? Siquidem nonnulli ex nostris divinis magistris dicunt illum supraquam bonum, et supraquam Deum auctorem esse per se bonitatis, et per se divinitatis, vocant autem per se bonitatem, et per se divinitatem donum a Deo profectum, quod bonos et deos facit (2); et per se pulchritudinem donum a Deo effusum, quod pulchros reddit, dicunt etiam totam pulchritudinem, et pulchritudinem ex parte; et universe pulchra, et in parte pulchra, et quæcunque alia eodem modo dicta sunt, et dicentur, quæ declarant providentias et bonitates, ab iis quæ in rerum natura sunt, participatas, a Deo qui est extra sui participationem, larga effusione dimanantes et profluentes ut qui est causa omnium, perfecte sit ultra omnia; et qui substantiam et naturam exsuperat, ex omni parte et in universum omnibus cujuscunque substantiæ et naturæ sint, antecellat. Quæ quidem cum adnotat sanctus Maximus : In his, inquit, clare solvit propositam quæstionem : Quemadmodum oportet dicere, quandoque quidem accipiendum esse Deum, cum dicimus per se vitam, et alia ejusmodi; quandoque vero horum effectorem esse, id est, hæc creasse : quoniam tanquam causa ille quidem horum, et principium supraquam principium vocatur his nominibus; ea vero quæ hæc participant, inde, id est, ex participatis dicuntur esse, et vivere, et divina esse, vitæ igitur creationem, et substantiæ creationem, ipsas, inquam, res fecit Deus. Primum igitur cogitemus rem ipsam; deinde ipsius rei generalem notionem informemus, verbi gratia vitem aut substantiam universe consideratam, et postea in parte. Idem Maximus capite nono : Solet, inquit, Dionysius Deum ab effectis dicere per se esse, et ipsius per se esse effectorem; et ipsum esse per se vitam, et per se vitæ effectorem; sicut nunc ipsum esse per se similitudinem, et per se similitudinis auctorem, hæc autem dicit, non quasi dicat alteram quidem vitam esse ipsum Deum, alteram vero productam esse substantialem, et veluti per se exsistentem præter Deum, quam participant quæ vitam participant; sed potius, sicut ipse est suus interpres, c. IX : Per se quidem vita, inquit, et per se potestas, et per se similitudo, et alia hujusmodi dicitur Deus, quod hæc sit tanquam principaliter et divine, et efficienter, hæc enim est ipse eorum verus fons; auctor vero est per se similitudinis, et similium tanquam largiens participate iis quæ primum inter ea quæ sunt, hoc donum participant, cuncta namque, ut cujusque naturæ convenit, hujusmodi dona participant, primæ quidem et supremæ inter cœlestes mentes creaturæ participant præcipue; quæ vero deinceps, participant infra illas. Ex quibus manifestum efficitur, quod sicut Deum ævum et tempus dicimus, et eumdem rursus ævi et temporis auctorem (ex effectis enim et creatis, quæ ipse produxit, suppetit nobis copia imponendi ei nomina) et sicut magis Deum nominamus ævum (3), a primo ejus opere facto; sic etiam ab iis quæ sunt secundum ævum, absolute

Scholia.

(1) *Vitam supraquam divinam.* Vita Dei est supra vitam hominum sanctorum et angelorum, quorum vita est divina, sicut scriptum est : Deus deorum, etc. (Psal. XLIX), et illud : Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes (Psal. LXXXI).

(2) *Quod bonos, et deos facit.* Tanquam principium participans principium omnium rerum, quod non potest participare neque in se participari, quia non potest fieri pars alicujus, quod est solus Deus, et tanquam principium imparticipatum, quia est formale principium participantibus in suo genere; ut per se bonitas, principium formale bonis non re, sed ratione separatum a bonis, qui participatione bonitatis creatæ dicuntur et sunt formaliter boni, per se vita, principium formale viventibus, non re, sed ratione ab eis separatum qui participatione vitæ creatæ, quæ donum Dei est, et perfectio ab eo manans, dicuntur et sunt formaliter viventes : et similiter in reliquis hujusmodi principiis secundum uniuscujusque principii naturam et ordinem, ex S. Thoma.

(3) *Et sicut magis ævum.* Sicut Deus dicitur ævum, qui est auctor ævi, et eorum in quibus tenditur ævum; sic dicitur per se esse, per se vita, per se sapientia, et similiter in aliis, quia est causa in creaturis per se esse, per se vitæ, et similium, quæ sunt dona ejus, in quibus versatur ævum; non enim fuit tempus, cum non essent hæc, quæ cum ævo cœpta sunt (siquidem fuerunt in angelis), quæ cogitatione nostra sunt absoluta et abstracta

(*a*) Plato, in *Timæo.*

Digitized by Google

nominamus: dico a per se esse, et a per se vita, et a per se sapientia, nec enim hæc dicuntur simpliciter absoluta, sed alicujus esse aliquid, idcirco primo esse dixit, quæcunque ejusdem ordinis cum ævo, absolute dicuntur, quomodo enim per se exsistit ævum et tempus, nisi considerentur in iis quæ ævum agunt et tempus? Aliter etiam hoc patet, si enim Deus omnium quæ sunt, effector est, multo magis eorum quæ prima sunt, ab iis igitur quæ sunt, et potissimum quæ prima sunt, tanquam omnium auctor nominatur. Quia vero vult magis quod dicit, explanare, valde dilucide quæ hæc in dubium venerunt, solvit : et aggressus ea quæ sic absolute dicuntur ὑπάρξεις, id est, essentiæ. Primam, et quæ maxime quodammodo videtur substantia, non substantiam aliquam, inquit, divinam aut angelicam dicimus per se esse, quæ sit causa ut omnia sint ; si autem antiquius, et primum ex donis, quod quia est et participatur, alia dona sunt et dicuntur, non est neque divina nec angelica substantia, imo nec causa ut sint omnia (solus enim Deus, qui est supraquam substantia, et principium, et essentia, et causa est ut sint cuncta quæ sunt, et idipsum simpliciter esse), in quali tandem ordine ea quæ sic dicuntur magis principialia, ponemus? Et si non sunt causæ eorum quæ sunt, nec item erunt effectricia horum, quod si non efficiunt ea quæ sunt, neque sunt facultas nec operatio Dei effectrix et creatrix universi, relinquitur ut sint hæc habitudines et ema nationes, quæ sunt cum fiunt tantum, sicut demonstratum est. Cum autem Dionysius horum contemplationem dilatat : Nec aliam, inquit, divinitatem, quæ vitam pariat, dicimus, præter causam supraquam divinam omnium quæcunque vivunt, et per se vitæ causam ; quod si non est alia causa viventium, nec alia divinitas quæ vitam pariat viventibus, nisi vita supraquam divina, et substantia supraquam substantia: et ipsum singularissimum et splendidissimum unum, et hoc est sola causa omnium, evidens est quod hæc quæ primo et principialiter sunt, et effecta tantum, nihil eorum quæ postea sunt, tanquam causa efficiunt : idcirco bonus Deus eorum ipsorum quæ prima sunt, effector dicitur, deinde eorum quæ universe (*a*) participant, postea eorum quæ in parte : sic demonstrat solum Deum esse causam omnium, sive prima dicuntur, sive universe, sive in parte; et sive sic participata dicuntur, sive participantia, quod si idem et solus auctor est et participantium et participatorum, evidens est si participantia creaturæ sunt, et participata penitus creaturas esse ; hoc tantum differunt, quod hæc quidem primum effecta sunt, et per hæc effecta extrema, ut si quis in minimis creaturis videat nubes prius existere quam pluviam, et per nubes Deum pluere; et sicut motus exsistunt propter mobilia, et nubes propter pluviam, ad eumdem modum substantiæ creationes propter substantias, et vitæ creationes propter vitas, et deificationis creationes propter deificata, omne autem quod propter causam est et movetur, ortum quoque habere demonstratum est. Ponit autem Dionysius esse Deum auctorem per se bonitatis, et per se divinitatis, similiter ut actionum et motionum Dei Deus est auctor, divinitates vero inferiores intellige angelorum, et hominum justorum, rursus vero intellige, interpretatum esse apertissime Dionysium declarare hæc nomina, donum a Deo profectum, et pulchri in ea quæ foris sunt, effusionem ; declarare, inquam, motum et actionem Dei, tanquam effectionem et creationem ipsius Dei.

CAPUT VI.

De potestate, sine virtute, et justitia ; et quod a potestate infinite potenti, et a justitia, per se potestas, et per se justitia producta sunt et effecta ; et quæ in eis proprietates.

Magnus Dionysius cap. octavo *De divinis nominibus*, ait : Et quod Deus deificationis princeps supra omnem potestatem fertur, et omnem potestatem, quomodocunque est et excogitatur, exsuperat ; non puto ullum ex iis qui in Scripturis divinis alti sunt et educati, ignorare, multis enim in locis Scriptura et dominationem ipsam esse tradit, et ab ipsis supra cœlestibus potestatibus separat. Quomodo igitur theologi tanquam potestatem laudant, quæ extra omnem potestatem posita est? aut quomodo in ea nomen potestatis accipiemus? Dicimus igitur Deum esse potestatem, ut qui præhabeat in se, et supraquam habeat omnem potestatem ; et ut omnis potestatis auctor, et ut omnia inflexibili et incircumscripta potestate producens, et ut auctor ipsius per se esse potestatem, vel esse universam, aut singularem alicujus potestatem ; et ut infinite potens, non solum eo quod omnem potestatem producit, sed quod est supra omnem potestatem, et supra ipsam per se potestatem : et quod supra potest innumerabiliter infinitas alias potestates producere ; et quod infinitæ, et infinito numero productæ potestates nunquam queant hebetare aut retundere supraquam infinitatem effectionem potestatis ejus potentificæ, hæc igitur potestas Dei infinite potens, in omnia quæ sunt, meat et progreditur, nihilque eorum quæ sunt, omnino nudatum

Scholia.

a rebus exsistentibus, non tamen simpliciter absoluta et abstracta, quia in re participantur ab exsistentibus, et sunt effecta a Deo, a quo pendent, sed hæc magis adhuc ex cap. 7 decadis 7, dec. 8 cap. 4, licebit intelligere.

(*a*) Universe, ut vita omnium viventium ; in parte, ut vita hominum aut angelorum, etc.

Digitized by Google

est, quin aliquam potestatem habeat ; quin potius potestatem habet vel intelligentem, vel ratiocinantem, vel sentientem, vel viventem, vel propriam substantiæ ; et ipsum esse, si fas est dicere, potestatem habet ut sit, ab ipsa supra substantiam potestate ; et ut semel dicam, nihil est in universum, quod omnipotentis tutela, et conservatione divinæ potentiæ privatum sit, quod enim universe nullam habet potestatem, nec est, nec quidquam est, nec est funditus ullus ejus situs. Et rursus idem in eodem capite : A justitia autem rursus laudatur Deus, quod omnibus, ut dignum est tribuat et congruentem modum, et pulchritudinem, et compositionem ordinis, et dispositionem ; et omnibus dispertiat, et singulis ordines præstituat secundum veram et justissimam præscriptionem, et omnibus suæ cujusque actionis auctor sit, omnia enim divina justitia ordinat, et suis terminis definit ; et omnia ab omnium mistione et confusione libera servat ; omnibus, quæ cuique conveniunt, et ut quodque dignum est, dona largitur. Ex his autem jam patet, quod potestas Dei potestatis effectrix, quæ omnem exsuperat potestatem, quæ est unum, et supraquam substantia, quæ omnem potestatem in se præhabet et supra habet, hæc omnem potestatem et generalem, et in parte, et ipsam illam per se potestatem cogitatione abstractam, ex iis quæ non sunt, secundum suam inflexibilem et incircumscriptam potestatem produxit, et facit exsistere : et ex ipsa emanatione, quæ in universo cernitur, suppetit nobis facultas nominandi Deum potestatem. Idem etiam celebratus est a nobis nomine justitiæ, non quod ipse sit cognitus justitia (1), (hoc enim neque effari nec intelligere possumus, sicut magnitudinis ejus non est finis, et intellectus ejus non est numerus) sed cognoscitur justitia ex justitia quam produxit nobis, imponens singulis rebus ordinem et descriptionem, et cætera omnis justitiæ pondera. Ex his etiam potest quis percipere proprietates, cernitur enim, quemadmodum in quæcunque pervadit, ibi potestas ejus versatur, et si fas est dicere (2) ipsum esse, et quod est universum esse, ut sit, potestatem habet ab ipsa potestate, quæ supraquam substantia est, igitur esse, opus est potestatis ; sed non ipsum esse potestas est, verum tanquam in subjecto est potestas, præterea inest proprietas supraquam posse, siquidem potestas supraquam potens Dei, qui est supraquam substantia, indidit nobis intellectum possibilem, ut qui eum producit et creavit, sit supraquam potens ad producendum alias potestates diversas ab iis quæ sunt, infinite infinitas, et quod infinitæ potestates in infinitum productæ creationem supraquam infinitam potentificæ potestatis ejus retundere nunquam possunt. Si igitur potestas ostensa non haberet potestatem has potestates recipiendi, nunquam promitteret Dionysius, infinitas illas potestates a potentifica potestate productas non posse actionem ejus obtusam reddere, quare evenit, ut potestas bono appropinquet (*a*), quod enim in universum nullam potestatem habet, nec est, nec aliquid est, nec prorsus situs ejus est : idcirco eisdem finibus metimur potestatem, et id quod est, nec porrigitur potestas in ea quæ non sunt, sicut bonum porrigitur, eadem autem est proprietas nominum justitiæ, salutis, et redemptionis, justitia enim Dei supraquam potens, quæ justa est, et justitias diligit, uniuscujusque eorum quæ sunt, ordinem definit, et producit, et ponit secundum propriam actionem : et secundum supraquam infinitam justitiam suam unicuique justitiæ ab ipso productæ virtutem indidit, reddentem omnibus pro dignitate ; vel propriam actionem partium animæ, vel mediocritatem inter plus et minus, vel appetitum tribuentem æqualitatem ; vel rursus habitum prospicientem, utilia in commune, vel scientem eorum quæ sunt tribuenda, et quæ non tribuenda ; vel neutrum, et ut semel dicam, nihil reliquit sine honore justitiæ a se productæ ; quin potius omnes capillos capitis nostri numerat, et passerem duorum assium non sinit incidere in laqueum sine justissima voluntate sua : et injustitias nostras, quæ dicuntur, convincit esse aberrationes nostrorum desideriorum, cunctos vero justitia sua implet et nihil eorum quæ sunt, in re ulla justa ejus salute et conservatione privatum est, unde videtur mihi valere illud pervulgatum : Injuriam quidem facere omnes, nulli vero injuriam fieri.

CAPUT VII.

De vita, et de sapientia, quæ in Deo est, et quod ipsa vita et sapientia et Deus est auctor et creator per se vitæ, et per se sapientiæ ; et quæ horum nominum proprietates.

Dionysius cap. sexto *De divinis nominibus* (*b*). Nunc, inquit, laudanda nobis est vita æterna, ex qua per se vita, et omnis vita manat ; et a qua vivere in omnia quoquo modo vitam participantia, convenienter unicuique disseminatur. Itaque vita, atque immortalitas immortalium angelorum, et illud non posse capere interitum perpetuitatem angelicæ vitæ, ex ipsa et propter ipsam est et subsistit, quamobrem semper viventes et immortales dicuntur ; et rursus non immortales, quia non esse habent ut

Scholia.

(1) *Cognoscimus quidem Deum esse justum*, et esse ipsam justitiam ; non tamen cognoscere possumus quod quid est ejus, id est, quidditatem ejus, quam vocant, esse justitiam, ut enim scire possumus de Deo quod est, sic non potest comprehendi quid est.

(2) *Si fas est dicere*, Quia non proprie dicitur, quod esse sit, sed quod ver esse aliquid sit, sic S. Thomas.

(*a*) Potestas appropinquat bono, quia nihil est expers bonitatis, ita neque potestatis.
(*b*) Vide epist. 2 Dionysii ad Caium.

Digitized by Google

immortales sint, et perpetuo vivant, sed ex vivifica, et omnis vitæ effectrice et conservatrice causa, et sicut dicebamus de eo qui est (1), esse ævum ipsius per se esse, sic etiam hic vita divina est per se vitæ vivificatrix et effectrix, et largitur primum per se vitæ, esse vitam ; et omni vitæ, et cuique vitæ, esse unamquamque apte ad naturam suam ; et (quod divinius est) nos totos, animas dico, et corpora, ad perfectam et immortalem vitam translaturam se promisit, id quod antiquitati (2) quidem præter naturam esse videtur, mihi vero et tibi et veritati divina res, et supra naturam ; supra naturam nostram dico, quæ videtur, non autem illam omnipotentem vitæ divinæ, huic enim, ut quæ sit omnium vitarum, et earum præsertim quæ diviniores sunt, natura, nulla vita est præter naturam aut supra naturam. Quædam itaque adnotans hic S. Maximus, Συνοχικὴν, id est, continentem causam vocavit, inquit, vitam divinam, utpote quæ non solum vitam in rerum natura creaverit, sed quæ vitam contineat et conservet, ut duret et permaneat, et rursus in eisdem : Hanc vitam, inquit, secundum substantiam fabricatus Deus, ad immortalitem angelis et animis nostris effecit. Rursus idem Dionysius in septimo capite *De divinis nominibus* : Hanc igitur rationis expertem, et amentem atque fatuam sapientiam superlate laudantes, diximus omnis mentis et rationis, omnisque sapientiæ et intelligentiæ causam esse ; et ipsius esse omne consilium, et ab ea omnem scientiam et intelligentiam proficisci, et in ea omnes thesauros sapientiæ et scientiæ absconditos esse ; etenim convenienter iis quæ antea dicta sunt, causa supraquam sapiens, et omnia sciens per se sapientiæ, et totius sapientiæ, et partis effectrix est. In hujus capitis adnotationibus S. Maximus : Omne, inquit, participatum antiquius est iis quæ sunt ex ipso, quare Deus et ævum et tempus proprie nominatur, ut qui sæcula et tempora fecit, sic igitur et in vita et in sapientia dicendum est, quia earum est auctor. Et rursus idem : Quia, inquit, in sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam Deum [46] ; per sapientiam, inquam, quæ in concentu et ordine creaturæ apparet et cernitur. Imo et magnus Basilius in principium Proverbiorum, et denique in illud, *Dominus creavit me principium viarum suarum* [47] : Loquitur, inquit, de sapientia mundi, quæ apparet, et vocem fere per ea quæ cernuntur, emittit, quod scilicet a Deo factus sit, et non fortuito tanta sapientia ea quæ effecta sunt, decorat ; ut enim, *Cæli enarrant gloriam Dei, et opus manuum ejus annuntiat firmamentum* [47] : enarrant, inquam, sine voce ; *quia non sunt voces, neque sermones* (3), *quorum non audiantur voces eorum* [47] : ad eumdem modum sunt quidam sermones sapientiæ antiquitus editæ, quæ ante alia in fabricatione mundi cum creatura conseminata est ; hæc tacens, suum conditorem et Dominum clamat, ut per eam ad cogitandum eum qui solus est sapiens, te referas. Ex quibus liquet, quod vita, quæ in Deo est supraquam unite, et sapientia, et scientia, et mens, et verbum, et intelligentia ex nihilo creat ipsam late patentem, et cum creatura conditam per se vitam, et per se sapientiam ; et ea quæ secundum ipsam per se vitam vivunt, et secundum ipsam per se sapientiam sapiunt, et omnem aliam vitam, et sapientiam, quæ in iis quæ sunt, reperitur, atqui patent etiam proprietates, vita enim tenditur in viventia tantum ; et immortalitate quidem præditis species vitæ, et subjectum efficitur ; præditis vero corpore efficitur continuata motio corporis ; sapientia vero minus late patet, quam vita, siquidem in ea tantum porrigitur, quæ sapientiam habent, atque in angelis quidem immortalibus æque patet vita et sapientia ; in iis vero quæ sentiunt tenditur solum vita ; in easolum porrigitur sapientia, quæ ratione prædita sunt ; et in his non omnes sapientiæ participes sunt, sed qui amatores sapientiæ fuerunt vel propter studium divinitus incensum, aut propter sinceram disciplinam, aut propter utrumque. Præterea, viventia quidem natura sortita sunt vitam ; qui vero sapientiam habent, idonei et studio scientiæ dediti fuerunt, deinde sapientia ejus partis animæ est, quæ in contemplatione versatur ; vita autem habitus est substantialis congenitus sine intermissione operationis iis quæ apta sunt ad recipiendum eum, quantum recipi potest.

CAPUT VIII.

De pace, et parvitate, et magnitudine, et statione, et motu, et de altero, et de similitudine : et quod hæc in Deo una pax sint ; extra Deum autem ut ab eo facta, diversa sunt ; et quæ eorum proprietates.

Magnus Dionysius cap. 11, *De divinis nominibus* :

[46] I Cor. I, 25. [47] Prov. VIII, 22. [47] Psal. XVIII, 14. [47] ibid. 2.

Scholia.

(1) *Et sicut dicebamus de eo qui est, esse ævum ipsius per se esse.* Hoc dixerat cap. 5, cum dixit, entium ævum, sicut autem est secundum causam tempus, et ea quæ fiunt subjecta tempori ; sic est etiam secundum causam ævum, et ea, in quibus est ævum.

(2) *Antiquitati.* Antiquitatem vocat stultam et fatuam opinionem gentilium, ut S. Maximus notatum reliquit, itaque non antiquis simpliciter, sed fatuis antiquis visum esse hoc dicit.

(3) *Neque sermones.* Sic etiam intelligi potest hic locus Scripturæ, scilicet nulli usquam sunt homines, quacunque lingua et sermone loquantur, qui non audiant et percipiant, quid dies et noctes sua illa composita et rata mutuæ successionis vicissitudine prædicent et declarent, nempe notitiam Dei, qui omnia fecit, moderatur, et regit. Est autem constructio verborum idiomatis Græci : Non sunt loquelæ, neque sermones, hominum scilicet, quorum non audiantur, id est, a quibus non audiantur voces eorum, dierum scilicet et noctium ; sic intellexit Eusebius Cæsariensis in Commentariis suis eruditissimis.

Digitized by Google

De ipsa igitur divina pace, et silentio, quam sanctus Justus vocat ἀφθεγξίαν, id est, insonantiam, et ἀκινησίαν, id est, immobilitatem ad omnem emanationem, quæ noscitur, quidnam est, et quomodo Deus quiescit, et silet, et quomodo in se et intra se est, et totus secum est supraquam unitus, et nec in se ingrediens, et se ipse multiplicans, deserit unionem; quin potius ad omnia egreditur, totus intus manens propter excellentiam unionis omnia exsuperantis, neque dicere, neque cogitare ulli eorum qui sunt, fas est, neque possibile. Sed cum hoc alioqui eloqui non possimus, nec intelligentia assequi, ad ipsam tamen divinam pacem ut ultra omnia positam sursum evecti, participationes ejus, quæ intelliguntur et nominantur, idque quantum homines, et nos præsertim qui multis bonis viris impares sumus, consequi possumus, attendamus. Ac primum quidem dicendum est hoc, quod per se pacis, et pacis in universum consideratæ, et in parte, effector est Deus, et quod omnia inter se mutuo conjunctione ipsorum non confusa commiscet; qua conjunctione cohærentia sine divisione et distantia, singula tamen secundum propriam speciem pura consistunt, non turbata per concretionem contrariorum. Et paulo post: Et est, inquit, perfecta illa pax uniuscujusque proprietatis impermistæ conservatrix, per providentias suas pacis largitrices, omnia inter se ipsa et cum aliis sine seditione et confusione custodiens. Quid autem dicamus de charitate Christi erga homines, quæ pacem effudit? Ex qua non jam nobiscum, neque cum aliis inter nos, neque cum angelis pugnare discamus, sed potius cum ipsis divina pro viribus operemur secundum providentiam Jesu, qui omnia in omnibus operatur [48], et pacem facit, quæ verbis explicari non potest, et quæ a sæculo prædestinata est; qui reconciliavit nos sibi in spiritu [49], et per ipsum, et in ipso, Patri, et rursus idem cap. 9, de eisdem divinis nominibus: Hæc magnitudo, inquit, et infinita est, et quantitatis et numeri expers; et hæc magnitudo est excellentia secundum effusionem absolutam et supraquam extensam magnificentiæ non comprehensæ. Idem etiam atque omnium causa est parvum; nunquam enim formam parvi reperies non participatam. Sic igitur in Deo accipiendum est parvum, ut in omnia, et per omnia expedite means, et operans, et pervadens usque in divisionem animæ et corporis, compagum quoque et medullarum, et cogitationum cordis [50], imo omnium quæ sunt; non enim est creatura ulla invisibilis in conspectu ejus, hoc parvum est sine quantitate, sine numero, sine inhibitione, infinitum, incircumscriptum, omnia comprehendens, ipsum a nullo comprehendi potest. Rursus idem: Nunc autem divinam diversitatem cum dicimus, ne suspicemur variationem quampiam in eo qui idem est, et supraquam immutabilis; sed multiplicationem ejus unitam, et uniformes emanationes multiplicis fœtus in omnia. Et iterum: Similem vero Deum si quis dicat, ut eumdem, et ut totum per totum sibi unite et impartibiliter similem, non est improbandum nomen divinum similis. Theologi vero Deum, qui est supra omnia, quatenus ipse est, nullius similem esse aiunt, sed ipsum divinam similitudinem dare iis qui ad eum convertuntur: et, quod admirabilius est, quod nihil simile ejus est dicit Scriptura; etsi non repugnat hic sermo similitudini, quæ cum Deo est, eadem enim et similia et dissimilia Deo dicuntur: similia quidem secundum imitationem, quæ esse potest ejus, quam nihil potest imitari; dissimilia vero, quatenus effectus infra causam sunt, et infinitis mensuris, et quæ conferri non queunt, ab ea distant. Item: Quid vero de divina statione, vel de sede dicimus? Ipse enim est omnis stationis, et sedis causa, qui est supra omnem sedem, et stationem, et in ipso cuncta ex bonorum cuique eorum convenientium statione consistunt, et custodiuntur, ne ex bonorum convenientium statione excutiantur. Quid autem, cum rursus theologi ad omnia progredi et moveri dicunt immobilem? an non ut Deum decet, hoc intelligendum est? Moveri namque pie intelligendum est pro eo quod est, facere Deum ut cuncta sint, et continere omnia, et omnibus modis omnibus providere, et omnibus adesse tum complexu omnium quæ sunt, sine habitudine conjunctionis, tum per providentiam omnia circumeundo, et in omnibus operando. Ibidem sanctus Maximus: Quod, inquit, semper est idem, et absolute est, in sola causa omnium effectrice cernitur, quæ creaturis largita est, ut in eodem statu permaneant, et ut ea quæ contrarie, vel alio modo habent, inter se coagmentata sint; eodem igitur modo omnia, etiam quæ non manent in eadem natura, in Deo cernuntur esse; siquidem omnium quæ sunt, eodem modo, id est similiter, est auctor Deus. Ex quibus fit manifestum, quod pax, et magnitudo, et parvitas, et statio, et motus, et idem esse, et diversum esse, et similem, et dissimilem, hæc omnia una pax sunt in Deo, idcirco et hic, et alias clare dictum et demonstratum est a Dionysio, alia, et contraria, omnia eodem modo et unite, et nulla duplicatione in Deo esse; tamen ab ipso producta, variata esse, ab ipsis emanationibus diversitatem nacta. Est igitur Deus, ut prius demonstratum est, sicut substantia, quam neque verbis exprimere, nec eloqui, nec cognoscere possumus, sic etiam divina ejus pax, præterea sapientia ejus, et vita ejus, et quæcunque alia absoluta, et quæcunque nunc in ipsa videntur secundum contrarietatem efferri. Laudamus autem hanc secundum participationes ejus intellectas et nominatas, id est, laudamus ab iis quæ produxit, quæ sub intelligentiam cadunt, et quæ sub sensum, quibus nos ex iis quæ videntur, instructi, ad co-

[48] Cor. XII, 6. [49] II Cor. V, 18; Ephes. II, 18. [50] Hebr. IV, 12.

Digitized by Google

gitationem magnorum donorum ejus deducimur, ipsas per se primum actiones animo versantes, ut si quis primum creaturam, vel mundi fabricam ipsam per se cogitet, velut actionem Dei et motum inuens, deinde rationem ad producta et creata referat. Consentiens autem secum idem Dionysius in singulis horum nominibus per omnia, sicut in aliis, ita et nunc nomina ponit cum adjunctione definiente, quod scilicet per se pacis, et per se magnitudinis, et per se similitudinis, et aliorum, et eorum quæ contrarie proferuntur, ut per se dissimilitudinis, per se diversitatis, et eorum quæ sunt, tota, et quæ eorum partes, auctor est Deus, causa et effector; per omnia eodem tenore et forma demonstrans et universa producta esse, et unum tantum eorum omnium principium et causam esse, unum scilicet, quod est supraquam substantia, quæ est illa beata et trium personarum natura. Ut autem ex iis quæ posita sunt, proprietates etiam percipiamus, est quidem pax divina, quæ diversa nectit in unum (dicta est enim congregatrix et colligatrix illorum etiam, quæ maxime diversi generis et naturæ sunt) multa in temperamentum commiscens non confuse, neque permiste; sed servans in singulis universitates, in unum mentis simplicem conceptum reducit (1). Deinde hæc divina pax veluti unionem multiplicium et diversarum vocum et sonorum instar concentus et symphoniæ pulcherrime conficit, nihil ex gravi aut acuto demutans, sed potius manent secundum naturam sine confusione aptatam, ut ingeneretur copulatio supraquam cogitari potest, amatorlis quibusdam illecebris, vel nescio quid divinius dicam, in unionem redacta, consentanee etiam nos divina nomina, quæ in illo uno, quod est supraquam substantia, contraria esse videntur, huic divinæ paci attribuimus; et magnitudinem ad parvitatem referentes, in unam pacem contulimus, magnitudinem quidem definientes, qua non queat major moles reperiri; parvitatem vero, qua non possit minor; per utrumque nomen, pacem ad infinitum Deum revocantes. Quid enim majus substantia infinita? aut quid rursus hac tenius, quæ tota per pulviculum insecabilem permeat? Item etiam simile arbitramur cui est similitudo communionis cum alio vel in coloribus, vel propensionibus, vel moribus, et modis, vel in gubernationibus rerum, vel in alio, ut aliquis potest conjicere similitudinem comparentem: dissimile vero, cujus nulla est similitudo secundum rationes et modos nobis notos, desiderium tamen nominis Dei, quo tenemur, in una pace congregavit hæc, et laudans similitudinem Dei, similem nobis nominat, quia præbet nobis similitudinem, non quod ipse fiat nobis similis (nulla enim effectis cum effectore similitudo, cum infinitis et immensis mensuris et intervallis illa ab auctore absint) sed potius, sicut diximus, quia ipse est effector per se similitudinis, qua nos Deo efficimur similes: *Estote enim*, inquit, *misericordes, sicut Pater vester cœlestis* [81]; idem vero est etiam dissimilitudinis auctor, quia unicuique eorum quæ ab eo facta sunt, proprietatem indidit, ut nunquam quandiu singula ordinata sunt, inter se conveniant. Si autem nomen ejusdem et diversi Deo attribuimus, ex iis quæ produxit et donavit sumimus. Est quidem ταυτότης, id est identitas, conspiratio et consensus universitatis rerum cum uno mundo, et generatio penitus distantium, summas eorum qualitates similiter retinens; et eadem affectio diversarum naturarum, et dissimilium partium, est autem rursus diversitas multipartita distantia eorum quæ ab una radice in infinitum tenduntur, et variatio omnis generis in partibus et membris uniuscujusque, et multiplex ac varia multitudo creationis formarum; sic quoque stationem Dei laudamus ab iis quæ et collocavit, et firmavit, et quibus locum manendi dedit; et motum rursus laudamus, quod ipse cum sit alioqui immobilis, et declinare non possit, nec ulla in re, aut modo moveatur, neque mutetur, aut varietur, voluntate tantum omnes species et formas motuum produxit, et renovavit, emittens eas una omnino pace, concentu, et concordia, quando oportet emittere; et rursus ad se revocans ipsa sua per se pace secundum unam, et nunquam intermissam operationem.

CAPUT IX.

De omnipotente, susceptore, adjutore, et de aliis nominibus, quæ de Deo dicuntur, et sunt eorum quæ dicuntur ad aliquid: et de divinitate, et similitudine, et habitudine, quæ in deificatis, et imitantibus, et similitudinem capientibus dicuntur secundum imitationem, et similitudinis informationem, et habitudinem Dei, qui est omni habitudine solutus, et omnem imitationem superat, et de deificatione secundum habitudinem, et de iis quæ dicuntur ut excellentiam declarent, ut rex regum, Deus deorum.

Gregorius Nyssenus in confutationibus Eunomii libro secundo: Reperitur, inquit, nihil aliud significare in divina potentia nomen omnipotentis, quam referri aliquo modo ad aliquid operationem continentem imperio et dominatu ea quæ in creatura mundi contemplamur, hoc enim vis, quæ in hoc nomine cernitur, demonstrat. Et sicut nunquam esset medicus, nisi propter ægrotos; neque rursus misericors nominaretur, aut miserator, et similiter

[81] Luc. vi, 36.

Scholia.

(1) *Album, et nigrum*, et reliquas species coloris in unum conceptum simplicem coloris cum mens relucit, universitatem generis in eis servat, neque enim convenientia in universitate generis, confundit species; neque diversitas speciei tollit convenientiam in universitate; sed hæc consensio in concentus a pace divina proficiscitur.

Digitized by Google

in alils ejusmodi, nisi esset qui miseratione et misericordia indigeret; sic etiam nec omnipotens, nisi omnis creatura dominante, et in eo quod est, eam conservante indigeret. Ut medicus igitur ei qui curatione indiget, adhibetur; sic omnipotens ei, cui opus est teneri dominatu. Et sicut bene valentibus non opus est medico, sed male habentibus; sic consequenter recte dici potest, eum in quo natura aberrare et labi non potest, non indigere alio a quo teneatur. Et magnus Dionysius, in epist. secunda ad Caium : Quomodo Deus, qui est supra omnia, est supra principium divinitatis, et supra principium bonitatis? scilicet si divinitatem et bonitatatem intelligas esse donum ipsum, quod deos et bonos facit, et ipsam imitationem (1) quam assequi non possumus, Dei et boni, qui est supraquam Deus, et supraquam bonus qua dii et boni efficimur. Etenim si hoc est principium, quo deificamur, et boni efficimur, qui est omnis principii supraquam principium, etiam est supra divinitatem et bonitatem, hoc est, supra principium divinitatis, et principium bonitatis. Quia enim non est imitabilis, neque haberi potest, antecellit imitationibus et habitudinibus, et eis qui imitantur, et habitudines participant. Magnus Athanasius in libro *De incarnatione Verbi Dei :* Deo igitur, inquit, non est similis Filius Deus, sed unum et idem, sicut scriptum est : *Ego et Pater unum sumus* [a] : divinitatem interpretatus est unitatem; divinitatem vero non qualis est eorum, qui facti sunt dii : siquidem hanc illi opponens, Deus, inquit, est non sicut homo ad similitudinem Dei factus, et Deus nominatus propter similitudinem. Et Gregorius Nyssenus in quodam libro ex suis confutatoriis contra Eunomium : Et si inimicus Domini Dominum nominet Deum, nititur comparare illum cum divinitate Moysis. Sanctus Maximus in scholiis Dionysii, Recte, inquit, dixit divinitatem supra omnem bonitatem, et divinitatem; inferiores igitur divinitates intellige angelorum, et hominum justorum. Sanctus Joannes Damascenus, libro III *De fide orthodoxa*, cap. 12. Natus, inquit, ex Virgine, egressus autem Deus cum carne assumpta, jam ipsa ab eo deificata, simul ut producta est, et esse cœpit : ita ut simul hæc tria essent, assumptio, exsistentia, deificatio ipsius ab ipso Verbo facta. Rursus sanctus Maximus in disputatione contra Pyrrhum : Sicut inflammatio inflammatum, et inflammantem secum infert? et refrigeratio refrigeratum, et refrigerantem, et visio visum, et videntem; et intelligentia intellectam rem, et intelligentem (non enim potest habitudo sine habentibus habitudinem dici, aut intelligi), sic, ut consequens est, deificatio deificatum, et deificantem secum inducit. Idem : Oportebat, ut vere dicam, eum qui est auctor eorum quæ secundum naturam sunt, esse etiam auctorem deificationis secundum gratiam. Idem iterum : Demonstravi, inquit, divinam potentiam, quæ supra substantiam est, efficere deificationem eorum qui secundum gratiam deificati sunt. Gregorius Theologus, in oratione postquam factus est presbyter : Solitudinem, inquit, maxime omnium amplexus sum, et tanquam adjutricem et parentem divini ascensus et deificam vehementer admiratus sum. Rursus magnus et divinus Dionysius, cap. 10, *De divinis nominibus*, ait : Dicitur autem omnipotens Deus, ut omnia dominatu suo tenens, et qui iis quæ gubernat, præest non mixte (2); et ut omnibus desiderabilis, et amabilis; et cunctis juga voluntaria imponens (3), et dulces parturitiones amoris divini, et omnipotentis, et insolubilis ipsius bonitatis. Gregorius Nyssenus, in primo libro *contra Eunomium :* Alia, inquit, nomina tantum significant quod est ad aliquid utile, ut adjutor, defensor, et susceptor, et quæcunque hujus significationis reperiuntur, quibus si adimas egentem ope, vacua et otiosa fuerit vis, quæ in ipso nomine cernitur. Rursus Dionysius cap. 12, de eisdem divinis nominibus : Quia, inquit, auctor omnium secundum unam excellentiam universa exsuperantem est supra quam plenus, sanctus sanctorum, et allis ejusmodi nominibus laudando nominatur convenienter causæ superfluenti, et excellentiæ eximiæ, ut si quis dicat, quanto antecellunt sancta, aut divina, aut dominantia, aut regia iis quæ non sunt talia, et rursus ipsæ per se participationes participantibus; tanto antecellit omnibus quæ sunt, qui est supra omnia, et omnibus participantibus, et participationibus, qui est causa non participata. Sanctos autem et reges, atque dominos, et deos vocant Scripturæ principaliores in unoquoque ordines. Quod quidem cum sanctus Maximus adnotat, principes qui inferioribus præsunt, ait vocari secundum excellentiam sanctos, et dominos et reges, et deos; sicut et inter homines ii qui sunt excellentissimi, sic appellantur. Ex quibus efficitur manifestum, aliam quidem si-

[a] Joan. x. 30.

Scholia.

(1) *Ipsam imitationem Dei.* Imitatio Dei vocatur deificatio, quia non deificamur, nisi imitando Deum; deificatio ipsa, quæ dici solet per se deificatio, est donum Dei, et principium nostræ deificationis a Deo donatum nobis. Deus igitur est supra hujusmodi principium formale divinitatis deificæ, qua tanquam dono Dei deificamur ab ipso Deo; et similiter supra principium bonitatis, qua tanquam dono Dei boni efficimur ab eo.

(2) *Non mixte*, quia non opus est, ut se veluti cum rebus et negotiis misceat ad cognoscendum ea, ut tute et caute gubernet, sicut necesse est homini; alioqui non poterit solus sufficere gubernationi.

(3) *Juga.* Juga voluntaria vocat appetitus naturæ, ut cuique convenit, insitos, tanquam leges impositas, quibus omnis natura libenter et sponte sua paret, et nulla resistit, nec obedientiam detrectat. Et quia hujusmodi appetitus, et impetus insiti, et inclinationes tendunt ad amandum summum bonum, quod varie participant, idcirco ejusmodi inclinationes dicuntur a Dionysio divinum amorem parturire, sicuti terra sole tepefacta fructus parturit.

Digitized by Google

gnificationem præseferre ea nomina, quæ de Deo dicuntur ad aliquid; aliam vero, quæ secundum exsuperationem efferuntur : atque illa quidem aliquando supervacua esse et otiosa perfecto opere, ut antea, et nunc demonstratum est; hæc vero, quæ secundum exsuperationem, semper eodem modo excellentiam declarare, atque illa quidem evidens indicium ostendunt in fabricatione universi. *Septimo enim die*, inquit, *requievit ab omnibus operibus suis*[83]; quare cessavit a creatione cœli, solis, stirpium, animantium, ut universe dicam, ab universo opere quod patrarat (1), propter opus enim dictus est tunc Deus fabricator mundi. Est igitur semper fabricator mundi Deus, sed tanquam jam fabricatio mundi desierit; sicut et creator, qui non semper creat; et ad ridendum aptus, qui non semper ridet, hæc autem est, quia solum est causa et effector Deus, infinitis enim et immensis intervallis effector effectis antecellit. Cum autem Dionysius excellentiam in his ostendit, in duas partes divisit; in sancta, et non sancta, et in per se participationes, et in participantia. Et quanto, inquit, ea quæ sunt, iis quæ non sunt, antecellunt, et participationes participantibus; tanto Deus antecellit sanctis, et non sanctis; et per se participationibus, et participantibus. Excellentia igitur Dei æque pervadit in participantia, et per se participationes; et in sancta, aut divina, aut dominantia, aut regia, et in ea quæ non sunt talia. Si autem Deus æque utraque excellit, quam rationem productionis habebunt quæ non sunt sancta, et quæ participant, eamdem habebunt sancta, et per se participationes, quod si illa sunt creaturæ Dei, et hæc igitur sunt creaturæ Dei. Apparent tamen hic etiam proprietates, illa enim, id est, participantia et participationes, propter finem, cujus causa, perfecta sunt, et eorum proprietas est dici ad aliquid, aliquo modo se habere; horum autem, id est, quæ secundum excellentiam dicuntur, proprietas est, ex æquo esse infra Deum, cum illis quæ participant, et sunt per se participationes, quibus et illa facta sunt. Præterea omnipotentia, susceptio, auxilium, et salvatio si in Deo dicuntur, sunt una pax, et quies, ac silentium; sin vero extra Deum, et tanquam emanationes in creaturas, ad custodiam, et tutelam, et auxilium, et susceptionem, et salutem productæ, in iis quæ custodiuntur, perficiuntur. Rursus, sanctitas, et dominatus, et regnum, et divinitas, absolute quidem in Deo dictæ silentium ejus sunt beatum, et supra substantiam : extra Deum vero, proprietates accipiunt ad creaturam spectantes; illa, id est, sanctitas, liberatio est ab omni scelere et macula; dominatus firmitatem veram, et ab prolapsione liberam exhibet; regnum est distributio omnis regulæ, et ornamenti, et juris, et ordinis; divinitas vero providentia omnia contemplans, et similiter in aliis, si quis a moribus et actionibus Dei nominare pergat divinitatem quæ est supra quam expromi possit sive affirmando sive negando, et supra quam intelligi, et supra substantiam.

[83] Gen. II, 2.

CAPUT X.

De æqualitate, perfectione, unitate, et quæ eorum in rebus proprietates.

Magnus Dionysius, cap. 9 *De divinis nominibus*. Si quis vero, inquit, in sanctis Scripturis nomen, quo Deus nominatur idem, et quo nominatur justus, in nomine divino, quo nominatur æqualis, accipiat, dicendum est, Deum esse æqualem non solum ut expertem partium, et qui a recto declinare non possit, sed ut in omnia et per omnia æqualiter meantem, et ut per se æqualitatis effectorem, secundum quam æqualiter operatur similem omnium per ipsa inter se incessum (2), et participationem æqualiter participantium, ut quodque eorum aptum est (3), et æqua-

Scholia.

(1) *Cessavit ab omni opere.* Creare non solum significat facere ex non ente, ut impius Eunomius tradebat; qui idcirco aiebat non jam animas creari sed generari, ex quo Deus requievisset ab omni opere quod creando patrarat; sed significat etiam facere aliquid novum, ut notavit Nemesius, Adamantius, lib. II, De homine: a quo genere creationis dicit cessasse quidem Deum, sicut scriptum est in Ecclesiaste (cap. 1): Nihil novum sub sole. Nec enim vel resurrectio corporum (ut ait Gregorius Nyssenus hunc locum interpretans) aliquid novi erit, sed restitutio in pristinum statum; idcirco, inquit, subjungit Ecclesiastes : Extra vetus nihil est, sic enim est apud LXX interpretes. Creari ergo animam non est novum, sed tale quid, quale a principio factum est, cum fecit Deus hominem, et secundum imaginem Dei fecit eum, sicut semper facit nihil varians. Desiit itaque creare primordia rerum, unde idem Ecclesiastes ibidem : Quid est, inquit, quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum; nihil novum sub sole. Significat enim (ut alius quidam Gregorius ait, vetus et elegans interpres Græcus cujus cognomentum nondum reperi) non solum ea quæ a principio facta sunt servitutem suam erga auctorem suum demonstrare, illiusque infinitam sapientiam, potentiam et magnificentiam testari, verum etiam quæ nondum exsistunt, sed futura sunt, ipsa quoque rationem ordinis, subjectionis et obedientiæ illorum primorum erga auctorem suum secutura esse: ita ut nihil eorum quæ sunt futura, aut facienda, vel creanda, diversum ab iis quæ primum facta sunt, inveniatur : imo secundum seriem primis illis a potentia Dei omnium operatrice et gubernatrice impositam, ortum et motum ac conservationem habitura esse usque ad præscriptum a Deo finem omnium; nihilque prorsus reperiendum esse, quod alium ortum, aut motum, aut ordinem habeat, unde possit aliquis occasionem sumere dicendi: Hoc novum est. Hactenus iste auctor.

(2) *Inter se incessum.* In elementorum mistione versatur hujusmodi æqualitas, quæ si non esset, non fierent generationes in mundo, si enim aliquod ex elementis exsuperet ac redundet, corrumpitur quod generatur.

(3) *Ut quodque aptum est, et pro dignitate.* Hoc dicit propter æqualitatem proportionis, sive quæ sunt natura fiant, sive per gratiam, ut non omnes æqualiter illuminantur a sole nec omnes æqualiter sanctificantur, sed proportione, ut apti sunt, aut digni habentur.

Digitized by Google

lem in omnia pro cujusque dignitate distributionem, et quatenus omnem æqualitatem intellectilem (1), intelligentem, ratiocinantem, sentientem, substantialem naturalem, voluntariam, exempte et unite in se ipse anticipavit, secundum virtutem omnia exsuperantem, omnis æqualitatis effectricem. Ac rursus idem cap. 13 : Perfectum rursus dicitur, quod non potest augeri, et semper perfectum est, et minui non potest, item quod omnia in se continet, et redundat secundum unam nunquam intermittentem, et eamdem, et supraquam plenam suppeditationem, quæ minui non potest, qua omnia perfecta consummat, et convenienti perfectione implet. Et iterum idem : Nec enim est multitudo, quæ aliquo modo non participet unum, imo quæ sunt multa partibus, sunt unum toto; quæ sunt multa accidentibus, sunt unum subjecto; et quæ multa numero, aut facultatibus, sunt unum specie, et quæ sunt multa multiplici specie, sunt unum genere; et quæ sunt multa emanationibus, sunt unum principio; et nihil quidquam est, quin quoquo modo unum participet; illud dico, quod in se secundum omnia singulari, omnia, et tota omnia (2), et contraria anticipavit. Amplius adhuc idem : Oportet, ut nos a multis virtute divinæ unitatis ad unum conversi unite laudemus totam beatam divinitatem, unam scilicet omnium causam quæ est ante omne unum et ante omnem multitudinem, et omnem partem, et omne totum, et omnem terminum et incircumscriptionem, omnem finem, et omnem infinitatem; unum inquam, quod omnia quæ sunt, et ipsum esse definit (3); et est totorum omnium, et simul, et ante omnia, et supra omnia causa singulariter, et est supra ipsum unum ens (4), et ipsum unum ens definit : siquidem quod est unum in rebus, annumerabile est, numerus autem substantiam participat (5); unum vero, quod est supraquam substantia quod est unum, et omnem numerum definit, et ipsum est unius, et numeri, et omnium quæ sunt, principium, et causa, et numerus, et ordo. Hæc autem adnotans sanctus Maximus: Adverte, inquit, quod merito ante unum dicit esse Deum, quandoquidem omnibus antecellit: unde numeri est effector, et inventor. Et rursus : Observa, inquit, quod adnumerabile significat declarationem numeri, quare in iis quæ sunt, id est in creaturis, cum unum dicitur, secundum numeri notionem dicitur. Ex quibus patet, quod Deus, qui ipse est secundum se per se æqualitas, et per se perfectio, et per se unitas hæc sibi tribuit quæ est ipse, atqui hæc quæ ipse est, intelligere nequaquam possumus, nec expromere fas est. Theologi vero de per se æqualitate, et per se perfectione, et per se unitate in rerum natura productis loquuntur, explicant, et intelligunt. Est igitur æqualitas æqualis distributio universi, partim aliquid commune habens cum eodem, et cum justitia; partim aliquid proprium; abundat enim variis vocibus, non ut eas in unum concilians, sed ut principium quoddam et extremum in unum sonum desinens, omnia namque quæ inter se concinunt, diversitatem habent eorum ex quibus constant; et similitudinem sonorum secundum plectri modum; æqualitas autem similitudinis vocum plus concentus habet; moderatur enim hunc tanquam causa inchoans, et finiens, et veluti a se incipiens, et per concinentia, et inter se respondentia circumiens, in se rursus desinit. Ab una igitur ratione æqualitatis sumenda est et aliorum ratio in quibus æqualitas versari consuevit, æquale enim est, quod est eorumdem mensura, quorum igitur eædem sunt mensuræ, æqualitas etiam eadem est. Quare divina æqualitas æqualiter operatur similem omnium per ipsa inter se incessum, et æqualem participationem, ut quodque aptum est, et æqualem in omnia pro cujusque dignitate distributionem, perfectio autem in iis quæ sunt, quod in eis est minus et plus ejicit; æqualem autem perfectionem reddit partibus, et est perfectum in numeris quidem, totum æquale partibus; in affectis vero qualitate, perfectus habitus eorum qui ad hunc usum affecti sunt qualitate, natura quædam est ipsis perfecte propter multam experientiam ingenita, et neque plus neque minus habens, quam recta regula secundum ipsum usum requirit: in substantiis vero perfecta

Scholia.

(1) *Omnem æqualitatem.* Νοητοὺς et νοεροὺς, id est, intellectiles, et intelligentes vocat angelos, quia habent infra se a quibus intelligantur; et ipsi intelligunt, animæ autem non solent vocari νοηταὶ id est intellectiles, quia non habent infra se a quibus intelligantur, sed dicuntur ratiocinantes, et νοεραὶ etiam, id est intelligentes, sed non proprie, ut angeli; sentientem æqualitatem vocat, quæ in animalibus reperitur; substantialem, quæ in substantialibus (sic vocat quæ sunt sine sensu et motu); naturalem, quæ in naturalibus : illa intelligit, quæ qualemcunque motionem habent, natura enim est principium motus et quietis; voluntariam, in iis qui voluntate præditi sunt, qui volunt juste vivere, justitia enim est quædam æqualitas; omne genus æqualitatis habet Deus anticipatum in seipso simpliciter tanquam in ideis et exemplaribus, æternisque suis notionibus, ex sancto Maximo.

(2) *Omnia et tota omnia.* Omnia dicuntur, quando sunt species, et partes, et differentiæ in divisionibus; totum, quando partes collectæ unum constituunt, vel speciem, vel genus; vel contraria et opposita in unum consensione quadam conspirant, ut aqua simul, et terra, et aer, ex S. Max.

(3) *Et ipsum esse.* Illud per se esse dicit, quod est per se principium, et primum τῷ πρός τι πῶς ἔχειν, id est, quia ratione habitudinis tanquam ex forma ex ipso per se esse exsistunt; sicut vita est per se vita.

(4) *Et est supra ipsum unum.* Illud dicit, quod est, ut ait S. Maximus, αὐταρχὴ καὶ πρῶτον τῷ πρός τι πῶς ἔχειν, id est, per se principium, et primum habitudine ad aliquid; inducit enim, inquit, notionem multorum ex seipso, hæc autem longe absunt a Deo, a quo sunt aliena, qui secundum naturam suam non potest cum alio conjungi, sicut unum in numeris, ex S. Maximo.

(5) *Substantiam participat.* Creaturam vocat substantiam, quod autem numeratur in creaturis, pars numeri est, et numeratur in iis quæ sunt suæ speciei, vel generis, vel ordinis, et similiter in aliis, cum quibus convenit.

Digitized by Google

vita, et immortalis; et ut uno verbo dicam, omne nimium et parum perfectionem corrumpit. Æqualitas ergo, et vita non deflexa a recto in substantiis quidem perfectionem efficit; in numeris vero totum æquale partibus; in qualitate præditis, scientia quæ excidere non possit. Deus autem, qui est per se perfectio, perfectionum effector est, tum perfectionis, cui ademptæ sunt multæ perfectiones (1), tum per se perfectionis, quæ late patet, ad imitationem enim exemplarium divinorum, quæ supra substantiam sunt, produxit et perfecit, quæ hic absolute dicuntur unitas autem, quæ in omnibus obambulat, divino nomine unitatis decoratur, operans infinitas unitates in generibus, in specie, in individuis, in partibus, in membris, et ut dicam, quod plurimum valet, et potissimum est, in omnia se multiplicat, nos ad imitationem unitatis Dei, quæ est supra quam ignota ad unitates revocans, ut in multitudine unitatum, quæ ab ipso productæ sunt, efficiat ut nos a multis ad unum virtute divinæ unitatis conversi, facti unum, laudemus totam, et unam divinitatem, unam omnium causam, hoc per se unum, quod iis quæ sunt, adnumeratur, principium efficitur ejus quod per se est, quatenus unum est, quod per se est licet non sit per se, sed ut accidens (2), hoc etiam in unaquaque emanatione unum fit; et unum item communiter in omnibus emanationibus, sive genera sint, similiter, sive species, eodem modo; sive individua, nunquam deficit ubique unum, et hujus per se unius proprietas est, in quibus inest, multa ad se convertere. At vero pro expositione materiaria contenti sumus iis quæ magnus Dionysius exposuit; quod si in quibusdam, cum ea recenseremus, aliquid variavimus, non fuit nobis propositum magis ordinate quam ille, recensere, absurdum enim erat tam magnum solem ex adverso intueri, ut in hoc etiam verbis ejus utar (*a*). Dum capita contexuimus, quia hoc fuit a principio propositum, proprietates ex junctis, et continuatis collegimus, propter facilitatem, quædam contraximus, alia in alium locum transtulimus propter clariorem distinctionem. Inscripta vero est decas *De proprietatibus*, non quasi nobis aliquid abunde suppetat, quod magno Dionysio desit, sed potius ex iis quæ copiose dicta sunt ab eo, solum explanamus ubi oporteat proprietatem considerare. Propositum vero est planum facere per omnia, solum esse causam universi divinam trium personarum naturam, quæ est supra substantiam, et supra naturam, alia vero omnia, sive quæ dicuntur primum exsistentia, sive participationes, sive providentiæ, et dona divina, quia propter causam producta sunt, in effectis numerantur; suntque sicut effecta, generata et creata. Omnis enim effectio (ait magnus Basilius), par fit suis effectis; et magna quidem effectio magnorum effectorum est; parva vero parvorum

DECAS SEXTA. — *DE APPARITIONIBUS DIVINI LUMINIS.*

CAPUT I.

Quod omne lumen sub sensum cadens ex Deo est, et quod sol imago est bonitatis ipsius.

Dionysius, capite quarto, *De divinis nominibus*: Sed quod in medio præter lapsum nos effugerat, cœlestium principiorum, et subterminationum (3) causa est bonum, item substantiæ hujus cœlestis, quæ non augetur, neque minuitur, et penitus non variatur, et motuum cœlestis curriculi vastissimi non sonantium, si ita loqui oportet, et ordinum stellarum, et pulchritudinum, et luminum, et inflexionum earum, et multiplicis cursus vagantis quorumdam siderum, et duorum luminarium, quæ Scriptura vocat magna, circuitus, et eodem, unde profecta sunt, reversionis, quibus apud nos dies et noctes distinguuntur; et menses atque anni definiti ipsos motus temporis, et eorum quæ in tempore sunt, circulo confectos distinguunt, numerant, ordinant, et continent. Quid autem dicatur de ipsomet radio solis? A summo enim bono lumen proficiscitur, et imago bonitatis est; quamobrem nomine luminis bonum laudatur, tanquam appareat primum exemplar in imagine. Sicut enim bonitas divinitatis quæ supra omnia est, a supremis et provectissimis

Scholia.

(1) *Perfectio, cui ademptæ sunt multæ perfectiones*, est perfectio non abstracta per intellectum a toto, et a parte; hæc enim multis perfectionibus caret; perfectio vero abstracta, et absolute considerata late patet, quia non est restricta ad totum, aut ad partem, ut vita absolute considerata, quæ dicitur per se vita, huic nulla perfectio adimitur, sicut adimitur vitæ in genere, ut animalis; et vitæ in parte generis, id est, in specie, ut hominis, aut angeli, et multo magis hujus hominis aut angeli quæ sunt individua.

(2) Per se esse, sicut per se vita, et per se unum, et similia, est ens per accidens, quia solum per abstractionem exsistit in mente.

(3) *Principiorum et subterminationum.* Non significat hoc loco Dionysius, ut quidam interpretati sunt, corpora cœlestia esse principia agentia eorum quæ ortum et interitum capiunt, et discerni res secundum eadem corpora; non loquitur hic de hujusmodi principiis, sed de principiis et terminationibus orbium cœlestium, quos fecit Deus bonitate sua globosos, in qua figura idem est principium et terminus, sive finis; non dixit ἀποπερατώσεις, id est, terminationes, sed ὑποπερατώσεις, id est, subterminationes, ut S. Maximus observavit, quia motus corporis globosi non habet proprie terminum, sed veluti terminum habet moveri ab aliquo principio ad idem tanquam ad terminum, verbi gratia, ab oriente ad eumdem orientem.

(*a*) Cap. 3 *De divin. nom.* in fine.

Digitized by Google

substantiis usque ad extremas pervadit, et adhuc supra omnes est, ita ut neque superiores usque ad illius excellentiam pertingant, nec inferiores non ab illa contineantur; quin potius omnia quæ illuminari possunt, illuminat, et creat, et vitam dat, et continet, et perficit; et mensura est eorum quæ sunt, et ævum, et numerus, et ordo, et complexus, et causa, atque finis: sic etiam ingens iste, et totus splendidus, ac semper lucens sol imago expressa est divinæ bonitatis, quatenus tenuissimum quid illius boni in eo procul resonat (1), et omnia quæ eum participare possunt, illustrat, et lumen habet supra extensum, quod in universum mundum qui cernitur, tum superiorem, tum inferiorem, splendore radiorum suorum multiplicat: et si quid eum non participat, non est in causa imbecillitas aut tenuitas facultatis illuminandi, sed potius non esse expeditum ad participationem luminis, quia non sit idoneum ad admittendum illud. Ac revera multa sic sunt, quæ radius solis prætergressus, illa quæ ultra sunt, illuminat; et nihil est eorum quæ cerni possunt, quo non pertingat sol, ut est ingens vis splendoris sui. Quia etiam ad ortum corporum sub sensum cadentium confert, et ea movet ad vitam, nutrit, auget, perficit, et purgat, ac renovat; et mensura est ac numerus horarum, et dierum, et omnis nostri temporis (hoc enim est illud lumen, tametsi tunc non erat figuratum, quod dixit divinus Moyses distinxisse illud primum dierum nostrorum triduum), unde ἥλιος, id est, sol, dictus est, quod omnia facit ἁλλᾶν, id est, omnia servat salva, et congregat dispersa; et omnia quæ sentiendi vim habent eum appetunt, vel ut videant, vel ut moveantur, et illuminentur, et calescant, et denique ut contineantur, et conserventur a sole: non hoc dico, ut antiquitas existimabat, quod sol sit Deus, et auctor universi, qui hunc mundum quem cernimus, proprie gubernet, sed potius quod invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas. Ex quibus patet, omne lumen quod cernitur a Deo factum esse; et solem esse multis modis et rationibus imaginem bonitatis Dei: simul etiam demonstratum est, quemadmodum cum Deus dixit primo die: Fiat lux, lucem illius tridui sine figura, et diffusam coegit, et in figuram globi solis contulit, præfiniens ei circuitus et orbes annuos. Idem ostendit magnus Basilius, in Hexaemero.

CAPUT II.

Quod ignis sub sensum cadens non solum imagines angelorum, qui similitudinem Dei gerunt, exhibet, sed ipsius etiam Dei; et quæ ejus proprietates.

Dionysius cap. 15 *Cœlestis hierarch.*: Aggredien-

A dum, inquit, est dicere, et investigandum in prima explanatione figurarum, quare sancta Scriptura in figurandis angelis imaginem igneam fere præ cæteris imaginibus honorare reperiter. Reperies itaque eam non solum rotas igneas effingentem, sed animalia ex igne, et viros instar ignis fulgore collucentes, tum acervos carbonum ignis circa cœlestes substantias ponentem, et fluvios igni ardentes, impetu qui cohiberi non possit, profluentes; imo et sedes ait igneas esse; et ipsos supremos Seraphinos urentes repræsentat[84], ut nomen declarat, ac proprietatem ignis et efficientiam illis tribuit; denique supra et infra (id est, ubique) igneæ imaginis formationem præcipue honorat. Ignem igitur, ut arbitror, designat maximam in mentibus cœlestibus
B Dei similitudinem; sacri enim theologi substantiam, quæ supra substantiam est, sine forma, multis in locis in igne delineant, quod ignis multas habeat imagines (si fas est dicere) divinæ proprietatis, quatenus in ijs quæ cernuntur, habere potest. Ignis enim, qui sensu percipitur, est quidem in omnibus, ut ita dicam, et per omnia non permisce pervadit, et ab omnibus diversus est, cum sit alioqui totus lucens, simul est tanquam latens, incognitus per se, non propositis materia, in qua suam vim et actionem ostendat, neque teneri, neque videri potest, et omnia superat; et ea in quibus fuerit ingenitus, ad suam facultatem trahit: habet vim immutandi, impartiendi se omnibus qui ad eum utcunque appropinquant, renovandi calore vitali, illuminandi splen-
C doribus non obtectis; non potest cohiberi, est admistionis expers, habet vim secernendi, est immutabilis, fertur sublime, est motus celeris, est altus, non patitur ut unquam appetat deorsum ferri, est per se mobilis, semper mobilis: alia movens; habet vim continendi, et a nullo contineri potest, non indiget alio, auget se occulte, et in materiis subjectis declarat magnitudinem suam: est efficax, potens, coram omnibus adest inaspectabilis; si n gligitur, videtur non esse; collisione facta, veluti quæsitus, naturaliter et cognate repente apparet, et rursus avolat incomprehense; in omnibus sui copiosissimis
D distributionibus non minuitur. Multas ignis proprietates poterit quis invenire divinæ operationi cognatas, quatenus in sensibilibus imaginibus esse possunt. Hoc igitur cum in divinis Litteris eruditi didicerint, cœlestes substantias ex igne effingunt, ut similitudinem Dei, quæ in illis inest, et imitationem, item Dei quantum illæ capere possunt, repræsentent. Rursus idem Dionysius in epistola ad Titum: Etenim non solum lumina, quæ sunt supra substantiam, et mente contemplamur, et ut semel dicam, divina, symbolis ad figurandum pertinentibus va-

[84] Dan. VII, 9, 10; Ezech. 13, 14, 27; VIII, 2; Matth. XXVIII, 3.

Scholia.

(1) *Tenuissimum resonat.* Græce est πολλοστὸν, quod Lucretius poeta Romanus, lib. VI, vertit multesimum ea forma, qua dicitur centesimum, millesimum. Significat tenuissimum hic extremi soni, ut si quis, inquit sanctus Maximus, magna vociferatione aliquid dicat, qui astant, et bene clamorem,

Digitized by Google

mantur, ut cum Deus supra substantiam, ignis dicitur; et eloquia Dei ignea (1): sed præterea etiam divini ordines angelorum, qui simul sunt intellectiles, et intelligentes, variis formis, ac multiplici specie, et igneis figuris depinguntur: aliterque eamdem imaginem ignis accipere oportet, cum de Deo dicitur, qui intelligentiam superat; aliter cum de providentiis (*a*) ejus, quas intelligentia percipimus, aut de sermonibus; et aliter, cum de angelis. Atque illam quidem imaginem ignis de Deo dictam, secundum causam accipere oportet; aliam secundum exsistentiam, aliam vero secundum participationem; et alia aliter, ut eorum contemplatio et constitutio scienter facta præscribit; nec enim oportet fortuito ac temere miscere symbola, sed potius explanare ea convenienter causis, aut exsistentiis, aut potestatibus, aut ordinibus, aut dignitatibus; quæ omnia signis declarantur. Ex his efficitur manifestum, quod ignis qui sensu percipitur, non solum imagines angelorum Deo similiem exhibet, sed etiam ipsius Dei, qui supra substantiam est; et ubique imaginis igneæ figuratio ex multis proprietatibus ignis sumpta locum habet, sed non utcunque et casu, quin imo alter in Deo, secundum intelligentiam quæ mentem nostram superat, aliter in nominibus ejus, convenienter mentis nostræ notionibus, aliter in divinis angelis; in illo enim, id est, in Deo, tanquam in causa et auctore ignis; in his vero, id est, in nominibus Dei, quæ providentias varias significant, tanquam in multiplicatis et diffusis ad participandum et quisque idoneus est, in angelis vero tanquam in eum habitum, quatenus exsistunt, indutis, quemcunque Deus ad salutis nostræ procurationem velit.

CAPUT III.

Quod Deus a sensilibus et nobilioribus sol et lumen nominatur, a mediis autem ignis; et quod contemplatio luminum symbolicorum est multiplicis nominis.

Magnus Dionysius, capite secundo *Cœlestis hierarch.*: Has, inquit, imagines reperiemus mystico theologos sancte effingere non solum in angelicis apparitionibus cœlestium ordinum, sed cum Deus ipse apparet; et quandoque quidem ipsam divinitatem a rebus magnæ æstimationis laudant, ut cum solem justitiæ vocant, et stellam matutinam in monte sacro orientem, et lumen sine integumento, et in mente splendens; aliquando vero a rebus mediocribus, ut cum appellant ignem ita illuminantem, ut nihil cuiquam noceat; et aquam, quæ vitalem expletionem præbet, et quæ ut symbolice loquar, in ventrem diffluit, et fluvii emanant, eruptione libera effluentes; alias vero laudant ab infimis rebus, ut cum vocant unguentum odoratum, et lapidem angularem: quin etiam forma feræ eum induunt, et leonis ac pantheræ proprietatem ei affingunt, et pardum fore aiunt, et ursum indigentem: addam præterea, quod cæteris omnibus ignobilibus, et magis a similitudine alienum esse videtur, quod illi in divinis Litteris valentes tradiderunt ipsum sibi speciem vermis affingere. Hæc divinus Maximus explicans: Solem, inquit, justitiæ Malachias nominat [58]; et beatus Petrus, *Donec*, inquit, *lucifer oriatur in cordibus vestris* [59]; hic enim est stella matutina [60]. Moyses autem in rubo: *Ignis*, inquit, *ardens non nocendo* [61]. Jeremias ait: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ* [62]. Et Salomon in Canticis canticorum: *Unguentum effusum nomen tuum* [63]. Osee autem et Micheas ex numero duodecim prophetarum, feras hic dictas commemorant [64]. David vero vermem dicit in persona Domini [65], qui propter nos carnem induit, non secundum divinitatem, sed secundum humilitatem et ignobilitatem carnis quæ videbatur. Sed et Gregorius cognomento Theologus in oratione de Baptismo: Deus, inquit, erat lumen illud summum et inaccessum, quod nec intelligentia comprehendi, neque sermone expromi potest, omnem naturam rationis compotem illuminans, hoc est in iis quæ sub intelligentiam cadunt, quod est sol in iis quæ sub sensum. Secundum lumen est angelus, primi luminis fluxio quædam, vel participatio, quæ sua in eum

[58] Malach. IV, 2. [59] II Petr. I, 19. [60] Apoc. XXII, 16. [61] Exod. III, 2. [62] Jerem. II, 13. [63] Cant. I, 2. [64] Osee XIII, 4 seqq. [65] Psal. XXI, 7.

Scholia.

et quod dictum est, percipiant; qui autem distant, quo magis distant, minus audiunt; qui vero longe sunt, tenuissimum sonum audiunt sine significatione vocis: sic cogitandum est, inquit, de lumine solis, si cum divino conferatur, esse scilicet divinum lumen infinitum, et conferri cum illo non posse, ad instar acutissimi clamoris, et clarissimæ vocis cum tenuissimo et obscurissimo sono collatæ.

(1) Quomodo *imago ignis* conveniat præceptis divinis, quæ in Scriptura (*Psal.* XI, 7) vocantur eloquia Domini igne examinata, et quomodo angelis, non idem sentiunt S. Maximus, et hic auctor Joannes Cyparissiotus. S. Maximus ita interpretatur Dionysium, ut sermones Dei vocentur ignei secundum exsistentiam, id est, quia sic eos fecit Deus, id est, hanc eis vim indidit, cum eorum auctor fuit; secundum vero participationem angelis convenit, quia similes esse Deo, qui est ignis consumens, a Deo, inquit S. Maximus, acceperunt, cum per se essent secundum substantiam. Joannes vero Cyparissiotus secundum exsistentiam dicit eis convenire; quod probabilius videtur, ut cum substantia simul similitudinem Dei acceperint: quia si prius oportet esse, et postea participare aliud præter quam esse, angeli non habent per participationem hoc quod eis tribuitur istis nominibus et figurationibus, sed per exsistentiam, quia non fuerunt priusquam ista participarent; sed potius cum his donis creati sunt: unde Gregorius Nazianzenus angelum dicit esse primi luminis quamdam fluxionem et participationem.

(*a*) De providentiis, in Evangelio Lucæ XII: Ignem veni mittere in terram. Aut de sermonibus ut Jerem. XXIII: Numquid sermones mei non sunt quasi ignis?

Digitized by Google

propensione et ministerio illuminationem habet. Tertium lumen est homo, quod etiam gentilibus manifestum est : φῶς enim, id est, lumen, nominant hominem, propter facultatem rationis quæ in nobis est ; et rursus qui Deo sunt similiores, et magis quam nos ipsi vicini. Scio etiam aliud lumen esse, quo illæ primæ quæ cœperunt, tenebræ pulsæ sunt, vel diremptæ, quod ante omnem creaturam aspectabilem factum est; et circuitum rotundum stellarum, et illum splendorem, a quo superne universus mundus collucet. Lumen quidem illud erat primum mandatum primo homini datum ; quando quidem lucerna est mandatum legis, et lumen, et quia lumen sunt præcepta tua super terram; tametsi invida tenebra, quæ irrepsit, nequitiam creavit. Lumen vero typicum, et compar iis qui illud suscipiebant, lex scripta erat, quæ veritatem et magni luminis mysterium adumbrabat; siquidem et facies Moysis hoc lumine splendescit. Et ut de pluribus luminibus loquamur, lumen quidem erat quod Moysi ex igne apparuit, cum ardebat rubus, et non comburebatur, ut naturam ostenderet, et potentiam divinam declararet. Lumen deinde erat, quod in columna ignis populo Israeletico in via tanquam dux præibat, et solitudinis asperitatem mitigabat. Lumen item, quod Eliam in curru igneo rapuit, et raptum non combussit. Lumen præterea quod pastores circumfulsit, quando illud lumen sine tempore lumini temporis admiscebatur. Lumen fuit illud stellæ quæ Bethleem cucurrit, ut Magos deduceret, et lumen supra nos nobiscum ortum satellitio stiparet. Lumen etiam, divinitas illa ostensa ferme solidior, quam ut aspectus ferre posset; lumen quoque splendor illinc ad eos qui hic purgati sunt, manaturus, cum fulgebunt justi sicut sol, inter quos stat Deus in medio deorum et regum, discernens et distinguens dignitates beatitudinis illinc proficiscentis. Præter ista lumina lumen est proprio quodam modo illuminatio baptismatis, de quo nunc nobis sermo est, quod magnum et admirabile salutis nostræ mysterium continet. Ex quibus liquet, quod Deus a nobilioribus materiis lumen et sol nominatur, a mediocribus, ignis; quin etiam ab infimis accipit nomen; simul etiam demonstratum est multipliciter dici lumen secundum multiplex nomen, et per omnem symbolicam theologiam tendere; huc accessit illud de facie Domini quæ in divina transfiguratione resplenduit sicut sol, qui est omnibus quæ sensu percipiuntur, nobilior. *Resplenduit* enim, inquit, *facies ejus sicut sol, et vestimenta facta sunt alba sicut lumen* [63].

CAPUT IV.

Quod facies Domini nostri, quæ tanquam sol in divinissima transfiguratione resplenduit, et splendor ejusdem decorem corporis post resurrectionem glorificati, et futurum ejus fulgorem naturalem figuravit, et idcirco in aspectum oculorum cecidit.

Divinus Chrysostomus, homilia 56, in Matthæum : Propter hoc, ait, neque nomina dicit eorum qui ascensuri erant; vehementer enim reliqui sequi concupissent, exemplum gloriæ illius spectaturi; doluissentque tanquam spreti. Etsi enim hoc lumen crassius et concretius demonstravit, multum tamen desiderium res afferebat. Et rursus in oratione ad Theodorum lapsum, Quid, inquit, est quod resplenduit tanquam sol? Gloria autem corporum immortalium non tantum luminis emittit, quantum hoc corpus interiturum, quod neque tale erat, quale oculis mortalibus cerni potest, sed quod aspectu oculorum immortalium, ut videri posset, opus habebat. Adhuc idem in eadem oratione : Sed si volumus, inquit, videbimus et nos Christum, ut illi tunc in monte, multo tamen splendidius, non enim sic postea veniet; tunc enim parcens discipulis, tantum splendoris ostendit, quantum ferre potuerunt, postea vero in ipsa gloria Patris veniet. Et Anastasius Sinaites, in oratione de Transfiguratione : Hic, inquit, signa regni præfigurata sunt : in hoc monte splendor justorum adumbratus est : hic futurorum bonorum tanquam præsentium imago expressa est. Imo et divinus Theodorus cognomento γραπτῶν in oratione contra Eusebium : Sed tamen ut veritas habet, sic de ea dicamus : Postquam de periculis Salvator discipulis exposuit, inquiens : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me* [64], et alia hujusmodi : erant autem alioqui gravissima et difficilia ad tolerandum quæ jubebantur; ne difficultate eorum quæ dicebantur, defatigarentur, recreat eorum mentes, et splendorem eorum quæ exspectabantur, et futura erant, sub aspectum valde opportune ponit; quamobrem quantum spectaculi hujus mystici spectatores sustinere poterant, gloriam illam demonstrat, cum qua in fine sæculorum venturus est; secundum quam et ipsi simul splendescent, hanc suorum certaminum remunerationem laturi, quo magis in periculis positi confidant contemptis præsentibus, nulla ratione cum iis quæ spectantur, ista comparantes, judicantes non esse *dignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* [65]. Atqui non semper hæc durarunt; sed hic ad tempus gubernata, gesta sunt; modus enim gubernationis est. Sanctus Cyrillus Alexandrinus in explanationibus in Lucam : Factam esse dicimus transfigurationem non sic quidem, ut corpus humanum figuram amiserit, sed splendore quodam indutum fuerit. Quia enim audiebant, oportere carnem nostram resurgere, quo vero habitu et forma, incertum erat, ut daret mutationis indicium, carnem suam mutavit, ut spes nostras confirmaret. Nunc enim hoc nostrum corpus caro nuda est; tempore autem resurrectionis immutatio quædam Deum decens, et splendoris, non figuræ mutatio erit : *Splendebunt enim*, inquit, *justi sicut sol in regno cœlorum* [66]. Quod autem splendor qui convenit divinæ substantiæ, universæ

[63] Matth. xvii, 2. [64] Matth. xvi, 24. [65] Rom. viii, 18. [66] Matth. xiii, 43.

Digitized by Google

naturæ creatæ inaspectabilis est, argumento sunt discipuli, qui ne illam quidem visionem corpoream in monte productam sustinere potuerunt. Ad hæc Cyrillus Hierosolymitanus in decima catechesi : Quandoquidem nemo Dei faciem videre et viverè potuerit, assumpsit faciem humanitatis, ut eam videntes vivamus : et cum voluit eam ostendere cum modica dignitate, quando facies ejus splenduit sicut sol, tunc discipuli territi cadunt. Quod si facies facta splendida non quantum poterat facere ut splenderet, qui splendorem in ea creaverat, sed quantum discipuli ferre poterant, eos terruit, et pati non potuerunt, quomodo in divinitatis dignitatem intueri quis potuisset? In canone autem primo ante festum in cantico septimo sic est : Qui naturam humanam sordidatam aqua et igni repurgasti, splendorem hujus naturæ in carne tua ostendis, Salvator, cujus facies splendidior sole ad figurandam futuram gloriam facta est. Enarratores Evangeliorum per adnotationes sic aiunt : Transfiguratio autem ostensa discipulis in monte, exemplum gloriæ futuræ Salvatoris prodebat; corporee vero ostendebatur, ut oculis mortalibus ad spectandum subjiceretur, tametsi nimium splendorem, et ita summum, et oculis nostris imparem, sustinere non potuerunt. Et iterum : Transfigurationem intellige non figuræ immutationem fuisse, sed potius manente figura, qualis prius erat, accessio luminis facta est. Et rursus : Splendorem vultus instar solis, et candorem vestimentorum vocat transfigurationem, quæ non est existimanda figuræ mutatio, sed luminis splendidissimi accessio, et hanc esse immutationem quam Paulus dicit [67], Evangelistæ autem *transfigurationem* nominarunt. Et alias : Non humana figura corporis deposita, sed gloria quadam splendoris corpore induto. Et iterum : Transfiguratio, quæ dicitur, secundum splendorem erat, quo facies ejus sicut sol splenduit, *et vestitus ejus factus est albus et refulgens*, ait Lucas [68]. Matthæus vero ait : *Facta sunt vestimenta alba sicut lumen ;* non enim exspectanda est immutatio figuræ in regno nec ipsius Salvatoris, nec eorum qui similes ei erunt, sed accessio luminis fulgentissimi. Divinus vero Cosmas incumbens ad explanandum, quis esset ille color splendidus, et appositio illius splendidissima : Videntes, inquit, discipuli Christum indutum nube illa lucida in Thabor, proni et inclinati in terram, illuminati mente hunc cum Patre et Spiritu sancto laudabant. Joannes Damascenus divinissimus : Qui olim, inquit, in nube formæ igneæ, in solitudine populum Israel deduxit, hodie in Thabor inexplicabili modo in lumine splenduit. Rursus ille lingua aureus in oratione ad Theodorum lapsum : Tunc, inquit, tantum in monte ipsis detexit quantum ab eis videri poterat, ut aspectui videntium non noceret. Et in oratione in Transfigurationem : Hic, inquit, Dominus Christus splendorem gloriæ regni inaspectabilis ostendit, non tanta quanta erat, sed quantam ferre potuerunt qui oculos corporeos gestabant. Et beatus Basilius in XLIV Psalmi explanatione : Viderunt, inquit, pulchritudinem ejus Petrus et filii tonitrui, splendore solis splendidiorem, et digni habiti sunt qui initia gloriosi adventus ejus oculis cernerent. Et beatus Ephrem in oratione sua in Transfigurationem : Non, inquit, totam abyssum splendoris sui demonstravit, sed quantum mensura pupillarum capere potuit. Et Joannes Damascenus celebrans hoc festum : Sed quia, inquit, Christus Moysis quoque faciem olim splendore extrinsecus affecit, latuit nunc diabolum per splendorem qui hic apparuit sensui oculorum. Ex quibus fit manifestum, quod facies Domini, quæ sicut sol splenduit, quia sub aspectum oculorum corporis cadebat, et exemplum corporeum futuræ gloriæ ostendebatur confectum secundum aspectum corporis, et splendorem sensilem gloriam corporis Christi post resurrectionem glorificati, et decorem figurabat, et non meram divinitatem : *Non* enim, ait, *videbit aliquis faciem meam et vivet* [69]. Demonstratum igitur est, immortalium corporum gloriam ab interitu liberis et immortalibus oculis indigere ut videatur ; quandiu vero corpus Domini ante resurrectionem erat similiter ut nos (excepto peccato) passioni obnoxium, necesse erat, lumen quod ex eo apparebat, oculis corporeis definiri : quod si hujusmodi oculis definiebatur, manifestum est corporeum fuisse quod apparuit ; futuram postea glorificati corporis gloriam, et splendorem immortalem et ab interitu liberum figurasse : tunc enim oculi qui eam gloriam videbunt, ab interitu incolumes et immortales erunt. Simul etiam demonstratum est, nihil aliud esse transfigurationem, quam manente divino corpore, quale prius erat, repente Christum splendido quodam colore indutum fuisse, et accessionem luminis splendidissimi demonstrasse.

CAPUT V.

Quod lumen, quo in Thabor Dominus splenduit, neque substantia ejus erat, neque defluxio quædam ipsius, ac fulgor, sed symbolum occultæ, et non apparentis nunc divinitatis Verbi Dei, et imago tenuis illius gloriæ, quæ ipsi futura erat, et simulacrum regni cœlorum, et admirabile aliis Christi supra naturam miraculis.

Divinus Theodorus, in oratione in Eusebium adversus Iconomachos : Sed insolenter, inquit, jactat Eusebius mutatum esse in lumen arcanum, et inexplicabile, et Verbum Dei decens. Atqui necesse est quærere, quidnam esset hoc lumen : non enim aperte egregius vir quid est, demonstravit nunc ; solummodo Verbum Dei apposuit, postea vero apertius dicet. Nos tamen nunc contra ea quæ ei visa sunt, rationem excutiamus. Quid igitur est? numquid substantia quæpiam, et aliquid quod per se exsistat, nec altero indigeat ad exsistendum?

[67] I Cor. xv, 51. [68] Luc. IX, 29. [69] Exod. XXXIII, 20.

Digitized by Google

aut qualitas substantiæ et corporis expers, quæ in alio, et non in se consistere cernatur? At si substantia est, utrum angelica est? siquidem et angelus lumen est, et a primo atque supremo lumine fulgor et splendor derivatus. Verum non hoc dicet. In his igitur Theodorus ingeniose moratus, multa numerat absurda, quæ sequantur, postea dicit: Hujusmodi sunt absona, et a ratione aversa, quæ ex principiis illius patefiunt, si illud lumen inexplicabile substantiam esse ait: relinquitur igitur ut quæramus, utrum qualitatem incorpoream, et substantia carentem accidisse dixerit veluti defluxionem substantiæ, et splendorem inde emissum, in quem forma illa mutata fuisset; at nihilominus summa omniem ignominia et absurditas divino corpori inuretur; peribit enim ratio substantiæ, et sic inferetur non esse per se. Præterea, non potest qualitas absque subjecto demonstrari quidnam sit per se, quamvis sit qualitas ex iis quæ insunt naturaliter in substantia, vel quæ ad partem substantiæ reducitur; ut exempli gratia, nunquam rationale sine subjecto, quod est animal, consistet, nisi quis prius ponat substantiam animatam, sentientem; similiter in mortali, et immortali, et aliis ejusmodi. Et alias rursus idem: Sic enim, inquit, pie intelligetur divina operatio æterna, quin potius per se operatio, si non distinguatur a substantia, sed potius eamdem rationem subeat propter proprietatem simplicitatis et incorporeæ naturæ. Et sanctus Maximus in speculatione magis dilatata de Transfiguratione: Dictum est igitur superius, quemadmodum tres illi beati apostoli per splendorem luminis, qui in monte in facie Domini apparuit, ad illum Dei splendorem, qui omnibus qui sunt, penitus inaspectabilis est, secundum facultatem et gloriam inexplicabilem et incognitam occultæ divinitatis mystice deducebantur, intelligentes lumen quod ipsis majus quam ut sensus sustinere posset, apparebat, symbolum esse. Et paulo post: Existimo, inquit, duos modos generalis theologiæ, per ea quæ in monte in transfiguratione divina gesta sunt, expositos esse mystice. Et iterum: Illum fulgorem excellentem faciei Christi instar radii solis splendentem, tanquam omnem aciem oculorum superantem, didicerunt symbolum esse et notam divinitatis ejus, quæ supra mentem et sensum et substantiam et cognitionem erat; vestimenta vero alba facta, symbolum esse et imaginem verborum Scripturæ sanctæ. Iterum idem: Videamus, utrumne recte et sapienter in utroque modo theologiæ jam dicto secundum divinam illam transfigurationem Domini symbolum inest; oportebat enim, ut qui secundum naturam nostram immutabiliter propter immensam in homines charitatem creari voluisset, figura atque symbolum sui fieret; seque ex seipso symbolice demonstraret; et per seipsum foris ostensum ad seipsum penitus inaspectabiliter abditum, omnem creaturam deduceret, et per cognata naturæ nostræ symbola ad ambos modos theologiæ nos duceret (1). Et divinus Chrysostomus in oratione ad Theodorum lapsum, incumbens ad explanandum illud: *Bonum est nos hic esse*[70]: Si autem, inquit, cum tenuem quemdam radium futurorum videret, hæc dicebat, quid dicet quispiam, cum ipsa veritas rerum aderit? Similiter Anastasius, qui in monte Sina habitavit, festum transfigurationis laudibus celebrans: Cum vellet, inquit, a præsentibus suadere illis futurum, fecit admirabilem in monte Thabor theophaniam, id est, *apparitionem Dei*, tanquam in imagine quadam quoddam simulacrum regni cœlorum prænuntium. Beatus Chrysostomus in Commentariis in Evangelium Joannis cap. 6, homilia 42: Sicut, inquit, in doctrina tradenda non omnia audiebant cum turba, sic etiam in signis non omnia signa cum multitudine vulgi videbant; oportebat enim, ut quibus committenda erat orbis gubernatio et præfectura, aliquid amplius quam reliqui, haberent. Et quæ signa, inquit, seorsum ab aliis viderunt? Transfigurationem in monte factam; ambulationem in mari; ac post resurrectionem multa et magna. Rursus idem in homilia in Assumptionem Domini, cujus principium est: *Lætum quidem omne festum*: Admiratio fuit apostolis et stupor; mortales enim cum essent natura, et hujusmodi spectaculis non assuefacti, obstupuerunt. Sed dicet aliquis: Viderant ante trans-

[70] Matth. xvii, 4.

Scholia.

(1) *Nos duceret.* Declarant hunc locum ea quæ idem S. Maximus ibidem subjungit: Lumen igitur in facie Christi, quod humani sensus facultatem vicit, figurabat apostolis modum mysticæ theologiæ secundum negationem, ut cum Deum dicimus infinitum, incomprehensum, aut supra bonum, supra sapientem ὑπερχτικῶς, id est, superlate, quæ negationes declarantur; in quo quidem theologiæ modo divinitas est secundum substantiam ineffabilis, et supra quam incognita, nullum penitus ne nudum quidem vestigium post se relinquens, nec ullo modo notionem sui, quid sit, ullis permittens; quia quod increatum est, a creatura comprehendi non potest, nec a finitis pernosci quod est infinitum. Ex hujusmodi symbolis, quæ sunt supra sensum, ait idem sanctus Maximus in speculatione undecima: Deum qui supra rationem et mentem est, esse tantum, credimus; quid vero, et quomodo, ac quale, et ubi, et quando, prorsus speculari non audemus, nec intelligere possumus, neque cogitare patimur. Modum vero theologiæ affirmantis, quæ ex creaturis Deum laudat, ut cum dicimus, Deum bonum, sapientem, justum, significantes operationes et providentias ejus, vestimenta candida symbolice significabant: hæc enim erant symbola creaturarum, quæ secundum divinas ideas factæ sunt, et symbola verborum Scripturæ sanctæ, quibus res divinæ significatæ, velut indutæ sunt; quæ tunc fuerunt sanctis apostolis facta dilucida, aperta et clara, et absque ullo ænigmate tortuoso, et symbolica inumbratione intellecta, ac verbum Dei in ipsis abditum patefecerunt, quando perfectam Dei cognitionem acceperunt, et ab affectione mundi et carnis perfecte liberati sunt.

Digitized by Google

figurationem Petrus, et Jacobus, et Joannes; viderant quidem prius Dominum transfiguratum, et nubem quæ eos umbra texerat; at non viderant nubem in aerem et in cœlos raptam, et suscipientem Dominum. Miraculum fuit illud, miraculum et hoc; sed hoc firmius et constantius; hoc illo sublimius, tametsi unius Dei potestas et mysterium erat. *Tunc apparuerunt illis Moysis et Elias cum eo loquentes*[71]; nunc autem thronus cherubicus, id est, virtus inaspectabilis, in nube abditus repente imminens Dominum cum servis colloquentem rapuit; tunc Petrus confidenter respondit : *Domine, bonum est nos hic esse; faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, Eliæ unum*; nunc autem neque loqui ullus discipulus potuit, nec os aperire; quin imo timore maximo perterriti obstupuerunt. Gregorius Theologus in oratione de bono ordine disserendi ait : Qui ascendunt cum Christo in montem? non enim omnes fuerunt spectatores illius miraculi, sed solum Petrus, Jacobus, et Joannes. Et rursus idem ad Heronem : Cum fulgor et splendor angelorum corporee figurantur, arbitror symbolum puritatis eorum esse. Et in iis quæ in festo hoc canuntur : Ut qui, inquit, mirabilia tua spectarunt, ea quæ passus es, ne formident. Et in explanatione Evangelii Matthæi : In montem, inquit, ascendit, ut in occulto miraculum operetur. Ex quibus patefit, quod lumen, quo splenduit Dominus in monte Thabor, neque divina substantia erat (illa enim nec ullo modo exprimi, neque cognosci, neque videri, neque cogitari potest), nec erat defluxio quædam, et splendor ex illa manans (divina enim operatio æterna, vel potius per se operatio nullo modo secreta est a substantia ejus; imo quidquid est substantia divina, est energia, sive operatio ejus), quare quia nec hoc, nec illud est, relinquitur exemplum fuisse gloriæ et splendoris corporis post resurrectionem glorificati, symbolumque illius naturæ occultæ et inaspectabilis in eo latentis, et imaginem tenuem futuræ gloriæ, et simulacrum regni cœlorum, nunc quidem ante resurrectionem in miraculo ostensum, et in speculo atque ænigmate; in futuro autem speculis solutis, oculis immortalibus, et ab interitu liberis facie ad faciem spectandum, expletum et cumulatum visione Dei aspectabili (1), sicut ipse est.

CAPUT VI.

Quod omnes diversis temporibus luminis divini apparitiones, personæ unius Filii Dei effectus sunt, et quod exemplar corporis ejus glorificati symbolum fuit divinitatis ejus propter unionem duarum in Christo secundum hypostasim naturarum, et quia idem erat Deus et homo; unde in singulis miraculis Christi divinitas ostendebatur, et detegebatur, atque aperiebatur.

Sanctus Gregorius Nyssenus, in epistola ad Theophilum Alexandrinum contra Appollinarium : Nec enim, inquit, quia auctor sæculorum, novissimis diebus visus est, et cum hominibus conversatus est[72], idcirco duo Filii secundum, Ecclesiam numerantur, unus auctor sæculorum, et alius qui in fine sæculorum humanæ vitæ per carnem patefactus est. Si quis enim œconomice apparuisse in carne unigenitum Dei Patris Filium ita accipit, ut alterum Filium fabricet, cum numeraverit omnes apparitiones Dei sanctis factas ante quam unigenitus Dei Filius in carne appareret, et omnes quæ post adventum ejus factæ sunt iis qui digni fuerunt; hic secundum numerum divinæ apparitionis multitudinem filiorum fabricavit : eritque ei unus quidem Filius, qui Abrahæ locutus est, alter vero, qui Isaac apparuit; alius, qui cum Jacob luctatus est; alius, qui a Moyse diversis apparitionibus est visus, in lumine, in caligine, in columna nubis, facie ad faciem, in posterioribus; alius rursus Filius, qui successori Moysis adfuit in acie; et alius, qui per procellam Job respondit, et qui in excelso throno Isaiæ apparuit, et in figura humana ab Ezechiele verbis descriptus est, et qui postea in lumine Paulum circumfulsit; et qui antea in monte in sublimiore gloria visus est. Sin autem absurdum est hoc, et penitus impium, varias unigeniti Filii Dei apparitiones in numerum totidem filiorum partiri, æque absurdum est, ex adventu in carne occasionem capere constituendi alterum Filium Dei : arbitramur enim secundum mensuram facultatis cujusque eorum, quibus Deus apparebat, apparuisse semper Deum. Et beatus Gregorius in oratione de recto ordine in disserendo : Ascendere vero in montem opus fuit, ut per formam splenderet, et divinitatem ostenderet, detegeretque eum qui in carne latebat. Et rursus idem : Divinitas per se inaspectabilis est; veniet autem, ut mea

[71] Matth. xvii, 3. [72] Baruch. iii, 38.

Scholia.

(1) Ὁρατὴν θεοφάνειαν, visionem Dei aspectabilem vocat, videre scilicet oculis mentis divinitatem per corpus Christi gloriosum oculis glorificatis visum : sic enim videbimus eum sicuti est, ut beatus Joannes ait. Non quidem significat videndam esse in futuro essentiam Dei oculis corporeis, sed quod ait Theodoretus in Commentariis in II Epist. ad Corinth cap. 4 : Natura, inquit, divina, quæ sub aspectum non cadit, neque cerni potest, per humanitatem Christi divino lumine circumfusam, et splendentem, jacientemque radios cernitur quantum licet scilicet oculo mentis, hoc ait significasse Paulum, cum ait : Qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Jesu (II *Cor.* iv, 6), id est, qui olim luminis naturam solo verbo effecit, dicens : *Fiat lux*, is nunc suo lumine mentes nostras illuminavit, ut Dei gloriam per Christum perspiceremus; hanc vocat hic auctor iste θεοφάνειαν ὁρατὴν, id est, visionem Dei aspectabilem; hujusmodi est visio, de qua S. Thom. p. 1, quæst. 12, art. 3, ad 2, cum ait ex perspicuitate intellectus et refulgentia divinæ claritatis in corporibus glorificatis divinam præsentiam statim cognosci.

Digitized by Google

quidem sententia est, talis, qualis visus est discipulis, vel potius qualis subostensus est, nimis superante divinitate humanam carunculam. Ac iterum, Lumen, inquit, fuit divinitas illa in monte discipulis subostensa, solidior fere, quam ut videri posset. Et Damascenus : Assumit, inquit, purissimum virginitatis instrumentum, ut qui gloriam Filii æternam vidisset, illud, *In principio erat Verbum* tonaret. Et divinus Chrysostomus explanans illud : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre* : Nunquam, inquit, vidissent, nisi per corpus nobiscum altum et nutritum. Et iterum in oratione de Transfiguratione : Ostendit, inquit, et non ostendit gloriam regni sui divini inaspectabilis : ostendit quidem, ut eos certos faceret ; non autem ostendit, ne una cum aspectu vitam etiam amitterent. Et divinus Cosmas in canone festi, cantico quarto : Ex carne, inquit, tua radii divinitatis exibant. Idem adhuc in quinto cantico : Commistus non confuse, carbonem divinitatis ostendisti. Rursus Chrysostomus in homilia 42, in Joannem : Vident, inquit, illum deambulantem in mari; et eis conturbatis dicit : *Nolite timere; ego sum* [74] ; quare non ascendit statim in navigium ? Quia volebat majus miraculum facere, et divinitatem eis apertius patefacere. Et magnus Basilius : Ex ventis, inquit, et mari, quæ ei obedierunt, cognoverunt divinitatem ejus. Ex operationibus igitur cognitio, et ex cognitione proficiscitur veneratio. Et in iis quæ in mediam Pentecosten canuntur : Venit medium dierum Pentecostes, cum Christus divina potestate tenuiter detecta, paralyticum sanavit; et in novam Dominicam : Domine, inquit, fulgore tolerabili divinitatis clausis januis adfuisti ; et infinita alia ejusmodi. Ex quibus manifestum fit, quemadmodum idem et unus Filius Dei, et Verbum Patris, qui erat ante adventum in carne, hic ipse apparationes variis temporibus factas operabatur, et in adventu suo cum carne, quandiu cum hominibus versatus est, hic ipse easdem apparitiones Dei cum potestate faciebat : et postquam complevit œconomiam adventus sui in carne, et in cœlos assumptus est, rursus hic ipse secundum mensuram potestatis cujusque fecit, et facit naturæ suæ, quæ supra omnia est, spectacula ; et sicut antequam fieret homo, omne symbolum et omne exemplar, divinitatis ejus erat symbolum et exemplar ; sic et nunc exemplar corporis ejus glorificati, divinitatis ejus symbolum est ; unus enim est Filius et Deus ; et post assumptam humanitatem sanguinem Dei et corpus Dei pie veneramur. Sicut igitur hæc, sic symbolum humani corporis glorificati symbolum esse divinitatis ejus pie docti sumus, et in singulis ejus divinis signis divinitatem, quæ supra substantiam est, subostendi, et detegi, et aperiri, et videri, et spectari, recte atque sane a sapientibus, qui divina callent, accepimus, non affirmantes aspectabilem esse divinitatem ejus infinitam et incognitam, sed similitudinem divinitatis, quam tanquam in imagine et speculo atque ænigmate contemplamur. Et sicut, cum sint alioqui infinitæ divinæ imagines Christi, non multi Christi, sed unus tantum Dominus noster Jesus Christus ; sic cum sint infinitæ imagines divinitatis, quæ supra substantiam est, et sicut unaquæque imago divina inscripta est Christus, sic unaquæque harum similitudinum divinitas appellata est. Ex ordine enim, inquit, omnium rerum, ut qui ab ipso factus est, et qui imagines quasdam et similitudines divinorum ejus exemplarium habet, ad illud supremum, quod ultra universitatem rerum est, via et ordine pro viribus ascendimus ; et quod plus est, divinus sermo, *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram* [75] ; quo autem illud subostendere et adumbrare dicit similitudinem divinitatis, manifestius hoc fit ex iis quæ scribit idem Gregorius Theologus tanquam se ipse interpretans in libro *De theologia* secundo, quomodo hæc oporteat intelligere : Sicut, inquit, umbræ et imagines solis in aquis, infirmis oculis solem subostendunt, quia sol ipse, cum puro ejus lumine sensus noster vincatur, videri ex adverso non potest, quocirca sensus noster vincatur, videri ex adverso non potest, quocirca hoc significat subostendere, quod sensus non potest liquide videre, hoc similitudinem ejus per aquam, aut per aliam rem quampiam intermediam exprimere. Sic idem Gregorius visionem interpretatus est notionem; libro secundo de Filio : *Qui*, inquit, *novit Filium* (hoc enim significat illud : Qui vidit), *novit quoque Patrem* [76] : Et Joannes Chrysostomus : Respondit, inquit, Judæis, et dixit : Non quod Patrem quis vidit, nisi qui est ex Deo ; etiam hic visionem vocat cognitionem. Igitur vidisse, spectasse, subostendisse, adumbrasse, detexisse, nudasse, indicasse, patefecisse, vel simpliciter accipienda sunt pro eo quod est cognovisse ; vel accipienda sunt pro eo quod est tanquam in imagine et similitudine per aspectum oculorum perspexisse. Similiter parum divinitatis aperuisse, et tenuem splendorem ejus vidisse sic accipere oportet, ac si dicamus per specula et ænigmata conjecisse. Nec enim divinitas minor, aut major se ipsa, videntibus ostenditur : sed potius eadem æque infinita, et non vestigabilis et impartibilis, convenienter mensuræ videntium omne genus luminum creat, et ad elevationem mentium nostrarum proponit.

[74] Matth. xiv, 27. [75] Gen. i, 26. [76] Matth. xi, 27.

Digitized by Google

CAPUT VII.

Quod eam pulchritudinem, quam Adam ante peccatum non obediendi habuerat, nunc naturam humanam recuperasse Dominus in monte Thabor in se quidem prius ad vivum expressit, postea vero post resurrectionem suam sicut ipse Dominus eodem lumine multo copiosiore (a), naturaliter splendebit, sic secum habebit justos consequentes sole splendidiores, scilicet restituens eos in illam beatitudinem quæ erat ante peccatum Adæ.

Divinus Andreas Cretensis in magno canone ait: Amisi primam meam pulchritudinem, et decorem meum; et inde jaceo nudus, et pudet. Et Gregorius Theologus (*b*): Pelliceis tunicis induitur, fortasse crassiore carne, et mortali, et dura, ac repugnante. Et divini atque beati Cosmas et Joannes, in canonibus in Transfigurationem: Qui totum, inquiunt, Adam gestasti, Christe, naturam obscuratam et hebetatam commutasti, et splendidam jam antea reddidisti; et immutatione formæ tuæ deificasti. Et iterum: In hunc enim montem cum tu Salvator una cum discipulis tuis ascendisses, naturam in Adam inumbratam, transfiguratus, splendere rursus fecisti, mutans eam in divinitatis tuæ gloriam et splendorem. Et iterum: Hodie Christus in monte Thabor naturam Adam immutavit, et splendidam reddens deificavit. Et iterum: Qui manibus inaspectabilibus hominem ad imaginem tuam, o Christe, formasti, pulchritudinem tui exemplaris in natura a te formata demonstrasti non tanquam in imagine, sed tanquam qui esses substantia Deus et idem homo. Et iterum: Qui olim cum Moyse in monte Sina per symbola locutus est, cum dixit: *Ego sum, qui sum*[76], hodie transfiguratus in monte Thabor coram discipulis, ostendit in se ipso naturam humanam ad exemplar pulchritudinem imaginis recuperasse. Et sanctus Cyrillus libro septimo eorum quos more dialogi scripsit: Nonne dicimus fabrefactum esse hominem in terra secundum imaginem Dei? Quis hoc neget? Qui autem divinam imaginem nobis insculpit, et pulchritudinem supra quam cœlestem instar sigilli in nobis imprimit, an non est spiritus? Et divinus Anastasius Sinaites, in oratione in Transfigurationem: Hodie natura illa Adami, quæ similis Deo facta, ad deiformes formas idolorum obscurata erat, transfigurata est in antiquam suam pulchritudinem ad imaginem et similitudinem Dei. Hodie natura, quæ in montibus erraverat, et idola coluerat, sine sui mutatione, in monte quæsita, splendores divinitatis refulgentes emisit. Hodie qui tunicis illis tristibus, et molestis tunicis indutus fuit, vestitum a Deo factum sumpsit, induens lumen tanquam vestimentum. Imo etiam ille aurea eloquentia Theologus, in homilia de jejunio sic ait: Amisit Adam vestitum immortalitatis regium, pulcherrimum supra quam dici possit, quem quidem in monte transfigurationis Domini Moyses et Elias gestaverunt. Et magnus Dionysius capite primo *De divinis nominibus*, Nunc quidem, inquit, charitas Dei erga homines in sanctis Scripturis et apostolicis traditionibus convenienter nobis ea quæ sub intelligentiam cadunt, sacris operimentis sub sensum cadentibus velat; et ea quæ supra substantiam sunt, iis quæ in rerum natura sunt, obtegit; formas et figuras iis quæ forma et figura carent, obducit; et illud unum et simplex, quod supra substantiam et naturam est, et quod figurari non potest, varietate signorum partibilium multiplicat, et effingit; cum vero immortales facti erimus, et ad illum beatissimum statum Christi similem perveniemus, tunc semper, sicut ait vera Scriptura, cum Domino erimus, expleti contemplationibus purissimis aspectabilis quidem apparitionis Dei, quæ nos lucidissimis fulgoribus circumfundet, ut discipulos in illa divinissima Transfiguratione, inaspectabilis vero illuminationis in mente materiæ experte et impatibili participes effecti, simul et unionis, quæ mente concipi non potest, in jactibus ignotis et beatis radiorum supra modum clarorum, in imitatione diviniore cœlestium mentium; erimus enim, sicut ait Scriptura [77], angelis æquales, et filii Dei, facti filii resurrectionis. Hæc sanctus Maximus cum adnotat, Sancti, inquit, in resurrectione statum similem Christi cum immortalitate adipiscentur, splendentes supra quam sol splendet, sicut Dominus in monte transfiguratus est, sicut Apostolus de sanctis ait: *Tunc erunt sicut et ipse est, et semper cum Domino erimus*[78]: et divinum ejus corpus ὁρατὴν αὐτοῦ θεοφάνειαν, id est, *aspectabilem Dei apparitionem* vocat, ut jam hoc dictum simul quadret in Nestorianos, et Acephalos, et in eos qui fopinantur, non esse nunc cum carne Dominum. Est in Christo aspectabilis quædam apparitio Dei, quæ est caro ejus animata; et est altera apparitio Dei νοητή, id est, quæ mente percipitur, quæ a nobis tuno perfectius participabitur, quando conversi ad Deum, splendore illine perfecte accepto unum copulate efficiemur, liberati a varietatibus ex compositione proficiscentibus. Et Anastasius Sinaites, in oratione in Transfigurationem: Quid, inquit, majus, et magis stupendum, quam videri Deum in forma hominis facie splendentem sicut sol splendet, et supra quam sol splendet refulgentem, et radios luminis sine intermissione ulla jacientem, et purissimo digito ori suo imposito (*c*), discipulis qui cum eo illic erant, dicentem: Sic fulgebunt justi in resurrectione; sic glorificabuntur, in hanc gloriam immutabuntur, in hujusmodi lumen, in hanc ipsam imaginem, in hanc speciem, in eamdem beatitudinem conformabuntur, conformes et consessores facti nihi Filio

[76] Exod. III, 14. [77] Matth. XXII, 30. [78] I Thess. IV, 16.

(*a*) Id est, vere et in substantia sua.
(*b*) In oratione in Natalem Christi.
(*c*) Significat, quod discipulis illic dixit, *Nemini dixeritis visionem.*

Digitized by Google

Dei. Et in iis quæ in hoc festum cantantur : Ut ostenderes, inquit, immutationem mortalium cum gloria tua, Salvator, in secundo adventu tuo horribili futuram, in monte transfiguratus es. Et Gregorius Theologus, in oratione in Natalem Domini : Quam multi, inquit, mihi conventus celebres in singulis Christi mysteriis ? quorum omnium caput unum est mea perfectio, et instauratio, et ad primum Adam reversio. Et Gregorius Nyssenus libro primo in Ecclesiasten : Talis facta est anima, qualis rursus postea emundata apparebit ; tale factum est corpus, quod manibus Dei formatum est, quale tempore suo resurrectio demonstrabit. Quale enim post resurrectionem esse videbis, tale omnino fuit primo; nec enim aliud est resurrectio, quam reditus ad antiquum. Hinc fit manifestum quod eam pulchritudinem quam habuit Adam antequam non obediret, et eum splendorem, in quo tunc secundum naturam creatus est, nunc Dominus in corpore suo humano recuperasse naturam humanam præfiguravit, cum in monte Thabor plus quam sol splenduit ; postea tamen post resurrectionem suam sicut naturam ab interitu liberavit, et immortalem reddidit, sic ei totum splendorem restituit, multo majore quam dici potest, lumine circum eam collucens, habensque secum qui consequantur, justos plus sole fulgentes : quod si non plene et perfecte hodie, at certe in communi generis humani resurrectione, cum nos in ea ipsa natura immortales facti, statum Christi similem, et beatissimum cum Christo assequemur, cum Christo choream ducentes : finis enim charitatis Salvatoris erga nos majoris quam ut cogitari possit, nostra perfectio est et instauratio, et ad primum Adam reditus a Christo per humanitatem suam sapientissime confectus.

CAPUT VIII.

Quod sit secundum essentiam futurum lumen resurrectionis, et quod sit regnum Dei nobis præparatum, et quæ civitas cœlestis, quæ ad regnum Dei pertinet.

Magnus Basilius in homilia sexta *Hexaemeri* : Nec ego, inquit, dico posse te aut me lumen a corpore solis secernere, sed quod ea quæ a nobis cogitatione separari possunt, possunt actu ab auctore naturæ separari : siquidem et tu vim urendi, quæ in igne inest, a splendore ejus separare non potes ; at Deus cum vellet famulum suum admirabili miraculo convertere, ignem injecit rubo, qui a solo splendore efficientiam haberet, facultatem vero urendi vacuam, et nihil agentem ; sicut David testatur, cum ait : *Vox Domini dividentis flammam ignis*[79] ; unde sermo quidam fertur arcanus, qui nos docet in remunerationibus operam, vitæ hujus dividendam esse naturam ignis ; et lumen quidem justis ad fruendum, partem vero urendi ad dolorem, reis torquendis secernendam esse. Et rursus idem Psalmo vicesimo octavo in homilia moralium : Ignis inquit, diabolo et angelis ejus ad tormentum præparatus dividitur voce Domini, ut quia duplex vis inest igni, una urendi, altera illuminandi, illud aere et urens dignis cruciatu relinquatur ; quod vero illuminat, et splendidum est, hilaritati lætantium attribuatur. Vox igitur Domini dividentis flammam ignis, et partientis ; ut ignis tormenti non splendeat et lumen resurrectionis non urat. Et rursus libro primo *Hexaemeri* : Erat, inquit, quidem status antiquior ortu mundi, qui potestates supramundanas decebat, supra tempus, æternus et perpetuus : in eo autem statu creaturas auctor et fabricator universi effecit ; lumen intellectile, quod beatitudini diligentium Dominum conveniebat ; rationis compotes, et inaspectabiles naturas, omnemque ordinem earum. Et Gregorius Nyssenus, libro primo *Confutationum in Eunomium*, c. 26 : Omnibus, inquit, arbitror notum esse, eos dico, qui mediocriter ea quæ sunt, consideraverunt, quod auctor universi, qui sæcula, sive ævum, et locum in eis, tanquam receptaculum eorum quæ in eis facta sunt, effecit, in his creat omnia ; nec enim potest quidquam eorum quæ creata sunt, vel creantur, non esse vel in loco, vel in tempore. Et magnus Athanasius, libro secundo *Contra Arianos* : Igitur multo magis Petrus non creaturam esse significabat, cum hoc aiebat ; sciebat enim esse Filium Dei, quem confessus erat, inquiens : *Tu es Christus Filius Dei vivi*[80] : sed potius significabat, regnum et dominatum ejus in nobis per gratiam creatum esse, et exsistere. Et divinus Chrysostomus in oratione quam inscripsit contra hæreticos, et in petitionem filiorum Zebedæi, quæ incipit : *Heri ex bello reversi sumus*, Considera, inquit, etiam hic multam generis nostri procurationem, cum loquitur iis quos corona donat : *Venite*, inquit, *benedicti Patris, possidete paratum vobis regnum ante constitutionem mundi* ; iis vero qui torquentur, non dixit : Recedite a me, maledicti, in ignem paratum vobis, sed *paratum diabolo et angelis ejus*[81], regnum enim hominibus præparavit, gehennam vero non hominibus, inquit, sed *diabolo et angelis ejus*. Quod si vos sic vitam egeritis, ut digni supplicio et cruciatu sitis, æquum est ut vobis ipsi ignem præparasse existimemini. Ac vide quanta sit Dei ad charitatem erga homines propensio : nondum erant qui certarent, et jam coronæ et præmia præparata erant : *Possidete* enim, inquit, *regnum paratum vobis ante constitutionem mundi*. Idem iterum : Non solum nos a tormentis liberavit Christus, sed etiam vitam nobis donavit multo splendidiorem, quam erat prior ; in alium nos introduxit mundum, aliam creaturam effecit. Et sanctus Isaac : Time, inquit, Deum, et senties qui te finxit, et roborat, et custodit, et qui propter te duplicem mundum fecit, unum quidem tanquam magistrum et institutorem, verumtamen caducum ; alterum vero tanquam do-

[79] Psal. xxviii, 7. [80] Matth. xvi, 16. [81] Matth. xxv, 34, 41.

Digitized by Google

mum paternam, et hæreditatem tuam æternam. Et magnus Basilius in *Hexaemero* : Quid, inquit, illa beatitudine dignum cogitare quis potest, quam lætificat flumen Dei, et ejus artifex et fabricator est Deus, quam Paulus civitatem cœlestem vocat illis præparatam, qui propter fidem Dei civitates terremas reliquerunt ? cujus, inquit, artifex et auctor Deus. Ex quibus fit manifestum, quod futurum lumen resurrectionis secundum essentiam splendor est ignis, splendor, inquam, separatus ab igne, ab eo qui ignem creavit, qui splendorem quidem justis ad illuminationem attribuit ; vim vero urendi iis qui deliquerunt, ad dolorem. Sicut enim lætitia justis ante constitutionem mundi parata est, sic item iis qui peccaverunt, supplicium : et sicut nova et inusitata est illius ignis ustio (non enim consumit ea quæ in eum injecta sunt, ad instar naturæ ignis qui a nobis nunc cernitur ; sed potius dolorem quidem æqualem, aut majorem infert injectis in eum, a consumendo vero alienus est), sic etiam illuminatio illa in meliorem mutata est, quam sit nostra illuminatio ; estque cœlestis et inseparabilis, et oculis immortalibus immortale lumen. Ad similitudinem igitur illuminationis regnum paratum justis, est effectum et creatum a Deo universi, qui mundos duos effecit, unum quidem hunc nostrum caducum et fragilem, alterum vero æternam domum, et cœlestem atque immobilem civitatem, et æternum ejus regnum, et dominatum, et cujus ipse vere rex et dominus est.

CAPUT IX.

Quod omne lumen sive sensile, sive intellectile, ex vero et supra substantiam lumine refulget : et quod lumen intellectile Deus est.

Magnus Dionysius capite primo *Cœlestis Hierarchiæ : Omne*, inquit, *datum bonum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum* [84a]. Sed et omnis emanatio luminis a Patre proficiscentis, quæ ad nos tanquam bonum donum venit, rursus tanquam vis quædam unifica nos sursum elevatos, simplices reddit, et ad unitatem Patris congregantis, et ad simplicitatem (1) deificam convertit : si quidem ex ipso omnia, et in ipsum, sicut ait sacra Scriptura [84b]. Jesum igitur invocantes, qui est lumen paternum, lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum [85], per quem habuimus accessum ad Patrem [85a], principium luminis, in illuminationes sanctarum Scripturarum a Patribus traditas pro viribus intueamur. Et rursus idem cap. 7, ejusdem *Hierarchiæ cœlestis* : Contemplatrices autem substantias, inquit, non tanquam symbolorum, quæ vel sensu, vel mente percipiantur, spectatrices, neque varietate contemplationis sacrarum Scripturarum ad Deum elevatas ; sed tanquam omni cognitione simplici altioris luminis expletas, et contemplatione illius pulchritudinis, quæ est effectrix et origo pulchritudinis, et quæ supra substantiam est, et in tribus splendet, quatenus fas est, refertas, communionis vero Jesu similiter participes factas non in imaginibus sancte informatis, quæ veluti formæ in eis deificam similitudinem exprimant, sed tanquam vere ad eum appropinquantes in ipsa prima participatione cognitionis luminum ejus, quæ deifica sunt, etc. Ac rursus idem cap. 4, *De divinis nominibus* : Nunc autem celebrandum nobis laudibus est nomen luminis, quo summum bonum nominatur ; summum enim bonum dicitur lumen intellectile, quia omnem mentem supracœlestem implet lumine intellectili ; omnem autem ignorantiam et errorem ex omnibus animis, in quibus est, ejicit, et ipsis omnibus lumen sanctum impertit, earumque oculos mentis a caligine ex ignorantia circumfusa repurgat et liberat ; et excitat atque aperit multa gravitate tenebrarum compressos et clausos, datque primum quidem mediocrem splendorem, deinde tanquam degustato lumine, et oculis jam magis post degustationem lumen appetentibus, magis se impertit, et copiosius fulget, quia dilexerunt multum ; ac semper eas ulterius provehit proportione studii earum ad aspiciendum sursum. Lumen igitur intellectile dicitur illud bonum, quod est supra omne lumen, tanquam fons radiorum, et effusio luminis inundans omnem mentem supramundanam (2) et circummundanam, et mundanam, ex plenitudine sua illuminans, et totas earum facultates intelligendi renovans, et omnes continens, quatenus supra omnes tenditur ; et omnibus antecellens, quatenus supra omnes stat, et ut semel dicam, omnem principatum illuminandi tanquam princeps luminis, et supra quam lumen, in se comprehensum habet, et supra quam habet et præhabet ; atque omnia ratione et mente utentia congregat, et in unum copulat ; etenim sicut ignorantia errantes dirimit, sic adventus luminis congregat et copulat illuminatos, perficitque eos, et ad id quod vere est, convertit, a multis opinationibus eos revocans, ac varios aspectus, vel ut magis proprie dicam, varia visa in unam veram et puram ac simplicem cognitionem contrahit, et uno lumine unifico implet. Imo et Gregorius Theo-

[84a] Jac. I, 17. [84b] Rom. XI, 33. [85] Joan. I, 9. [85a] Ephes. II, 18 ; Rom. V, 2.

Scholia.

(1) Hoc contingit, cum sumus eodem sensu et sententia, sicut Apostolus præcipit (I *Cor.* I, 9 seqq.) ; quod quidem per participationem divini luminis fit, impleturque illud in Evangelio Joannis : Ut et ipsi in nobis unum sint (*Joan.* XVII, 21).

(2) Angelos excellentiores dicit assistentes Deo (*Dan.* VII, et angelos obeuntes ministeria circa homines in hoc mundo ; ad hos pertinet illud in Deuter. XXXII : Constituit terminos gentium juxta numerum angelorum Dei. Et in Evangel. (*Matth.* XVIII) : Angeli eorum semper vident faciem Patris ; et animas, quas mundanas mentes vocat.

Digitized by Google

logus, Æternis quidem ipse, inquit, Deus est lumen, et non alius. Quid enim opus erat secundo lumine iis qui maximum habent? iis autem qui sunt infra, et circum nos, primam hujus luminis vim effulgere facit. Rursus idem in secundo *De theologia* libro : Quantum, inquit, est illud lumen, si hoc considerasti? Hoc sol est in iis quæ sensu percipiuntur, quod est ille in iis quæ sub intelligentiam cadunt, dixit quidam ex exteris. Sol enim aspectum illuminat, sicut ille mentem ; sol est pulcherrimus ex omnibus quæ cernuntur, sicut ille ex omnibus quæ intelliguntur. Et beatus Chrysostomus : Splendeat, inquit, nobis peccatoribus lumen tuum æternum ; lumen æternum omnino intellige Spiritum sanctum, qui illuminat et sanctificat animas nostras, de quo Apostolus : Misit, inquit, *Deus Spiritum Filii sui in corda nostra*, scilicet ad illuminandum ea [89cc] ; quem gratiam Dei vocat : *Dico autem*, inquit, *per gratiam Dei quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* [90]. De quo etiam propheta David dixit : *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam* [91], et : *In lumine tuo videbimus lumen* [92]. Lumen enim est Filius, lumen est Spiritus sanctus, lumen est Pater. Quin etiam in quotidianis precationibus : Christe, inquiunt, lumen verum, qui ad illuminandum omnem hominem in mundum venisti [93], signetur super nos lumen vultus [94] tui, ut in eo videamus lumen inaccessum, et lumen lætum sanctæ gloriæ immortalis Patris, cœlestis Spiritus, beati Jesu. Cum ventum est ad occasum solis, viso lumine vespertino, laudamus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Et divinus Damascenus, in carminibus, Lumen, inquit, immutabile, Verbum luminis Patris ingeniti in lumine tuo hodie viso in Thabor, lumen vidimus Patrem lumen, et Spiritum, illuminantem omnem creaturam. Imo et Gregorius Theologus : In lumine, inquit, Domini vide lumen : in Spiritu Dei Filium amplectere, lumen trinum et impartibile. Et sanctus Maximus in *Theologicis* (*a*) : Lumen, inquit, dicitur, et vita, et resurrectio, et veritas, lumen quidem ut splendor animarum, et ut tenebrarum ignorantiæ expulsor, et ut illuminans mentem ad intelligendum arcana, et ostendens mysteria, quæ puris tantum aspectabilia sunt ; vita autem dicitur, quia animis quæ Dominum diligunt, motum eas decentem in rebus divinis præbet ; resurrectio autem vocatur, quia mentem ab affectione mortua rerum caducarum excitat, et ab omni genere corruptionis et interitus liberam et puram reddit ; veritas vero, quia habitum bonorum (1) immutabilem donat dignis. Ex quibus fit manifestum, quod omne lumen sive sensile, sive intellectile, ex vero et supra substantiam lumine refulget : et quod Deus dicitur lumen intellectile, quia ex plenitudine sua universum mundum ab ignorantia abstrahens, ad cognitionem sui convertit, et uno lumine unifico implet, demonstratum alioqui est, quod per omne lumen, et quod cernitur, et quod deprecamur signari super nos ex divina facie Domini, ad aliud lumen intellectile et inaccessum quod in Patre, et Filio, et Spiritu sancto contemplamur, adducimur, ut jam per lumina quæ videntur, et quæ intelliguntur, ad unam cogitationem revocemur, supra omne lumen et omnem intelligentiam esse Deum.

CAPUT X.

Quod divinus Moyses, et ei similes omnia lumina sive sub sensum cadentia, sive sub intelligentiam relinquentes, in caliginem splendidissimam ingrediuntur, in unum cum infinito Deo per ignorantiam et nihil videndo copulati.

Magnus Dionysius, in libro *De mystica theologia*, cap. primo : Sic igitur, inquit, divinus Bartholomæus dixit, multam esse theologiam, et perexiguam ; et Evangelium esse latum et magnum, et rursus, concisum esse illud divino ingenio ; ut mihi videtur, intellexit, quod bona omnium rerum causa est quidem copiosi sermonis, et simul brevis ac nullius sermonis, utpote quæ neque dici, nec intelligi queat, quia universis creatis excellit supra substantiam ; et quia sola sine operimentis et vere ostenditur iis qui cuncta quæ impura, quæque pura sunt, pertranseunt ; et qui omnem ascensum ad ea quæ sunt, sancta et summa, superant ; et omnia divina lumina, et sonos, et sermones cœlestes relinquunt, et in caliginem ingrediuntur, ubi vere est, sicut ait Scriptura, *Qui est ultra omnia* [95] ; non enim simpliciter (*a*) divinus Moyses primum jubetur ut se repurget, deinde ut se a non repurgatis separet ; et post omnem repurgationem audit multisonas tubas, ac videt multa lumina puros et multiplices radios jacientia : postea a vulgi multitudine separatur, et cum electis sacerdotibus ad summum fastigium divinorum ascensuum evadit ; sed hactenus nondum est cum ipso Deo, nec eum videt (inaspectabilis enim est), sed locum videt, ubi stetit ; hoc autem existimo significare, divinissima et summa eorum quæ cernuntur et intelliguntur, sermones quosdam esse, qui subjiciunt menti illa quæ sunt subjecta ac supposita ei qui universis antecellit ; quibus præsentia ipsius, quæ omnem cogitationem mentis vincit, declara-

[89cc] Galat. IV, 6. [90] Rom. XII, 3. [91] Psal. XLII, 3. [92] Psal. XXXV, 10. [93] Joan. I, 9. [94] Psal. IV, 7. [95] Ephes. IV, 6.

Scholia.

(1) Habitum fidei et virtutum dicit ; quia fides credentem firmat in veritate, et veritatem in credente, Dionys. in *Divin. nomin.* cap. 7, unde Apostolus substantiam vocavit rerum sperandarum (*Hebr.* II, 1), id est firmamentum.

(*a*) In hecat. theologica 2, cap. 70.

(*b*) Id est quasi nihil aliud significetur

Digitized by Google

tur insistens tanquam in vestigiis summis intellectibus locorum ejus sanctissimorum : ac tunc ab iis quæ videntur, et ab iis qui vident, absolutus et expeditus, in caliginem vere mysticam ignorantiæ ingreditur, in qua mystica caligine omnes notiones excludit, et in ipso qui funditus neque tangi, neque videri potest, hæret, factus totus ipsius qui ultra omnia est, neque suus, nec ullius alterius, cum eo autem qui est penitus incognitus, per vacationem omnis cognitionis, secundum meliorem partem copulatus. Et Gregorius Theologus in oratione de baptismo : Deus, inquit, est lumen summum et inaccessum, quod neque mente comprehendi, neque oratione expromi potest, quodque omnem naturam rationis participem illuminandi habet facultatem : hoc est in iis quæ intelliguntur, quod sol in iis quæ sentiuntur. Ex quibus patet, omnia lumina, sive quæ sensu percipiuntur, sive quæ intelligentia, infra relinqui ab iis qui ad summam contemplationem ejus qui ultra omnia est, evaserunt, et in caliginem splendidissimam non comprehendendi eum ingressi sunt, nullo lumine eum exprimente et designante. Ex capitibus dispositis constat expositio materiaria hujus partis ; ostensio enim luminum divinorum aut in luminibus quæ sentiuntur, continetur ; et facit solem imaginem Dei, et ignem item imaginem Dei ; et a nobilioribus, ut sole et lumine, imponit Deo nomen luminis ; et a mediis, ut ab igne, aut continetur in luminibus symbolicis in quibus præcipua est apparitio luminis facta in divinissima transfiguratione vultus Domini, qui splenduit sicut sol, quæ decorem corporis Christi post resurrectionem gloriosi facti tanquam in imagine repræsentabat ; et symbolum erat divinitatis, quæ in eo latebat : quia in Christo Salvatore nostro idem est dicere symbolum corporis glorificati et divinitatis ejus, et quod lumen, quod sic in Domino in monte Thabor apparuit, pulchritudinem Adæ ante peccatum significavit, eamque jam naturam in humanitate Christi recuperasse ; et futurum esse post resurrectionem splendorem justorum, et quid sit secundum exsistentiam lumen, quod in futuro apparebit post resurrectionem : et quod Deus est lumen intellectile, quod in naturis incorporeis splendet, quatenus vere splendoris earum effector est, postremo loco vacationem ab omni lumine posuimus ; et ipsam divinam caliginem. Nihil igitur in materiaria expositione hujus tractationis de lumine prætermissum est, quin potius omnis divini luminis ostensio breviter tractata est.

DECAS SEPTIMA. — *DE DIVINA PARTICIPATIONE.*

CAPUT I.

Quod proprium Dei est, adesse omnibus secundum substantiam ; et sicut substantia adest præsens, sic etiam operatione adest : et quis modus sit præsentiæ ejus qui explicari non potest.

Sanctus Justinus martyr, in Oratione de recta confessione ait : Quomodo Verbum ubique est secundum substantiam ? Et quomodo in suo templo ? Etenim si illic est, sicut est in omnibus, nihil amplius habebit templum, atque cætera omnia. Et ubi illud ponemus, quod scriptum est : *In ipso habitat plenitudo divinitatis corporaliter*[69] ? Sin autem quis concedat, magis esse in templo, non adest omnibus secundum substantiam, quod est proprium Dei. Evidens argumentum est perfidiæ, dicere de Deo, Quomodo ? Quomodo cœli effector est, quomodo terræ, quomodo maris, aerisque et stirpium, et animantium omnium, et tui ipsius ? Qui omnia diligenter de Deo quæris, plane dices, omnia produxisse copiosa potentia sua. Num igitur potentia Dei aderat secundum accidens iis quæ fiebant, an secundum substantiam ? Si secundum accidens, aderat quidem illis quasi essent, antequam fierent ; siquidem accidens non est secundum naturam per se, sed in aliquibus prius subjectis exsistit. At si hoc ridiculum est, relinquitur potentiam Dei omnibus adesse secundum substantiam. Num igitur quia potentia Dei omnibus quæ fiunt, secundum substantiam aderat, nihil amplius templum ipsum in quo fuit, habebat ? Habet hoc dubitationem, et illud habet ; et fides est utriusque dubitationis solutio. Vidisti quemadmodum ratio invicta evertit perfidiam ; vide linguas cum Deo pugnantes occlusas. Idem etiam : Dic igitur quomodo Verbum caro factum, cœlos non dereliquit ? Sane dicetis, quod manens Deus, sic factus est. Rursus ergo dicite nobis, quomodo manens, factus est ? Si enim mansit quod erat, quomodo factus est quod non erat ? Sin autem factus est quod non erat, quomodo mansit quod erat ? Dubium habes de solutione, habe etiam dubium de modo unionis. At credis quod manens, factus est ; crede etiam adesse ubique secundum substantiam Verbum, et præcipue quodammodo esse in templo suo. Imo et sanctus Anastasius Antiochenus, in libro *De incircumscripto*, ait : Sed quidam, inquit, ut videtur, infirmitatem propriæ naturæ in Deum transferunt, restricti in maximis, et existimantes melius esse contrahere divinam naturam a materia, quam existimare, eam usque ad omnia tendi et porrigi ; prorsus arbitrantes nefas et impium esse, naturam illam quæ plusquam ultra omnia est, indui corporibus non decentibus, sordibus et tetro odore plenis, vel animis impiis ; vel aliis quibusdam, quæ minime de

[69] Coloss. II, 9.

Digitized by Google

Deo cogitari debent; hi revera humilia sentiant, et Deo, ac magnitudine ejus quæ attingi non potest, indigna. Et paulo post : Debilia igitur et infirma animis agitant, nullumque firmamentum habentia, quia nullam creaturam suam rejicit Deus; nihil enim sordidum eorum quæ sunt, existimat; quin imo cum ad nos appropinquat, vitii nostri non efficitur particeps. Et rursus in eodem libro : Verum quia operationem in omnibus esse aiunt (hanc enim volunt non circumscribere) interrogandi sunt, quomodo de ea sentiant. Numquid dicunt participare ipsam terrenas sordes, cum appropinquat eis, an non? Quod si verum fateantur, manifestum est fieri posse, ut quod appropinquat, non participet vitium eorum quibus appropinquavit. Quod si dicturi sunt participare, eadem absurditas eos qui hoc dicunt, consequetur, quam ut fugerent, Deum circumscribebant. Contrahant igitur et operationem, ut universum plane dissolvant. Sin vero metuentes hoc absurdum, tanquam pœnitentia ducti, divinam operationem nihil quidquam lædi dicant, cur non hoc ipsum de substantia affirmant? Ad hæc, Photius patriarcha, in *Quæstionibus ad Amphilochium*, cap. 75 : Quare qui dubitat, inquit, utrum si Deus est in omnibus, non sit supra omnia, nescit se ignorare quæ de divina natura in Scriptura sancta scripta sunt; neque quidquam altius, quam consuetudo rerum terrenarum fert, neque divinius aliquid de iis quæ materia vacant, cogitat. At vero quomodo in omnibus est (*a*)? Dictum quidem est, nullo modo eorum quæ sunt, et si quid magis ad contemplationem pertinens dicendum est, et non est reformidandum sursum evehi simul cum iis qui sunt alta mente, ad altitudinem dogmatum theologicorum, est Deus in universo secundum operationem simul et substantiam. Et ne mihi dicas : Quomodo? Dictum enim est jam, nullo modo creaturarum. Quomodo igitur est secundum substantiam? Sicut intellexisti secundum operationem. Quia enim alia sunt quandoque potentia, et quandoque actu; Deus autem, qualenus meus acuta intelligere potest, semper est actu (non enim ex imperfecto ad perfectum proficiscitur; nec aliud quidquam, quam per se actus, est per se substantia), evidens consecutio est, in quibus est secundum operationem sive actum, in iis ipsis esse secundum substantiam. Et magnus Athanasius in libris *Contra Arianos* : Ubique, inquit, adest præsens substantia magnitudinis suæ; quia æqualis est Filius Patri, et cum Patre ubique adest divinitate; et quia omnia continet substantia. Si enim dixeris non adesse ubique, majora esse dices ea quæ facta sunt, quam eorum auctor sit. Et divinus Chrysostomus : Quod quidem ubique Deus est, scio, et quod totus est ubique; quomodo autem, nescio; non enim fieri potest ut substantiam videamus, neque quæ a se est, neque quæ ab alio. Et Cyrillus Hierosolymitanus in *Catechesibus* : In mera, inquit, divinitate supervacaneum est cogitare ascensum et descensum; potentia enim illa quæ omnia continet, ille qui ubique omnibus adest, qui universa spiritu suo circumdat, non transfertur a locis in loca; ipsius est vox : *Cœlum et terram ego impleo* [90]. Si igitur implet, quo transmittatur? Ita fit, ut *ascendit* et *descendit* supervacuum sit in divinitate. In Salvatore autem, et in dispensatione adventus ejus in carne, proprie dicitur *ascendit* et *descendit*. Et Joannes Damascenus (*b*) : Deus, inquit, expers partis est, totus ex toto ubique; et non pars in parte corporee divisus; sed totus in omnibus, et totus supra omnia. Ex quibus fit manifestum, proprium esse Dei omnibus secundum substantiam adesse. Sicut autem substantia adest, sic sua potestate et operatione, secundum enim substantiam potentia adest; et non est aliud per se operatio, et aliud per se substantia. Quomodo autem Deus secundum substantiam, et æqualiter omnibus adest, et quomodo ipse in omnibus et supra omnia, modus neque dici, neque cognosci potest.

CAPUT II.

Quod sicut adest nobis præsens Deus etiam eum participamus; si autem substantia adest, substantiam ejus participamus.

Magnus Dionysius in iis quæ adnotavit ex sancto Hierotheo in theologicis ipsius Principiis : Causa omnium, et quæ omnia implet, est Jesu divinitas quæ servat partes toti consentientes (1) : et neque

[90] Jerem. XXIII, 24.

Scholia.

(1) In essentiis rerum hic ordo consideratur; primo, principia rerum; secundo, substantia ex principiis constituta; tertio, species propria totius compositi ex forma proficiscens; quarto, perfectio ipsius rei non solum quoad speciem, sed quoad propriam operationem et finem; tunc enim res est omnimodis perfecta, cum suum finem assequitur; quinto, res variæ quæ singulæ quadam propria perfectione præditæ sunt, et ordine quodam copulatæ totum quoddam perficiunt, ut in universo, et in homine. Hierotheus ergo docet, quomodo divinitas Christi est causa in his omnibus incipitque ab extremo, id est, a toto, et remeat in primum, id est, in principia rerum. Conservat igitur, inquit, universum, et partes universi toti consentientes, et cum eo conspirantes; et ipsa non est totum, neque pars, quia scilicet non habet perfectionem totius et partis, sicut totum et pars, sed excellentius in infinitum, estque rursus totum et pars divinitas Christi, nempe quia quidquid perfectionis est in toto et in parte, hoc ipsa Christi divinitas præhabet, et suprahabet; reliqua faciliora sunt. Illud vero : Substantia totis substantiis insistens impollute, significat esse Deum in omnibus substantiis, et ab eis participari non per admistionem, hoc est, non misceri cum eis, ex sancto Thoma in Dionysium.

(*a*) Lib. IV *Physicorum* exponit Aristoteles modos quibus aliud in alio esse dicitur.

(*b*) Lib. I, cap. 16, *Orthod. fid.*

Digitized by Google

pars, neque totum est : et est totum, et pars, quatenus omne, et totum, et partem in se ipsa comprehendit ; et suprahabet, et antehabet, perfecta quidem est in imperfectis, tanquam principialis causa perfectionis ; imperfecta autem in perfectis, tanquam supraquam perfecta, et anteperfecta, forma formæ, effectrix in iis quæ carent forma, tanquam principialis causa formæ, sine forma in ipsis formis, utpote supra formam ; substantia totis substantiis insistens impellute, et ab omni substantia supra substantiam abstracta, tota principia, et ordines definiens, supra omne principium et omnem ordinem collocata. Et magnus Athanasius, in Disputatione contra Arium : Secundum hæc divinitas Patris et Filii sancta et sanctificans, quæ sanctificat omnia quæ rationem participant, quibus data est liberæ voluntatis et studii potestas ad capiendam sanctam et beatam substantiam in communionem sanctificationis. Et divinus Cyrillus in *Thesauris* (*a*) : Sicut igitur, inquit, mulier gloria viri vocata est, quia partem ex membris ejus ad sui fabricationem accepit, sic vir gloria Dei appellatus est, quia factus est particeps substantiæ ejus per Spiritum sanctum, qui in eo habitavit. Et rursus idem disserens de Spiritu sancto : Igitur quandoquidem Spiritu sancto habitante in iis qui Deo probati sunt, Christus est qui habitat, necesse est dicere ipsum Spiritum divinæ substantiæ esse ; cujus participes facit eos qui ipsum participant, et iterum idem in eisdem : Est igitur Spiritus sanctus secundum naturam Deus, quippe qui sanctos regenerat, ut sint unum cum Deo, qui habitat in eis. Et adhuc idem in eisdem : Quid igitur opus est longo verborum circuitu uti, et multiplices notiones texere? Hanc enim ipsam vim sanctificantem ex Patre manantem, quæ imperfectis tribuit perfectionem, dicimus esse Spiritum sanctum ; supervacaneumque est creaturam per interjectum medium sanctificari, cum benignitas Dei dignata fuerit usque ad minima pervadere, et ea per Spiritum suum sanctificare. Et divinus Theophanes in Canticis suis : Lumen, inquit, unius principii, et in tribus splendens, substantia sine principio, pulchritudo, immensa habitat in corde meo, et iterum in eisdem : Rex cœlestis, paraclete, Spiritus veritatis, qui ubique ades præsens, et omnia imples, qui es thesaurus bonorum, et vitæ dator, veni, et habita in nobis ; et emunda nos ab omni macula, et salvas fac animas nostras. Ex quibus patet, quod Deo secundum substantiam præsente, substantiam ejus impermiste participamus : et quod ipsa est quæ nos sanctificat, et habitat in nobis, nosque ab omni labe per Spiritum suum qui supra substantiam est, repurgat.

CAPUT III.

Quod participantes divinam substantiam, per Spiritum sanctum Filium Dei, qui supra substantiam est, participamus ; et hunc participantes, Deum Patrem participamus, atque ita efficimur divinæ naturæ et substantiæ participes.

Dominus ait in Evangelio : *Qui diligit me, mandata mea servabit ; et ego et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus* [91]. Quod quidem magnus et summus apostolorum Petrus in Epistola sua explicat, cum ait : *Divinæ naturæ consortes facti sumus* [92]. Consentiunt cum eo quæ Paulus item magnus ait : *Nescitis quod templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* [93] ? Et rursus : *Vos estis templum Dei viventis, sicut dixit Deus, Quoniam habitabo in eis, et inambulabo ; et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus* [94]. Similiter qui deinceps consecuti sunt sancti. Magnus Athanasius, in Epistola ad Serapionem : Sic autem, inquit, signati, consentanee naturæ divinæ consortes efficimur, sicut Petrus dixit, atque ita omnis creatura Verbi particeps efficitur in Spiritu sancto, et per Spiritum sanctum dicimur participes Dei, ait enim : *Nescitis quod templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* Et idem in eadem epistola : Nunc autem cum dicimur participes Christi, et participes Dei, demonstratur chrisma, id est unctio, quæ est in nobis, et sigillum, quod non est naturæ creatæ, sed Filii, qui per Spiritum sanctum nos cum Patre conjungit, hoc enim Joannes paulo supra docens scripsit : *In hoc cognoscimus quod in Deo manemus, et ipse in nobis, ex Spiritu ejus quem dedit nobis* [95]. Si autem participatione Spiritus sancti efficiemur consortes divinæ naturæ, insanus fuerit si quis dicat esse Spiritum sanctum naturæ creatæ, et non Dei ; ob hanc enim causam est in hominibus, et per eum homines deificantur ; si autem deificat, non est dubium quin natura ejus natura Dei sit. Magnus Basilius in iis quæ de Spiritu sancto scribit : Nulla, inquit, creatura ab anima rationis compote participari potest, ita ut in ea habitet οὐσιωδῶς, id est secundum substantiam (*b*), Spiritus vero sanctus habitat in ea, sicut ait Scriptura : *Templum estis Dei, et Spiritus Dei habitat in vobis ;* increatus igitur est Spiritus sanctus, et beatus Cyrillus in iis quæ de Spiritu sancto scripsit : Per se igitur operatur in nobis Spiritus sanctus vere sanctificans, et nos secum in unum sua conjunctione copulans, ac divinæ naturæ participes efficiens. Et rursus : Si accipientes, inquit, Spiritum Christi, per eum ad Deum Patrem adducimur, tanquam divinæ naturæ consortes facti, modo erit creatura, per quem cum Deo tanquam genus conjungimur? Adhuc idem in capitibus de Spiritu sancto : Si servus est, ut fa-

[91] Joan. XIV, 23. [92] II Petr. I, 4. [93] I Cor. III, 16. [94] II Cor. VI, 16. [95] I Joan. IV, 13.

(*a*) Lib. XIII, cap. 3.

(*b*) Quomodo autem participetur Deus secundum substantiam a creatura, et non participetur, ut recte intelligatur, legatur cap. 10 hujus decadis.

Digitized by Google

ctus vel creatus Spiritus sanctus, quomodo in eo clamamus : *Abba Pater* [96] ? Verum a servitute quidem liberat eos, in quibus est, vel potius refingit in filios libertatis, faciens eos participes naturæ suæ ; non est igitur servus ; quod si non est servus, igitur neque creatura, esse autem creaturam, et numerari servum, nihil aliud esset quam refugere a divina substantia, ac rursus idem in eisdem : Deus igitur est Spiritus qui nos ad Dei similitudinem format, non tanquam per gratiam ministrantem, sed per divinam naturam participationem sui iis qui digni sunt, donans. Et quæ est horum fides? Scriptura sacra, Scriptura divinitus afflata, quæ aperte et perfecte in unum copulat Deum et Spiritum ejus ; nec aliter futuram esse Dei participationem, nisi per Spiritum sanctum, aperte docet : siquidem Dominus noster Jesus Christus de omni, opinor, fidèli et bono dicit : *Ego et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus*, et : *In hoc cognoscimus quod in nobis est, ex Spiritu quem dedit nobis.* In se enim quis potest copiose habere habitantem et versantem natura et vere Deum, cum Spiritum ejus acceperit, non alienum, neque substantia ab eo distractum et divulsum, sed potius ex ipso, et in ipsos, et proprium ejus, et æqualem cum eo dominatum gestantem, et sic nominatum (*a*), et tanquam in ordine Filii (*b*) assumptum propter eamdem naturam. Et in cap. 1 libri IV *Thesaurorum*, tanquam in persona hæreticorum : Alienus est a communicatione nostra, et a nobis non participabilis per se ipsum Pater propter nimiam et summam, et quæ ab humana natura capi non potest, divinitatis participationem, capitur autem, et est in nobis per Filium tanquam per minorem scilicet. Quomodo igitur similis Patri, qui a nobis capi potest qui illum capere non possumus ? Contra vero disputans Cyrillus : Ebrii, inquit, rursus sunt suis insaniis isti oppugnatores Dei, non intelligentes, ut apparet, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Si enim, ut vos dicitis, omnia magna et supra naturam sunt in Patre, necesse est concedere parem bonitatem illi inesse. Quomodo igitur qui est summe bonus, non potest capi ab iis qui bonitate indigent ? Quomodo est totus bonus, qui nimia supra creaturæ facultatem bonitate omnibus sui participationem præcludit ? Oportebat enim (quod quidem verum videtur esse), ut qui est summe bonus, bonitatem sibi convenientem adhiberet omnibus, et eam cunctis indigentibus ad fruendum impartiret. Verum jam hoc fecisse apparet, cum promittit habitaturum se in nobis, et inambulaturum, et promittit adoptare filios. Inanis igitur impiorum quæstio est ; apparet enim, quemadmodum non ad dignitatis deflecti Deus propter magnitudinem et excellentiam naturæ ; quin potius tanto magis ad lenitatem vergit, quanto majora in eo sunt, ex quibus unum, idque pulcherrimum est, bonitas quæ per Filium, sicut ipse ait [97], in malos et bonos pertingit, nulli prorsus sui participationem præcludens. Participatio vero Patris per Filium in Spiritu sancto proprie et decenter fit ; sicut etiam solem per splendorem ex eo non sine calore editum participamus. Sicut igitur nemo dicat dissimile esse soli lumen quod ex ipso emittitur, vel calorem, quia per ista participatur sol ; sic non est necesse, ut Filius sit Patri dissimilis, quia Pater per Filium participatur, quin potius similem per omnia esse demonstrat. Ubi enim facti participes Filii, non privamur participatione Patris, quomodo non erunt idem Pater et Filius ? Ubi autem est eadem substantia, quem locum habebit dissimilitudo? R spondeant Christi oppugnatores. Ex quibus fit manifestum, quod participantes Spiritum sanctum, participamus Filium Deum, et hunc participantes, participamus Deum Patrem, atque ita efficimur totius divinæ naturæ et substantiæ participes. Quomodo vero fiat in nobis participatio Trinitatis, quæ supra substantiam est, dici non potest ; sicut neque dici potest, quis modus sit substantiæ ejus, et quomodo sit ubique præsens secundum substantiam.

CAPUT IV.

Quod participantes divinam naturam, non gratiæ solius, et per se non subsistentis participes sumus, sed ipsius Spiritus sancti viventis, et per se existentis ; et quod totus Deus trinus gratia dicitur, et simul Filius, atque Spiritus sanctus gratia ; sigillatim unusquisque horum gratia dicitur, dicitur vero homonyme gratia, id est, quod ab his personis fit.

Sanctus Cyrillus, libro septimo *Dialogorum ad Hermiam* : Si, inquit, gratia quæ per Spiritum sanctum datur, discissa erat a substantia Spiritus sancti, cur non aperte dixit beatus quidem Moyses, quod producto animanti inspiravit gratiam auctor omnium, gratiam dico per inspirationem vitæ ? Christus vero nobis, Accipite gratiam [98], scilicet per ministerium Spiritus sancti ? Quin potius illud quidem vocatum est *Spiraculum vitæ* [99] ; vita enim erat natura divinitatis, siquidem vere in ipso vivimus, movemur, et sumus [1] ; voce autem Domini dictum est : *Accipite Spiritum sanctum*, quia ipse vere in cordibus credentium habitat. Et paulo post : Quando igitur ad similitudinem Christi formamur, ipse etiam in nobis consignatur, et pulchre exprimitur tanquam per Spiritum naturaliter similem. Deus ergo est Spiritus sanctus, qui ad similitudinem Dei format non tanquam per gratiam mini-

[96] Rom. VIII, 15. [97] Matth. V, 45. [98] Joan. XX, 22. [99] Gen. II, 7. [1] Act. XVII, 28.

(*a*) *Et sic nominatum.* Id est Dominum. II Cor. III.

(*b*) In ordine Filii assumptus dicitur Spiritus sanctus, quia numeratur tertius, sicut dicit Matth. XXVIII, *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti ; et illud* I Joan. V : *Tres sunt qui testimonium*, etc.

Digitized by Google

strantem, sed tanquam ipse participationem divinæ naturæ dignis largiens. Et rursus idem ibidem : Templa Dei, imo etiam dii vocamur, et sumus, quare autem, interroga adversarium ; siquidem sumus vere participes nudæ et non per se exsistentis gratiæ, at non sic, nequaquam ; templa enim sumus Spiritus sancti per se exsistentis ; vocati autem sumus dii propter ipsum, utpote divinæ naturæ propter conjunctionem cum ipso participes facti. Et iterum idem in eisdem : An non dicimus fabricari hominem ad imaginem Dei ? Quis neget ? Quod autem imaginem imprimit, et instar sigilli pulchritudinem supramundanam efficit, an non est Spiritus sanctus ? At non, inquit, ut Deus, sed ut divinæ gratiæ minister, igitur non ipse, sed gratia per ipsum consignatur. Videtur, inquit. Necesse ergo erat appellare hominem imaginem gratiæ, et non potius imaginem Dei. Gregorius Nyssenus, in Cantica canticorum : Quod, inquit, vere est prædicandum beatum, numen ipsum divinum est, ipsa pulchritudo inexplicabilis, ipsa per se gratia, et sapientia, et potestas. Et divinus Gregorius in oratione de divinitate contra Evagrium monachum : Similiter igitur, inquit, qui dator est omnium bonorum, qui veritatis moderator, et Salvatoris Pater, dimanantem quamdam Filii et Spiritus sancti gratiam intellectilem ad nos misit, neque ipse quidquam incommodi in substantia passus est; non enim ullam imminutionem subiit propter illorum ad nos adventum, usque ad nos processerunt, et nihilominus a Patre inseparabiles perstiterunt, expers enim partis est, ut a principio diximus, divina natura. In primis autem divinus Apostolus in Epistola ad Titum ait : *Apparuit gratia Dei* [1], gratia scilicet salutaris, omnibus hominibus cum quo consentiunt qui in canticis ecclesiasticis dicunt: Apparuit Salvator, qui est gratia et veritas, in Jordani fluentis: et gratia habitavit in te, quæ Dei mater es; et mundum splendore illustravit. Et divinus Ephrem, in Oratione de salute animæ : Quando, inquit, voluit, benignus et misericors Deus liberare nos ab hujusmodi errore, visitavit nos oriens ex alto [2]; et apparuit Dei gratia salutaris, deditque se ipse in commutationem pro nobis. Et sapiens Cyrillus: Quæ, inquit, gratia apparuit nobis ? aut qualis Dei gratia salutaris omnibus hominibus apparuisse dicitur? Atqui manifestum est quod ait David: *Deus Dominus, et apparuit nobis* [3]; et ut ipsius gloria nobis de cœlo appareat, exspectamus. Et magnus Athanasius, in epistola ad Serapionem, Omnia, inquit, Patris sunt Filii ; quare charismata, quæ a Filio in Spiritu dantur, Patris charismata sunt: et cum in nobis est Spiritus sanctus, in eo ipso etiam est Pater; A atque ita fit illud: *Ego et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus* [4], sicut dictum est. Ubi enim est lumen, illic est splendor: et ubi splendor, ibi est hujus operatio, et splendida gratia. Et magnus Basilius in epistola ad Gregorium fratrem: Omne, inquit, bonum, quodcunque ex divina potestate ad nos deveniat, operationem gratiæ omnia in nobis operantis esse dicimus, *omnia* enim *operatur unus* et idem *Spiritus* [5]; ac rursus idem: Spiritum sanctum qui ex Deo exsistit, fontem dico sanctitatis, potestatem vitæ effectricem, et gratiam perficientem ; per quem homo adoptatur Filius, et quod mortale est, efficitur immortale, unum per omnia cum Patre et Filio. Præterea, secundum homonymiam divinitatis (*a*), quæ supra substantiam est, B quædam alia dicuntur gratia. Declarat hoc Paulus, cum scribens ad Romanos: *Sic ergo*, inquit, *et in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia. Si autem ex operibus, jam non est gratia : alioqui opus non est opus* [6]. Et rursus idem Apostolus : *Gratia enim salvi facti estis* [7]. Et iterum : *Non enim estis sub lege, sed sub gratia* [8]. Et alias : *In gratia hac, quæ ministratur a nobis* [9]. Et rursus : *Ex quo die audistis et cognovistis gratiam in Dei veritate* [10]. Et divinus Chrysostomus explanans illud : *Ex plenitudine ejus omnes accepimus* [11], et : *Gratiam pro gratia* : Qualem, inquit, pro quali ? Pro vetere novam ; et C in illud : *Gratia salvi facti estis* : Non ex operibus propriis, inquit, sed gratis. Et magnus Athanasius, libro tertio *Contra Arianos* : Sciebat ubi Lazarus jacebat, interrogabat tamen, ut suscepta nostra ignorantia, largiretur nobis ut cognosceremus solum verum Patrem suum, et quem propter nos ad salutem omnium misit, qua major gratia non potest esse. Ex quibus patet, quod facti participes naturæ Dei, non nudæ gratiæ a Deo manantis et quæ per se non exsistit, participes sumus ; sed ipsius Spiritus supra substantiam, et vivifici, ac per se exsistentis ; et per hunc ipsum cum Patre et Filio copulari, divinæ naturæ consortes efficimur ; et hac gratia ditamur, gratia scilicet trium personarum, quæ est per se gratia. Et sicut creD ditur esse communis nobiscum per se gratia, sic etiam sigillatim unaquæque persona divina ex tribus gratia dicitur ; et maxime summus Deus Salvator, et qui est supra substantiam, Spiritus sanctus, uterque simul gratia bimanans dicitur. Sicut igitur hæc gratia dicuntur principialiter, et divine, et efficienter, sic homonyme omne datum bonum, quod ab ipsis personis divinis ad nos proficiscitur, tanquam beneficium nobis creatum et

[1] Tit. II, 11. [2] Luc. I, 78. [3] Psal. CXVII, 27. [4] Joan. XIV, 23. [5] I Cor. XII, 11. [6] Rom. XI, 5, 6. [7] Ephes. II, 8. [8] Rom. VI, 14. [9] II Cor VIII, 19. [10] Coloss. I 6. [11] Joan. I, 16.

(*a*) Id est, sicut homo sanctus æquivoce dicitur Deus, sic etiam gratia quæ a Deo fit.

Digitized by Google

effectum, gratia et donum dicitur, non ex operibus nostris confectum, quin potius gratis, et ex nulla nostra importatione suppeditatum.

CAPUT V.

Quod sicut Deus, qui est per se gratia, et trium personarum potestas, sive virtus, a nobis efficienter participatur (a); sic idem producit et creat distributionem divinarum gratiarum, quæ ad participandum creatæ sunt.

Magnus apostolus Paulus ait : *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus* [12]. Et rursus : *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* [13]. Et iterum : *Æmulamini meliora charismata* [14]. Item : *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens* [15]. In quem locum incumbens beatus Chrysostomus : Vidisti, inquit, ubi gratiam linguarum extulit, et ubi eam evertit, et fregit? Et rursus idem in Epist. ad Corinth. homilia 29 : *De spiritualibus, inquit, nolo vos ignorare, fratres* [16]; spiritualia vocat signa, quia hæc opera sunt solius Spiritus sancti, nihil humano studio afferente ad hujusmodi miracula efficiendum. Et rursus idem, in Oratione de Spiritu sancto : Spiritus Dei, Spiritus ex Deo, Spiritus qui a Patre procedit, hæc sanctæ et impollutæ virtutis sive potestatis nomina; sunt autem alia nomina non naturæ, sed operationi convenientia, ut donis ejus. Dico igitur, cum Spiritus sanctus vel mihi, vel alteri Christiano sanctificationem donaverit, et donum acceperit, ita ut corpus sanctum et animam sanctam habeat, hoc donum vocatur spiritus sanctitatis, id est, gratia sanctitatis; si quis accipiat a Spiritu sancto virtutem et donum credendi promissioni futurorum bonorum, accepit spiritum promissionis; si quis accipiat donum sapientiæ, vocatur donum hoc spiritus sapientiæ; si quis habeat charisma charitatis, dicitur habere spiritum charitatis; quando accipit charisma martyrii, dicitur habere spiritum fortitudinis, sive virtutis, id est charisma; et quia qui donat, Spiritus sanctus est, vocatur etiam donum homonyme eodem nomine, quod vocatur qui donat. Adhuc idem in Epist. ad Ephesios homilia 13, exponens illud : *Creatum in sanctitate* [17] : Vide, inquit, hic, quomodo creaturam vocat creationem essentiæ virtutis, quæ creatio virtutis cum non esset, factum est ut esset. Et rursus idem : Ob hanc causam, ut demonstretur quod qui effunditur, non est Spiritus sanctus, sed gratia Spiritus sancti, ait David de Christo : *Effusa est gratia in labiis tuis* [18]; gratia effunditur, non is qui gratiam donat. Et magnus Basilius, in tertio *Confutationum Eunomii* : Sicut dicitur Pater dividere operationes iis qui digni sunt ut eas suscipiant; et Filius dividere ministrationes iis qui digni sunt munere ministrandi, sic Spiritus sanctus dicitur dividere charismata iis qui digni sunt ut charismata accipiant. Rursus idem in homilia Psalmi 32 : Apte, inquit, ad terram refertur illud : *Ipse dixit, et facta sunt* [19]; in formatione quidem nostra ex terra convenit illud : *Factum est*; in creatura vero ad imaginem Dei creata convenit : *Creatum est*. Quia vero sæpenumero dicitur in renovando, et reddendo melius, ut illud : *Si qua in Christo nova creatura* [20]; et illud : *Ut duos crearet in unum hominem* [21]. Fortassis illud : *Et facta sunt*, de prima creatione essentiæ hominis dicitur; illud autem : *Et creata sunt*, de secunda regeneratione in Christo; quanto autem præstat mandatum Dei verbo simplici, tanto præstat regeneratio generationi. Et iterum, idem in epist. ad Gregorium fratrem : Quærentes autem, utrum ex solo Spiritu sancto largitio bonorum originem ducat, atque ita adveniant dignis, rursus a sancta Scriptura deducimur ad principem et auctorem largitionis bonorum, quæ Spiritus sanctus operatur nobis; omnia enim per ipsum facta esse, et in ipso consistere, a sancta Scriptura didicimus. Quare cum ad illam cogitationem evehimur, rursus Scripturæ sanctæ ductu elevati, docemur omnia per illam virtutem sive potestatem produci, ut quæ non erant, sint; non autem produci ex illa sine initio. Gregorius Theologus in libro *De Spiritu sancto* : Dicitur, inquit, Spiritus adoptionis, libertatis, Spiritus intelligentiæ, sapientiæ, consilii, fortitudinis, cognitionis, pietatis, timoris Dei. Hæc enim cuncta efficit. Et iterum idem : Spiritus quidem unus, gratiæ vero non sunt æquales, quia neque receptacula Spiritus; alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, vel contemplationis; alii vero fides firma, et sine ulla dubitatione; alii operationes virtutum, et miraculorum sublimiorum; alii gratiæ sanitatum; opitulationes, id est præfecturæ; gubernationes, id est moderationes carnis; genera linguarum, interpretationes linguarum, majora charismata; secunda secundum proportionem fidei. Athanasius libro secundo contra Arianos : Illa igitur : Creavit (*b*), formavit, constituit, quæ eumdem sensum habent, non declarant initium essentiæ Verbi Dei, neque substantiam ejus creatam esse, sed renovationis ejus et gratiæ beneficium in nos. Et iterum idem : Sicut nos, inquit,

[12] I Cor. XII, 6. [13] Ibid. 11. [14] Ibid. 31. [15] I Cor. XIII, 1. [16] I Cor. XII, 1. [17] Ephes. IV, 24. [18] Psal. XLIV, 3. [19] Psal. XXXII, 9. [20] II Cor. V, 17. [21] Ephes. II, 14.

(*a*) Deus participatur in substantia quidem sua secundum rationem causæ efficientis : in donis vero suis secundum rationem electus.

(*b*) Ad interpretationem illius loci Prov. cap. VIII de sapientia Verbi Dei incarnata pertinent, *Dominus creavit me principium viarum suarum*

Digitized by Google

ex Deo geniti, non ex ventre personæ ejus geniti sumus, sic et spiritus ex Deo procedentes non sunt ex persona ejus. Et beatus Cyrillus in libro *De Spiritu sancto*: Si ex Patre, inquit, luminum varia charismatum largitio manat, Paulus vero ait: *Hæc autem omnia operatur Spiritus, dividens unicuique privatim sicut vult*, quomodo non est Deus ex Deo, et in Deo Spiritus, qui omnia quæ Deum decent, tanquam potestatem habens operatur? Et rursus idem in commentariis Isaiæ: *Hæc dicit Dominus, qui in altis habitat, Spiritus enim Domini a me exibit*; quomodo autem exibit, declaravit, inquiens: *Spiritum omnem ego feci* [20a]; est enim Pater spirituum; intelligitur quidem, non tanquam ex propria natura sicut Filium, hos spiritus genuerit, imo neque processisse eos dicit ex substantia æqualiter ut Spiritum sanctum, sed potius create ex Deo exivisse, ut essent, affirmamus recte sentientes; ipse enim omnem spiritum fecit, ubi autem factio nominatur, ibi omnino est egressio, id est exitus, non secundum substantiam, sed ut verbum exitus per abusionem significet factum esse. Sanctus Maximus, cap. 38 et 39 centuriæ quintæ (*a*) ait: *Et requiescent super eum septem spiritus* (*b*), *spiritus sapientiæ, spiritus intellectus, spiritus cognitionis, spiritus scientiæ, spiritus consilii, spiritus fortitudinis, spiritus timoris Dei* [21a]. Est autem proprium horum charismatum spiritualium, spiritus quidem timoris Dei, abstinentia a malis secundum actum; spiritus vero fortitudinis, promptus conatus et motus ad operationem et effectionem mandatorum; spiritus consilii est habitus discretionis; spiritus autem scientiæ est certa et non fallax notitia modorum qui versantur in actione ex virtute; spiritus cognitionis est comprehensio rationum in mandatis; spiritus intellectus est erga modos et rationes virtutum assensus, vel ut magis proprie dicam, affectio; spiritus sapientiæ est referre se ad causam rationum magis spiritualium in mandatis, et cum ea causa copulari. Et rursum idem in eisdem: Sicut, inquit, alius accipit sermonem sapientiæ, alius sermonem scientiæ, alius autem fidei, et alius aliud charisma ex iis quæ magnus Apostolus enumeravit; sic alius quidem accipit per spiritum charisma charitatis perfectæ et sine intermedio erga Deum, nihilque terrenum habentis secundum proportionem fidei, alius vero per eumdem Spiritum accipit charisma charitatis erga proximum; omnem namque habitum mandati in actione positum dicit esse charisma spiritus. In commentariis qui feruntur in Job: *Fuerunt*, inquit, *illi septem filii, et filiæ tres* [22 26], catalogus filiorum honoratus est apud Scripturam, et cum mysticis rationibus consentiens, numerus enim septem significat in ænigmate septem charismatum concursum; numerus vero trium ad perfectius et divinius spectat; ut intelligamus, fidem Trinitatis effectricem esse septem gratiarum. Et divinus apostolus et evangelista Lucas in Actis: *Multa*, inquit, *per manus apostolorum fiebant signa et prodigia in populo* [27]. Et rursus idem: *Et virtutes non vulgares faciebat Deus per manus Pauli* [28]. Et in sancto Evangelio: *Et non fecit*, inquit, *illic signa multa propter incredulitatem eorum* [29]. Et propheta David in Psalmo centesimodecimo: *Fidelia omnia mandata ejus facta in veritate et æquitate* [30]. Et rursus idem in Psalmo quinquagesimo: *Cor mundum in me crea, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* [31]. Ex quibus fit manifestum, quod sancta Trinitas et per se gratia, per se ex iis quæ non sunt, et producit et creat ad participationem nostram effectam et crestam divinorum charismatum distributionem. Ipsa enim cum sit omnium causa (solum enim quod est supra substantiam, principium et causa est essentiæ omnium) per spiritum ejusdem naturæ, et supra substantiam, operatur distribuens unicuique charismata, sive gratias, sicut vult: si autem sunt hæc opera voluntatis ejus, liquet creaturas esse, et effecta ex nihilo: et ipse Deus est, qui operatur omnia in omnibus.

CAPUT VI.

Quod hanc apostolicam theologiam sequens Dionysius, quæ magis generalia sunt, effectus et participationes magis particularium dicit, ut jam omnia quorum Deus est creator, in participantia distributa sint.

Magnus Dionysius capite quinto *De divinis nominibus* ait non esse aliud, bonum, et aliud, exsistens; et aliud vitam, vel sapientiam, neque multas esse causas, et aliorum alias divinitates effectrices, superiores et inferiores, quo in loco sanctus Maximus: Quia, inquit, paulo ante visus fuerat quodammodo dicere superius, et inferius, eum dixit, bonum esse causam exsistentiæ, vitæ, et similiter in aliis, ne qui imprudenter legunt, occasionem reprehendendi reperirent, ait non esse aliud, bonum, et aliud, exsistentiam; et rursus aliud vitam, vel sapientiam, unam enim esse omnium causam, et non multas; et consentanee unam divinitatem omnia producentem sanctam et beatam Trinitatem, et non multas divinitates creatrices. Hoc autem non supervacanee dixit, sed ut sapientes gentilium, et hæreticos Simonis discipulos perstringeret, qui deos ponebant effectores mundi, et quo inferiores essent, eo infirmiores creaturas producere usque ad fæcem, ut aiunt, id est, usque ad materiam. Nomen boni ait complecti omnem

[20a] Isa. LVII, sec. LXX. [21a] Isa. XI, 2, 3. [22 26] Job I, 2. [27] Act. V, 12. [28] Act. XIX, 11. [29] Matth. XIII, 58. [30] Psal. CX, 8. [31] Psal. L, 12.

(*a*) Tertia est in centuriis in pressis.
(*b*) Sicut hic auctor Maximum recitavit, ita interpretatus sum.

Digitized by Google

providentiam; reliqua vero nomina partes providentiæ, ut vitam, sapientiam, rationem; omnia enim quæ sunt, propter bonitatem Dei producta sunt, ut exsistant, et sunt bona, id est, valde pulchra, non tamen omnia participant vitam, vel sapientiam, vel rationem. Generaliores scilicet providentias vocat, quas in pluribus contemplamur, ut vita pervadit in stirpes, et animantes tum rationis participes, tum non participes: sapientia vero, et ratio pauciorum sunt; hæc enim solum in ratione utentibus cernuntur. Idem adhuc capite secundo de divinis nominibus in explanationibus suis in Dionysium, exponens quod ait Dionysius: Saturientem, et nunquam deficientem causam, atque distributionem donorum, quæ bonum decent: Dictum est, inquit, in Psalmis: *Quoniam apud te est fons vitæ* [32]. Et in Jeremia: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ* [33]. Deus igitur dicitur fons velut quidam parens, et principium atque causa eorum omnium quæ apparuerunt, et devenerunt ad essentiam: quæ enim quidam vocare consueverunt universalia, id est, genera, vel tota, vel continentia, utpote quæ complectantur partes emanationum ejus, horum Scripturæ sanctæ dicunt esse causam et fontem: propter effectionem igitur inexhaustam eorum quæ per Spiritum sanctum exsistit, et quia Spiritus sanctus est causa omnium, ut in Sapientia dictum est [34], consentance ipsam per se causam fontem esse divine philosophatur. Illud autem, non exhauriri creationem, inde intellige, ubi ait: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* [35], similiter Spiritus sanctus cum Patre et Filio sine intermissione operatur; ait enim Scriptura: *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur* [36]. Et rursus magnus Dionysius capite undecimo *De divinis nominibus*: Non enim substantiam quamdam divinam aut angelicam esse dicimus illud per se esse, causam essentiæ omnium; solum enim quod est supra substantiam, principium et substantia et causa est ut sint omnia quæ sunt, et ipsum per se esse; nec aliam divinitatem, quæ vitam pariat, præterquam vitam supraquam divinam omnium quæcunque vivunt, et ipsius per se vitæ causam ponimus, nec, ut summatim dicam, alias causas principales, et creantes, et hypostases, quas quidam et deos, et effectores rerum esse temere effuiverunt: quos vere et proprie dicere non esse nec ipsi, nec eorum patres et majores sciverunt. Hæc a theologis proposita sunt, ut sciamus demonstratum esse, quod antea, solum scilicet quod est supra substantiam, beatam et supraquam (*a*) divinam Trinitatem omnium causam esse et nec ipsum per se esse, quod est antiquius donum, quam cæteræ participationes quæ ab ipsa Trinitate manant, nec ipsam per se vitam, nec horum similia ullius rei causam esse: quin potius quomodocunque vocata sunt illa magis generalia, sive vocentur primum exsistentia, sive per se participationes, sive dona Dei, sive providentiæ, sive communicationes divinæ (dictum enim est de his a Theologis), non negabunt neque diffitebuntur opera esse ejus qui omnia in omnibus operatur ut vult, Dei Patris scilicet, producta ad ministerium et sanctificationem creaturarum per Deum Filium, et divinum ejus Spiritum. Divisiones autem gratiarum Dionysius, qui has a magno apostolo Paulo didicit, ad laudandum ab effectis providentiam quæ est principium ut boni efficiamur et deificemur, pertinere, aperte exposuit, vocans effectus ipsas participationes participantium expositas ad participationem donorum Dei, quibus participatis dicimur divini et beati et sapientes et potentes. Retractat vero postea hæc, edisserens quomodo hæc se habeant collata cum eo qui tribuit; nulla enim similitudo perfecta est causarum, et eorum quæ effecta sunt, sed potius effecta quidem habent imagines et similitudines quantæ esse possunt, causarum: ipsæ vero causæ abstractæ sunt ab effectis, et supra locatæ secundum rationem proprii principii. In hoc vero ipsum incumbens divinus Maximus: effecta esse dixit quæ producta sunt in rerum natura, sive in cœlo, sive in terra, causas vero quæ producunt, id est, tres personas sanctæ Trinitatis. Liquet igitur causas et effectus nullam inter se similitudinem habere. Et adhuc divinus Dionysius incumbens potissimum in hæc: Eadem, inquit, et similia et dissimilia Deo dicuntur; similia quidem secundum imitationem, quæ esse potest ejus quem nihil potest imitari: dissimilia vero, quatenus effectus infra causam sunt, et infinitis mensuris, et quæ conferri non possunt, ab ea distant. Eamdem excellentiam supra effectus posuit, et supra per se participationes: Quanto, inquit, præstant sancta, vel divina, vel dominantia, vel regia iis quæ non sunt talia, et rursus per se participationes participantibus, tanto est omnibus sublimior, qui est supra omnia, et omnium participantium, et participationum auctor imparticipabilis. Quod ipsum explanans sanctus Maximus: Quantum, inquit, antecellit natura pura et causa qualitati et effecto (hoc enim est ens, comparatum cum eo quod non proprie est), et quantum antecellit participanti id quod participatur, tantum differt Deus, qui hæc dicitur, ab iis qui ista participant. Igitur sicut causæ effectibus antecellunt infinitis mensuris et quæ conferri non possunt, sic solus auctor Deus, idemque imparticipabilis, participantibus, et ipsis per se participationibus antecellit. Dictum est autem de his a theologis in quinta et quarta decade initiariæ expositionis divinorum nominum.

[32] Psal. xxxv, 10. [33] Jerem. II, 13. [34] Sap. I, VII. [35] Joan. V, 17. [36] Psal. CIII, 30.

(*a*) Supraquam divina Trinitas dicitur, sicut dicitur Deus supra Deum, sive supra quam Deus propter eos qui dicuntur dii, sicut scriptum est Psal. LXXXI: *Ego dixi, Dii estis.*

Digitized by Google

Excipiatur autem hinc, quod in Filio et Spiritu sancto causam habet : hoc enim univoce dicitur de iis quæ sunt causa ; quæ vero causam habent secundum voluntatem, homonyme dicuntur, utpote opera Dei omnia in omnibus operantis. Præterea illud causam habens omnium causa est, hæc autem ab ipso causam habentia singulariter et so'ummodo ex ipso, et non ex alia causa sunt (*a*) : solum enim quod est supra substantiam, principium et substantia et causa est ut sint omnia. Ad hæc, in Trinitate supraquam divina causa, et causam habens, distinctionem a mistione maxime liberam exhibet, et in eodem unionem supraquam unitam, quia in ea exhibetur prima distinctio, et prima unio ; primo autem, ut est axioma, non est aliquid contrarium, sed vera distinctio, et vera unio; neque distinctio mutari unquam potest in unionem, neque rursus unio in distinctionem, servantur autem hæc non confusa propter utrumque, id est, distinctio propter unionem, et unio propter distinctionem, trine simul et unice enuntiata ; at in creatura, cujus causa est sancta Trinitas, unio quidem est secundum causam tantum, distinctio vero creaturarum immensis mensuris infra causam relinquit ea quæ facta sunt, et unio antecedit, valentiorque est hujusmodi distinctionibus, ut una et eadem quidem sit universorum causa, creatura vero numerosa, a primis et generalioribus ad secunda et tertia et multiplicia progrediens. Hinc aperitur theologis quæstio de participatione, quæ est una quidem secundum causam, altera vero secundum participationem; alia secundum exsistentiam, participatione et exsistentia in creatura consistentibus, id est, in ea quæ participantur, et in participantia partitis.

CAPUT VII.

Quod omnia participantia, et quæ participantur, a sola natura, quæ secundum causam participatur, producta alia quidem simpliciter ab ipsa ad participationem edita sunt, alia vero sunt secundum exsistentiam participantium.

Magnus Dionysius capite quinto *De divinis nominibus* : Primum, inquit, donum per se esse, ipsa per se bonitas producens, ab antiquiore, prima inter cæteras participatione laudatur, et est ex ipsa, et in ipsa ipsum per se esse, et principia eorum quæ sunt ; et omnia quæ sunt (1), et quæ quocunque modo sunt, idque incomprehense, et copulate, ac singulariter. Et rursus idem : Et ante alias ejus participationes esse productum est : et est ipsum per se esse antiquius quam esse per se vitam, per se sapientiam, per se similitudinem divinam ; et alia quorum quæ habent participationem, ante omnia illa participant esse : quin potius ipsa per se omnia, quæ ab aliis participantur, ipsum per se esse participant; principia igitur omnia eorum quæ sunt, participando esse et sunt, et principia sunt et primum sunt, deinde principia sunt; et si vis dicere esse per se vitam principium viventium tanquam viventium ; et per se similitudinem principium similium tanquam similium; et per se unionem principium copulatorum tamquam copulatorum ; et per se ordinem ordinatorum tanquam ordinatorum ; et quæcunque alia hoc, aut illud, aut utrumque, aut multa participantia hoc, aut illud, aut utrumque, aut multa sunt ; eorum per se participationes reperies primum participare ipsum per se esse ; et primum quidem eas esse; deinde hujus, aut illius principia esse ; et participando ipsum esse exsistere, et participari. Quod si hæc, scilicet per se participationes, principia aliorum sunt participando ipsum esse (*b*), multo magis quæ illa ipsa principia participant, ut jam ex his manifestum evadat, et ex iis quæ latius in quinta decade prosecuti sumus, quod participationes sunt, quas ea quæ sunt (*c*), participant, quæcunque sunt species, et harum participationes ; siquidem et in una specie sunt multæ participationes non solum in coloribus, sed in voluntatibus, et fortunis ; ut cum dicimus : Participavit voluntatem moderatam, aut rectam, aut facetiis gaudentem, aut aliter effectam ; aut esse fortunatum, aut infortunatum. Ut igitur prosperitas, sive bona fortuna participatio est fortunatorum, quatenus fortunati sunt, non autem quatenus homines sunt; sic et aliæ participationes editæ sunt, ut participentur, non quia sunt, sed quia tales sunt. Quando autem nactæ sunt subjecta recipientia, tunc dicuntur effectæ secundum exsistentiam eorum subjectorum, quæ nactæ sunt, et est quidem aliud participatio, et aliud quod secundum exsistentiam participationem recipit ; verbi gratia : Vita participatio quædam est simpliciter, quæ tunc fit secundum exsistentiam participatio cujusdam, cum est pars substantiæ (2) ejus, aut est ipsum, aut secundum accidens. Dionysius igitur aggressus

Scholia.

(1) *Omnia quæ sunt*, et quæ quocunque modo sunt, ut quæ sunt in alio sicut accidentia, et quæ sunt in potentia, et quæ sunt privationes, et quæ non habent totum esse simul, ut motus, sunt in Deo incomprehense, in se autem finite ; in se multa, in Deo copulata ; sunt itaque incomprehense, et conjuncte, ac unite res omnes, quæcunque sunt in Deo, quia sunt ipsa divina essentia incomprehensibilis Pater, Filius, et Spiritus sanctus in unum incomprehensibiliter uniti. (2) *Cum est pars substantiæ ejus.* Ut cum participatur ab anima, quæ est pars substantiæ hominis, quia non habet in se

(*a*) In divinis Pater secundum naturam est causa Filii, et Pater ac Filius causa Spiritus sancti, et in his causa et qui causam habent æquales sunt ; hoc est enim dici univoce causam de causam habentibus id est de causatis.

(*b*) Leg. c. decad.

(*c*) Primum donum Dei est esse; postea esse speciem aliquam quæ prius participat esse ; postea esse individuum speciei participatæ.

Digitized by Google

disserere generatim, in substantia simpliciter et in participatione simpliciter, tractavit; et ostendit, prius quidem oportere esse subjectum, quod quidem dixit antiquius esse Dei donum : deinde participationem, quæ in illo subjecto facta est. Proposita igitur est ad participationem participantium, per se substantia; quod perinde est, ut si dicatur substantia facta ad participationem. Nisi enim substantiam participaremus, penitus in rerum natura non essemus; deinceps, ipsi substantiæ factæ ad capiendam participationem, aliæ participationes propositæ sunt; et sicut tempus generalius ad participationem eorum quæ sunt in tempore, propositum est, cum alioqui non sit substantia aliqua, sed simpliciter participatio; tunc vero efficitur nobis, qui in tempore sumus, exsistentia, quando propter ipsum sumus in tempore; sic omnis alia participatio quæ non est substantia, eamdem consecutionem habet : illo prius cognito et percepto, quod solus Deus est harum participationum auctor et effector, sive propositæ sint simpliciter ad participationem, sive etiam ad exsistentiam participantibus.

CAPUT VIII.

Quod omnia quæ sunt ad participandum, sive proposita sint secundum participationem, sive secundum exsistentiam, quia non sunt idonea subjecta recipientia, multiplicationem et differentiam participationum subeunt; sola autem natura quæ secundum causam participatur hanc differentiam funditus non admittit.

Magnus Dionysius cap. 9 *Cœlestis hierarchiæ*, Hoc, inquit, testatur populus Hebræorum accidisse sibi: *Cognitionem Dei*, inquit Scriptura, *repulisti, et cor tuum secutus es* [37]; nec enim vitam necessitate coactam habemus, neque propter libertatem eorum quibus providetur; divina lumina providentiæ splendentis retunduntur; quin potius dissimilitudo oculorum quos mentes habent, illuminationem paternæ bonitatis supra quam copiosam aut penitus non participat, aut facit duritia sua ne penetret, aut varias rediit participationes, parvas vel magnas, obscuras vel claras unius et simplicis, et semper sui similis atque supra modum expediti et explicati radii manantis instar fontis. Et rursus idem capite secundo de divinis nominibus. Atqui, dicet aliquis, non est sigillum totum et idem in omnibus, in quibus ad exprimendum effigiem imprimitur : non est autem in causa sigillum; se enim totum et idem unicuique impertit, sed differentia participantium dissimiles facit figuras ab hoc uno et toto exemplari expressas, ut si sunt mollia et facilia ad figurandum, et lenia, εὐχάραχτα; et neque aspera, neque dura sunt, neque fluxa et inconstantia, puram et expressam et permanentem figuram habebunt : si quid vero hujus habilitatis, quæ dicta est, defuerit, hæc erit causa cur effigies non figuretur, nec exprimatur, neque alia fiant quæ non fuerat, cum non est habilitas ad recipiendam participationem. Sed et Justinus martyr philosophus, in Oratione de recta confessione ait : Quomodo Verbum in suo templo, et in rebus similiter secundum substantiam est, et quid amplius templum quam cætera omnia habebit. Audiamus tandem dicentem : Qui est in sinu Patris, secundum substantiam omnibus adest impartibiliter, et non sic eum in Patre esse dicimus, ut est in reliquis; non quia substantia cum in aliis est, contrahitur, sed propter mensuram recipientium, quæ non possunt fieri receptaculum divinum : ad hunc modum dicentes eum in templo suo inseparabilem et tanquam plenitudinem divinitatis habitare confitentes, adesse omnibus, et non similiter adesse dicimus. Et divinus Gregorius Nyssenus, in primo libro *Confutationum Eunomii*, ait : Quia omnis boni fons et principium et largitio in natura increata cernitur; omnis vero creatura in eum vergit per communionem primi boni particeps facta sublimis naturæ, necessario secundum proportionem participandi sublimia, aliis plus, aliis minus secundum liberam potestatem voluntatis participantis, plus et minus participationis in creatura cernitur; et convenienter uniuscujusque conatu plus et minus in excellentia virtutis, locum habet : natura vero increata longe abest ab hujusmodi differentia. Ex quibus liquet, omnem differentiam participationum ex differentia participantium exsistere et conflari, fierique magnas, et parvas participationes propter habilitatem obscure, aut clare participantium; quare, ut consentaneum est, hujusmodi participationes, quomodocumque proponuntur, sive simpliciter secundum participationem, sive secundum exsistentiam, ex parvo et magno conflatæ in creatura cernuntur; in iis autem quæ in Deo sunt, hujusmodi differentia locum non habet. Uno itaque consensu theologi participationes illas, quas absolute et abstracte per se substantiam, et per se vitam, et per se sapientiam, et si-

[37] Osee, IV, 6.

Scholia.

integram naturam speciei ut ait sanctus Thom. II part. quæst. 51, ad 3, aut a corpore secundum accidens, quia per animam vivit : aut ab angelo; quia enim ipse est integræ naturæ, et non tanquam pars naturæ, per se vitam accipit a Deo, et non per accidens participatio simpliciter differt a participatione secundum exsistentiam ratione tantum : ut per se vita non distinguitur a viventibus, a quibus participantur secundum rem : re enim vita et vivens idem sunt : sicut humanitas simpliciter, et homo ratione tantum differunt, quia sicut humanitas solum illa comprehendit quæ hominem definiunt, et non quæ materiam faciunt individuam, neque humanitas, actu aut potentia continet principia quæ individuum reddunt, homo vero continet potentia; sic per se vita illa continet quæ viventem definiunt, quatenus vivit itaque ut homo formaliter est humanitate homo, sic vivens per se vita est vivens. Participatio secundum exsistentiam, est vita illa, simpliciter, jam recepta in subjecto vivente sicut humanitas secundum exsistentiam, est in hoc homine qui exsistit, sola enim singularia exsistunt in rerum natura; universalia vero et abstracta solum in mente.

Digitized by Google

militer in aliis, vocabant, inter creaturas referebant et numerabant ; quia neque substantiæ divinæ, nec angelicæ erant, nec ullius rei effectrices ; solum enim quod est supra substantiam, principium et substantia et causa horum est. Si autem Deus et horum, et eorum quæ subter ipsa sunt, ex æquo auctor est (est enim, inquit, ex participantibus, et ex participatis infinite et immense exemptus), quomodo non in his magis omnis differentia reperiatur, et plus et minus locum habeat? quæ sunt notæ creaturæ, et varietas circa emanationem, et multiplicatio formarum. Merito igitur quia non sumus apti et idonei, sed potius infirmi ad recipiendum Deum, participationem ejus a nobis alienavimus : in causa autem est potestas liberi arbitrii, et illud, proclives nos esse ab adolescentia nostra ad malum.

CAPUT IX.

Quod sola natura divina secundum rationem causæ est participabilis ; et quod proprium Dei est vocare omnia ad communionem ; et quæ plura Dei dona participant, propinquiora Deo sunt.

Gregorius Theologus, in secunda oratione de pace : Non enim, inquit, quidquam ex creatis, et servis atque participantibus, et circumscriptis naturam increatam, et dominam, atque participatam, et infinitam attingit. Et rursus idem in oratione in Pentecosten : Erat igitur semper Spiritus sanctus participatus, non participans ; perficiens, non perfectus. Et magnus Basilius, in libro quinto ad Amphilochium : Natura inaccessus, capax propter bonitatem, implens omnia potestate, ab iis tantum qui digni sunt, participabilis. Et magnus Athanasius, in epistola ad Serapionem : Rursus, inquit, aliquis vel ex his perspiciat, participari Spiritum sanctum, et non participare ; eadem enim dicere non piget. *Impossibile enim est, eos qui semel illuminati sunt et gustaverunt donum cæleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, et gustaverunt bonum Dei verbum* [38]. Si enim angeli, et aliæ creaturæ ipsum Spiritum participant ; ob hanc enim causam excidere possunt qui non participant ; Spiritus vero sanctus semper idem est, participabilis est. Et sanctus Maximus, cap. 9 centuriæ quartæ de charitate ait : Deus quidem solum participatur ; creatura vero participat et communicat ; et participat quidem esse, et bene ; communicat vero solum bene esse : verum aliter quidem substantia corporea (1), aliter vero incorporea. Et sanctus Anastasius Antiochenus, in primo libro de nostris dogmatibus veritatis : Quomodo, inquit, oratione laudari potest, qui orationem vincit? aut quid digne loqui possit ullus, ut cogitatione demonstret cum qui major est quam cogitari queat? Ille est firmamentum omnium, fundamentum omnium, principium omnium, ex quo manant omnia, et in quod vergunt omnia ; principium et finis, α et ω, ut pulchre dixit qui theologiam tradens theologum docuit [39] ; causa ut sint ea quæ sunt ; qui iis quæ nondum constituta erant, substantiam dedit ; qui substantiis, quas ex nihilo fecit, ordinem adhibuit et ut durarent et conservarentur, fecit ; natura creatrix, potestas vim faciendi, inspiciendi, et providendi habens ; vita et vivens, substantia vitam præbens ; natura sola participabilis, quæ omnia capit, et a nullo capitur ; et quid potest quispiam cum infinita tentaverit, de eo dicere, qui non potest exprimi? Quod enim semel dici non potest, non explicabitur : et quod est ultra omnia, nulla mens comprehendet, etsi omnium sit subtilissima ad penetrandum. Imo et magnus Dionysius capite quarto *Cœlestis hierarchiæ* : Primum vero omnium illud vere dicendum est, quod divinitas quæ supra substantiam est, bonitate sua substantias eorum quæ sunt, produxit, et fecit ut exsisterent ; hoc enim proprium est bonitatis, quæ causa omnium est, et supra omnia est, vocare universa ad sui communionem, ut unicuique eorum quæ sunt, a propria convenientia definitum est. Cuncta igitur quæ sunt, participant providentiam ex divinitate supra substantiam, et omnium effectrice manantem ; non enim essent, nisi substantiam et participium omnium participassent. Omnia igitur inanimata eo ipso quod sunt, ipsum principium participant : esse enim omnium est divinitas (a), quæ est supra ipsum esse ; viventia autem participant eamdem potestatem vivificam supra omnem vitam : ratione prædita et intelligentia eamdem sapientiam per se perfectam, et prius perfectam, quæ omnem rationem ac mentem vincit, participant ; manifestum autem est esse circum ipsum principium substantias illas, quæcunque multipliciter ipsum participarunt. Ac rursus idem in quinto, *De divinis nominibus* : Et est, ut arbitror, verum, quod ea quæ magis Deum, qui unus est, et a quo infinita dona proficiscuntur, participant, magis ei appropinquant, et diviniora sunt, quam quæ minus participant. Ex his liquet, quod sola natura secundum causam participabilis, Deus est ; quodque secundum eamdem causam vocat omnia ad sui communionem ; et illa fiunt eidem vocanti propinquiora, quæcunque multis modis participant non solum simpliciter substantiam ejus et vitam, sed etiam rationem, et sapientiam, et alia ejus charismata spiritualia secundum proportionem supre-

[38] Hebr. VI, 4. [39] Apoc. I, 21.

Scholia.

(1) *Aliter substantia corporea.* Corporea quidem natura communiat bene esse sermone, opere, et contemplatione ; incoporea vero θεωρουμένη μόνον, id est, sola contemplatione, sic sanctus Maximus in eo lem cap.

(a) Divinitas est esse omnium et substantia αἰτιατικῶς, id est causaliter.

Digitized by Google

marum etiam mentium, illæ enim quæ magis cognitionem et sapientiam participarunt, magis Deo appropinquant.

CAPUT X.

Quod Deus participabilis est, et totus non participabilis; et non aliquid in eo participabile, et aliquid non participabile.

Magnus Dionysius in secundo cap. *De divinis nominibus* : Et hoc, inquit, commune, et copulatum (1), et unum est toti divinitati, participari scilicet totam ipsam ab unoquoque participantium, et a nullo, nulla parte, sicut punctum centri in medio circuli, ab omnibus lineis rectis, quæ sunt circulo circumpositæ, participatur, et sicut multæ figuræ sigilli expressæ, archetypum sigillum participant, et in unaquaque figura sigilli expressa totum et idem sigillum est, et in nulla figura secundum nullam partem : vincit autem hæc, scilicet exempla, illud non posse divinitatem, quæ omnium rerum causa est, participari; vincit, inquam, hoc ipso, quod divinitatis (2) nulla est tactio, nec alia ejus cum participantibus mistionis communio. Hunc locum edisserens sanctus Maximus : Trinitas, inquit, universi regina, ab iis quæ participare eam possint, participatur non comprehense neque participate : idem enim utrumque declarat; participatur enim Deus non comprehense, neque restrictus, sed potius totus in cujusque participatione exsistens, et ab omnibus exemptus; sicut magnam vocem emissam omnes qui adsunt, participant, unusquisque pro suis viribus et viri, et pueri, et brutæ animantes; verum alii quidem valentius, alii vero obtusius secundum vim et facultatem audiendi, et est quidem vox participabilis, et in se ipsa non participabilis. Et rursus idem in Centuriis theologicis centuria 3, capite 7 : Deus, inquit, qui secundum substantiam non est participabilis, cum vult aliter ab iis qui possunt, participari, a natura et substantia sua occulta non recedit; quando etiam modus ipse, quo volens participatur, manet semper omnibus opertus. Adhuc idem in iis quæ in dogmatica panoplia feruntur : Participabilis est Deus secundum communicationes suas; non participabilis vero quatenus nihil substantiam ejus participat, vel vitam ejus, vel sapientiam ejus, aut aliquid talium, quæ habet omnia secundum excellentiam, et eximie. Ac rursus idem in tertia centuria, cap. 12 : Ad hoc, inquit, nos fecit Deus, ut efficiamur divinæ naturæ consortes, et participes æternitatis ejus, et appareat esse nos similes ei secundum deificationem ex gratia, propter quam deificationem ea quæ sunt, consistunt et permanent; et quæ non sunt, producuntur et generantur. Et iterum idem : Deum sanctum participat natura rationis et intelligentiæ particeps hoc ipso quod est, et ut bene habeat, apta est. Ex his jam constat, quod in in totum Deus et a nobis participatur, et non participatur; participatur quidem secundum rationem causæ, id est quatenus omnia ex nihilo producit, et ut simpliciter sint, et ut bene sint; rursus vero non participatur secundum participationem nostram, et secundum exsistentiam, nec enim eum secundum tactum (*a*) participamus, sicut species participant genera, et sicut singularia participant universalia : et sicut quæ subter prima sunt, participant illa ipsa prima, neque participamus eum secundum exsistentiam, et illam quam dicit permistam communionem, ut si dicamus : Vita sentiens est pars substantiæ omnium sensu viventium; et omnes species ex materia concretæ secundum admistam communionem, materiam et formam participant; his enim modis et rationibus funditus a nobis non participatur : nec rursus est aliquid in eo quod participatur, et aliquid quod non participatur; absurdum enim est si dicatur oportere exsistentiam Dei ex duobus quibusdam dissimilibus consistere, ex participabili scilicet, et non participabili. Ut autem bona composito ordinis in hac Decade appareat, patet ex contextis positio materiaria hujus decadis : siquidem demonstratum est a theologis, proprium esse Dei, adesse omnibus præsentem secundum substantiam; quod si substantia adest omnibus, substantiam ejus omnia participant, non autem aliter participatio divinæ substantiæ fit quam per Patrem, et Filium et Spiritum sanctum; hæc enim sunt divina substantia, quare naturam trium personarum participamus, et non nudam, sive solum quamdam gratiam non per se subsistentem, creat autem et efficit ad participationem nostram, gratiarum sive charismatum distributionem; creat igitur secundum convenientiam ac proportionem participantium ea quæ sunt magis generalia, ut participentur ab iis quæ sunt magis particularia, ut sola sit hæc omnium quæ sunt, causa et effectrix, sive secundum participationem, sive secundum exsistentiam proposita sint; quoniam omnis differentia et varietas potissimum

Scholia.

(1) *Commune.* Quia communitas essentiæ cum personis divinis non est communitas rationis, ut in genere cum speciebus, aut in specie cum singularibus, addidit Dionysius, Unitum; singularia enim divisa sunt, et species item divisæ, sed rursus, quia non est unio personarum divinarum facta per congregationem, sed quia essentia divina est unum numero in tribus, sive tres sunt unum numero in essentia, idcirco addidit, Unum, ex sancto Thoma.

(2) Non est tactus aliquis deitatis, ad creaturas eo modo, quo ex sigillo et cera fit unum per contactum, nec est alia communio, qua commisceatur cum rebus, sicut punctum centri commiscetur lineis quatenus est terminus earum, ex sancto Thoma.

(*a*) Tactum vocat notionem; est enim notio tactus quidam spiritualis.

Digitized by Google

quidam in participantibus fit : per participantia autem fit in ipsis participationibus, sola denique natura divina secundum rationem causæ participatur ; solusque Deus participabilis est secundum causam, non participabilis vero secundum exsistentiam participantium et participationum, quæ propter participantia fiunt. Nihil igitur deest in hujus decadis tractatione. Inscripta autem est hæc decas *De participatione*, quia omnem participationem continet, sive dicatur secundum causam, sive secundum participationem, sive secundum exsistentiam.

DECAS OCTAVA. — *DE INFINITATE DEI IN CREATURIS.*

CAPUT I.

Quod nihil eorum quæ sunt, caret causa, solusque Deus sine causa est, qui est omnium causa.

Magnus Gregorius Theologus, in primo libro de Filio : Quid, inquit, est in rebus sine causa ? divinitas ; nemo enim causam Dei dicere potest : sin autem habet causam, erit hæc Deo antiquior. Sanctus Maximus in explanatione illius loci theologici in oratione Gregorii de Filio : Propterea unitas a princip. ad numerum duorum mota, etc. Omne inquit, quod non est propter causam ; neque fieri potest, neque moveri, neque omnino movetur, cum non habeat causam ut sit ; quod si causam non habet, est etiam plane immobile ; est igitur Deus immobilis, ut qui nullam causam habeat unde exsistat. Rursus idem in centuriis theologicis, centuria prima, capite secundo : Quod, inquit, secundum substantiam proprie est, illud bonum est, quod neque principium, neque finem, neque causam exsistentiæ habet (1) ; nec ullam qualemcunque secundum exsistentiam motionem ad causam : quod autem non sic se habet, id neque proprie est, utpote principium, et finem, et causam exsistentiæ, et secundum exsistentiam motionem ad causam habens. Quod autem non proprie est, quamvis dicatur esse, secundum participationem voluntatis ejus qui proprie est, et esse dicitur. Imo et magnus Dionysius, in Epistola ad Titum ait : Si enim sic spectemus, venerabimur videntes fontem vitæ, in se ipsum effusum (2), et in se ipso consistentem, et unam quamdam potestatem simplicem, per se mobilem, per se agentem, se ipsam non deserentem, notionem notionum omnium, ac semper se per se ipsam contemplantem. Et sanctus Hierotheus in hymnis amatoriis sic ait : Verum age jam et has rursus potestates (3) in unum congregantes dicamus unam quamdam simplicem potestatem esse, per se moventem ad copulantem admistionem (4). Et rursus magnus Dionysius, cap. 10, *De divinis nominibus* : Etenim non ea quæ omnino et absolute ingenita et vere perpetua sunt, ubique sacræ Scripturæ vocant æterna. Quo in loco sanctus Maximus : Deum, inquit, vocat absolute ingenitum, quoniam est sine causa. Ex quibus efficitur manifestum, quod Deus cum sit infinitus, et causa omnium absoluta (5), simul eo ipso exsistit in creaturis infinitus, et sine causa, et una potestas simplex, per se mobilis, per se agens : hoc enim declarat principium omnium supra principium, quod proprie est unum, et quo nihil est altius.

CAPUT II.

Quod nihil eorum quæ sunt, a se productum est, solus Deus ex nihilo creat, et est omnium quæ sunt, effector.

Magnus Dionysius, capite quarto *De divinis nominibus*, ait : Etenim ex ipso et per ipsum et substantia et vita omnis et mentis et animæ, atque universæ naturæ, parvitates, æqualitates, magnitudines, mensuræ omnium, et rerum proportiones, et consensus, et concretiones, tota, partes, omne

Scholia.

(1) *Neque causam exsistentiæ habet.* Deus enim non est propter se tanquam propter causam, quatenus nos naturaliter intelligere possumus, ut ait idem S. Maximus in eadem centuria, illud etiam, quod ait hic, neque principium, neque finem, neque motionem ad causam habet, magis adhuc intelligitur ex cap. 3 ejusdem centuriæ : Omnis, inquit, substantia finita, naturaliter est principium motionis, ad quam habet potentiam ; omnis autem motio substantiæ ad operationem, quia posterius quam substantia ipsa intelligitur, et prius quam operatio, media est naturaliter inter utramque ; et ipsa operatio finis est ipsius motionis substantialis prius cogitatæ : Deus autem non sic est substantia, neque principium, neque finis, neque sic movetur : sed est incircumscriptus, infinitus supra omnem substantiam, potentiam, et operationem.

(2) *In se ipsum effusum.* De sanctissima Trinitate hæc dicit, significatque ejus ὁμοούσιον, id est, consubstantialitatem, quodque unitas usque in Trinitatem progressa, in ea stat ; sic Gregorius Nazian. in priore oratione de Filio, et in secunda pacifica contra Julianum.

(3) *Potestates.* Duos amores dicit, mundanum, id est, hominum in mundo amantium secundum spiritum ; et supramandanum, id est, angelorum, quos ad unum amorem divinum revocat, et in unum contrahit.

(4) *Copulantem admistionem.* Sic vocat amorem, qui vim habet admiscendi et copulandi, sicut idem Hierotheus paulo ante dixerat, quia qui inter se amant, quodam modo unum fiunt ; unde illud : Alter ego ; ut jam amor sit admistio quædam copulans, sive copulatio quædam admisceus ; hanc vim vocamus in interpretatione potestatem ; amor enim non est passio, nec actus, ut ibi sanctus Thomas in comment. suis notavit, sed vis, sive potestas quædam, quæ virtus etiam dicitur, ad efficiendum aliquid, id est, ad admiscendum quodam modo, et veluti copulandum in unum.

(5) *Causa omnium absoluta.* Quia Deus nullam cognationem et affinitatem cum creatura ulla habet, neque quidquam quod cum eo simul cogitetur, ut cogitantur simul cum alio, quæ ad aliquid referuntur.

Digitized by Google

unum, et multitudo, conjunctiones partium, omnis multitudinis copulationes, perfectiones totorum (1) quale, quantum, quam magnum (2); aut parvum, infinitum (3), comparationes (4), separationes (5), omnis infinitas (6), omnis finis (7), definitiones, ordines, excellentiæ, elementa, formæ, omnis substantia omnis facultas, sive potestas, omnis actio, omnis habitus, omnis sensus, omnis ratio, omnis intelligentia (8), omnis tactus, omnis scientia, omnis copulatio, et simpliciter omne quod ex pulchro et bono exsistit, et in pulchro et bono est, et ad pulchrum et bonum convertitur; et quæcunque sunt, et fiunt, propter pulchrum et bonum sunt, et fiunt; et cuncta in ipsum intuentur, et ab ipso moventur, et conservantur; et ipsius gratia, et propter ipsum; et in ipso omne principium ad exemplar, ad finem, ad causam efficientem, ad formam, ad materiam pertinens, et denique omne principium, omnis conservatio, omnis finis; et ut summatim dicam, omnia quæ sunt, ex pulchro et bono exsistunt; et omnia quæ non sunt in pulchro et bono sunt supra substantiam; et est omnium principium supraquam principiale; et finis supraquam perfectus: *Quoniam ex ipso, et per ipsum et in ipso, et ad ipsum omnia*, sicut ait sacra Scriptura [60]. Universis igitur pulchrum et bonum desiderabile et amabile est; et ab universis diligitur, et propter ipsum, et ipsius causa, et inferiora amant superiora convertendo se ad ea: et quæ sunt ejusdem ordinis amant similia, communicando; et majora minora, providendo eis: et singula, se ipsa, conservando se; et omnia pulchrum et bonum expetendo, faciunt et volunt quæcunque faciunt et volunt. Hoc autem confidenter et vere dici potest, quod ipse qui omnium auctor est, propter summam bonitatem omnia amat, omnia facit, omnia perficit, omnia conservat, omnia ad se convertit, et est divinus amor bonus boni propter bonum; ipse enim amor effector bonitatis rerum, cum esset ante omnia in bono excellenter, non B sivit manere ipsum in se sine fœcunditate, potius movit ad operandum, ut excellenti potestati omnium effectrici conveniebat. Rursus idem cap. 7: Et quidem, quod dixi, ex omnibus cognoscenda est hæc sapientia; hæc enim est quæ, sicut ait Scriptura [61], omnia facit, et semper omnia aptat, et est causa concentus et ordinis omnium non dissolubilis, semperque extrema priorum cum principiis secundorum conjungit (9); et unam universi conspirationem atque consensum pulchre efficit.

[60] Rom. xi, 36. [61] Prov. viii, 4 seq.; Sap. vii, 27.

Scholia.

(1) *Perfectiones totorum.* Quando ex copulatione C partium exsistit forma, quæ est perfectio totius.

(2) *Quantum, quam magnum, vel parvum.* Hoc quod Græce πηλίκον dicitur, refertur ad certam magnitudinem, vel parvitatem, ut bicubitum, tripedale, bipedale; illud vero, quantum, ad incertam.

(3) *Infinitum.* Scilicet potentia, quod convenit quantitati continuæ secundum divisionem; et quantitati discretæ secundum appositionem.

(4) *Comparationes.* Comparatio pertinet ad relationem convenientiæ, ut idem, æquale, simile.

(5) *Separationes.* Separatio spectat ad relationem differentiæ, ut diversum, inæquale, dissimile.

(6) *Omnis infinitas.* Est enim multiplex infinitudo, alia quantitatis, alia materiæ primæ, quæ non est determinata ad unam formam, sed in potentia ad infinitas.

(7) *Omnis finis* substantiæ, motus ad operationem; et operationis, ac perfectionis; definitiones etiam sunt quidam fines et terminationes rerum: itaque ubi est aliquis finis ex istis, ibi non est D infinitas.

(8) *Omnis intelligentia.* S. Thomas legit in suo textu, *Omnis actio*, ut si Græce fuisset πᾶσα ποίησις, ut nunc est, πᾶσα νόησις.

(9) *Semper extrema priorum cum principiis secundorum conjungit.* Significat nihil esse inter creaturas medium vacuum et inane, sed omne esse plenum creatura; hæc enim est definitio eorum quæ se tangunt, quorum termini sunt simul: significat etiam esse conspirationem quamdam omnium partium in universo secundum ordinem et proportionem convenientem; extremum ignis conspirare et conjungi cum principio aeris; extremum aeris cum humore aquæ, extremum aquæ cum sicco terræ; et similiter ascendendo ab elemento terræ ad ignem reperietur similis conjunctio in extremis priorum cum principiis secundorum; ad eumdem modum in tempestatibus anni extremum hiemis cum principio veris; extremum veris cum principio æstatis, extremum æstatis cum principio autumni: hujusmodi conjunctiones ac conspirationes dicuntur a Dionysio ἀλληλουχίαι, quod uno verbo Latine exprimi non potest.

Et omnia quæ non sunt, in pulchro et bono sunt supra substantiam. Quæ non sunt, non dicuntur ex bono et pulchro esse, ut Pachymerus notavit, quia non habent σύστασιν, id est, non exsistunt, sed sunt in bono et pulchro neganter, quia bonum et pulchrum est ea non esse, quæ non sunt; ut non esse duos soles; negationes vero, quas sanctus Thomas dicit convenire Deo per excessum, quia Deus nihil est eorum quæ sunt, sed supra omnia, non solum in ipso sunt, sed ex ipso sunt secundum causam, ut bonitas creata, et sapientia creata, quæ Deo negantur: illa etiam ingenitum, incorruptibile, et immortale, et infinitum, licet negationem significent, non ponuntur inter ea quæ non sunt; quia habent σύστασιν, id est, consistunt, et in ipso sunt.

Pachymerus neutrum legit in sua paraphrasi; fortassis appositum fuit ab aliquo ad interpretationem verbi quod sequitur, Omnis tactus: tactum enim vocat Dionysius intelligentiam, ut Pachymerus interpretatur, quia est in operatione animæ per intellectum quidam tactus rei, sicut in corporibus actio fit per contactum. Sic sanctus Thomas; idcirco igitur dicit: Omnis tactus, sensibus scilicet, et intellectilis; et quia per hujusmodi tactum intellectilem multiplex scientia habetur, sequitur in textu: Omnis scientia. Observandus est ordo intelligendi a sensu ad rationem, a ratione ad intellectum, qui est quidam tactus intellectilis; ab intellectu ad scientiam, quæ conjungit intellectum cum ratione, ut ait sanctus Thomas, a scientia ad unionem, quæ ad intellectum pertinet, qui unitur cum intellectis; et ad voluntatem, quæ unitur cum amatis.

Digitized by Google

Et Gregorius Theologus (*a*) : Quia vero, inquit, non satis erat summo illi bono moveri solum sui ipsius contemplatione, sed oportebat diffundi, et meare, ut essent plura beneficiis affecta ; hoc enim erat summæ bonitatis ; primum cogitabat angelicas et cœlestes potestates, et erat cogitatio opus verbo completum, et spiritu consummatum. Et paulo post : Secundo cogitabat hunc mundum materiatum et qui cernitur, et quæ deinceps sequuntur. Et idem iterum, in oratione de constitutione episcoporum : Responde, inquit, mihi, disputator, ad effugiendum difficilia. Si creatus est, quomodo creatus est ? et quære a me, quomodo genitus ; si passio circa generationem, passio item circa creationem ; si enim non est passio informatio cogitationis, et cura et eorum quæ universa simul cogitata sunt, explicatio in partes, etc. Et rursus idem : Et si quia ea quæ apud nos fiunt, cum aliquando non essent, postea sunt, ideirco etiam filium coges ex iis quæ non sunt, ad id quod est, devenire, etc. Adhuc idem in oratione in novam Dominicam : Deus, inquit, qui voluit hunc mundum constituere, qui ex iis quæ videntur, et quæ non videntur, constitutus est, qui est magnus et admirabilis præco magnitudinis ejus, æternis quidem ipse est lumen. Et sanctus Maximus, capite sexto tertiæ centuriæ : Si omnis participatio prius cogitatur quam participantia, omnia plane omnibus modis immenso intervallo superat causa omnium, quæ natura prius quam ea quæ sunt, et est, et cogitatur, non sicut substantia prius quam accidentia (alioqui demonstraretur Deus habere compositionem, qua complementum exsistendi constaret, ipsam scilicet substantiam rerum), sed sicut quod est supra substantiam ; priusquam substantia cogitatur : si enim artes figuras eorum quæ arte fiunt, e se adinvenerunt, natura vero universalis species quæ subter ipsam sunt, multo magis Deus A substantias eorum quæ sunt, ex iis quæ non sunt effecit, ut qui supra substantiam est ; multo magis Deus substantias rerum ex nihilo produxit, utpote supra substantiam exsistens. Et magnus Athanasius in epistola ad Serapionem : Natura vero, inquit, eorum quæ generantur, et creantur, mutabilis est, utpote quæ extra substantiam Dei est, et ex nihilo exstitit. Et Theologus Damascenus : Qui, inquit, ex nihilo universa nutu tuo ineffabili produxisti. Ex his manifestum sit, quod Deus qui auctorem sui non habet, et causa infinita est, ex nihilo creat et condit omnia ; et ipse solus est unum illud supra substantiam, et universorum effector.

CAPUT III.

B *Quod omni creatura ex nihilo creata voluntate Dei, neque ævum, sive sæculum coæternum est Deo infinito, neque tempus, nec aliud quidquam ex iis quæ cum ævo vel tempore sunt. Inscribitur vero etiam sic: Quod nihil eorum quæ sunt, coæternum est auctori ; solus autem Deus ex æternitate est ante sæculum.*

Magnus Dionysius capite 10. *De divinis nominibus* ait : Laudatur Deus ab antiquitate dierum, quia ipse est omnium ævum (1), et tempus ; et ante dies, et ævum, et tempus ; et quidem tempus, et dies, et tempestivitas appellandus est ipse, ut Deum decet (2), tanquam qui omni motu est immutabilis, et immobilis, et semper movetur, manens in seipso ; et tanquam auctor ævi, et temporis, et dierum. Rursus idem ibidem : In Scripturis etiam aliquando celeC bratur ævum temporale, et æternum tempus, tametsi scimus quæ magis proprie sunt, potius per ævum, quæ autem fiunt, potius per tempus efferri et declarari. Oportet igitur non simpliciter arbitrari ea quæ æterna dicuntur, coæterna esse Deo, qui est ante æternitatem, sed potius sequentes incorrupte Scripturas maxime venerandas, oportet æterna quidem et quæ in tempore sunt secundum modos in eis notos (3) accipere ; media vero (4) inter ea quæ sunt,

Scholia.

(1) *Omnium ævum et tempus.* Ævum angelorum qui sunt in ævo, quos antea ab ævo æternos nominaverat ; tempus eorum quæ sunt subjecta tempori, id est, eorum omnium quæ facta sunt post cœlum, ex cujus motu exsistit tempus, id est, numerus motus cœli secundum prius et posterius.

(2) *Ut Deum decet.* Dicitur enim ævum, sive sæculum, et tempus, et dies, sed immutabiliter, quia omnia quæ sunt in his, scilicet ævo et tempore et die, mutationem convenienter naturis suis capiunt ; ipsa vero ævum, et tempora et dies, quatenus ævum et tempora et dies sunt, quadam imitatione Dei immutabilia sunt ; cum enim omnis mutatio in tempore fiat, quali tempore temporis mutatio fieret ? Variationes vero anni, veris scilicet æstatis, autumni et hiemis, quas vocamus tempestivitates, mutationes quidem temporum et dierum sunt secundum qualitates, non autem temporum et dierum secundum se, id est, quatenus tempora et dies sunt. Sicut ergo omnia in his mutantur, ipsa vero manent immutabilia, sic et Deus, ut Deum decet, semper movetur, in se alioqui manens. Fortasse quærat aliquis, ubi in Scriptura appellatur Deus tempus, dies, et tempestivitas, si Deus est omnia αἰτιατικῶς, id est, secundum causam, quia omnia fecit secundum ideas æternas, quæ sunt ipse Deus, ubi Scriptura dicit Psal. LXXIII : Tuus est dies, et tua D est nox ; tu fabricatus es auroram et solem ; ibi appellat et laudat eum tanquam tempus et diem ; et cum dicit in eodem Psal. : Æstatem et ver tu plasmasti ea, ibi similiter appellatur et laudatur Deus tanquam tempestivitas, quæ a Græcis dicitur καιρός sicut tempus dicitur χρόνος.

(3) *Secundum modos in eis notos.* Id est, secundum scopum Scripturæ, secundum, inquam, naturam

(4) *Media vero.* Quia illa quæ proprie sunt, divina, inquam quæ supra omnem creaturam, ævo, sive æternitati attribuit, tametsi supra ævum, sive æternitatem sunt ; illa vero quæ ortum et interitum capiunt, tempori ; ideirco media inter ea quæ sunt, et quæ fiunt, angelos et animas dicit : quæ quidem partim ævum, ut angeli, participant, utpote immortales, et ab interitu liberæ ; partim vero tempus, quia fiunt

(*a*) In oratione de Nativitate Christi.

Digitized by Google

et quæ fiunt, illa numerantur, quæcunque partim ævum et partim tempus participant : Deum autem ut ævum et ut tempus celebrare oportet tanquam omnis temporis et ævi auctorem, et antiquum dierum tanquam ante tempus, et supra tempus ; et ut variantem tempestivitates et tempora, et rursus ut ante sæcula exsistentem, quatenus est ante sæculum, et supra sæculum, sive ævum, et regnum ejus regnum omnium sæculorum (a), Amen. Ad hæc autem et magnus ille Moyses : *Dominus*, inquit, *regnans in sæculum, et super sæculum* [1]. 18. Et in his adhuc sanctus Maximus : Sapientissime, inquit, ad pietatem præmunit, inquiens non oportere suspicari quæ æterna dicuntur, eo ipso coæterna esse Deo, qui est ante sæcula : jam enim supra diximus, æternum dici proprie non ipsum sæculum, sive ævum, sed id quod ævum participat. Igitur τὰ νοητά, id est, incorporea, quæ proprie sunt, utpote creata immortalia, etiam æterna vocare oportet, tanquam quæ voluntate Dei ab interitu libera durent, quæ scilicet a Deo, producta sunt cum prius non essent : proprie vero loquens ea præcipue quæ apud philologos gentiles gravia et honesta habebantur, ad pietatem caute traducit. Ait igitur esse quidem, et æternas esse incorporeas potestates a Deo productas, non tamen coæternas Deo, ut gentiles delire nugantur, aientes : Simul Deus, simul omnia. Et iterum idem in centuriis theologicis, centuria prima, cap. 4, 5, 6 : Non est, inquit, Deus substantia ut substantia quæ simpliciter (1) aut quodam modo dicitur, ubi et principium est ; neque potestas, ut potestas, quæ simpliciter, aut quodam modo dicitur, ubi et medium est ; nec opus, ut opus, quod simpliciter aut quodam modo dicitur, ubi et finis est motus ipsius substantiæ secundum potentiam prius cogitati ; sed idem ipse est et substantiæ effector, et supra substantiam, effectorque potentiæ, et supra potentiam, firmitas atque vis, et immortalis facultas

[1] Exod. xv, 18.

Scholia.

ram eorum quæ dicitur in Scripturis æterna ; aut temporalia ; angeli enim dicuntur in Scriptura æterni : Ps. xxiii, Elevamini portæ æternales ; quia sunt participes ævi, et antiquissimi omnium creaturarum ; dicitur etiam ævum sive sæculum Græce αἰών, extensio sive duratio ipsa temporis, ut illud (Matth. 28) : Usque ad consummationem sæculi ; et Psal. lxxvi : Annos æternos in mente habui ; et II Cor. iv : Deus hujus sæculi ; perinde enim est, ut si interpres vertisset, hujus ævi, sive æternitatis Græce est αἰῶνος. Exod. xxi : Erit ei servus in sæculum, sive in æternum ; hanc igitur vocat Scriptura temporalem æternitatem, sicut apud Paulum dicitur tempus æternum, II Tim. i : Ante tempora sæcularia, Græce est αἰώνια, id est, æterna ; et Tit. i : Ante tempora sæcularia, Græce etiam αἰώνια, i. l est, æterna ; et Rom. xvi : Secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti ; idem vocabulum est Græce, quod in hoc loco interpres vertit æternum, et in aliis sæculare.

(1) *Substantia quæ simpliciter.* Substantia simpliciter est substantia abstracte considerata, quæ dicitur per se substantia, solum continens in notione sua quæ ad essentiam substantiæ pertinent ; hanc notionem primum menti informamus ; postea notionem universalem : notionem, inquam, substantiæ non abstracte cogitatæ, sed universe, substantia communis ut est, ratione differt a substantialitate abstracta, sicut humanitas ab homine ; postea consideramus substantiam communem secundum singulas species ; hæc substantia communis, et etiam singularis, non simpliciter, sed quodam modo substantia est, quia substantia communis est per participationem per se substantiæ, et particularis substantia per participationem utriusque, communis scilicet et per se substantiæ. In hujusmodi ergo substantia sive simpliciter, sive quodam modo, principium est motus : Deus autem non est principium, quod habeat habitudinem ad id, cujus principium est, imo est principium supra principium, omni habitudine solutum. Similiter potentia simpliciter est potentia abstracte considerata, quæ dicitur per se potentia, quæ est ipsa essentia potentiæ, cujus per se potentiæ participatione est potentia communis, et ob hanc causam est quodam modo potentia ; similiter potentia particularis est quodammodo potentia, quia est per participationem potentiæ communis, et per se potentiæ ; hujusmodi potentia sive simpliciter, sive aliquo modo, est media inter substantiam et opus, quod fit per motum substantiæ ; non enim fieri potest opus nisi sit potentia efficiendi illud. Opus simpliciter est opus per se abstracte consideratum, id est, ipsa essentia operis ; opus quodam modo est opus ipsum universe consideratum, quod est per participationem operis simpliciter, quod dicitur per se opus, aut opus particulare, quod est per participationem operis universalis, et per se operis ; in hujusmodi opere, sive simpliciter, sive aliquo modo finis est : ut sanitas quomodocunque consideretur, sive abstracte, et per se, sive communiter, et universe, sive sit in particulari, finis est medicationis, quæ est motus medentis prius cogitatus secundum potentiam, quam sanitas, quæ non potest fieri per medicinam, nisi prius cogitetur potentia ad sanandum. Deus autem neque finis est, neque medium, quatenus hæc in iis quæ sunt ad aliquid, numerantur, quæ simul esse cogitantur, cum infinito autem nihil finitum simul esse cogitari potest. Conferenda sunt hæc cum c. 4 quintæ decadis ; et illic etiam observandum est, quam ingeniose, quæ Plato, *Timæo* et *Parmenide*, scripsit de speciebus sive ideis ingenitis, et sine interitu, separatis, immutabilibus, natura consistentibus, tanquam effectricibus rerum singularium, correxit et traduxit ad verum dogma de principiis, non quæ causæ per se exsistant, neque sint non factæ, sed quæ habeant in nobis esse tantum intelligibile et immutabile a Deo manans, sintque veluti formæ quædam intelligibiles ratione tantum a rebus ipsis separatæ ; quod enim est singulare, posterius est intelligentia, quod intelligi non potest sine prioribus, quæ sunt quod quid est speciei, et species ipsæ, quæ a singularibus participantur, et prius esse habent secundum notionem ; non enim esset hic homo in notione, nisi homo species ejus prius haberet esse intelligibile ; neque homo diceretur esse secundum notionem, nisi prius humanitas haberet esse intelligibile : hæc enim continet quod quid est speciei hominis. Similiter in reliquis, non esset hæc vita in notione, aut hæc similitudo, nisi esset vita et similitude universe considerata ; nec ista esset, nisi esset prius secundum notionem quod quid est ipsius vitæ et similitudinis, quæ vocatur vita simpliciter, et similitudo simpliciter, sive per se vita et per se similitudo.

(a) Regnum omnium sæculorum temporalium et æternorum.

Digitized by Google

omnis efficientiæ, et ut breviter dicam, principii, medii, et finis auctor. Et adhuc idem: Principium, et medium, atque finis notæ sunt eorum quæ tempore dividuntur: et quod vere dici potest, eorum etiam quæ cum ævo contemplamur, tempus enim cum motum habeat mensuratum, numero circumscribitur, ævum vero cum habeat prædicamentum quando simul cum exsistentia cogitatum, subit dimensionem tanquam principium exsistentiæ capiens: si autem tempus et ævum non carent principio, multo magis non carent quæ in his continentur. Et rursus: Unus et solus secundum naturam semper, proprie est Deus, totum proprie esse omnibus modis in se includens: quippe qui est superior quam ipsum proprie esse (1): quod si hoc ita est, nihil penitus eorum quæ esse dicuntur, habet proprie esse; nihil igitur

Scholia.

(1) *Quippe qui est superior, quam ipsum proprie esse.* Quatenus a nobis scilicet cogitari potest, sicut dicitur Deus esse supra Deum ὡς ἡμᾶς εἰδέναι ut ait Dionysius, id est, secundum nostram cognitionem; supra Deum, inquam, per participationem, quem in creaturis cognoscimus, sicut scriptum est: Ego dixi, Dii estis. (Psal. LXXXI, 6); sic etiam est bonus supra bonitatem, quæ a nobis in creaturis cognosci potest, itaque proprie esse, de creatura dicitur et de Deo, sed æquivoce, ut bonus, et Deus.

Non est alienum ab hoc capite, nec a proximo sequenti, explicare quomodo intelligendum sit quod Pont. Rom. credidit de creatione angelorum, et ad credendum Catholicis proposuit in cap. *Firmiter credimus, De sum. Trin. et fide cath.*; non enim discrepat decretalis ad eo quod hic tradit Dionysius, imo convenit, cum ait: Unum universorum principium creator omnium visibilium et invisibilium, qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, et deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. Hactenus decretalis, sed dilatandus est aliquantum hic locus. Quærit B. Athan. in *Quæst. ad Antioch. princip.* quæst. 4, quando, et quomodo, et unde facti sint angeli. Respondet ad quæst, nec quando, nec quomodo facti sint, ab humana natura dici posse, præterquam hoc solum, factos esse verbo Dei ex nihilo; quando vero? Alii, inquit, aiunt primo die; alii ante primum diem. Creatos vero esse, testatur, inquit, Propheta, cum ait (*Psal.* CXLVIII): Laudate eum omnes angeli ejus; quoniam ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. Moysen enim ait, quia sciebat esse Judæos idololatriæ et multitudini deorum deditos, idcirco non fecisse serm. de angelis in Gen., ne eos ceu deos colerent, ut in vitulo, et in aliis idolis postea fecerunt; quod ergo ex Scripturis sanctis ostendi poterat, utramque scilicet creaturam spiritualem et corporalem, simul et ex nihilo esse a Deo conditam (*Joan.* I): Omnia enim per ipsum facta sunt; et: Qui vivit in æternum, ait Ecclesiasticus (*Eccli.* XVIII), creavit omnia simul, utramque horum decr. cath. fidei subjecit. Illud vero simul ab initio temporis, sicut ad creaturam corporalem, id est, ad mundum qui cernitur, et quæcunque in eo continentur, referri voluit, quia scriptum est: In principio creavit cœlum et terram; sic ad angelicam naturam non necesse est, secundum Scripturam, referri voluisse; quia ut paulo ante aiebat Athan., quando angeli creati fuerint, humana natura dicere non potest, sed quia durationem angelorum, quæ non est subjecta tempori, quia est tota simul et invariabilis, quæ et dicitur in sacris Litteris ævum, non possumus cognoscere, nec aliis manifestare, nisi per extensionem nostri temporis ex horis, diebus, et annis constantem, quam Scriptura ævum quoque aliquando vocat, ut Dionys. notavit; idcirco Pont. proposuit ad credendum, simul ab initio temporis utramque creaturam spiritalem et corporalem conditam esse; nomine itaque temporis ævum et tempus comprehendit. Pont. imitatus Dionys.; quare non prohibet hæc decretalis, quin liceat sentire quod apostolorum discipuli Clem., Dionys., quos multi alii postea secuti sunt, senserunt, et creatos fuisse angelos ante mundum, de angelis enim interpretatur Dionys. dictum esse illud *Psal.* XXIII: Elevamini portæ æternales; quia antiquum et invariabile, et metri secundum totum esse, proprietatem ævi esse dicit; quare si ævum antiquius est tempore, et ævum dicitur, et est duratio angelorum, sunt igitur angeli ante tempus, et ante ea quæ sunt in tempore, creati. Idem sensit S. Max. in prima centuria Theol.: Si enim angelos non creasset ante tempus, cum quo ortus est mundus, antiquius virtute fuisse non esse virtutem, et bonitate antiquius non esse bonitatem; quæ absurda S. Max. esse videntur; sed quæ S. Max. de hac re sensit, proximo sequenti capite latius explicanda et repetenda sunt. Sic etiam intelligendum est quod Epiph. disputans contra hæresim Pauli Samosateni ait, non esse angelos ante cœlum et terram creatos, cum plane, inquit, hoc dictum non sit mutabile, quod ante cœlum et terram nihil erat ex creatis; nam in principio fecit Deus cœlum et terram, ut principium sit, et nihil ex creatis ante hoc ipsum sit. Hactenus Epiph. Verissimum est ante cœlum et terram nihil fuisse ex creatis, scilicet in tempore; sic enim intelligendum est; angeli autem in ævo creati sunt, ævum enim est mensura eorum quæ non sunt tempori subjecta. Idem, quod hæc decretalis, dixit prius synod. epist. Sophronii patriarch. Hierosol. missa ad Honorium I, et non ad Sergium Constantinop. ut Photius Constantinop. in sua *Biblioth.* testatur, recitata fuit hæc epist. in 6 synodo et in 11 actione collocata. Loquens ergo de creatione mundi a Deo facta, sic conflictur Sophron. Καὶ τοῖς πᾶσιν ὥρισεν ἀρχὴν χρονικήν, id est, Et omnibus decrevit principium temporis. Quia angeli licet immortales sint, hoc habent commune cum iis quæ sunt in tempore, quod facti sunt, ideirco tempus eis attribuit. Hunc plane secutus est Pont. in sua decretali, et Sophron, secutus plane Dionys. quem in eadem synodica citat (ne quis dicat ignotum fuisse Dionys. Sophron.). Esse igitur angelos ante mundum hanc corporeum creatos, tradit Dionys. hoc loco, et apostolica doctrina l. VIII, Clem. 12. et eam secutus Greg. Nazian. in ser. de Natali Christi, et in 2 de Pascha; et hunc secutus Damas. l. II, *De fid. orthod.* Quomodo vero intelligendum sit, creaturas spirituales et corporales simul creatas esse, illas cum ævo, has cum tempore, ut hoc quoque non prætereamus, explanavit idem Athan. l. III *Contra Arium*, ita tuens in illum locum Eccl. XVIII: Qui vivit in æternum, creavit omnia simul; nihil enim, ait, ex rebus creatis ante alia sui generis conditam esse, sed omnia simul uno eodemque mandato facta sunt. Et paulo ante magis adhuc explicat, cum ait nihil esse in rebus creatis, quod ipsum unum, et solum, et primum ante alia scilicet sui generis factum sit, sed cum omnibus simul κατὰ γένος ἢ τάξιν, id est, cum omnibus sui generis, vel ordinis. Animum enim, inquit, ex astris, aut ex magnis luminaribus ita apparuit, ut hoc prius, illud posterius in rerum natura emerserit, sed omnia eodem die, eo jubente ortum ceperunt, quamvis alia ab aliis splendore differant; similiter in quadrupedibus, volucribus,

Digitized by Google

omnino simul cum eo ex æternitate cogitatur substantia diversum, non ævum, non tempus, neque quidquam eorum quæ in his vivunt; non enim inter se unquam conveniunt proprie esse, et non proprie esse. Et rursus idem cap. 10 ejusdem centuriæ: Principium eorum quæ sunt, et medium, et finis est Deus tanquam agens, et non patiens; sicut et alia omnia, quibus apud nos nominatur; est enim principium, tanquam creator; et medium, tanquam providens; et finis, tanquam circumscriptio: *Ex ipso* enim, inquit, *et per ipsum et in ipsum omnia* [42]. Et rursus idem cap. 68 ejusdem centuriæ: Eorum quæ sunt ad aliquid, sunt sæcula, et tempora, et loca, sive quibus nihil est eorum quæ simul cum his cogitantur. Deus autem non est ex iis quæ sunt ad aliquid; non enim habet quidquam in universum, quod simul cum eo cogitetur. Si igitur Deus est hereditas eorum qui digni sunt, qui hac gratia dignus habetur erit supra omnia sæcula, et tempora, ac loca, pro loco habens ipsum Deum, sicut scriptum est: *Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvum me facias* [43]. Et iterum idem in centuria quarta de charitate, cap. I, II, III, IV, V, VI: Primum, inquit, admiratur mens cogitans divinam in omnibus infinitatem, et illud pelagus immensum, et desiderabilissimum; obstupescit, quomodo ex nihilo ea quæ sunt, produxit. Sed sicut *magnitudinis ejus non est finis* [44], sic neque sapientiæ ejus est inventio. Præterea: Quomodo enim non demiratur, et plusquam obstupescit contemplans infinitum illud bonitatis pelagus? aut quomodo non stupet cogitans, quomodo, et unde substantia rationis particeps, et substantia intelligens facta est; item quatuor elementa, ex quibus corpora, nulla materia eorum ortum antegressa? qualis potestas illa, quæ ad effectionem excitata, hæc produxit, et ut essent, effecit? Verum hoc gentiles non concedunt, qui omnipotentem bonitatem, et sapientiam, et cognitionem ejus, quæ mente comprehendi non potest, ignorant. Præterea, ex æternitate creator cum sit Deus, creat quando vult verbo ejusdem substantiæ, et spiritu propter infinitam bonitatem. Et ne dicas: Qua ratione nunc creavit qui erat semper bonus, et non prius? Quoniam et ego tibi dico, infinitæ substantiæ sapientiam quæ investigari non potest, non cadere in cognitionem humanam: item, cognitionem rerum, quam in se ante exsistentem creator mundi habebat, quando voluit, fecit substantiam esse, et produxit: absurdum enim est de Deo omnipotente ambigere, an possit, cum velit, aliquid facere, ut exsistat. Adhuc idem: Quam ob causam Deus creavit, quære, sciri enim potest: quomodo autem, et quamobrem recenter creavit, ne quæras; non enim sub intelligentiam mentis tuæ cadit: quoniam eorum quæ sunt divina, partim intelligi possunt, partim non possunt: contemplatio namque effrenata fortassis agat præcipitem, ut quidam ex sanctis dixit. Idem adhuc: Nonnulli aiunt exsistere simul cum Deo ex æternitate creaturas, quod quidem ferri non potest; quomodo enim ea possunt ex æternitate simul exsistere cum undique infinito quæ sunt undique finita? aut quomodo sunt creaturæ, si coæterna creatori sunt? Verum hoc loquuntur gentiles, qui introducunt Deum non quidem substantiæ, sed qualitatum esse auctorem: nos vero qui Deum esse omnipotentem novimus, non qualitatum, sicut illi, sed substantiarum qualitates habentium effectorem esse dicimus: quod si hoc ita est, non ex æternitate simul cum Deo creaturæ exstiterunt. Adhuc idem cap. 13: Esse semper, aut non esse substantiam rationis participem et intelligentem in voluntate Dei, qui omnia bona creavit, positum est, esse autem bonos secundum electionem, aut pravos, in voluntate eorum qui facti sunt. Et rursus idem in cap. 10: Omnis substantia intelligens, et sentiens, cum productæ sunt, acceperunt a Deo potestates percipientes res: substantia quidem intelligens accepit notiones, sentiens vero sensus. Ex quibus efficitur manifestum, nihil neque temporum, neque sæculorum, nec quidquam eorum quæ in ipsis temporibus, aut sæculis sunt, coæternum esse infinitati Dei, quæ omnium causa est, et supra omnia est, et cujus voluntate omnia ex nihilo facta sunt, sive a tempore, sive a sæculo ortum duxerint: demon-

[42] Rom. XI, 36. [43] Psal. LX, 3. [44] Psal. CXLIV, 3.

Scholia.

pisibus, pecoribus; stirpibus, similiter, inquit, Adam quanquam solus e terra formatus est, fuere tamen in eo etiam tunc rationes successionis posteritatisque humani generis; subjungit deinde: Et ex creatione mundi visibilis invisibilia ejus (angelos dicit) hoc etiam genere operum, inquit, facta esse intelligimus, colligimusque ne in illis quidem quidquam seorsum in suo genere aut prius, aut posterius creatum esse; sed omnia simul, quæ ejusdem conditionis sunt exstitisse. Non enim singulas res enumeravit Apostolus (*Coloss.* I), ut in hunc modum diceret: Sive angelus quispiam, sive thronus aliquis, sive dominatio illa, aut illa, aut hic vel ille ex potestatibus, sed universos simul, qui ejusdem ordinis erant, comprehendit. Sive, inquit, throni, sive dominationes, sive principatus sive potestates, etc.; Haecenus Athan. Omnes itaque Cherubim simul creati sunt; simul item Seraphini, et simul Throni, similiter in reliquis ordinibus, in quibus, quod ad creationem pertinet, non est quidquam prius, aut posterius, licet gloria et honore inter se differant. Sic probat B. Athan. contra Arium non esse Verbum creaturam; alioqui, inquit, necesse erat, ut simul cum aliis ex ordine virtutum crearetur, et non ante, licet gloria cæteris antecelleret, ex quo rursus fieret, ut non posset esse primum et initium aliorum, ut Ariani volebant; tradebant enim creatum esse Verbum, ut per eum Deus omnia alia crearet; quasi non esset de numero omnium: cum tamen tale principium omnium, ait Athanasius, in omnibus connumeretur, atque ita concludit, differre Verbum substantia et natura a creaturis; solumque cum esse solius veri Dei imaginem.

Digitized by Google

stratum namque est, omnibus notum, esse, qui mediocriter ea quæ sunt, consideraverint, quod qui sæcula, et locum in his velut receptaculum eorum quæ fiunt, produxit universi auctor, in his creat omnia; nec enim fieri potest, ut aliquid eorum quæ per creationem facta sunt, aut per generationem, non omnino aut in sæculo, aut in tempore sit. Quod si hoc verum est, omne quod est, quod quidem non a tempore cœpit, liquet a sæculo principium habuisse; nihilque rerum a creatione Dei abesse.

CAPUT IV.

Quod nihil eorum quæ sunt, caret principio, quin potius vel est ex principio temporis, vel ex principio ævi, sive sæculi; Deus autem simpliciter et infinite est sine tempore.

Sanctus Maximus in Theologicis centuriis, centuria 1, c. 35: Quæcunque in tempore secundum tempus creata sunt, postquam sunt perfecta, finem faciunt naturalis accretionis: quæcunque vero secundum virtutem scientia Dei conficit, postquam consummata sunt, rursus moventur ad incrementum, eorum enim consummationes aliorum sunt principia. Qui enim desinit in seipso, facere quæ ortum et interitum capiunt, alias diviniores formationes incepit, quia nunquam Deus desinit agere pulchra illa, quorum neque principium habuit (1), siquidem sicut proprium luminis est illuminare, sic proprium est Dei benefacere. Quamobrem in lege, quæ exponit constitutionem eorum quæ secundum tempus oriuntur et occidunt, honoratur Sabbatum per quietem, in Evangelio autem, quod statum rerum spiritualium introducit, exercitatione bonorum operum hoc Sabbatum splendescit. Iterum idem, c. 51, ejusdem centuriæ: Sextus, inquit, dies secundum Scripturam enarrat complementum eorum quæ sunt sub natura; septimus vero circumscribit motum proprium temporis; octavus notat et designat modum status supra naturam, et tempus. Idem, c. 54: Qui sextum diem complevit divine cum operibus, et notionibus sibi convenientibus, ipse etiam operibus suis cum Deo, honeste perspectis, pertransivit perspicientia mentis omnes res naturæ et tempori subjectas, et ad contemplationem mysticam ævi et æternorum se transtulit, Sabbatum mente agitans ignote, rebus ipsis ex toto relictis, et superatis. Qui autem octavo die dignus est habitus, is a mortuis excitatus est; id est, ab omnibus quæ sub sensum et intelligentiam cadunt, et a verbis et notionibus, et vixit beatam vitam Dei, qui solus et proprie vita dicitur, et est; ut qui ipse etiam sit deificatione Deus. Idem rursus, cap. 58: Sextus dies rationem existentiæ rerum designat; septimus modum boni status rerum; octavus vero mysterium boni semper status. Idem cap. 60: Qui propter nos quietem Dei septimo die, et propter nos operationem ejusdem octavo die, id est, mysticam resurrectionem participatione deificationis participavit. Et rursus idem cap. 48, et 49 et 50 ejusdem centuriæ: Quærendum est ab studiosis, quæ opera intelligenda sint, quæ cœpit Deus creare; et quæ rursus, quæ non cœpit. Si enim ab omnibus operibus, quæ cœpit facere, cessavit, manifestum fit, non cessasse ab illis quæ non cœpit facere. Dubium videtur, num opera Dei quæ secundum tempus esse cœperunt, sint omnia quæ essentiam participant, cujusmodi sunt variæ substantiæ eorum quæ exsistunt, habent enim non esse antiquius quam esse; quia erat quando non participabant essentiam. Fortassis autem opera Dei quæ non cœperunt esse in tempore, illa sunt quæ participantur secundum gratiam ab iis qui ea participant, ut bonitas, et omne id quod in ratione bonitatis continetur: et denique omnis vita, et immortalitas, et simplicitas, et immutabilitas, et infinitas, et quæcumque circa ipsum secundum substantiam contemplamur (2), quæ opera Dei sunt, et non cœpta secundum tempus; non enim antiquius virtute erat, non esse virtutem, et similiter in aliis, quæ modo dixi, quamvis quæ ipsa participant, ipsa esse cœperint secundum tempus. Omnis namque virtus principio caret non habens tempus antiquius se, utpote quæ Deum solum habet qui eam æterne generat. Idem adhuc: Immense et in infinitum exemptus est Deus ex omnibus participantibus, et participatis. Omne enim quod habet rationem cur sit (3), opus Dei plane est; et partim quidem secundum ortum cœpit esse in tempore; partim vero secundum gratiam insitum est creaturis tanquam quædam vis, sive facultas innata, quæ Deum in omnibus aperte et clare prædicat. Et rursus: Universa immortalia, et ipsa immortalitas, et cuncta viventia, et ipsa vita, et sancta omnia, et ipsa sanctitas, et omnia virtute prædita, et ipsa virtus, et omnia bona, atque ipsa bonitas; et cuncta quæ exsistunt, et ipsa exsistentia, opera Dei plane sunt; sed opera Dei partim sunt non cœpta tempore (non enim erat, quando non erat virtus, et bonitas, et sanctitas, et immortalitas), partim cœpta alioqui in

Scholia.

(1) *Quorum neque principium habuit.* Principium temporis dicit; ante tempus enim in ipsis angelis gratiam et virtutes creare cœpit, a quibus nunquam desistit in hominibus angelorum vitam et virtutem imitantibus.

(2) *Quæcunque circa ipsum secundum substantiam.* Illa scilicet dicimur contemplari circa ipsum substantialiter, quæ in creaturis a substantia Dei αἰτιατικῶς, id est, ratione causæ participata contemplamur, ut infinitatem in potentia, immutabilitatem, simplicitatem, et immortalitatem in angelis.

(3) *Omne quod habet rationem cur sit, creatura est, et opus Dei.* Deus enim non est propter se, ut a nobis cogitari potest, ait sanctus Maximus in prima centuria theologica; quia necesse est ut illa ratio et causa sit prius; Deus autem nihil habet prius, idcirco neque Deus est propter se, ut a nobis intelligi potest: quia quod in creaturis intelligimus, causa proprie prior est eo, cujus causa est.

Digitized by Google

tempore, participatione eorum quæ non sunt cœpta tempore, sunt et dicuntur hoc, quod sunt et dicuntur. Deus enim est omnis vitæ, et immortalitatis, ac sanctitatis, et virtutis auctor; ex omnibus namque, quæcunque intelliguntur et dicuntur, supra substantiam exemptus est. Adhuc idem cap. 8 centuriæ primæ: Cuncta quæ exsistunt, intellecta nominantur, et principia cognitionum in se ipsis habent indemonstrabilia: Deus autem non nominatur intellectus a nobis, sed ex intellectis tantum esse creditur, quamobrem nihil eorum quæ intelliguntur, cum eo ulla ex parte comparatur. Ex quibus sit manifestum, quod nullam opus Dei effugit, quin sit ipsius effectus: quod ex Propheta liquet, cum ait: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti* [56]. Et rursus: *Veritas et judicium opera manuum tuarum* [57]. Sed quoniam duplex est productio operum Dei, et alia quidem cœpto ortu a tempore, septimo die desita sunt produci; alia vero cum sint supra ortum a tempore, non cadit in ea cogitatio temporis, neque tempestivitatum (*a*), sed cum ævo, sive sæculis tenduntur; idcirco necesse fuit demonstrare, in quibus operibus Sabbatum agitat Deus, et in quibus non; et quæcumque ortum et generationem subeunt, quia principium habent, habent etiam sabbatismum, id est, quietem Sabbati ipsam cessationem. *Septimo* enim, inquit, *die requievit ab omnibus operibus suis* [58] (1). Rursus vero quæcumque ante tempora æterne a Deo creata (2), in ævo degunt, neque principium temporis, neque sabbatismus in ea cadit, designaturque in eis status octavi diei, in quo neque principium generationis est, neque sabbatismus, id est, quies Sabbati et cessatio; sed potius tanquam liberi ab interitu, et immortales degunt omnes. Non igitur aliqua opera Dei refugiunt, quin habeant principium, sæculum, sive ævum. Quomodo enim refugiant, quorum auctor est, et infinite in infinitum ipsis illis antecellit æque atque ceteris aliis creaturis? Verum tamen hæc non cœpit Deus generare, quorum non est generatio, neque tempus; cum ævo tamen dimensione carente ex nihilo etiam hæc facta sunt. Non solum igitur quia hæc opera Dei dicuntur, et eorum auctor Deus, et infinite in infinitum ipsis antecellit, clare intelligitur creaturas et effectus Dei esse; sed etiam quia non cœpisse apposita præfinitione temporis ubique exponitur, ut quæ in tempore cœpta sunt, manifeste distinguantur a sæculis cœptis: et omnis virtus carere principio dicitur, sed sic principio carere, ut scilicet non habens tempus antiquius se, non tamen non habens ævum antiquius. Et sicut magnus Dionysius Deum ait charitatis et amoris productorem et genitorem, hoc autem exponens sanctus Maximus in scholiis in eum, et in octava centuria, capite 88, sic dixit: Charitatis et amoris ipsum Deum scilicet ait genitorem esse, ipse enim hæc in se ipso cum essent, produxit foras, id est, circa creaturas; et sic dic-

[56] Psal. cm, 24. [57] Psal. cx, 7. [58] Gen. II, 2.

Scholia.

(1) *Septimo die requievit ab omnibus operibus suis.* Photius patriarcha Constantinop. in responsis ad varias quæstiones do locis Scripturæ ad Amphilochium metropolitam Cyzici: Quatuor, inquit, sunt operationes Dei; prima, qua fecit a principio naturas rerum omnium septem diebus, secundum hanc significationem dictum est requievisse septimo die ab omni opere quod patraverat. Secunda operatio est conservatio ex illo tempore perpetua eorum quæ semel exstiterunt, quæ non permittit ullam speciem perire, hæc operatio providentia vocatur, ab hac operatione nunquam desistit neque desistet Deus, dum terrena hæc concretio consistet. Tertia operatio, qua facit, ut natura cujusque nihil dissimile, aut a se alienum faciat, sed potius sui simile generat, et successionem legitimam ostendit; hæc quoque operatio ad providentiam referri potest. Præterhas tres, unam de creatione essentiæ, sive substantiæ aliam de conservatione, aliam de similitudine, ad quam referenda est successio ordinis, ut in sole, luna, ortu, occasu, conjunctionibus, et discessibus, aliisque energiis, id est, operationibus, quas Deus illis indidit, in vicissitudine dierum et noctium, in mutatis temporum, et successionibus; præter has, inquam, est alia operatio φιλανθρωπίας Δεσποτικῆ, id est, charitatis Domini Dei in homines; quæ duplex est, una ad corpus hominis pertinens, altera ad animam; illa cæcis tribuit aspectum, paralyticis robur, quatriduanum suscitat, etc.; hæc animam infinitis malis vexatam liberavit, et in pristinum statum imaginis suæ, ad quam facta erat, restituit. Populus ergo Judæorum in beneficia Salvatoris ingratus, invidiæ suæ præteribat Sabbati religionem, accusans Dominum quod Sabbato sanaret, cui Salvator tanquam Dominus et præceptor: Pater meus, inquit, usque modo operatur (Joan. v, 17). Si enim eos, qui curationem corporis sabbato factam calumniabantur, redarguit, docens eos ab hujusmodi operibus neque Patrem cessasse, neque cessare; ex hac sententia facile est intelligere, a quibus operibus cessavit, et a quibus non, siquidem jam olim desiit creare naturas, a conservatione vero, et varia providentia in illis, et ordine, et beneficentia non destitit, neque desistet.

(2) *Quæcunque ante tempora æterne creavit, in ævo degunt.* Æterne dixit, et non coæterne: id est, in ævo ante tempus, quod æviterne dici solet, propter angelos, et eorum virtutes, atque cognitiones Deus æterne generat virtutem, id est, ante tempus creatum; hæc enim cum haberet Deus in se ipso, protulit ea foras, id est, circa creaturas, sicut ait S. Maximus. Si enim angelos non creasset ante tempus, cum quo ortus est mundus, antiquius virtute fuisset non esse virtutem, et bonitate non esse bonitatem, quæ absurda esse videntur, valde enim decens videtur ut illæ prefectiones, quæ a Deo manant quæ a creaturis αἰτιατῶς, id est, create participantur, antiquiores sint ipso tempore, cum quo creatūræ tempori subjectæ illas participarunt, itaque sanctitas, charitas, vita, sapientia et aliæ perfectiones Dei ex Deo αἰτιατικῶς, id est, efficienter, sive causaliter participatæ non cœperunt creari cum creatione hominis, sed antiquius, ante tempus scilicet cum angelis, qui æterne, hoc est, in ævo, et non coæterne Deum laudabant.

(*a*) Tempestivitates sunt veterum tempus, æstas, autumnus, hiems.

Digitized by Google

etum est : *Deus charitas est* [9]. Sic igitur non est mirandum, si virtutem dicit hic habere æterne Deum genitorem : id est, Deus cum haberet eam in se ipso protulit eam foras, id est, circa creaturas. Similiter illud Non erat, quando non erat virtus et bonitas, adjuncto tempore redditur consentiens secum, et cum aliis ante dictis. Nihil igitur eorum quæ antea demonstrata sunt, rationi adversatur. Deus autem, qui causam non habet, et omnium causa est, ex nihilo producit creaturam ; neque quidquam eorum quæ sunt, quidquid illud sit, cœternum ei est, sive ex iis sint quæ tempore cœpta sunt, sive non cœpta tempore, sed ævo comprehensa, sive ex iis quæ sunt participantia, sive quæ participata, et solum ut a participantibus participentur, exposita ; sive ex iis sint quæ intelliguntur, sive quæ intelligunt. Deus enim infinite in infinitum ex his et illis exemptus est : quoniam solus ipse est omnium una causa ; neque habet ante se majus aliquid, neque secum æquale, neque post se minus.

CAPUT V.

Quod nihil eorum quæ sunt, ex se ipso prodiens, est non divisum : Deus autem secundum unam suam potestatem multiplicatus, et in omnia prodiens, est non divisus, et a se non exiens.

Magnus Dionysius, cap. 4, *De divinis nominibus* : Audendum, inquit, est dicere hoc pro veritate, quod ipse qui est omnium auctor, pulchro et bono amore propter excellentiam summam amatoriæ bonitatis extra se per providentias omnium rerum exsistit, et bonitate atque dilectione et amore veluti delinitur (1) et oblectatur : et cum sit supra omnia, et ex omnibus exemptus, ad omnia demittitur secundum potestatem suprasubstantialem, qua extra se, non egrediendo exit. Et rursus idem in eodem loco : Vel quia ipse sibi lenocinatur, et se movet, hac enim ratione dilectum et amabilem eum vocant veluti pulchrum et bonum, et tanquam sit quædam sui per se ipsum patefactio, et bona progressio eximiæ copulationis, et amatoria motio, simplex, per se mobilis, per se agens, quæ prius exstitit in bono ad ea quæ sunt, manat, et rursus ad bonum revertitur. Et sanctus Maximus in centuria 8, cap. 87 : Intellige, inquit, Deum esse lenocinantem, et moventem ad amatoriam conjunctionem, illam dico, quæ cum spiritu est ; id est, Deum esse sequestrem et confectorem hujus conjunctionis, conciliatoremque sui, ut a creaturis suis ametur et diligatur. Moventem vero dicit, tanquam qui singula moveat, ut cuique convenit, ut ad se ipsum convertat, nomen autem lenocinii etsi apud scriptores gentiles rem significat non sanctam neque castam, hic tamen significat conciliationem intermediam conjunctionis cum Deo. Et adhuc idem capite 88 : Motus amatorius boni qui in bono prius exsistit simplex et immobilis, ex bono prodiens ad id ipsum redit fine et qui in bono principio carens, quod quidem declarat, desiderium nostrum semper ad Deum moveri; copulatio enim cum Deo ex charitate, omnem copulationem vincit, et ab omni conjunctione eximitur. Rursus idem capite 89 : Amorem cum dicimus, sive divinum, sive angelicum, sive spiritualem, sive animalem, sive naturalem, intelligamus vim quamdam sive potestatem copulantem et commiscentem, superiora quidem moventem ad providentiam inferiorum, ea vero quæ sunt ejusdem ordinis, ad mutuam communicationem, et novissime ea quæ sunt inferioris moventem ad convertendum se ad prestantiora et præposita. Ac rursus Dionysius, cap. 4 *De divinis nominibus* : Hoc unum bonum, inquit, et pulchrum, singulariter est omnium multorum bonorum et pulchrorum causa. Et in quinto capite : In uno enim Deus, ut sæpe dictum est, omnia quæ exsistunt, præhabet, et fecit ut subsisterent, præsens omnibus, et ubique (2), et secundum unum, et secundum idem ; et secundum idem, omne, unum. Et in cap. 7, de eisdem divinis nominibus : Etenim si secundum unam causam Deus omnibus impertit ut sint, secundum ipsam illam causam singularem cognoscet omnia. Et cap. 12, de eis lem divinis nominibus : Hæc igitur sunt sine intermissione laudibus celebranda in causa, quæ omnibus antecellit ; et addendum est ipsam esse sanctitatem exsuperantem, et dominatum ac regnum summum, simplicissimam divinitatem : siquidem ex ipsa, in uno et simul tota nota est (3) et distributa omnis impermista diligentia omnis puræ munditiæ, omnis eorum quæ exsistunt, ordo et compositio. Et in primo capite de eisdem divinis nominibus : Unde in omni fere tractatione theologica divinitatem videmus sacre celebrari tanquam monadem et unitatem propter simplicitatem et unitatem impartibilitatis supraquam naturalis, ex qua tanquam ex potestate unifica unum efficimur : et varietatibus partibilibus divine in unum contractis in unum ad Dei similitudinem congregamur, et ad Dei imitationem copulamur. Quo in loco ait san-

[9] I Joan. IV, 8.

Scholia.

(1) Exemplum hujus *definitionis* frequens est in Cant. cant. ut illud cap. II : Ea dilectus meus loquitur mihi : Surge, amica mea, columba mea.

(2) *Præsens omnibus, et ubique.* Non secundum diversas partes suas, sed secundum unum et idem ; et secundum idem omne unum, et ad omnia procedens, est enim omne, quatenus in simplici essentia una, omnia exsistunt virtute, sive potestate, sicut effectus in causa.

(3) Et ad omnia procedit efficienter, in uno. Hoc est quod ait Joan. in Evang. cap. III : Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum, sicut sol totum lumen simul emittit, licet non æqualiter recipiamus, itaque *in uno* ait, id est, non dividue, et per partes, sed simul totum.

Digitized by Google

ctus Maximus : Quia Deus cum cogitasset, volun- A tate produxit omnia, non tanquam mens quædam in voluntates partita, multiplicatus est : sed potius, inquit, mansit in unitate, et in ea manens, impartibiliter et non disperse produxit et producit omnia in creatura mundi. Et rursus divinus Dionysius in septimo capite de eisdem *divinis nominibus* : Ratio autem Deus in sacris Scripturis laudandi gratia nominatur, non solum quia rationis et mentis et sapientiæ est largitor, sed quia causas omnium (1) uniformiter anticipavit. Adhuc in eodem capite : Quare divina mens omnia continet cognitione ab omnibus exempta (2), qui quatenus est causa universorum, scientiam omnium in se ipso anticipavit : qui antequam fierent, novit angelos et produxit angelos, et alia omnia intus, et ab B ipso, ut ita dicam, principio novit (3), et ad essentiam adduxit ; atque hoc arbitror Scripturam tradere, cum ait : *Qui novit omnia antequam fierent* [30]; non enim divina mens cognovit ea quæ sunt, percipiens cognitionem eorum ex iis quæ sunt, sed ex se ipso et in se ipso secundum causam, scientiam omnium et cognitionem et essentiam præhabet, et simul anticipavit, non intendens ad singula percipienda secundum eorum formas, sed secundum unum causæ complexum omnia sciens et continens : sicut lumen (4) in se ipso secundum causam cognitionem tenebrarum anticipavit, non aliunde tenebras quam ex lumine cognoscens. Divina igitur sapientia se ipsam cognoscens, cognoscit omnia ; materiam C habentia sine materia, partibilia impartibiliter, et multa singulariter e se ipso uno, cuncta et cognoscens, et producens. Etenim si Deus secundum unam causam omnibus quæ sunt, impertit esse, secundum eamdem causam singularem cognoscet omnia, quæ et ex ipso sunt, et in ipso prius exstiterunt, et non ex iis quæ sunt, ipsorum cognitionem sumet : quin potius ipsis singulis cognitionem ipsorum, et aliis aliam cognitionem suppeditat. Non igitur Deus aliam sui cognitionem habet, aliam vero, qua omnia alia communiter comprehendit ; ipsa enim causa omnium cum se ipsa cognoscat, nequaquam quæ ab ipsa manant, et quorum causa exsistit, ignorabit. Sic igitur Deus quæ sunt cognoscit non notitia D ipsarum rerum, sed notitia sui : siquidem et angelos aiunt Scripturæ cognoscere quæ in terra sunt, non illa quidem sensu cognoscere, sub sensum alioqui cadentia, sed propria mentis similitudinem Dei gerentis virtute et natura. Hæc edisserens sanctus Maximus, Hoc, inquit, declaravit, cum dixit, non cognoscere Deum quæ sunt ex iis ipsis quæ sunt : et cum dixit, non intendere ad unumquodque percipiendum secundum formam ejus, quoniam tanquam horum auctor cognitionem suorum operum anticipatam habet, sciens quomodo ipsa, et in quibus ad ortum ac generationem adduceret : quorum depravatio, et defectio, id est, frustratio et infirmitas malum introducit, dum deficiente quod est secundum naturam, efficitur quod est præter naturam. Superius enim adhibuit exemplum luminis ; hujus enim privatione subexsistunt tenebræ, et causam habent absentiam naturæ luminis, sicuti habitus priores sunt privationibus, et ut dici potest, causæ sunt privationum. Hoc igitur loco pater Dionysius de iis quæ Deus produxit, et de cujusque eorum natura loquitur, quæ quidem dixit prius exstitisse in Deo secundum præcognitionem et prædefinitionem. Præterea vide, quomodo dicit Deum omnia cognoscere non ex cognitione omnium, sed ex cognitione sui, sicut lumen cognoscit tenebras alioqui, nihil tenebrarum in se habens. Ac rursus idem in centuria III de charitate, capite 21 : Cognoscit Deus se ipse, cognoscit item a se effecta ; cognoscunt etiam sanctæ potestates Deum, cognoscunt etiam quæ a Deo effecta sunt : non tamen sicut Deus cognoscit se ipse, et quæ a se facta sunt, sic sanctæ potestates cognoscunt Deum, et quæ ab ipso effecta sunt. Et capite 22 : Deus se ipse cognoscit ex beata substantia sua ; quæ vero idem effecit, cognoscit ex sapientia sua, per quam, et in qua cuncta fecit. Sanctæ vero potestates participatione cognoscunt Deum, qui est supra participationem, quæ vero abi pso facta sunt, cognoscunt colligendo in ipsis contemplationes. Adhuc cap. 24 : Substantia rationis particeps, et substantia intelligens, Dei sancti particeps Deum cognoscit tum ipsa exsistentia, tum insuper habilitate bonitatis, inquam, et sapientiæ et præter exsistentiam perfectuam gratia. Sic igitur

[30] Dan. XIII, 42.

Scholia.

(1) *Causas omnium uniformiter participavit.* Quia non recedit a sua simplicitate ; nec ullam in eo compositionem faciunt.

(2) *Cognitione ab omnibus exempta :* quia est supra cognitionem intellectus, et supra cognitionem sensus, quatenus per ipsam primam causam omnium omnia cognoscit. S. Thom.

(3) *Ab ipso, ut ita dicam, principio.* Quia Deus caret principio, idcirco correxit quod dixerat, inquiens : Ut ita dicam. Ex æternitate igitur tanquam auctor omnium habuit suorum operum cognitionem, et non ex operibus suis eam didicit et percepit.

(4) *Sicut lumen.* Exemplo luminis docet, quomodo Deus cognoscat creaturas, quæ ita deficiunt a Deo, sicut tenebræ a lumine, si ponamus lumen hoc sensibile esse mente præditum, si quis roget, an cognoscat tenebras, dicet cognoscere antequam sint tenebræ ; experientia enim non potest cognoscere, quia si lumen est, non sunt tenebræ ; cognoscit igitur ut lumen, quia scit, quod si auferatur lumen, nemo videbit. Sic Deus in se ut causa habet omnium cognitionem, quam non per experientiam acquisivit, alioqui esset Deus posterior cognitione, aut aliquo tempore non cognovisset : hoc etiam exemplo docetur, quomodo una et eadem cognitione cognoscit Deus se, et omnia, sicut lumen cognoscendo se cognoscit tenebras.

Digitized by Google

Deum cognoscit; quæ autem ab ipso producta sunt, cognoscit, ut dictum est, artificio sapientiæ in iis quæ creata sunt, collectæ, quæ est nuda, et non per se exsistens, in mente formata, et adhuc, in nulla duplicatione Deus penitus simplex, et supra omne simplex. Et Joannes Damascenus, cap. 14, *De divino loco*, ait : Angelus enim celeritate naturæ, et quia prompte, id est, celeriter transit, operatur in diversis locis; Deus autem qui ubique est, et supra omnia est, ubique eodem puncto varie, una et simplici actione agit. Ex quibus fit manifestum, quod non alia cognitione seipse Deus cognoscit, alia autem ea quæ a se effecta sunt, quinimo seipse cognoscens, suos etiam effectus una et infinita cognitione cognoscit; neque diversis potestatibus et actionibus producit creaturam, sed hac cognitione, et una atque infinita potestate continebat, et anticipata habebat in seipso omnia, et postea ex se exiens produxit; et in nihilo, et secundum nihil a seipso divisus est (1) habens hæc prius in seipso, et producens postea, et rursus ad se rediens.

CAPUT VI.

Quod secundum unam singularem causam omnia fit Deus : nihil autem eorum quæ ab ipso facta sunt, est non creatum.

Magnus Dionysius, cap. 9, *De divinis nominibus :* Omnibus, inquit, adest præsens Deus providenter, et omnia in omnibus fit propter conservationem omnium, manens in se, et ab eodem suo statu non egrediens, in actione una, et nunquam cessante fixus. Et rursus idem in quinto : Qui vere præexsistit (2), secundum omnem eorum quæ sunt cogitationem multiplicatur, et in eo proprie celebratur (3), erat, et est, et erit : item factum est, et fit, et fiet; Hæc enim omnia significant iis qui ut Deum decet, intelligunt, esse eum secundum omnem cogitationem supra substantiam : et esse causam eorum quæ modis omnibus sunt; etenim non hoc quidem est, illud vero non est; nec aliquo quidem modo est, aliquo vero non est; sed potius omnia est, ut omnium auctor : et in se omnia principia, et omnia ex principiis in rebus omnibus effecta et conclusa anticipans et continens, et supra omnia est, utpote ante omnia supra substantiam supraquam exsistens. Quo in loco sanctus Maximus : Quomodo, inquit, cum dixisset superius : In ipso nec est, nec erat, nec est, nec erit, neque factum est, neque fit, neque fiet, hic dicit : In ipso et est, et erit, et illud fit, et fiet, proprie laudatur? An sibi contradicit Dionysius? Apage. Supra enim ipsum dixit esse effectorem exsistentiæ, hypostasis, substantiæ, naturæ, et temporis; consentanee igitur in ipso collocavit illud erat, et alia, ut intelligas nec a tempore, neque post tempus Deum cœpisse; quin potius superiorem esse quam ipsum esse, siquidem in ipso dixit esse exsistentiam (4), et non esse ipsum exsistentiæ; hic autem quia dixit multiplicari eum secundum omnem cogitationem, merito dixit : In ipso illud est, et erit, et quæ sequuntur, quia ubi tempus, aut tempestivitates cogitabis, illic Deum reperies, et supra omnia, et ante omnia esse, et eorum quæ sunt, causam et effectorem esse, et nihil ipsorum esse : sicut dicebamus, Nihil est eorum quæ sunt, et ipse est in omnibus. Sanctus Gregorius Nyssenus, *Adversus Eunomium :* Bifariam, inquit, rebus partitis in faciens, et factum, utrumque ab altero natura differt, ut neque quod factum est non creatum sit, neque creatum quod naturam eorum quæ fiunt, efficit. Idem in eisdem libris : Ego, inquit, etsi sermo esset illius Moysis, qui in administratione legis splenduit, neque sic hujusmodi sermonem tulissem, (5), etsi eum nullum alioqui e se splendorem ille haberet, munere divino splendidus repente Israelitis apparuit; is enim splendor in legislatore ortus, non fuit cujusdam alterius, sed ipsius Dei. Et beatus Chrysostomus, in oratione in laudem sancti Joannis Theologi, cujus principium est : *Principium nobis rursus e cœlo advenit*, sic ait : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* [81]. Nusquam est, non erat, sed ubique

[81] Joan. I, 1.

Scholia.

(1) Exire a se, et non dividi, hoc est infiniti, quod omnia substantia sua et virtute ac præsentia implet.

(2) *Qui vere præexsistit, secundum omnem eorum quæ sunt, cogitationem multiplicatur.* Id est, quidquid cogitetur, et ad quamcunque rem quis mentem intendat, inveniet in ea notionem causæ, id est, auctoris Dei; hoc igitur est multiplicari, cerni eum in multis causam, ex S. Maxim. et Pachym.

(3) *In eo proprie celebratur, erat, et est.* Idem Dionysius interpretatur, quomodo proprie celebrentur hæc, scilicet quatenus intelliguntur, ut Deum decet, proprie dicuntur in Deo; et in Deo sunt, id est, quatenus est, erat, erit, participant esse; omnia enim secundum causam dicuntur de Deo, et in eo sunt, et intelliguntur suprasubstantialiter, quatenus vero sic accipiuntur, ut cum dicitur : Deus est, erat, erit, significetur Deum participare esse, alienæ sunt a Deo, ex Pachym.

(4) *In ipso esse exsistentiam, et non esse ipsum exsistentiæ.* Sic dicit idem Dionysius cap. 5 : Ipsum habet exsistentia, et non est ipse exsistentiæ. Exsistentia habet Deum, ut consistat ipsa exsistentia, sicut quis habet vitam ad sui exsistentiam; non autem sic habet Deus exsistentiam, ut per exsistentiam sit. Sicut igitur exsistentia habet Deum, sic exsistentia est Dei, quia ab ipso manat; et ut Deus non habet sic exsistentiam, ut per exsistentiam sit; sic neque Deus est ipsius exsistentiæ, ut per eam sit.

(5) *Sermonem tulissem.* Volebat Eunomius cum Arianis splendorem qui apparuit in facie Moysis, et oculis corporeis visus est, fuisse divinam substantiam Filii Dei, ex quo creaturam esse efficere volebant; quod falsum et hæreticum erat. Erat enim ille splendor non alterius quam Dei creatura, a quo in facie Moysis creatus fuit, ut in eo divinum lumen secundum se inaspectabile tanquam in speculo ad hoc facto Israelitis ostenderet.

Digitized by Google

erat nusquam est ; fecit, sed ubique quid erat, post erat, fecit, non de auctore, sed de creaturis, et ut sciat quomodo erat ; et quomodo fecit ego dico, vos numerate : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum ; hoc erat in principio apud Deum.* Ecce quarto meminit, et neque semel dixit, *Factum est.* Quid igitur post hæc ? *Omnia per ipsum facta sunt ;* non dixit hic, *Erat,* quia de creaturis erat sermo. *Omnia per ipsum facta sunt ;* non dixit, Erant, sed *Facta sunt omnia per ipsum : et sine ipso factum est nihil quod factum est ;* rursus *Factum est :* ubi de Deo, erat, ubi de creaturis *Factum est.* In principio Verbum. Hinc etiam Deus Pater secundum Vetus Testamentum patefiebat ; cum enim dixit ei Moyses : *Si dixerint mihi filii Israel : Quis est qui te misit ad nos, quid respondebo eis ?* Et dixit Deus : *Ego sum, qui sum ; qui est misit me ad vos* [83] ; Pater, qui est ; Filius in principio erat. Si quis contendit dicens, non idem dici in Patre et Filio ; in Patre enim, *Ego sum qui sum ;* in Filio autem, *In principio erat :* non est autem idem, *est,* et *erat,* demonstro appellationem in Filio ; audiat Evangelistam dicentem : *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris* [84] ; ecce unam vocem habes evangelistæ in *est ;* et iterum Apostolus : *Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est supra omnia Deus benedictus* [85]. Vidisti quomodo te munit Joannes, qui in Deo posuit, *Erat ;* et in creaturis, *Facta sunt.* Nec enim Deum decet, *Factum est,* neque creaturas, *Erat. — In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum ; et Deus erat Verbum ; hoc erat in principio apud Deum ; omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Quando *Factum est,* ponitur, ad creaturas descendit ; quando *Erat,* ad auctorem ascendit ; et rursus *Vita erat,* rursus ascendit ad effectorem ; scalam hodie affert multis mysteriis refertam : quando ascendit ad Deum, *Erat,* prædicat ; quando descendit ad creaturas assumit, *Factum est ;* quando ascendit ad Deum, deponit illud, *Facta sunt* et *Factum est,* et sumit *Erat.* Sanctus Maximus in centuria sexta, cap. 84 : *Multum valet oratio justi* [86], quæ agitur sive a justo, qui eam adhibet, sive ab alio, qui eam a justo adhiberi postulat. A justo quidem agitur, quia præbet ei fiduciam erga eum qui potest largiri quæ justi petunt ; ab eo autem qui orationem a justo petit, agitur cum eum a priore nequitia abducit, et ad virtutem affectionem ejus transfert. Magnus Dionysius, cap. 6 *Ecclesiasticæ Hierarchiæ :* Renuntiatio non solum vitæ divise, sed etiam cogitationum, in mandatis Dei, quæ in unum conciliant, scienter acta, absolutissimam monachorum virtutem et disciplinam declarat ; est enim, ut dixi, non medii ordinis (1) eorum qui initiati sunt baptismo, sed celsioris omnibus ordinibus ; quamobrem multa ex iis quæ a medio ordine sine reprehensione fiunt, monachis unis, et a divisione alienis omnino interdicta sunt. Et in epistola ad Colossenses Paulus ait : *Docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu ; in quo et laboro certando secundum operationem ejus, quam operatur in me in virtute* [86]. Ex his jam liquet, quod Deus secundum suam, quæ una est, causam, omnia efficitur non recedens a se ; demonstratum enim est non migrando exire, et eodem reverti, non a se distractum in producendâ creatura, sed secundum causam unam singularem, quæ est ipse, omnia fit : et nihil quod ab ipso fit et agitur, est sine creatione. Dicere enim non esse creatum quod agitur, perinde plane est ut si dicamus creaturam non esse creaturam ; quod enim agitur, idem est cum eo quod fit, quia quod agitur fit, et quod fit agitur ; si autem quod fit non est sine creatione, et quod agitur non sine creatione. Quare qui dicit quod agitur, quomodocunque agatur, non creatum esse, eo venit ut dicat quod creatum est creatum non esse, aut quod est non esse ; et quæcunque alia ex contradictione sequuntur.

CAPUT VII.

Quod nullus numerus duorum, aut multitudo post numerum duorum, aut aliud quid secundum superius et inferius procedens, infinitum et sine principio esse potest.

Magnus Dionysius, capite 4 *De divinis nominibus* ait : Omnis numerus duorum non est principium ; unitas autem erit principium omnium duorum. Quo in loco sanctus Maximus : In numeris, inquit, duo

[83] Exod. III, 14. [84] Joan. I, 18. [85] Rom. IX, 5. [86] Jac. V, 16. [86] Coloss. I, 28, 29.

Scholia.

(1) *Non medii ordinis.* Medium ordinem dicit laicorum, qui sunt baptismo tantum initiati ; hi enim sunt medii inter catechumenos, qui purgantur ad baptismum, et inter communicantes, qui perficiuntur. Sunt autem monachi, quatenus monachi, non hujus medii ordinis laicorum ; perfectior enim est eorum status, quam laicorum. Id quod locus eis in Ecclesia assignatus, tanquam in symbolo significat ; est enim prope januas templi propinquior populo post eos qui sunt ordinis ecclesiastici, ut Dionysius in epistola ad Demophilum monachum scripsit : Ordinem vero monachorum dicit idem Dionysius esse celsiorem omnibus ordinibus, non quidem conferens eum cum diaconis, qui primi purgant ; neque cum presbyteris, qui secundi et medii illuminant ; et multo minus cum episcopis qui tertii et summi perficiunt ; sed cum ordinibus eorum qui adhuc purgantur, ex quibus primi sunt catechumeni, qui purgantur ad baptismum per catechesim ; secundi qui sunt in peccato, qui purgantur per doctrinam Scripturæ sanctæ, ut recedant a peccato ; tertii sunt energumeni, qui purgantur exorcismis, ut resistant fortiter diabolo, et terroribus ejus ; quarti sunt qui sunt in pœnitentia, qui purgantur, ut non revertantur ad peccatum ; his omnibus ordinibus perfectior est ordo monachorum, quia ut monachi sunt, ratione instituti monastici, mortui sunt mundo, et carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixerunt.

Digitized by Google

multitudinem, quæ in numeris divisionem habet, ad finem ducunt, posita quidem unitate principio omnis numeri; duobus vero positis principio numeri paris. Si igitur principium significat quod est in unoquoque genere simplicissimum, quomodo numerus duorum erit principium omnium? Non enim numerus duorum principium simplex est, sed compositum, principium igitur ex compositione constans, non est simplex, et quomodo vocabitur principium? Ante principium enim compositum, erit proprie principium unitas, ex qua, unitatibus compositis, confecta sunt duo; undique igitur manifestum est non esse principium numerum duorum. Et rursus idem in aliis : Non potest, inquit, numerus duorum esse infinitus; unitates enim ejus inter se per appositionem compositæ, se mutuo terminant; quod si numerus duorum non potest esse infinitus, ut demonstratum est, neque principio scilicet carere potest, quia omnis numeri duorum principium est unitas; quod si non caret principio, igitur nec est immobilis (movetur enim numero ex unitatibus secundum conjunctionem composito); quod autem movetur, non est principium, sed ex principio scilicet moventis, sola autem unitas proprie est immobilis. Et rursus idem : Omne, inquit, quod in multitudine quantitatem habet, non potest esse infinitum, neque sine principio id, cum quo alterum simul cogitatur. Et rursus idem : Nemo, inquit, qui duo, aut multa sine principio esse dicit, pie vivere poterit. Idem in centuria tertia de charitate, cap. 27: Deus quidem, inquit, qui est ipsa per se exsistentia, ipsa per se bonitas et sapientia, imo, ut verius dicam, supra omnia hæc, nihil penitus habet contrarium : creaturæ vero, quæ omnes quidem participatione et gratia exsistunt, aliæ vero ratione præditæ sunt, et intelligentes, et ad capiendam bonitatem et sapientiam aptæ, contrarium habent, in illis quidem exsistere, et non exsistere contraria sunt : in his vero habilitati bonitatis et sapientiæ contraria sunt vitium et ignorantia, et exsistere quidem semper, aut non exsistere, hæc in potestate ejus sunt qui ea effecit; participare autem bonitatem et sapientiam, aut non participare, in voluntate eorum est qui participes rationis sunt. Greg. Nyss. libro primo *Contra Eunomium*, cap. 19 : Non terminatum idem est, quod infinitum, infinito autem plus aut minus cogitare extremæ dementiæ est; quomodo enim ratio infiniti servari queat, si plus aut minus in ipso decernuntur? ex dispositione enim finium inter se; quod plus est, dijudicamus, in quibus autem non est finis, quomodo potest quis cogitare superfluens? Idem in eodem : Quis nescit, quod secundum propriam rationem simplicitas non recipit in sancta Trinitate plus aut minus? in qua enim non potest mistio quæpiam qualitatum et concursio cogitari, sed potius potestas quædam expers partium et compositionis cogitatione comprehenditur, quomodo aliquis et in aliquibus aliis differentiam secundum plus et minus intelligere poterit? Omnino necesse est, ut qui hæc variata esse dijudicat, qualitates quasdam in subjectum incidere cogitet. Aut enim cogitat differre hæc secundum ampliationem et diminutionem, et ob hanc causam cogitationem magnitudinis introducit in eo quod quæritur : aut secundum bonitatem et potentiam et sapientiam, et si quid aliud circa Deum pie intelligitur, ut redundet, vel decrescat, efficere molitur : atque ita rationem compositionis non effugiet. Magnus Dionysius, capite quinto *De divinis nominibus*, non aliud dicit esse bonum, et aliud quod est, et aliud vitam, vel sapientiam; neque introducit multas causas, et divinitates, alias alia producentes, superiores et inferiores. Ex his patefit, quod sicut nihil quod agitur aut generatur, est non creatum, sic omnia duo, vel deinceps multitudo, vel aliud quid secundum superius et inferius progrediens, et ut semel dicam, ita constitutum, ut aliquid ei sit contrarium, infinitum esse, et principio carere non potest; in idem enim recidit sine principio esse, et esse non creatum; si autem sine principio est, plane etiam infinitum est.

CAPUT VIII.

Quod sit etiam species circumscriptionis et termini, comprehensio atque visio, Deus autem uno modo omnibus est incircumscriptus (a), et inaspectabilis, sigillatim vero nobis angeli et animæ sunt inaspectabiles.

Gregorius Theologus libro secundo de theologia : Et nondum, inquit, dico finitum omnino esse Deum, si mente comprehendi potest, una enim species circumscriptionis est ipsa comprehensio. Idem in eodem : Quid tandem Deus sit substantia et natura, nemo hominum unquam reperit, neque reperire queat. Et rursus ibidem : Salomon, inquit, qui fuit sapientior cunctis hominibus qui ante eum et post eum fuerunt : cui fuit latitudo cordis donum Dei, et affluentia contemplationis copiosior arena maris; quanto plus scrutatur profundum, tanto magis æstuat : et finem quemdam facit sapientiæ invenire quantum effugerat [87]. Paulus autem conatur quidem assequi non dico naturam Dei (hoc enim omnibus modis fieri non potest), sed judicia tantum Dei; quia vero non potest reperire exitum, nec ubi gradum ascensus sistat, nec ubi desinat curiositas mentis : dum semper aliquid subapparet ejus quod relinquitur (o rem miram, ut mihi similiter eveniat), stupore orationem circumscribit; et divinitas Dei, atque profundum hanc rem vocat, confiteturque judicia Dei comprehendi non posse [88]; eadem fere atque David loquens, qui nunc quidem judicia Dei

[87] III Reg. IV, 31 ; Prov. XII, sec. LXX ; Eccles. XII. [88] Rom. II, 1 seqq.

(a) Quia uno modo est infinitus omnibus.

Digitized by Google

vocat abyssum multam, cujus fundum mensura, A bulamus, sicut Apostolus ait [66]. Si cui igitur eorum ani sensu non licet comprehendere; aliquando vero dicit admirabilem factam esse cognitionem ex se ipso, et ex sui formatione [65]. Et adhuc idem in eodem libro : Quia expetit quidem omnis natura primam causam; comprehendere vero non potest propter causas, quas dixi; laborans desiderio, et veluti anxia, et damnum non potens ferre, secundam navigationem suscipit, ut intueatur scilicet in ea quæ cernuntur, et aliquid ex eis faciat Deum, male docta. Quid enim quod sub aspectum cadit, eo qui aspicit, altius et Deo similius est, ut hic colat, illud colatur? Sanctus Gregorius Nyssenus, in Vita Moysis : *Non poteris videre faciem meam : non enim videbit homo faciem meam, et vivet* [66]. Hoc autem non dicit Scriptura, quasi Deus sit causa mortis (quomodo enim facies vitæ fieri unquam potest causa mortis eis qui appropinquaverunt?), sed quia B Deus est natura vitæ auctor, proprium autem signum divinæ naturæ est esse celsius omni signo. Qui igitur aliquid eorum quæ cognoscuntur, Deum esse arbitratur, tanquam ab eo qui vere est, male deflexus ad id quod comprehensione fictæ cogitationis esse existimatur, vitam non habet. Qui enim est auctor eorum quæ sunt, is est vera vita ; hic autem cognosci non potest (*a*). Quia igitur cognitionem vincit natura effectrix vitæ, omne quod comprehenditur, non est vita; quod autem non est vita, non habet naturam, ut efficiatur effectrix vitæ. Sic expletur Moysi desiderium per id quod fecit, ut maneret cupiditas inexplebilis (*b*). Idem in explanatione illius beatitudinis, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* [61] : Qui cor suum, inquit, ab omni affectione turbida emundavit, in propria pulchritudine imaginem divinæ naturæ perspicit. Mensura enim perspicientiæ Dei, quæ a te capi potest, in te est. Igitur qui se ipse videt, in se quod desiderat, videt, atque ita mundus corde efficitur beatus, cum intuens in suam munditiem, in imagine sua videt exemplar. Divinus Diadochus (*c*), et silentii magister: Nemo, inquit, cum sensum mentis audit, aperet videre oculis gloriam Dei, sentiri enim eam dicimus gustu quodam, qui exprimi non potest, divinæ consolationis, cum quis animam purgaverit, non autem apparere ei aliquid eorum quæ sub aspectum cadunt, D siquidem nunc per fidem, et non per speciem amqui certant (*d*), vel lumen, vel figura quæpiam, vel aliquid ad similitudinem ignis appareat, ne amplectamur hujusmodi visum, est enim fallacia inimici manifesta, quæ quidem res multos fefellit, qui propter ignorantiam a via veritatis male deflexerunt. Beatus Chrysostomus in oratione de incomprehenso : Quod in Deo est incomprehensum, non sic nos scimus, sicut illæ potestates, quæ tanto magis sciunt, quanto mundiores et sapientiores et perspicaciores quam humana natura sunt : accretio enim sapientiæ accretionem reverentiæ creat (*e*); sicut id quod ex radiis solis non potest aspectus ferre, non sic cernit cæcus, sicut qui videt : ad eumdem modum quod est in Deo incomprehensum, non sic nos, ut illi, cognoscimus ; quantum enim interest inter cæcum et videntem, tantum interest inter nos et illos. Et rursus idem in eisdem : Illi igitur angeli aspectus tegunt, hi vero alioqui homines contendunt intendere oculos impudenter in gloriam inexplicabilem. Quis eos non deflet? quis non lugeat hanc vecordiam, et extremam dementiam? Et iterum idem, cum explanat illud : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre* [64] : Non, inquit, vidissemus, nisi per corpus nobis assumtum, et nobiscum altum nobis apparuisset. Et adhuc, in homilia 15 in Joannem : *Si Deum nemo vidit unquam* [65], quid igitur, inquit, respondebimus grandiloquo Isaiæ, cum ait : *Vidi Deum sedentem super thronum excelsum, et in sublime elatum* [66]? et Joanni, qui ei testimonium præbet, cum ait : *Hæc dixit, quando vidit gloriam ejus* [67]? Quid Ezechieli? siquidem ipse etiam vidit eum sedentem super Cherubim [67]. Quid Danieli? cum ait : *Antiquus dierum sedebat* [68]. Quid Moysi? qui dixit : *Ostende mihi gloriam tuam, ut manifeste videam te* [69]. Jacob autem hinc nomen accepit cognominatus Israel, id est, *mens videns Deum* [70]. Quid igitur ait Joannes : *Deum nemo vidit unquam*? Liquet omnia illa ad condescensionem pertinuisse ; quia enim futurum erat ut Filius Dei in vera carne appareret, assuefaciebat eos a principio Deus in gloria Dei videnda, quantum ab eis videri poterat. Quid enim sit Deus non solum prophetæ, sed nec angeli, nec archangeli viderunt : solus Filius et Spiritus sanctus eum vident. Quomodo enim omnis natura creata videre poterit (1)

[59] Psal. xxxv, cxxxviii. [60] Exod. xxxiii, 20. [61] Matth. v, 8. [62] II Cor. v, 7. [63] Joan. i, 14. [64] ibid. 18. [65] Isa. vi, 1. [66] Joan. xii, 41. [67] Ezech. x, 1. [68] Dan. vii, 13. [69] Exod. xxxiii, 18. [70] Gen. xxxii, 28.

Scholia.

(1) Nulla natura creata videre Deum poterit, quid sit ; nec enim beati sic Deum videbunt, ut quid sit, videant. De hujusmodi visione et cognitione Dei loquuntur semper Patres, cum eam tollunt et negant.

(*a*) Cognosci non potest, quid sit scilicet : de hac enim cognitione loquitur.

(*b*) Doctus enim responso Dei, desivit desiderare videre Deum in hac vita, et incensus est inexplebili desiderio videndi in altera.

(*c*) In libello *De spirituali perfectione.*

(*d*) Certamen dicit, quo certamus cum lege carnis.

(*e*) Reverentiam enim Deo adhibet qui scit eum non posse comprehendi ; et qui magis hoc scit, majorem reverentiam adhibet.

Digitized by Google

non creatum ? Nam si potestatis incorporeæ quamvis creatæ visionem claram penitus capere non possumus, et hoc sæpenumero in angelis demonstratum est; multo magis substantiæ non creatæ, idcirco Paulus ait : *Quem nullus hominum vidit, sed neque videre potest* [71] ; et de Filio dicit, non esse aspectabilem non solum hominibus, sed et superis potestatibus [72] ; postquam enim paulo post dixit Paulus : *Manifestatus est in carne*, subjunxit, *Visus est angelis* [73] (1). Itaque tunc visus est angelis, quando carnem induit. Sed quomodo nunc dicit : *Ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis quod angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est* [74] ? Quid igitur? Faciemne habet Deus ? et in cœlis circumscriptus est ? quid ergo est quod dicitur ? Sicut cum dicit : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* [75], aspectum mentis quem habere poterimus, et notionem de Deo dicit, sic et in angelis interpretandum est propter puram ipsorum et vigilantem naturam, nihil aliud quam Deum semper cogitare. Basilius, in oratione quæ inscripta est, *Attende tibi :* Credo, inquit, inaspectabilem esse Deum cum animam tuam cogitaris, quandoquidem et ipsa ab oculis corporeis percipi non potest; quia neque colore prædita est, neque est figurata, nec ulla nota et signo corporeo comprehensa, sed potius ex actionibus solum cognoscitur. Quarene quæras, ut Deum per oculos cognoscas, sed potius menti fidem committe, et intellectilem de eo comprehensionem habe. Magnus Athanasius, in *Quæstionibus ad Antiochum*, ait : Non potest oculus qui interitum capit, contemplari substantiam ab interitu liberam. Hinc licet manifesto agnoscere, non apparere nobis angelos secundum substantiam (2), [siquidem nec in figura una super terram se ostendunt, sed potius alii formam juvenum induunt, alii in figura et specie militum apparent : et denique multæ quidem formæ, una vero est eorum substantia inaspectabilis. Et rursus idem : Induunt angeli figuras quascunque Dominus Deus jusserit, atque ita apparent iis qui digni sunt, et divina mysteria illis aperiunt. Et magnus Dionysius : Quoniam neque mens nostra potest evehi ad illam materiæ expertem imitationem, et contemplationem cœlestium hierarchiarum, nisi adminiculo corporeo sibi convenienti utatur. Chrysostomus ad Theodorum lapsum : Animam enim, inquit, solam corpore nudam nemo unquam vidit. Et adhuc idem : Atque esse quidem in corpore nostro animam scimus : quomodo vero, nescimus ; ob hanc enim causam cognitionem hujus occlusit Deus, ut abunde nos refrenaret ac reprimeret, et sistere persuaderet, et non quæ supra nos sunt, inquirere et curiosos esse. Et sanctus Gregorius Nyssenus : Quod notione comprehenditur, non ex se, sed ex operationibus cognoscitur ; anima igitur quæ ex se incognita est, ex effectibus consentanee noscitur. Ex his jam apertum fit, quod Deus nullam circumscriptionem apud creaturam habet, neque comprehensionem : quare omnibus est ex æquo inaspectabilis, et incomprehensus, nobis vero non solum ipse non est aspectabilis, sed nec angeli (3), nec animæ nostræ.

CAPUT IX.

Quod nihil eorum quæ sunt, ab oppositis nomen accipit : Deus autem cum alioqui ab oppositis nominetur, tamen secundum existentiam suam omnino caret nomine.

Magnus Dionysius, capite quinto *De divinis nominibus :* Quamobrem, inquit, omnia de ipso et simul dicuntur ; nihilque est omnium, est omnis figuræ, omnis formæ; sine forma, sine pulchritudine; principia et media, et fines rerum solute et abstracte in se ipso anticipata habens, et omnibus pure illucens largiendo ut sint; secundum causam unam, et supra quam copulatam. Quo in loco sanctus

[71] I Tim. vi, 16. [72] II Tim. i, 17. [73] I Tim. iii, 16. [74] Matth. xviii, 10. [75] Matth. v, 8.

Scholia.

(1) Etsi ante incarnationem videbatur Deus ab angelis, et apparebat eis, tamen quia cum in mundo apparuit per carnem, tunc illis ipsis angelis excellentius apparuit et visus est, idcirco Scriptura tunc dicit ὤφθη, id est, apparuit et visus est angelis, quando carnem induit, tunc enim perfectius et divinius cognoverunt illa quæ sunt Dei propria, bonitatem, justitiam, misericordiam, sapientiam, potentiam et alia.

(2) Non significat non apparere angelos per substantias corporeas, sed per figuras phantasticas cogitatione effictas, qui fuit quorumdam error, quem sanctus Thomas notavit, et Athanasius proprio opusculo confutavit, sed significat non apparere per propriam substantiam, sed per alienam alioqui veram, ut tres illi viri qui Abrahæ apparuerunt; angeli erant in specie vera corporum solidorum, non naturalium tamen, sed proprietatibus naturalibus humani corporis carentium, ut idem Athanasius in opusculo quod dixi, docuit.

(3) Non significat ex æquo non esse aspectabilem Deum in hac vita, ut angeli et animæ non sunt aspectabiles ; Deus enim inaspectabilis est, non solum quia est incorporeus, sed quia infinitus; visio autem circumscripto quædam est, quæ infinito repugnat ; angelus vero et anima sunt inaspectabiles, quia incorporei tantum, intelligentia tamen comprehendi possunt, quia et definiri; visio autem Dei in beato, ad quam accedit lumen divinum, non circumscribit Deum, quia per suum esse sine alio medio quo circumscribatur, unitur intellectui, et facit intellectum in actu, ut tradit sanctus Thomas.

Quid tandem Deus sit. Quid sit Deus nullo modo ab ulla creatura comprehendi potest; quod autem sit ratione naturali comprehendi potest ex creaturis, quæ comprehensio αἰσθητή dicitur et est, id est, sensilis, fide vero excellentius et plenius comprehenditur quod sit, quæ comprehensio a beato Basilio νοητή vocatur, id est intellectilis.

Digitized by Google

Maximus, secundum notionem causæ omnia de Deo prædicari ait, id est, omnia in ipso intelligi : κατηγορεῖσθαι enim, id est, prædicari, hoc, inquit, secundum philosophos declarat, ipse autem nihil est eorum quorum causa est ; quia est supra esse, quare negationes quidem hoc declarant, ut non habens formam, sive sine forma, sine pulchritudine, et similia, illud vero esse omnis figuræ et omnis speciei, declarat ipsum esse causam omnis speciei, et omnis figuræ, similiter reliqua ejusmodi intelligenda sunt. Idem sanctus Maximus in eodem loco, contra illud esse omnis figuræ, opposuit esse sine forma, quia supra incorporeum, et supra vacationem materiæ : non formatus ad quidquam eorum quæ sunt, contra illud vero esse omnis speciei, opposuit esse sine pulchritudine ; sine pulchritudine dicit, quia ab ipso facta est pulchritudo ; ipse vero est supra pulchritudinem ; auctoritates vero Scripturæ sunt : *Vidimus eum, et non habebat speciem* (1), *neque pulchritudinem* [76]. Idem in centuria II *De charitate*, capite 29 : Sicut, inquit, malum privatio boni est, et ignorantia privatio cognitionis, sic quod non est privatio ejus quod est ; non autem ejus quod proprie est (non enim habet contrarium), sed ejus quod est participatione ejus quod proprie est, ac privationes quidem illorum priorum liberam voluntatem eorum qui facti sunt, sequuntur ; privatio vero hujus secundi in voluntate ejus qui fecit, est ; qui semper propter bonitatem suam vult esse ea quæ sunt, et ab ipso semper juvari. Et rursus Dionysius in eisdem : Omnium igitur principium, et finis, qui est ante omnia, principium quidem ut causa ; finis vero ut cujus causa ; et finis omnium, atque infinitas omnis infinitatis et terminationis excellenter sicut oppositorum (2). Et idem, in secundo capite, de eisdem divinis nominibus : Copulatum quidem et commune in Trinitate uno omnium principio, et substantia supra substantiam, divinitas supra divinitatem ; bonitas supra bonitatem (*a*), idem supra omnia, eadem in tota proprietate (3) quæ supra omnia est : unitas (4) supra unitatem principialem ; ineffabilis (5), multarum vocum ; ignoratio (6) ex omni intellectilis (7) ; omnium positio (8), omnium ablatio. Et rursus idem, capite 7, de eisdem divinis nominibus : Quocirca Deus in omnibus cognoscitur, et separatim ab omnibus ; et per cognitionem Deus cognoscitur, ac per ignorationem ; et est de eo cognitio, ratio, et scientia, et tactus, et sensus, et opinio, et cogitatio, et nomen, et alia omnia ; et neque intelligitur, neque dicitur, neque nominatur, nec est aliquid eorum quæ sunt, nec in aliquo eorum quæ sunt, cognoscitur ; et in omnibus omnia est, et nihil in ullo ; et ex omnibus ab omnibus cognoscitur, et a nullo ex ulla re. Et iterum, in capite primo : Sic igitur, inquit, causæ omnium, et quæ supra omnia est, conveniet non nominari, et omnium rerum nominibus nominari. Ex his efficitur manifestum, quod nihil eorum quæ sunt, ipsum idem dicitur substantia, et supra substantiam : similiter in aliis, neque vita, et supra vitam ; neque intellectus, et non intelligentia ; neque ratio, et rationis vacatio, nec idipsum participatum, et non participatum ; neque nominatum, et carens nomine, et alia ex iis quæ primo sunt (9), ne singula enumerem : cognitio et ignoratio ; lumen, et tenebræ ;

[76] Isa. LIII, 2.

Scholia.

(1) Hoc de Christo secundum humanitatem a Propheta dictum est, quod magis adhuc declarat quod sequitur : Sed potius species ejus inhonorata, et deficiens plus quam in omnibus filiis hominum : sic enim est apud LXX. Deficientem dixit propter mutationem coloris naturalis in pallorem ex recessu caloris, ad intima sanguine se contrahente, et superficie refrigerata, ut Leontius Byzantius notavit scribens contra Ἀφθαρτοδοκήτας, qui carnem Christi corruptibilem fuisse negabant, ac proinde non fuisse in eo passiones naturales tradebant. Sed nihil prohibet, quia de Christo quoque secundum divinitatem intelligatur esse sine specie et pulchritudine, qui erat creator pulchritudinis, ac proinde non pulcher, quia supraquam pulcher, quod est esse sine specie.

(2) *Oppositorum.* Ab ipsius infinitate proficiscitur omnis infinitas, et terminatio tanquam a causa exsuperante, et superlata, et effectrice oppositorum, quia in se habet omnia unde omnia quæ de Deo prædicantur, possunt de eodem negari, quia non conveniunt ei, ut inveniuntur in rebus creatis, et ut intelliguntur a nobis, et significantur ; unde licet sit principium et finis, sicut dictum est, tamen neque habet principium, neque finem, neque medium, sicut in creaturis intelligimus, et licet sit præsens omnibus, et ubique, nusquam tamen est, nec in ullo est sicut creatura, ex S. Thom.

(3) *In tota proprietate.* Proprietatem Dei dicit, ut bonitatem, et sapientiam, et similia supra bonitatem creatam, et sapientiam, etc.

(4) *Unitas.* Quia unum habet rationem principii, et non divisi, ac simplicis, significat Dionysius individuum ac simplex divinæ naturæ, supra omnem unitatem ac simplicitatem et esse principium supra principium.

(5) *Ineffabilis.* Quia non nominatur a substantia sua multarum vocum, quia a providentiis, et variis beneficiis varie nominatur, ut bonus, justus, etc.

(6) *Ignoratio.* Quia quid est, a nullo intelligitur.

(7) *Ex omni intellectilis.* Quia quod est, ex omnibus creaturis licet intelligere ex omni intellectilis, Græce est, παννόητον, pro quo interpres Dionysii, quem S. Thomas habuit, et secutus est, male legit πανανόητον.

(8) *Positio.* Omnium positio, et ablatio, quia ipse omnia in rerum natura facit, et aufert.

(9) *Quæ primo sunt.* Id est, quæ sunt principia aliorum, ut participationes simpliciter sunt principia participantium, ut vita absolute considerata est principium formale viventium ; sapientia sapientium, et similiter in aliis ; et hæ participationes sunt effectus Dei, et ideo istæ participationes et quæ sunt supra ipsas, non possunt convenire creaturæ, ut sapientia, et supra sapientiam, quæ negationem

(*a*) Idem supra omnia eadem creata. Vide proprietates ejusdem, et diversi cap. 9 *De divin. nominibus.*

Digitized by Google

et ens (*a*), et creatum ; hæc enim omnia contraria sunt, et secundum naturam suam mutuo a se ipsis intereunt. Solus Deus qui non patitur contrarium, omnia contraria secundum unam supra substantiam copulationem recipit ; et omnia de eo dicuntur, et nihil est eorum, alia quidem est ipse secundum causam, alia vero non est secundum exsistentiam ; infinitis enim mensuris, et quæ conferri non possunt, abest ab effectis, qui est omnium, et supra omnia auctor.

CAPUT X.

Quod nihil eorum quæ sunt, est non creatum et infectum : solus vero Deus est non creatus et infectus ; omniq autem post naturam divinam sunt facta, id est, creata.

Magnus Dionysius, capite 9 *De divinis nominibus*, disserens quibus modis propriis conveniat Deo, ut dicatur idem ipse, ait : Idem ipsum supra substantiam æternum, et post multas proprietates de eodem subjungit : Tanquam non permistum, expers materiæ, simplicissimum, non indigens, non augescens, quod non potest minui, ingenitum, non tanquam nondum factum, aut imperfectum, aut ab hoc, aut hoc non factum, neque tanquam nullo modo exsistens : sed tanquam supra omne ingenitum, et absolute ingenitum, et semper exsistens, et per se perfectum. Quo in loco ait sanctus Maximus : Notandum est quot modis accipitur significatio ingeniti, id est, non facti, aut quod nondum est generatum, sed generandum, ut Sara dixit : *Nondum mihi natus est* [77], usque nunc aut quod est imperfectum, ut turris in Chalane ; aut ab hoc non factum, ut Paulus Apostolus *non ab hominibus* [78] ; aut non hoc factum, ut justus non unus ex duodecim ; aut quod penitus nullo modo est, ut quæcunque fingunt gentiles, Scyllam, Chimæram, et similia. Speciatim igitur et absolute ingenitum in Deo dicitur. Et adhuc idem paulo post : Sciebat, inquit, dogma quorumdam gentilium, qui aiebant, omnia intellectilia, et immortalia, et vi intelligendi prædita, genita esse, et ingenita ; genita quidem tanquam Deo effectore per se exsistentia secundum emanationem splendoris editi ; ingenita vero, quatenus non tempore, sed æterne, id est, in ævo prodierunt, siquidem supra diximus, ea quæ sub sensum cadunt, habere tempus ; ea vero quæ sub intelligentiam, habere ævum, unde et æterna dicuntur ; ut igitur ex emanatione splendentia, ingenita ea vocabant ; rursus sciebat alios qui hunc mundum qui cernitur, genitum et ingenitum esse dicerent : genitum quidem, quatenus hoc universum vel ex uno in multa procedit ; id est, in generationes animantium, et stirpium, et aliorum secundum varias eorum species et formas ; vel ex multis in unum, quando scilicet, ut interitum capiat, in elementa redit, rursus vero ingenitum vocabant eumdem mundum, id est, perpetuum, quatenus, ut ipsi opinantur, motus ad generationem, et reditus ad corruptionem nunquam desinit. Ait igitur Dionysius, quomodocunque dicatur ingenitum, sive ut dixi, sive ut gentiles dicunt, re sic in Deo accipias : alia enim dicuntur ingenita αἰτιατῶς, id est, ut causam habentia ; Deus autem ut causam non habens, et absolute ; quam enim causam habere potest, qui omnibus, ut semel dicam, antecellit? Idem quoque observans beatus Anastasius in iis quæ contra Monophysitas edidit : Ingenitum, inquit, id est, non creatum, solus Deus est. Deinceps dubitans, quomodo Dionysio summo theologo in mentem venisset, ut Deum diceret supra omne ingenitum, multa ingenita significavit, id est, non creata : Atqui, inquit, quomodo hoc fieri potest? nemo namque ingenitus, nisi solus Deus. Post quæ rursus confutans opinionem Manichæorum, Dionysium Alexandrinum citat verbi hujus interpretem, cum ait : Solet externa philosophia vocare ingenitum omnem naturam inaspectabilem ; quibus sic vocatis, Deum dixit theologus Dionysius antecellere. Imo etiam Gregorius Nyssenus : Nihil, inquit, est non creatum præter divinam naturam. Et rursus : Sola divina natura creaturam superat. Et adhuc : Bipartita, inquit, contemplatione rerum in creaturam, et non creaturam, naturæ non creatæ sanctam Trinitatem esse definimus : creatæ vero cætera omnia, quæcunque post illam dicuntur, et sunt, et nominantur. Et Joannes Damascenus : Omne, inquit, quod est, aut est creatum, aut non creatum ; si creatum, ab alio prorsus creatum est, sin autem non creatum, hoc sane sit, quod creaturas creavit. Et rursus idem : Differentis naturæ ait esse ἀγένητον, et γενητόν uno scriptum, quod quidem declarat creatum, et non creatum, est igitur natura divina ingenita, id est, non creata. Et S. Epiphanius : Ab omni causa plane exemptum est ingenitum ; quia unum est ingenitum, et venerandum. Et rursus : Intelligi non creatum, et creatorem soli Deo convenit ; et fieri non potest, ut ad communionem hujusmodi rei plures adducantur ; et adhuc idem, Unum, inquit, est quod facit, in una substantia Trinitatis perfectæ ; cætera omnia facta, et creata. Propterea enim ipsi non veneramur omne quod infra Dei substantiam est, quia soli Deo convenit venerationem et culturam adhibere. Et iterum idem in iis quæ scripsit contra hæresim Secundianorum : Reducetur, inquit, universum ad unum, quod est, quo superius nihil est ; nec inferius, nec infimum, nisi quæ ab ipso creata sunt, eritque hoc manifestum iis qui veritatem perdidice-

[77] Gen. xvii, 13. [78] Galat. i, 1.

Scholia.

sapientiæ creatæ continet ; sed soli Deo, qui est sapientia creata secundum causam (*b*) ; et supra sapientiam est secundum exsistentiam.

(*a*) Ens vocat quod est suum esse, qui est solus Deus creator omnium.
(*b*) Id est, est sapientia creata, ut auctor ejus : sicut est omnia, ut effector omnium.

Digitized by Google

runt, quod unus Deus est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus ; si autem unus Deus est, ex quo omnia, nec estin eo sinistrum, nec aliud imminutum, neque quidquam gradus inferioris, præterquam quæ ab ipso creata sunt : quæ autem sunt post Patrem et Filium et Spiritum sanctum, cuncta sunt pulchre creata, et large ab ipso sunt post bene profecta et constituta. Rursus idem contra hæresim Marcosiorum : Nos enim, inquit, credimus penitus, sicut veritas ostendit, et probabilis ratio suggerit, ac cum regula pietatis consonat, et cum lege et prophetis, et cum ipsis ab origine patriarchis ordine consecutis, et cum ipsa Salvatoris doctrina, et apostolorum qui nos aperte docent confiteri unum Patrem universorum dominatum tenentem, et Dominum Jesum Christum, et ejus sanctum Spiritum, unam sanctam Trinitatem non creatam, omnibus ex nihilo post Patrem et Filium et Spiritum sanctum factis. Quare in iis quæ clare confessi sunt, et crediderunt omnes sancti jam dicti, et prophetæ, et evangelistæ, atque apostoli, non poterit unquam ulla fallax cogitatio contra radium veritatis resistere ac repugnare. Et sanctus ac divinus Germanus in expositione fidei ait : Sed veneratio nostra et cultus solam non creatam, et in infinitum potentem supra quam principialem ; et supra quam bonam, vitæ principem, et supra substantiam sanctam Trinitatem, unam divinitatem et potestatem corde non dubitante et ore confitetur ; huic enim soli cultum tribuere oportet. Et sanctus Cyrillus : Sive quis, inquit, angelos, sive aliquid superiorum ordinum, et omnia intermedia prætergressus ad ipsos Seraphinos eat, et supremas gloriæ aggrediatur, naturam non transcendet, vel enim aliquid superne, hoc est, ex Patre luminum, et idcirco Deus : vel infra aliquid intelligitur, et inferne, hoc est creatura, et ex creatura ; interjectum vero nihil funditus est. Et iterum idem : Quod enim est opinione illorum neque pure Deus, neque aperte creatura, quem locum apud ipsos recipiet in iis quæ sunt? Ego neque in sola cogitatione recipere dicerem, quamvis eligere solum possem. Et Justinus philosophus et martyr : Etenim si quid principio extra Deum erat, omnino necessarium est confiteri hoc aut Deum, aut aliam quamlibet potestatem ; at si quis Deum dicat, abrogarit divinas voces, quæ clare clamant : *Ego Deus primus, et ego post hæc, et præter me non est Deus* [79]. Sin vero non dicat Deum, dicet scilicet angelos, vel potestates, at sic etiam improbabit divinas Scripturas, quæ dicunt a Deo factas esse has : *Laudate eum, omnes angeli ejus ; laudate eum omnes potestates ejus* [80]. Ex his apertum fit, quod inter naturam Dei in tribus personis, et ab eo creata nihil aliud quidquam penitus reperitur ; omnia autem post divinam naturam et substantiam sunt generata et creata, idcirco nihil eorum quæ sunt, est non creatum et infectum, nisi soles. Deus hæc supra substantiam Trinitas. Manifesta etiam est tibi hujus decadis expositio materiaria. Primum quidem ponit, nihil eorum quæ sunt, esse sine causa, sed solum Deum ; hic igitur qui causam non habet, causa omnium est, qui ex nihilo creaturam producit ; idcirco nihil eorum quæ sunt, est coæternum auctori, quin potius vel ex principio temporis, vel non ex principio temporis, sed ex principio ævi est ; ab his enim operibus quæ sunt ex principio temporis, requiescit et Sabbatum agit Deus ; ab operibus vero quæ ex principio ævi sunt, non requiescit, et Sabbatum agit ; et quod Deus individue ex se ipso egrediens, una potestate omnia producit, in nullo quopiam propter hæc divisus, neque quia producendo omnia, omnia fit, idcirco aliquid eorum quæ ab ipso fiunt aut aguntur, est non creatum : neque possunt aliqua duo, aut multitudo post duo, aut aliud quid secundum superius et inferius progrediens esse infinitum, et sine principio : sed unum solum, hoc est Deus, incomprehensus est, et inaspectabilis, et a contrariis solus ipse nominatur ; sed secundum essentiam suam prorsus caret nomine, quia solus est non creatus et ingenitus ; omnia autem post naturam divinam sunt creata, quia inter ipsum Deum, et creaturas neque quidquam est, neque cogitatur tanquam essentia quæpiam. Diligenter igitur materia hujus decadis a theologis exposita, cum alioqui ipsius Dei infinitatem cognoscere non possimus (1).

[79] Isa. XLIV, 6. [80] Psal. CXLVIII, 2.

Scholia.

(1) Ad ea quæ in hoc extremo capite ex variis Patribus de ingenito notata sunt, adjungi potest quod sanctus Chrysostomus scripsit, disserens de ingenito contra hæreticos in homilia in illud : In principio erat Verbum (Joan. I, 1), et : Spiritus scrutatur profunda Dei (I Cor. II, 10) : Ne existimes, inquit, hæretice, magnum quid te tribuere Patri, cum dicis esse ingenitum ; quia multa alia quæ non sunt generata, dicuntur ingenita ; dicitur Adam ingenitus, quia non fuit genitus, sed formatus ; dicitur etiam homo ingenitus, non generatus, neque formatus, ut cum Dominus dixit de Juda : Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille (*Matth.* XXVI, 24). Et quomodo illi melius erat, si natus non fuisset? ei enim qui non est, nihil conducit, neque nocet. Et Salomon beatum prædicat eum qui non est genitus, sic enim ait : Beatus qui mortuus est, magis quam vivens, et supra duos qui non est genitus (*Eccle.* IV, 2) : Et si non est genitus, quomodo est beatus? Vide nomina naturæ ingenitæ. Dixit hominem neque genitum, neque formatum beatum ; quamobrem appellatio ingeniti non interpretatur naturam divinam, nec, ut tu ais, substantiam significat ; nec honorem affert Patri. Hactenus Chrysostomus.

Digitized by Google

DECAS NONA. — *DE INFINITATE IN DEO.*

CAPUT I.

Quod in Deo, qui est supra substantiam, non est quidquam aliud non creatum præter Patrem, Filium, et Spiritum sanctum unius et solius naturæ non creatæ, nec aliud quidquam ante sæcula præter has tres personas divinas.

Magnus Dionysius, capite primo *Mysticæ theologiæ* : Trinitas supra substantiam, et supra divinum, et supra bonum, pietatis Christianorum erga Deum præses et custos, dirige nos ad mysticorum sermonum Dei supraquam ignotum (1), et supraquam lucens (2), atque summum fastigium ; ubi simplicia, et absoluta (3), et immutabilia theologiæ mysteria aperiuntur in caligine supraquam lucente silentii arcanæ doctrinæ. Tu, quæ in obscuritate tenebricosissima supraquam clarissime supraquam splendes, et in illis splendoribus supraquam pulchris, et tactum, et aspectum (*a*) ex toto fugientibus mentes (4) oculis captas supraquam imples. Mihi igitur hæc optentur, tu vero, chare Timothee, in vehementi mysticarum contemplationum exercitatione et sensus, et usus mentis relinque, et omnia quæ sub sensum et intelligentiam cadunt, et universa quæ sunt, et non sunt (5) : et ad copulationem, quantum consequi potes, cum eo qui supra omnem substantiam et cognitionem est, ignote (6) contende : et extra te positus pure, et ab omnibus solutus et liber ad radium divinum divinæ obscuritatis, omnibus ablatis, et ab omnibus expeditus adduceris. Vide autem, ut nemo hæc audiat ex ils qui non sunt instructi ; hos dico, qui rebus terrenis adhærescunt, et nihil supra ea quæ sunt, et supra substantiam esse cogitant, quin potius arbitrantur sua cognitione nosse eum qui posuit tenebras latibulum suum. Si autem supra hos sunt divinorum mysteriorum cognitiones, quid dici poterit de aliis non initiatis, qui summam causam omnium ex extremis (*b*) in natura rerum designant, nihilque eam antecellere aiunt impiis imaginibus, quas ipsi fingunt? Et magnus Athanasius : Sola enim sancta Trinitas divinitatis non creata apparuit. Et beatus Basilius : Illic stetit beata, et non creata Trinitas, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Et Gregorius Nyssenus : Nihil aliud ante sæcula præter Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Et divinus Damascenus : Solus non creatus, qui in Patre, et Filio, et Spiritu sancto colitur. Ex quibus fit manifestum, quod in Deo, qui est supra substantiam, nec aliud quidquam est non creatum præter Trinitatem, nec aliud quidquam ante ævum præter Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, Trinitatem supra naturam, et in qua simplicia, et absoluta, atque immutabilia mysteria theologiæ deteguntur, et ipsi occulti sermones silentii ineffabilis ; quare si quæ est natura non creata, ea est Pater et Filius et Spiritus sanctus. Et rursus : Si quid est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, sola non creata natura est, et cum dicimus : O natura non creata, auctor omnium, vel præter divinam naturam nihil est non creatum, implicate dicimus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum ; et cum rursus dicimus : Pater omnipo-

Scholia.

(1) *Supraquam ignotum.* Quia quid sit Deus, qui est sancta Trinitas, non solum est ignotum, ut nos intelligere possumus in creaturis aliquid esse ignotum, sed est supraquam ignotum.

(2) *Supraquam lucens.* Quia cognitio est quædam lux mentis, significat Dionysius, non esse proprium Dei sic cognosci quod sit, et bonus sit, et reliqua ejusmodi Dei propria, sicut nos intelligimus, et cognoscimus in creaturis, esse, et tales esse, sed est cognitio ejus propria supra omnem cognitionem creatam a se enim solum, ut decet id est, perfecte, cognosc tur esse.

(3) *Simplicia et absoluta.* Illa dicit, quæ nude sentì sunt, sine integumentis symbolicis, et sine parabolis, ac sinè verbis, quæ explicatione indigent, intelliguntur et videntur. Deo aperiente mysteria ; quæ sic ostensa et revelata, non possunt postea sermone expromi, sicut Paulus de hujusmodi visione et revelatione mysteriorum simplici et absoluta, id est, nuda et aperta remotis symbolis, et verbis explicatione indigentibus, in raptu illo suo scripsit : Quæ non licet, inquit, homini loqui (*II Cor.* XII, 4) ; ad hoc enim videtur Dionysius retulisse quod hic dixit. In caligine supraquam lucente silentii arcanæ doctrinæ, caliginem vocavit, quæ Paulus ἄῤῥητα, id est, arcana ; hæc enim obscurissima, et quæ explicari non possunt (sicut neque videri potest caligo, neque quæ caligine obtecta sunt) vidit Paulus, et cognovit in luce clarissimæ revelationis sine ullis symbolis. Illud autem observandum est, ne quis interpretem temere reprehendat, quod vertimus : *Aperiuntur in caligine*), male legi in exemplaribus Græcis in Italia et in Gallia hactenus editis, ἐγκαλύπτεται, id est, teguntur ; melius reperi in exemplari manuscripto, quod Cyparissiota habuit, ἐκκαλύπτεται, id est, deteguntur.

(4) *Mentes* angelicas oculis captas dicit præ infinita excellentia divini splendoris ; sunt alioqui multis oculis præditæ propter multam cognitionem propriæ facultatis. Sicut enim Deus dicitur invisibilis, sic dicuntur angelicæ mentes oculis captæ.

(5) *Universa quæ sunt, et non sunt.* Id est, omnia intellectilia et sensilia ; hæc enim propter continuam mutationem dicebantur a philosophis non esse.

(6) *Ignote.* Significat non esse curiose inquirendum, quomodo fiat ista cognitio mysticæ theologiæ per copulationem cum Deo, relicta omni alia cognitione rerum ; id quod Paulus apostolus significavit, cum dixit de illa sua cum Deo copulatione, in qua mysteria illa arcana vidit : Sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit (*ibid.*). Nescio, inquit, id est, non curiose inquiro, satis mihi est vidisse et audisse arcana illa, etc.

(*a*) Tactum, et aspectum intellectiles dicit ; est enim cognitio quædam tactio et visio intellectus.

(*b*) Extrema in rebus vocat materiam inanimatam.

Digitized by Google

tens, Fili, et Spiritus sancte, explicate unam et non creatam naturam incovamus; nihil commoventes in fide, quæ tenet unitatem esse in Trinitate, et Trinitatem in unitate.

CAPUT II.

Quod in Deo, qui est supra substantiam, non est alia divinitas ejus, nisi Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, una et sola non creata natura; nec alia potestas, sive virtus, et operatio in ipso, nisi hæ tres divinæ personæ.

Dominus in Evangelio ait : *Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli* [81]. Et rursus : *Si autem in virtute Dei ejicio dæmonia* [82]. Et adhuc : *Vos autem sedete in civitate Jerusalem, donec induamini virtutem ex alto* [83]. Et divinus Apostolus : *Christus Dei sapientia, et Dei virtus* [84]. Gregorius Nyssenus : Ἡ δύναμις, id est, virtus, sive potestas, cum ad Deum refertur, singulariter effertur; cum vero ad creaturas, numero multitudinis. Gregorius Theologus : Unum tria, et tria unum, in quibus est divinitas; vel potius dicam, quæ sunt divinitas. Et rursus idem : Dei vero cum dico, dico Patris, et Filii, et Spiritus sancti; neque divinitate ultra hæc fusa, ne populum deorum introducamus, nec divinitate intra hæc terminata, ne de angustia divinitatis damnemur. Et iterum : Unius divinitatis, o boni, Trinitatem honorate. Et rursus : Satis est, eatenus cognoscere unitatem in Trinitate, et Trinitatem in unitate mirabilem in unum copulationem et distinctionem habentem. Et adhuc idem : Nobis autem unus Deus, quia et una divinitas. Et magnus Athanasius : Ter sanctus propter tres personas, semel Dominus propter unam divinitatem, satis hæc sunt fidelibus : hucusque cognitio in hominibus procedit, hucusque Cherubini alis se velant; qui autem amplius his scrutari vult, audit dicentem : *Ne sis nimium sapiens, ne obstupefias* [85]. Et magnus Basilius : Baptisma nostrum est, secundum traditionem Domini, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti [86], nulla creatura, neque servo ad ordinem Patris et Filii adjuncto, utpote divinitate in tribus completa; quod extra hæc est, id omne censervum est, quamvis magnitudine dignitatum alia aliis præstent, et antecellant. Et rursus idem : Catena quædam est sancta et veneranda Trinitas, unam et eamdem divinitatem in una et perpetua gloria ubique circumferens. Adhuc idem : Dicta sunt hæc, et bene erit, ut est iis qui sine curiositate credunt in Deum Verbum et Spiritum, unam substantiam et divinitatem: quæ et sola est veneranda; et nullo modo subrepat multitudo. Et disputatione contra Phædonem philosophum, quæ est in prima synodo : Fides, inquit, catholica unam solam divinitatem novit, et hanc colit, Patris, Filii, et Spiritus sancti, præter hanc non reputabitur altera. Editio sanctæ et œcumenicæ tertiæ synodi : Si quis non confitetur in sancta Trinitate unam divinitatem, et unum regnum, et unum dominatum, anathema. Confessio sanctæ et œcumenicæ sextæ synodi : Nos neque tres deos scimus, neque totos multos deos, vel naturas, vel substantias, vel divinitates novimus, aut cognoscimus; aut qui cognoscerent, novimus : imo eum qui habet, vel sentit, vel cognoscit, anathematismis subjicimus. Gregorius Nyssenus in libro inscripto, *Quæ sit Christiani professio* : Qui enim, inquit, eos condemnat qui dicunt unam divinitatem, necessario vel multas dicenti, vel nullam, assentitur; non enim quidquam aliud præter hæc dicta cogitari potest, quin imo neque doctrina Scripturæ multas dicit, quæ alicubi meminit singulariter divinitatis, ut cum ait : *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* [87]. Si igitur extendere numerum divinitatum in multitudinem, eorum tantum est qui ex errore multos deos ponendi ægrotant, negare autem in universum divinitatem, eorum fuerit qui Deum tollunt, quæ ratio est accusandi nos qui unam divinitatem confitemur? Et S. Sophronius Hierosolymitanus : Sicut, inquit, didicimus, unum Deum esse, sic unam divinitatem confitendam esse accepimus. Et Gregorius Theologus, in oratione de constituendis episcopis : Si consequi possem, ut hic perfectam universorum scientiam haberem, quid mihi reliquum esset? quid sperarem? Regnum cœlorum plane, dicturus es. Arbitror autem nihil aliud esse hoc, quam adipisci quod purissimum et perfectissimum est, perfectius autem ex omnibus quæ sunt, cognitio Dei est, sed hanc quidem partim teneamus, partim vero pergamus, ut comprehendamus, quandiu super terram sumus; partim in futurum reservemus, ut illinc hunc fructum laboris habeamus, splendorem scilicet totius sanctæ Trinitatis, quicunque est, et qualis, ac quantus, si fas est dicere. Adhuc idem in eadem oratione : Satis habeo audire, quod Filius, et quod ex Patre, et quod hic quidem est Pater, hic vero Filius, et nihil præter hoc curiose inquiro; ne mihi eveniat quod vocibus, quæ nimium elatæ, prorsus decidunt; aut aspectui intento in radium solis; quo enim plus, et acutius videre quis cupit, eo magis sensus ejus hebetur. Ex his patefit, quod in Deo, qui supra substantiam est, non est alia divinitas ejus, nisi Pater, Filius, et Spiritus sanctus, imo ipsa tria sunt divinitas; et nec ultra ista, hæc; nec his tribus aliquid deficit, quippe cum divinitas in his tribus completa sit, quod autem extra hæc est, neque Pater est, neque Filius, neque Spiritus sanctus, sed conservum nobiscum est universum. Tota enim natura non creata in his tribus cernitur, et completa est, et sicut una est non creata natura Trinitatis, sic etiam una est ipsius divinitas, et potestas, et operatio, et sicut non est alia divina natura præter Trinitatem supraquam divinam, sic non est alia præter ipsam divinitas, vel potestas, sive virtus, et operatio : sed

[81] Matth. xxvi, 64. [82] Matth. xii, 28. [83] Luc. xxiv, 49. [84] I Cor. i, 24. [85] Eccle. vii, 17. [86] Matth. xxviii, 19. [87] Coloss. ii, 9.

Digitized by Google

quod est natura, hoc Trinitas; quod divinitas, hoc potestas, et operatio; quare quod potestas et operatio, hoc natura supra substantiam: et quia natura, et substantia, et potestas, et operatio idem, idcirco unus nobis Deus ipsa unitas trium personarum. Simul tamen et hoc patefit, omnem theologiam in tribus divinis personis conclusam esse: qui autem plura his curiose indagare vult, ab ea quæ vere veritas est, excidit.

CAPUT III.

Quod in Deo qui est supra substantiam, non est alia unitas, et alia Trinitas: nec est in superna Trinitate quidquam inæquale, et majus, ac minus: nec aliud quid in ea privans, secundum se substantiæ expers, et non per se exsistens.

Magnus Athanasius, in expositione fidei in prima synodo ait: Principio hæc est fides orthodoxa, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur; neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Et paulo post: Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus; et non tres increati, sed unus increatus: omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus; et non tres omnipotentes. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus; et non tres æterni. Et non multo post: Et in hac Trinitate nullus primus, et nullus ultimus; nemo magnus, et nemo parvus, sed hæ tres personæ æternæ sunt, et æquales in omnibus. Unitatem igitur in Trinitate, et Trinitatem in unitate omnis Christianus colat. Et sanctus Maximus, in explanatione subtili precationis, *Pater noster*: Non, inquit, aliam unitatem, et aliam Trinitatem esse didicimus (non enim unitas, quæ simplex et una natura est, dissimilitudine naturæ a Trinitate differt), nec aliam juxta aliam (non enim remissione potestatis discreta est ab unitate Trinitas, vel a Trinitate unitas), neque sicut aliquid commune et generale, quod cogitatione solum spectari potest, a partibus suis variatur, sic a Trinitate variata est unitas, quæ est substantia proprie per se exsistens, et potestas vere per se valens; nec tanquam alia ex alia (non enim Trinitas ex unitate exsistit, nec unitas ex Trinitate secundum productionem, vel antegressionem), sed eamdem vere unitatem, et Trinitatem dici dicimus: unitatem quidem ratione substantiæ, Trinitatem vero modo exsistendi; totam unitatem eamdem ipsam non divisam personis; et totam Trinitatem eamdem ipsam non confusam unitate: ne divisio multitudinem deorum introducat, neque confusio Dei negationem. Gregorius Theologus in tertia oratione de pace: Non unum pietatis terminum existimemus, venerari Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unam in tribus personis divinitatem, et potestatem, nihil supra, nec infra colentes; illud enim fieri non potest, hoc autem impium est. Et adhuc idem: Ubi enim est unumquodque incomprehensum, et majus, quam ut cogitari queat, quomodo hic quod excellat, vel intelligitur, vel traditur; quomodo vero quod infinitum est, metiri possumus: ut quod est eorum quæ terminantur, veniat divinitati, quam gradibus superioribus et inferioribus metiamur? Et rursus idem: Non est Trinitas adnumeratio inæqualium, alioqui quid prohibet quin sit hæc decas, et hecatontas, et myrias? Et rursus: Unam divinitatem, et potestatem, quæ in tribus reperitur, et tria complectitur discrete, neque differens substantiis, sive naturis, nec aucta exsuperantiis, et remissionibus, undique æqualis, undique eadem. Et iterum idem in prima oratione de pace: Unitas, inquit, quæ in Trinitate colitur, et Trinitas quæ in unitatem redigitur, ejusdem throni, ejusdem gloriæ, non creata, inaspectabilis, non cadens sub tactum, incomprehensa, quæ sola cognoscit quem apud se ordinem habeat, quæ omnem creaturam extra sinit partim primo, partim secundo velo diremptam: primo quidem creaturam cœlestem et angelicam a divinitate diremptam, secundo vero nostram a creatura angelica. Sanctus Gregorius Nyssenus, libro primo *Contra Eunomium*: Quod autem, inquit, non congruit cum dogmate ab ipsis fabricato, opinari simplicem esse substantiam, quæ supra omnia est, quamvis id verbo gratis largiantur, manifestum fit etiam parum advertenti. Quis enim ignorat quod secundum propriam rationem simplicitas in sancta Trinitate plus et minus non recipit? Et adhuc Gregorius Theologus in oratione de baptismate: Volo Patrem majorem dicere; ex quo provenit, ut qui sunt æquales, æquales sint, et exsistant; hoc enim ab omnibus concessum est; et metuo ne principium faciam principium minorum; et contumelia afficiam præferendo; non enim ei, ex quo, gloria est submissio eorum qui ex ipso. Et rursus Gregorius Nyssenus, in libro *De Abraham*: In utroque igitur verum dicit Scriptura, quæ æquale confitetur, et majus non negat. Cum enim Scriptura ad humanitatem respicit, majus confitetur quod non videtur, quam id quod per carnem videtur; quando vero mentem deducit ad divinitatem, vacat hæc comparatio majoris et minoris, et vice horum unitas prædicatur: *Ego et Pater unum sumus* [88]; quæ enim variata sunt secundum inæqualitatem, unum esse non possunt. Et magnus Athanasius, in libro *De incarnatione Christi*: Ubi, inquit, dignitas est ejusdem honoris, ejusdem quoque honoris est veneratio; in dignitate æquali non est pugna, inæquale suscitat pugnam; æqualitas honorat pacem. Et idem rursus: *Contra Apollinarium*: Si natura non est Pater major Filio, neque magnitudine (magnitudinis enim expers est), neque tempore, quia sine tempore est, neque qualitate, quia qualitate caret: nulla igitur alia re majorem se Patrem dicit, nisi quatenus Filius, et Patrem suum honorans. Et magnus Basilius, libro quarto suarum *Con-*

[88] Joan. x, 30.

Digitized by Google

fatationum : Majus, inquit, vel magnitudine, vel crassitudine, vel tempore, vel dignitate, aut tanquam causa, majus est; at magnitudine non est major Pater Filio; expers enim est magnitudinis, neque crassitudine, quia incorporeus; sed neque tempore, Filius enim est temporis auctor; neque dignitate, nec enim factus est Filius, qui aliquando non esset; nec ut auctor, quoniam æque erit et ipso, et nobis major, si ipsius et nostri auctor est. Et iterum Gregorius Theologus, libro secundo *De theologia* ait : Sed si Deus est incorporeus, nec hoc demonstrat substantiam, sicut nec ingenitum, et principio carens, et immutabile, et immortale, et quæcunque de Deo, vel circa Deum dicuntur (*a*). Ex quibus efficitur manifestum, quod in Deo, qui est supra substantiam, non est alia unitas supra divinam, et alia Trinitas supra substantiam, sed eamdem vere unitatem et Trinitatem credimus : nec est in Trinitate supraquam divina quidquam inæquale, et partim ejus majus, partim vero minus, sed potius una æqualitas tribus pura, et immutabilis; nec aliquid eorum trium ulla ex parte plus colimus, et aliquid minus; nec est in eo quidquam privans, et secundum se expers substantiæ, et non per se exsistens : imperfecta enim introductio privantia contumeliosa est in id quod perfectissime exsistit; etenim non esse substantiam, et per se non existere, defectionem perfectissimæ substantiæ, et per se exsistentis demonstrat.

CAPUT IV.

Quod in Trinitate, quæ supra substantiam est, neque personale distinguitur a substantia, neque tres divinæ personæ substantia distinguuntur, nec alia quapiam oppositione distinguuntur, nisi hac sola secundum relationem.

Magnus Athanasius, in dialogo orthodoxi et Anomii, ait : Aliud est substantia, et aliud persona, aliud et aliud (1), compositio igitur. Aliud et aliud dixi, non ut rem aliam et aliam, sed ut aliud significante persona, et aliud substantia, sicut granum frumenti dicitur et est semen, et fructus : non ut res alia, et alia; sed aliud quid significat semen, aliud fructus. Et magnus Basilius, in epistola ad Terentium comitem : Si autem, inquit, oportet nos paucis dicere quod videtur, illud dicemus, quod quam rationem habet commune ad proprium, hanc habet substantia ad personam. Unusquisque enim nostrum communi ratione substantiæ participat esse; et proprietatibus quæ circa se sunt, est ille, aut ille, ad eumdem modum illic, ratio quidem substantiæ communis est, ut bonitas, aut divinitas, aut si quid aliud intelligatur : persona vero in proprietate qua Pater est, aut qua Filius, cernitur. Sanctus Joannes Damascenus, cap. 53, cujus inscriptio est : *Quod omnis natura divina in una ex personis ejus unita est cum tota humana natura, et non pars cum parte :* Communia, inquit, et universa prædicantur de suis subjectis (2) particularibus : commune igitur est substantia, ut species; particulare autem hypostasis; particulare autem, non quia partem naturæ habet, partem non habet, sed particulare numero, ut individuum; numero enim, et non natura hypostases dicuntur differre; prædicatur autem substantia de hypostasi, quia in singulis quæ sunt hypostases ejusdem speciei, perfecta substantia est; quocirca neque hypostases differunt inter se substantia, sed secundum accidentia, quæ sunt proprietates designantes hypostasim, et non naturam : siquidem hypostasim definiunt substantiam cum accidente, quamobrem hypostasis habet commune cum proprio; substantia autem secundum se non exsistit, sed in hypostasibus spectatur. Idem de sancta Trinitate : Oportet, inquit, scire, quod aliud est considerari re, et aliud ratione et cogitatione. In omnibus igitur creaturis distinctio hypostaseon re consideratur, re enim Petrus a Paulo discretus consideratur, communitas vero, et copulatio, et unum, et ratione, et cogitatione spe-

Scholia.

(1) Aliud dicitur significare in divinis *substantia*, et aliud *persona*, quia licet unam et eamdem rem substantia et persona significent, aliter tamen eam significat substantia, et aliter persona; et recte dicitur Græce ἄλλο καὶ ἄλλο, id est, aliud et aliud, ubi solum est alius et alius modus significandi : sicut semen et fructus unam rem significant, granum scilicet frumenti (*b*) : aliud tamen et aliud dicuntur significare, non tanquam aliam et aliam rem, sed quia aliter significat illam unam rem semen, et aliter fructus : semen enim ita significat granum frumenti, ut intelligamus contineri in eo seminaliter aliud simile. Semen enim est, in quo est virtus seminalis ad producendum aliud simile : fructus autem non sic significat granum frumenti, sed esse fructum alterius, sive productum ab alio; sic etiam substantia et persona una res sunt, et unam rem significant : sed aliter eam significat persona, scilicet singulariter, substantia vero communiter : quam enim rationem habet commune ad proprium, ait Basilius, hanc habet substantia ad personam. Hic igitur modus diversus significandi unam alioqui et eamdem rem, vocatur ab Athanasio aliud et aliud; non quia alia et alia res sit, sed quia una et eadem res alio et alio modo significatur; possunt enim esse unius rei plura nomina, ut unum nomen plurium rerum.

(2) *Communia et universa prædicantur de suis subjectis.* Commune igitur est substantia, ut species. Non hoc dicit Damascenus de substantia in divinis personis, quod secundum rem communis sit, sicut in creaturis species quæ dividitur per proprietates characteristicas, quas vocant individuales, ita ut, sicut paulo post hic dicit idem Damascenus, Petrus a Paulo re distinguatur, quia non est Petrus in Paulo; Petrus enim et Paulus unum sunt non re, sed ratione, et intelligentia. Contra vero in divinis personis non secundum rem, sed secundum modum significandi invenitur aliqua similitudo communis et particularis cum creaturis. Observavit hoc in Damasceno S. Thomas.

(*a*) De iis loquitur quæ similiter de Deo dicuntur, ut ingenitum, incorporeum, et similia.
(*b*) Basilius epistola prima ad Cledonium.

Digitized by Google

ctatur, intelligentia enim percipimus Petrum et Paulum ejusdem naturæ esse, et naturam unam habere communem, unusquisque enim eorum est animal rationis particeps, mortale; et unusquisque caro est animata anima ratione prædita, et intelligente. Hæc igitur communis natura ratione consideratur, nec enim personæ aliæ in aliis inter se sunt, sed potius unaquæque, sigillatim et in parte, id est, per se separata est, plurima habens quæ ipsam ab altera distinguant, siquidem et loco distant, et tempore differunt, et voluntate dividuntur, et viribus, et forma, id est, figura, et habitu, et mistione, ac dignitate, et studio, omnibusque proprietatibus designantibus, plus vero cæteris omnibus eo quod non sunt aliæ in alils mutuo, sed potius separatæ sunt, unde et duo et tres homines dicuntur, et multi; hoc autem in omni natura licet considerare. Contra vero in sancta, et supra substantiam, ac ultra omnia, et incomprehensa Trinitate, illic enim contemplamur commune, et unum re propter coæternum, et quia id ipsum sunt substantia, operatione, voluntate, et voluntatis conspiratione, potestate, virtute et bonitate. Non dixi simile, sed id ipsum, et propter unum impetum motus; una enim substantia, una bonitas; una virtus, una voluntas, una actio, una et eadem potestas, non tres sibi inter se similes, sed una et eadem trium personarum motio, unum enim unaquæque earum habet erga aliam, non minus quam erga se ipsam, id est, in omnibus unum sunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, præter ingenitum (1), et nativitatem, et processionem; unum, inquam, habet, sed cogitatione distinctum (2). Magnus Basilius in sermone de fide: Filium dixi et Patrem, serva mihi has proprietates; permanens igitur Filius in eo quod est Filius, omnia est, quæcunque Pater est, sicut ipse Dominus dixit: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*[89]. Et Gregorius Nyssenus: Confitentes, inquit (3), eamdem naturam sine ulla variatione, differentiam causæ, et ex causa proficiscentis non negamus, in quo solo alterum ab altero discerni comprehendimus. Et divinus Anastasius, in libro *De veritate rectorum dogmatum:* Reciprocantur, inquit, hujusmodi appellationes, Deus, Dominus, et Spiritus propter incorporeum et sanctum, quia unicuique personæ conveniunt hujusmodi nominationes, reservato Patri hoc solo, scilicet Patrem esse, quia solus est Pater tanquam causa; et reservato ipsi Filio hoc tantum, scilicet Filium esse, quia solus genitus est; reservato item Paracleto, esse scilicet Spiritum sanctum. Divinus Dionysius, cap. secundo *De divinis nominibus*, ait: Copulata in unum in tota divinitate, ut in theologicis informationibus prolixe ex Scripturis sanctis demonstravimus, sunt supraquam bonus, supraquam Deus, supraquam substantia, supraquam vivens, supraquam sapiens,

[89] Joan. xvi, 15.

Scholia.

(1) *Præter ingenitum, et nativitatem, et processionem.* Non hoc dicit Damascenus, quasi innascibilitas, quæ dicitur ἀγεννησία, constituat et distinguat personam Patris; hoc enim fieri non potest, cum ingenitum nihil ponat, sed neganter accipiatur, nec ingenitum accipit pro eo quod est increatum (sic enim secundum substantiam dicitur, et ad substantiam pertinet), sed sic accipit Damascenus hic ingenitum, ut significet id quod non est genitum, ut ad relationem pertineat, quatenus relatio geniti, quæ convenit Filio, negatur Patri; ut sic Pater ingenitus distinguatur a Filio non secundum substantiam, sed secundum relationem. Observavit hoc et explicavit in Damasceno idem S. Thom. 1 p. q. 33, art. 4, ad. 5 Item nativitas, quæ est actus notionalis, ad relationem pertinet, quatenus significatur, sicut ait idem S. Thom., ut via ad personam Filii proprietate personali, id est filiatione constituiam.

(2) *Sed cogitatione distinctum.* Scilicet a persona. Ne quis aliter accipiat quod hic dicit Damascenus, hoc ipsum dicit S. Thom. 1 p. q. 39, art. 1: Relatio enim, inquit, ad essentiam comparata non differt re, sed ratione tantum, quatenus scilicet essentia quantum ad modum significandi, ut ait idem S. Thom., significatur ut forma trium personarum, et persona, ut particulare; comparata autem ad oppositam relationem, habet virtute oppositionis realem distinctionem, et sic, inquit, remanet una essentia, et tres personæ. Itaque distinctio rationis sufficit ut multiplicari possint personæ, quæ sunt alioqui una essentia, et non multiplicetur essentia. Sic etiam Damascenus in hoc loco distinctionem cogitationis, sive rationis posuit inter essentiam divinam et personas, relicta distinctione realis inter relationes personales, quas nominaverat.

(3) *Confitentes eamdem naturam sine ulla variatione, differentiam causæ et ex causa proficiscentis non negamus.* Causam dicit, quæ univoce dicitur; non enim in divinis perfectius est *esse* causam, quam esse ex causa, sicut in creaturis, in quibus homonymum est, id est æquivocum, habere causam, quod convenit effectui; et esse causam, quod convenit efficienti tanquam perfectiori. In divinis causa est Pater Filii, sed non causa effectrix, quæ a sanctis Patribus dicitur γενεσιουργὸς, sed causa solum quæ dicitur αἴτιος, aut ἀρχὴ, aut αἴτιος ἀρχικός. Dictum est de his decad. 7, cap. 6. Dupliciter itaque dicitur apud Græcos αἴτιος, id est, qui est causa: αἴτιος γενεσιουργὸς, id est, causa effectrix, et αἴτιος ἀρχικὸς, id est, causa quæ principium est; sicut accipiunt doctores Græci nomen causæ in divinis, quod S. Thom. recte intellexit, et in Græcis Patribus probavit; sic enim scripsit in opusculo *Contra errores Græcorum*, cap. 1: Neque tamen intelligendum est, quod sancti, qui nomine causæ et causati utuntur in divinis personis, intendant diversitatem naturæ inducere, aut Filium esse creaturam, sed per hoc volunt ostendere solam originem personarum. Hactenus S. Thom. Quod ergo ait Gregorius Nyssenus, ex sola differentia causæ et causati in divinis exsistere distinctionem personarum, significat, quia Pater est principium Filii, per generationem scilicet, et Pater ac Filius principium Spiritus sancti per spirationem, idcirco Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum suis proprietatibus personalibus inter se realiter distingui. Et quod Anastasius Antiochenus ait, hoc solum reservari Patri, scilicet Patrem esse, quia solus Pater sit tanquam causa; perinde est ut si diceret quia solus Pater sit tanquam principium Filii. Apud Latinos vero usitatum est pro vocabulo *causæ* ut nomine principii. Rationes usus hujus verbi ideo S. Thom. attulit; legat qui desiderat.

Digitized by Google

et quæcunque sunt ablationis secundum exsuperantiam (1), cum quibus numerantur omnia quæ ad rationem causæ pertinent, bonum pulchrum existens, vivificum, sapiens, et quæcunque sunt ex donis ejus, quæ bonitatem ejus decent, a quibus omnium bonorum causa nominatur, discreta vero sunt Patris nomen (2), et res, et Filii et Spiritus sancti, nulla in his facta reciprocatione, aut prorsus communitate introducta ; est præterea discreta ac distincta, perfecta sicut in nobis (3), et immutabilis Jesu essentia, et quæcunque sunt mysteria substantialia humanitatis ejus (4). Ex his manifestum fit, quod in Trinitate, quæ est supra substantiam, per- A sona et substantia non sunt idem ratione et cogitatione ; sunt tamen re et substantia, similiter tres divinæ personæ inter se non discernuntur re et substantia, sed ratione tantum et cogitatione (5) ; essentia enim earum una est, sed non est earum inter se reciprocatio ; idcirco non potest cadere in eas alia oppositio, nisi eorum quæ sunt ad aliquid : aliæ enim oppositiones non assumuntur sine materia ; oppositiones vero in iis quæ sunt ad aliquid, quodam modo consistunt supra materiam, quia in hac oppositione non dirimitur copulatio, quia esse eorum est quodam modo se habere ad aliquid.

Scholia.

(1) *Quæcunque sunt ablationis secundum exsuperantiam.* Sunt hujusmodi nomina supra bonum, supra pulchrum, quæ tollunt in Deo bonitatem creatam, et pulchritudinem creatam, et tribuunt exsuperantem, et superlatam bonitatem, scilicet increatam, quæ vincit omnem cognitionem et intelligentiam.

(2) *Discreta sunt nomen Patris* supra substantiam et res. Nomen Patris supra substantiam dicit, quia in divinis non significat nobis nomen Patris, aut Filii, quod in creaturis intelligimus, personas scilicet re et substantia separatas. Rem vero Patris vocat non ipsam substantiam, quæ una et eadem in tribus, sed rem Patris, et rem Filii, et rem Spiritus sancti vocat proprietates, quæ in divinis personis ordinem originis sive principii inter eas designant, unde notionales proprietates, sive actus dicuntur ; quia sunt proprie notiones, sive designationes personarum ; ut proprium Patris est generare Filium ; propria est nativitas Filii ex C Patre ; et propria Spiritus sancti processio ex uno principio, Patre et Filio, hæc dicuntur Græce χρήματα γνωριστικά, id est, res sive actus notionales ; res enim quatenus pertinet ad relationem, numero plurium prædicatur in divinis ; S. Thom. 1 p. q. 39, art. 3, ad 3 : In his igitur non est reciprocatio, neque communitas, nec in ipsis nominibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nec in eorum rebus, id est, in eorum actibus, sive usibus, unde manant : nec enim nomen Patris convenit Filio ; neque Filii nomen convenit Patri ; quia neque generare Filii est, neque generari Patris, similiter in Spiritu sancto qui ab utroque procedit. Est præterea observatione dignum quod hic ait Dionysius, discreta esse in divinis nomen Patris, et χρῆμα, id est, rem ; et nomen Filii, et rem ; item nomen Spiritus sancti, et rem ; cum enim prius posuit nomen Patris, et nomen Filii, et nomen Spiritus sancti, et postea secundo loco posuit χρῆμα, id est, rem D Patris, quæ est generare, et rem Filii, quæ est generari, et rem Spiritus sancti, quæ est procedere, plane docuit id quod S. Thom. etiam tradit, prius et principalius secundum modum intelligendi distingui hypostases divinas per relationes, quam per origines, sive actus notionales, quos Dionysius significavit nomine χρήματος. Interpres vetus Dionysii, quem sanctus Thomas habuit, vertit χρῆμα usum ; S. Thom. usum mutavit in *actum* et *originem*, distinguuntur, inquam, prius, et principalius per relationes, quam per notionales origines ; quia relationes constituunt personas, cum sint ipsæ relationes personæ subsistentes : actus vero notionales, licet sint idem re cum relationibus, tamen secundum modum significandi et intelligendi non constituunt personas, cum sint origines earum, sive origo significetur active, ut generatio quæ B tanquam actus notionalis attribuitur Patri, et spiratio quæ attribuitur Patri et Filio ; sive passive, ut nativitas actus notionalis qui attribuitur Filio, et processio Spiritui sancto ; origines enim secundum rationem intelligendi extra ea sunt, quorum sunt origines : cum sit origo, sicut ait S. Thom., via quædam a re, aut ad rem, ut generatio significatur ut via quædam ad genitum procedens a generante. Itaque res Patris est generare (χρῆμα enim, ut dixi, *rem* significat), res Filii est genitum esse ; res Spiritus sancti procedere. Sic Gregorius in oratione prima de Filio : Ex non habente, inquit, causam, id est, ex Patre accedit res nativitatis, de Filio loquitur, πρᾶγμα γεννήσεως vocavit, quod Dionysius χρῆμα. Significat etiam πρᾶγμα actum a verbo πράττω, unde recte theologi Latini actum vocant, quod Græci rem, idem enim verbum πρᾶγμα utrumque significat. Hoc notavi, quia non parum refert vocabula propria alicujus scientiæ callere.

(3) *Perfecta sicut in nobis, et immutabilis Jesu essentia.* Perfectam dicit contra Apollinarium, quia habuit corpus præditum a ima rationali et intelligente, sicut nos habemus ; immutabilem contra alios hæreticos, qui dixerunt naturam humanam ab ipso principio unionis victam esse a divina, et factam incorruptibilem, quod erat negare veritatem humanæ naturæ, negando proprietatem ejus ; hic fuit Julianus Halicarnasseus.

(4) *Mysteria substantialia humanitatis ejus.* Substantialia dicit, quia sitire, esurire, defatigari, vulnerari, et reliqua ejusmodi vere passus est Christus, et non phantastice secundum hæreticos, quamvis hæ passiones naturam divinam non attigerunt, cum esset alioqui in eadem hypostasi, a qua non differebat nisi ratione tantum et cogitatione ; hujusmodi etiam sunt ambulare super undas, ingredi per januam clausam ad discipulos ; hæc enim miracula per carnem operatus est Christus sua divinitate.

(5) *Similiter tres divinæ personæ inter se non distinguuntur re, et substantia, sed ratione tantum, et cogitatione.* Quatenus scilicet tres divinæ personæ idem re et substantia sunt, sic enim non distinguuntur inter se nisi ratione tantum, et cogitatione ; idem affirmat S. Thom. 1, p. q. 39, art. 1, ad. 1, cum dicit : Relationes ipsæ non distinguuntur ad invicem secundum quod sunt idem realiter cum essentia, relationes autem idem sunt re cum personis. Quatenus vero relationes, quæ in divinis sunt per se subsistentes, oppositionem habent ad invicem, distinctæ realiter sunt, et personas realiter distinguunt, et una persona non est alia ; hoc enim est quod ait hic auctor cum doctrina S. Thomæ consentiens, sed earum scilicet personarum non est inter se reciprocatio, quatenus scilicet in eas cadit oppositio relationum.

Digitized by Google

CAPUT V.

Quod in Trinitate ingenitum neque substantia est, neque proprietas personæ Dei Patris; nec in ipsa est aliud principium fons totius divinitatis, nisi solus Pater: nec ulla alia naturalis, et propria substantiæ potestas, sive virtus, et divinitas, atque energia, sive operatio ex infinita ac divina substantia prodiens, nisi solus Filius, et Spiritus sanctus.

Magnus Basilius, in secundo *Contra Eunomium* : Interrogemus, inquit, Eunomium, quanta mensura ingenitum a genito discretum est, numquid parva quadam et tanta, ut possint aliquando in idipsum inter se cohærere? an hoc funditus fieri non potest, et multo minus, quam eumdem simul vivere, et mortuum esse, et eumdem simul in eadem parte sanum esse, et ægrotare, et vigilare simul, et dormire? Talia enim sunt, quæcumque summa oppositione sibi inter se opposita sunt, ut alterum cum adsit, necesse sit alterum abesse, quæ natura sunt omnino repugnantia, et incohærentia. Et in quarto libro contra eumdem : Ingenitum, inquit, vel substantia est, vel accidens; nihil enim aliud restat præter hæc; qui igitur in utroque absurdum demonstravit in iis quæ deinceps sequuntur, rursus in secundo dixit, prorsus reticeri in Trinitate ingenitum propter Arianorum imperitiam. Cum his consonant quæ Gregorius Nyssenus dixit. Gregorius Theologus, libro primo *De Filio* : Quomodo substantiam Dei dicis non positionem ejus quod est, sed ablationem ejus quod non est? Verbum enim declarat non esse ei generationem; non autem quod secundum naturam est, demonstrat, neque quod est, non habens generationem. Quæ igitur substantia Dei? Amentiæ tuæ est hoc dicere, qui curiose etiam inquiris generationem, nobis vero magnum est, si quando tandem et in posterum discamus dissoluta caligine et crassitudine, sicut promisit qui mentiri non potest. Hoc igitur intelligatur et speretur ab iis qui ad hoc erunt purgati : nos vero hoc parum dicere audeamus, quod si magna gloria est Patri ex nullo prodire, non minor est Filio proticisci ex tali Patre; gloriam enim ejus qui causam non habet, participaverit, quia ex non habente causam inest ei ipsa res nativitatis tanta, et tam veneranda iis qui non habent mentem magnopere humi repentem, et terrenis rebus immersam. Sed si, inquit, idem substantia est Filius cum Patre, ingenitus vero est Pater, erit igitur hoc et Filius. Recte, si ingenitum esset substantia Dei; sin autem differentia est circa substantiam, quid hoc dicis tanquam aliquid valeat? An tu etiam es Pater Patris, ne quid desit quod Pater habeat, quandoquidem idem es cum illo secundum substantiam (a)? An potius liquet, quod manente proprietate immota, quæremus substantiam Dei, quæ tandem est, si tamen quæremus, quod vero non sint idem ingenitum et Deus, sic disces. Si idem esset, oportebat, ut quia Deus aliquorum Deus est, ingenitum etiam aliquorum esset ingenitum; aut quia nullius est ingenitum, neque Deum esse aliquorum Deum: quæ enim omnino sunt eadem, eodem etiam modo efferuntur; atqui non est aliquorum ingenitum (quorum enim est?), Deus vero aliquorum Deus est, est enim omnium, quomodo igitur erit idem Deus, et ingenitum? Et rursus, Quia, inquit, ingenitum, et genitum contraria sunt inter se, ut habitus, et privationes, necesse est ut substantiæ introducantur inter se contrariæ, quod quidem non conceditur; aut quia rursus, priores sunt habitus, quam privationes, et habitus tollunt ipsæ privationes, non solum antiquiorem esse substantia Patris substantiam Filii, sed etiam a substantia Patris tolli necesse est, quantum ex iis quæ a te posita sunt, concludere licet. Et iterum idem in oratione de constitutione episcoporum : Sine principio, inquit, erat Pater, non enim aliunde habebat ut esset, nec a se ipso, Filius vero (siquidem Patrem (1) ut causam accipis) non est sine principio; principium quippe Filii Pater est ut causa; sin autem principium intelligas ex tempore, sine principio est; non enim incipit sub tempore Dominus temporum. Et adhuc in eodem libro: Observetur autem, ut mea sententia est, unus Deus, ad unam causam Filio et Spiritu sancto relatis, non compositis, vel agglutinatis, et secundum unum et eumdem, ut ita dicam, motum et voluntatem, et unam et eamdem substantiam. Et rursus in eodem : Pravorum, inquit, et indignorum esset principium Pater, si non esset causa ut divinitas esset in Filio et Spiritu sancto. Magnus Dionysius, in secundo *De divinis nominibus* : Est autem, inquit, distinctio in divinis, quæ sunt supra substantiam, non illa solum quam dixi, quod secundum ipsam copulationem personarum in unum, sine mistione et confusione unaquæque ex personis quæ sunt ἐναρχικαὶ, id est, unum et principium omnium, collocata est in alia, sed quod illa quæ sunt fecunditatis Dei, non commeant retro vicissim, solus autem fons divinitatis Pater est, ita ut Pater non sit Filius, neque Filius Pater, servatis pie in hymnis et laudibus divinis iis quæ cuique personæ divinæ proprie conveniunt. Magnus Athanasius, libro primo *contra Arianos* : Si non est Filius, inquit, quomodo igitur Deum dicitis creatorem? Si

Scholia.

(1) Si quidem *Patrem* ut causam accipis (Filii scilicet), non est sine principio (Filius scilicet), principium quippe Filii Pater est ut causa. Notatum est paulò supra a S. Thoma, nomine causæ solam originem personarum sanctos Patres significare voluisse; itaque cum ait Gregorius Nazian. : Principium quippe Filii Pater est ut causa, perinde est ut diceret: Principium Filii est Pater ut origo.

(a) Substantiam dicit, id est naturam.

Digitized by Google

enim per Verbum, et in Sapientia omnia facta sunt, et sine hoc nihil fieri potest, non habet Pater opinione vestra, in quo et per quem omnia facit. Si hæc divina substantia non est fecunda, sed sterilis opinione ipsorum, sicut lumen non illuminans, et fons siccus, quomodo non pudet vos dicere habere eum vim creandi? Et adhuc idem : Participantes, inquit, Filium, Patrem participamus, quia proprium Patris est Verbum, unde si esset ipse Pater ex participatione, et non ex ipso divinitas secundum substantiam, numquam deos faceret. Divinus Cyrillus, in *Thesauris*, cap. 35 : Ejusdem igitur naturæ cum Patre Filius ex ingenito non factus, utpote habens eamdem potestatem et virtutem ; imo potius ipse est vivens, et substantialis operatio, et virtus, et sapientia Patris. Et B rursus adhuc idem : Qui est igitur omnis operatio et virtus Patris, per quam omnia operatur, quomodo esset naturæ factæ? Et iterum, in capitibus *De Spiritu sancto* : Non est, inquit, Spiritus sanctus creatus, aut factus, sed ex substantia, quæ major est quam ut cogitari possit, et divina, utpote virtus ipsius, et naturalis energia. Et rursus in eisdem : Non enim audebo dicere, quæ non operatus est Christus per me in obedientiam gentium sermone et opere in potestate signorum et prodigiorum in virtute Spiritus sancti. Signa et prodigia operatur Christus per Paulum in virtute Spiritus sancti ; est igitur Spiritus sanctus energia (1) quædam naturalis, et vivens, et ut ita dicam, qualitas (2) divinitatis Filii Dei. Et iterum in eisdem : Sanctus enim nominatur Spiritus sanctus ; si igitur est natura sanctus, non habet foris, unde talis sit ; quinimo cum sit ipse divinæ substantiæ energia, sive actus naturalis et vivens, ac per se exsistens, apponit creaturæ perfectionem per ipsius sanctificationem, et participationem. Et adhuc : Cum igitur quod Deus promisit se facturum, cum potestate impleat Spiritus, et pastores excitet secundum promissionem in prophetis factam, sequitur non esse alienum a divina substantia, et per se exsistens ex ipsa substantia prodiens, et in ipsa manens, omnia quæ Dei sunt, operatur. Et adhuc : Oportebat eos doceri de Spiritus sancti mysterio, et intelligere esse Spiritum sanctum velut fructum (3) quemdam divinæ substantiæ, qui in ipsa exsistit, et ex ipsa inseparabiliter et impartibiliter procedit, et secundum eamdem naturam in unum copulatus est. Et adhuc in eisdem : Si a Deo Patre procedit Spiritus sanctus, estque veluti fructus quidam, vel qualitas substantiæ ipsius, Pater vero neque factus, neque creatus, quomodo esset factus Spiritus, qui ab ipso procedit? Et iterum : *Nemo potest dicere, Dominus Jesus Christus, nisi in Spiritu sancto* [**] (a). Liquet igitur, quod qui Spiritum sanctum participat, novit Dominum Jesum : qui autem non participat, ignorat. Quomodo igitur qui particeps Spiritus sancti est, novit quod Dominus Jesus? Sicut qui mel degustarunt, ex qualitate ejus cognoverunt mel esse dulce, sic qui particeps Spiritus sancti est. Igitur Spiritus sanctus qui est ex substantia Filii, qualitas, ut ita loquar, exsistit Dei universorum Domini. Si autem hoc verum est, est igitur Deus, et non aliquid factum, aut creatum, ut hæreticis videtur. Et adhuc : Non igitur C Spiritus sanctus ex participatione, nec ex compositione sanctus est, sed est substantia et natura sanctificans, et divinitatis Dei Patris, ut ita dicam, qualitas ; ut dulcedo mellis (4), vel odor ex flore. Et magnus Athanasius, in epistola ad Serapionem :

[**] I Cor. XII, 3.

Scholia.

(1) Quia in Deo *energia* propria non distinguitur, a natura, sicut in creatura distinguitur, idcirco cum Cyrillus dicit :—Spiritus sanctus est energia quædam naturalis, et vivens, et ut ita dicam, qualitas divinitatis Filii Dei,—hoc dicit : Spiritus sanctus qui est natura sive substantia, procedit ex Filio, qui est substantia, sive essentia. Ad hunc modum S. Thomas interpretatur, et docet interpretandas esse hujusmodi locutiones, in opusculo *Contra errores Græcorum*, c. 4 : Essentia est de essentia, quia Filius, qui est essentia, est de Patre, qui est eadem essentia divina.

(2) Quia *qualitas* formam significat, quæ tanquam D accidens in alio exsistit, quod ab ea quale nominatur, idcirco vocabulum correxit Cyrillus, cum dixit, Ut ita dicam : ut admoneret Spiritum sanctum non qualitatem, sed veram et perfectam substantiam esse. Cur autem qualitatem symbolice vocaverit, intelligi potest ex eo quod paulo post ait : Sicut qui mel, inquit, degustarunt, ex qualitate ejus cognoverunt mel esse dulce ; sic, inquit, qui particeps Spiritus sancti est, novit Dominum Jesum, sicut scriptum est : Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Ut igitur ex dulcedine qualitate substantiali mellis cognoscitur mel, sic qui cognovit virtutem Spiritus sancti viventem, et per se exsistentem, quæ est ipsa divina substantia, novit et Filium et Patrem, quia sunt unum. Quod autem Spiritum sanctum dicit esse naturalem energiam, sive virtutem, non dicitur naturalis a natura creata, sed a natura increata ; est enim Spiritus sanctus ex natura ipsa divina. Rursus, cum dicit esse energiam, sive virtutem viventem, et per se exsistentem, veluti qualitatem, ut ita dicam, divinitatis Filii Dei ; ita dicit, quia ut ait idem Cyrillus, lib. XIV *Thesauri*, ex divina essentia Filii (qui scilicet spirat Spiritum sanctum) tanquam virtus ejus naturaliter emanat.

(3) *Velut fructum quemdam divinæ substantiæ, qui in ipsa exsistit, et ex ipsa inseparabiliter et impartibiliter procedit.* Dicit Spiritum sanctum procedere ex substantia divina, quia Pater et Filius, a quibus procedit, sunt divina substantia, sive essentia divina. Etsi enim personis divinis attribuitur spirare, more tamen Græcorum Patrum substantia sive essentia divina pro persona dici solet, quia sunt idem re. Hoc etiam notavit S. Thomas in eodem Cyrillo, in opusculo *Contra errores Græcorum*, cap. 4 et 17.

(4) *Ut dulcedo mellis, vel odor ex flore.* His symbolis utitur Cyrillus ad demonstrandum ex substantia Patris, id est, ex Patre substantialiter procedere

(a) Dicere, *Dominus Jesus*, est nosse Dominum Jesum ; nemo enim dicit aut appellat quem non novit.

Digitized by Google

Sic, inquit, et Spiritus sanctus qui a Filio datur et mittitur, et est ipse unum, et non multa, nec ex multis unum, sed ipse solum Spiritus. Cum enim unus sit Filius, qui est Verbum vivens, oportet esse unam vitam perfectam, et implentem, sanctificantem, et illuminantem, quæ est energia ipsius et donum, quod quidem ex Patre dicitur procedere. Et adhuc : Quomodo non ultra omnem impietatem quidam procedunt, qui Spiritum sanctum inter creaturas ponunt : et non potius confitentur ex divina natura exsistere quod ex ipsa secundum substantiam procedit, et tanquam Deum in nobis habitare? Gregorius Nyssenus in *Catechetico* : Esse, inquit, Verbum Dei, et Dei Spiritum, virtutes, secundum substantiam per se exsistentes effectrices eorum quæ facta sunt, et continentes ea quæ sunt, ex divinis Scripturis demonstratur. *Verbo* enim *Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* [91]. Ex his patet, primum quidem, ingenitum in Trinitate, quæ supra substantiam est, neque substantiam esse, neque proprietatem hypostaticam Dei Patris; hypostatica enim hypostasim, sive personam exhibent, personam autem definiunt commune cum quadam proprietate : vel, substantiam cum accidente. Si autem ingenitum neque substantia est, nec accidens, nullam personam exhibet, sive ostendit, et idcirco neque proprietas hypostatica est : notio tamen est Patris non habentis causam, quod ipse solus est Pater causam non habens. Secundum est tanquam ex hoc probatum, scilicet non esse in ipsa Trinitate alium quemdam fontem divinitatis, nisi ipsum solum, qui est Pater totius divinitatis, causam non habens ; nec aliam quamdam naturalem et substantialem energiam ex divina substantia incomprehensa prodeuntem, nisi Filium supra substantiam, et Spiritum sanctum naturales et substantiales energias, sive actus Dei causam non habentis, tanquam qualitates et fructus substantiæ ipsius. Atque ad hunc modum vere constituta et declarata nobis est divina, et supra naturam beatitudo trium personarum nulla re indigens, et per se plenissima.

CAPUT VI.

Quod in Trinitate, non est alia operatio, et manus, per quam omnia Deus operatur, nisi Filius, et Spiritus sanctus; nec alia sapientia et virtus, et gloria, et imago Dei, nisi Filius et Spiritus.

Magnus Athanasius, libro quinto *Contra Arianos*: Sicut, inquit, Deus Pater creaturas Verbo creat, sic secundum naturam propriæ substantiæ habet germen Verbum, quod fabricatur et creat, et gubernat omnia; omnia enim Verbo, et Sapientia facta sunt, et ordinatione ejus manent universa. Et in epist. ad Serapionem : Paulus, inquit, scribit Tito: *Per regenerationem et renovationem Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum* [92]. Si autem Pater per Verbum in Spiritu sancto creat omnia et renovat; quæ similitudo, aut affinitas creanti cum creaturis? Consequens enim est ut hujusmodi blasphemia in Filium etiam manet, ut qui dicunt Spiritum sanctum esse creaturam, dicant similiter, Verbum, per quod omnia creantur, creaturam esse. Et rursus idem in disputatione contra Arium : Fac velis recolligere conquisitionem de Filio, quæ nos comitata est, et reperies æternam Spiritus sancti virtutem ejusdem substantiæ cum Patre dictam esse ex digito ejus. Sane quidem cum virtutem Spiritus sancti inexpugnabilem magi in Ægypto contemplati clamabant, aientes : *Digitus Dei est hoc* [93]; nihil aliud confitebantur vocabulo *digiti*, quam virtutem, sive potestatem Spiritus sancti *homousion*, id est ejusdem substantiæ, quam habet cum Deo Patre; cui vocabulo *digiti* non potest contradici, neque repugnari. Et sanctus Cyrillus, lib. xv *Thesaurorum* : Si omnia, inquit, in sapientia, et manu Dei facta sunt, Scripturæ vero divinæ de Deo Verbo clamant : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* [94], non potest esse opus sapientiæ Dei Filius; sed potius ipse est sapientia, et manus, qua cuncta Deus operatur. Et adhuc idem lib. xiv, eorumdem *Thesaurorum* : Quia, inquit, simplex est Deus, nihil aliud præter ipsum est fortitudo, quæ in ipso est ; sed potius ipse scilicet est Filius, qui unam cum Patre substantiam, et eamdem naturam habet; ut qui sit unum cum eo qui genuit, si et Deus ex Deo, et lumen ex lumine splenduit, Filius, et non Pater intellectus. Igitur omnis energia et virtus Patris, per quam omnia operatur, quomodo esset naturæ creatæ? Idem, in capitibus *de Spiritu sancto*, ait in quodam loco Christus disputans cum Judæis : *Si autem digito Dei ejicio dæmonia, igitur pervenit in vos regnum Dei* [95], hoc loco digitum demonstrat esse Spiritum sanctum, qui modo quodam ex divina substantia naturaliter productus est, et naturaliter ex ea pendet, sicut digitus ex manu hominis; Filium enim appellant divinæ Scripturæ brachium et dexteram Dei, sicut scriptum est : *Salvavit eum dextera ejus, et brachium sanctum ejus* [96]; et illud : *Domine, excelsum brachium tuum, et non cognoverunt, cognoscentes autem confundantur* [97]. Sicut igitur brachium naturaliter in totum corpus aptatum est, omnia operans quæcunque menti vi-

[91] Psal. xxxii, 6. [92] Tit. iii, 6. [93] Exod. viii, 19. [94] Joan. i, 3. [95] Luc. xi, 20. [96] Psal. xcviii, 1. [97] Isa. xxvi, 11.

Scholia.

Spiritum sanctum, sicut dulcedo ex melle, et odor ex flore, et vapor ex aqua. Quo exemplo idem Cyrillus cap. 7 utitur; sic enim ait : Relinquitur igitur ut necessario confitendum sit, esse ex substantia ejus, cum omnem Filii Dei virtutem et operationem, habeat, ut si vapor ex aqua ascendat, et per ea quæ operatur, eos apud quos est, refrigeret, et naturam aquæ unde emittitur, significet. Hactenus Cyrillus. Sic itaque vocavit hic Spiritum sanctum, qualitatem divinitatis symbolice, adhibita correctione verbi, ut si vocasset vaporem substantiæ divinæ, simili exemplo et symbolo utens.

Digitized by Google

deantur; solet vero ungere digito apud eum qui brachio utitur: sic Verbum Dei ex ipso, et in ipso naturaliter aptatum, ut ita dicam, et insitum consideramus: in Filio autem consideramus Spiritum naturaliter et substantialiter a Patre procedentem, per quem omnia ungens sanctificat. Non igitur Spiritus sanctus a divina substantia alienus et disjunctus videtur, quin potius ex ipsa, et in ipsa naturaliter. Sicut igitur digitus corporis in manu, ejusdem naturæ manus est; sic rursus et manus in corpore, non est alterius naturæ, quam corporis. Hæc igitur cum sic sint, sequitur Deum esse Spiritum: et non aliter esse. Adhuc idem in eisdem: Ait in quodam loco Deus: *Cœlum et terram ego impleo* [98], dicit Dominus; implet scilicet ubique præsens per Spiritum, quod quidem cum sciret qui Psalmos cecinit, aiebat: *Quo ibo a spiritu tuo? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades* [99]. Si igitur per Spiritum implet omnia Deus, adest autem ubique: Deus igitur est Spiritus, omnia implens ut Deus. Et in eisdem: Non ergo est factus Spiritus, in quo Deus, et per quem omnia operatur; et propter hoc honoratur. Magnus Athanasius, lib. II *Contra Arianos*: Apostolus, inquit, gentiles ad reverentiam erga Deum excitans aiebat: *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus et divinitas* [1]; quæ autem sit Dei virtus, idem Paulus docet, cum ait: *Christus Dei virtus, et Dei sapientia* [2]. Et adhuc in eodem libro: Audiant et de Sapientia: *Quia non est ut homo Deus* [3], ne humana cogitent. Et in hoc libro, de ipso: Etenim cum homines facti sint apti ad percipiendam sapientiam, Deus nullius alioqui particeps, ipse suæ Sapientiæ Pater est, cujus qui sunt participes, sapientes appellari consueverunt. Præterea contra eosdem Arianos: Si ergo, inquit, in divinis Scripturis non reperitur alia sapientia præter hunc Filium, nec ex Patribus quidquam tale audivimus, est autem certum, et scriptum, increate sapientiam simul exsistere cum Patre, et per se mundi opificem esse [4]; ipse fuerit Filius. Et adhuc idem in eodem: Sane, inquit, his duobus dictis inter se contrariis, juste quis dicat, vincere proprietatem Unigeniti, quia non sit aliud Verbum, vel alia Sapientia, nisi hic solus. Et rursus in eodem: Decebat enim, unius Dei unam esse imaginem, et unum hujus Verbum, et unam ipsius sapientiam; quare miror, quomodo cum sit unus Deus, multas isti imagines et sapientias secundum suas cogitationes excogitant. Sanctus Cyrillus in *Thesauris*: Si factus est, inquit, Filius, vocatur autem et est Dei virtus, et Dei sapientia, erat igitur tempus, in quo erat Deus sine sapientia, et sine virtute, cum non esset Filius, creatura enim plane ex nihilo fit; at sapiens erat semper et potens Deus; erat igitur ei Filius, qui est omnia hæc. Et adhuc ipse: Confiteris, inquit, licet invitus, hæretice, sapientiam Dei naturaliter insitam, et virtutem exsistere in ipso increate. Cum igitur audies Filium, dic etiam rursus duo increata: hanc vero ipsam in Deo sapientiam et virtutem increate et sine tempore exsistentem credimus esse Filium, qui omnia creavit, et propter nos factus est caro. Et adhuc ipse in septimo ad Hermiam libro disputans more dialogi: Cyr. In quo sunt sapientes, qui sapientes fiunt? Herm. In sapientia Cyr. Igitur si Spiritus sapientiam docet ea quæ sunt apta ad capiendum sapientiam, omnino sapientia erit, et intelligetur, hunc autem diximus esse Deum. Et adhuc in iis quæ de Spiritu sancto scripsit: *Libenter igitur magis gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi* [5]; si autem Spiritus est qui habitat in nobis, et per ipsum Christus, virtus igitur est ejus Spiritus sanctus; si autem hoc sic est, quomodo erit creatura, qui natura adest in Filio? Nisi tempus est, ut Deum Verbum, qui nihil duplex habet, compositum esse dicas ex creato, et sua natura. quod si hoc absurdum est, non est Spiritus creatus, aut factus, sed ex divina et quæ intelligentia comprehendi non potest, substantia, tamquam ipsius virtus et energia naturalis. Et magnus Athanasius, in epistola ad Serapionem: Et rursus quia Filius est sapientia, et veritas, scriptum est: *Spiritus sapientiæ, et veritatis* [6]. Et rursus: Filius quidem est virtus Dei, et Dominus gloriæ; Spiritus autem dicitur spiritus virtutis, et spiritus gloriæ. Et rursum: Deinde cum Pater sit, ut Paulus dixit [7], solus sapiens Deus, Filius est sapientia ejus, Christus enim Dei virtus, et Dei sapientia, et cum Filius si Dei sapientia, accipientes nos Spiritum sapientiæ, Filium habemus; et in ipso sapientes efficimur. Et rursus idem, contra eos qui serviunt verbis: Gloria enim, inquit, dicitur Unigenitus: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre* [8]; quare illud: *Deus Domini nostri Jesu Christi* [9] perinde est, ut si dicatur: Deus carnis Christi, Pater gloriæ, Pater divinitatis (1). Gloriam enim vocat Isaias Salvatorem secundum dignitatem divinitatis. Cum enim narrasset miracula, quæ in deserto facta sunt, et exangelizasset deserto: *Exsultet*, inquit, *solitudo Jordanis, et floreat tanquam lilium; quoniam gloria Libani data est ei, et honor Carmeli* [10]; et, *Populus meus videbit gloriam Domini et altitudinem Dei, et videbit omnis caro salutare Dei* [11]. Gloria igitur est a glo-

[98] Jerem. XXIII, 24. [99] Psal. CXXXVIII, 7, 8. [1] Rom. I, 20. [2] I Cor. I, 24. [3] Num. XXIII, 19. [4] Prov. VIII, 22, 23. [5] II Cor. XII, 9. [6] Isa. XI, 2. [7] Rom. XVI, 27. [8] Joan. I, 14. [9] Ephes. I, 3. [10] Isa. XXXV, 1, 2. [11] Isa. XL, 5; Luc. II, 5, 6.

Scholia.

(1) *Pater gloriæ, Pater divinitatis.* Pater divinitatis dicitur, id est, Filii; divinitatem enim, id est essentiam divinam accepit pro persona Filii propter identitatem rei, ut Græci Patres solent, quod etiam sanctus Thomas observavit.

Digitized by Google

ria, unde et Paulus ait: *Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ*[13]. Pater ergo est gloriæ Unigeniti; Deus autem carnis Christi. Adhuc contra servientes verbis, et non nominibus divinarum Scripturarum: Apostolus dicit: *Deus Domini nostri Jesu Christi, et Pater gloriæ*, hic œconomiam, id est, mysterium carnis assumptæ designavit; et gloriam quidem vocat ipsum Unigenitum; Jesum Christum vero prædicationem œconomiæ. Item libro tertio contra Arianos: Si enim ad imaginem facti sumus, et imago et gloria Dei vocati sumus, at non propter nos ipsos, sed propter imaginem, quæ in nobis habitavit, et propter veram gloriam Dei, quæ est Verbum Dei. Et iterum in eodem: Quia igitur et Filius imago est Patris, necesse est intelligere, quod divinitas et proprietas Patris est essentia Filii (1), et hoc est illud: *Qui cum in forma Dei esset*[14]; et illud: *Pater in me*[15]; non forma divinitatis ex parte, sed plenitudo paternitatis Dei, quæ est essentia Filii. Et adhuc in eodem: Quæ operatur Filius, opera Patris sunt; forma enim divinitatis Patris est Filius (2), qui operatur opera. Et in epistola ad Serapionem: Imago Filii dicitur et est Spiritus sanctus (3), *quos* enim *præscivit et prædestinavit conformes imagini Filii sui*[16]. Cum igitur certum sit illorum etiam sententia Filium non esse creaturam, nec imago ejus erit creatura. Qualis enim imago est, tale necesse est esse id, cujus imago est. Et adhuc in eadem epistola: Si autem creaturæ talem habent naturam, et talia scripta sunt de angelis, Spiritus autem unus est, et non variabilis, et habens immutabilitatem Filii, manens semper immutabilis cum eo, quæ similitudo immutabilis cum mutabilibus? Liquet igitur neque creaturam esse, ac prorsus neque ex substantia angelorum, quia sunt mutabiles; sed imaginem Verbi et proprium Patris. Sanctus Cyrillus in iis quæ de Spiritu sancto scripsit, ait: Scribit rursus Paulus quibusdam: *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis*[17], terrenum esse dicimus Adam principem generis humani; cujus imaginem portavimus in similitudinem transgressionis ejus, delapsi in mortem et corruptionem; cœlestem vero dicimus Dominum nostrum Jesum Christum, cujus imagine accepta, id est inhabitante in nobis sancto et vivifico Spiritu, ad ipsum Dei Verbum vivens reformamur, rursus ad immortalitatem ascendentes, et in æternam vitam removati. *Spiritus* enim *est qui vivificat*, ut Salvator dixit[18]. Sicut ergo, quia Filius est perfectissima Patris imago, et qui eum accepit, Patrem habet; sic convenientia et similitudine æqualis figuræ, qui accepit imaginem Filii, id est, Spiritum, per ipsum Spiritum habet penitus Filium, et in ipso Filio Patrem. Quomodo igitur Spiritus sanctus creaturis adnumerabitur? siquidem est imago Filii Dei sine ulla varietate; non enim eo amentiæ ulli procedunt, ut audeant dicere imaginem Creatoris in creaturis sine ulla varietate nitere; ferreque omnia in se ipsa naturaliter, quæcumque illud, cujus est imago, habet. Si vero Spiritus imago Dei vocatur, est igitur Deus; et non aliter est hoc. Gregorius Nyssenus, in oratione ad Pulcheriam: *Si quis*, inquit, *Spiritum Christi non habet, hic non est ejus*[18], Spiritus autem gloria est, sicut alibi di-

[13] Hebr. I, 3. [14] Philipp. II, 6. [15] Joan. XIV, 11. [16] Rom. VIII, 29. [17] I Cor. XV, 49. [18] Joan. VI, 64. [18] Rom. VIII, 9.

Scholia.

(1) *Divinitas et proprietas Patris est essentia Filii.* Non dicit: Proprietas Patris est proprietas Filii, quia relatio unius opposita est relationi alterius; sed hæc oppositio non facit, quin una essentia in Patre sit paternitas, et eadem essentia in Filio sit filiatio; ita fit, ut paternitas sit essentia Filii et filiatio essentia Patris, sicut Pater est in Filio, et Filius in Patre, quia sunt unum; in divinis enim abstractum et concretum non distinguuntur, Pater et paternitas, Filius et filiatio.

(2) *Forma enim divinitatis Patris est Filius.* Hoc est, substantia Patris est Filius. Notavit Damascenus, sic Patres accepisse hoc verbum *forma*, ut proprie significaret substantiam, quæ per se est, et a nullo alio pendet ut sit, et sic Apostolum accepisse cum ait: Qui cum in forma Dei esset. In eadem significatione uti solent aliquando Patres Græci vocabulo εἶδος, quod speciem, et formam, et figuram significat, ut hoc loco Athanasius, cum ait: Forma divinitatis Patris est Filius; Græce est εἶδος. Secundum hanc significationem vocat Dionysius personas divinas ὁμοειδεῖς, id est, uniformes, quod nulla penitus differentia in earum substantia sit, unde sic Damascenus definit ὁμοειδὲς, id est, uniforme, quod per se primum subsistit, et omnis mutationis et transfigurationis expers est. Impium enim, inquit, est figuram in Deo ponere.

(3) *Imago Filii est Spiritus sanctus.* Sanctus Thomas in opusculo *Contra errores Græcorum*: Possumus, inquit, dicere Spiritum sanctum esse imaginem Patris et Filii, ita ut per imaginem nihil aliud intelligatur, quam exsistens ab alio, et ejus similitudinem gerens; sin autem per imaginem intelligatur aliquid exsistens ab altero, ex ipsa suæ originis ratione habens quod similitudinem gerat ejus a quo exsistit, in quantum est ab altero, ut Filius genitus; sic solus Filius dicitur imago; de ratione enim filii est, quod similitudinem patris habeat in quacumque natura; et similiter de ratione verbi est, ut sit similitudo ejus quod verbo exprimitur, cujuscumque sit verbum; sed non est de ratione spiritus, vel amoris, ut sit similitudo ejus, cujus est, in omnibus, sed hoc in Spiritu Dei verificatur propter divinæ essentiæ unitatem et simplicitatem: ex qua oportet, ut quidquid est in Deo, sit Deus. Nec obstat ad rationem imaginis, quod Spiritus sanctus non conveniat cum Patre in aliqua personali proprietate, quia similitudo et æqualitas personarum divinarum non attenditur secundum proprietates personales, sed secundum attributa essentialia. Nec enim inæqualitas, vel dissimilitudo secundum proprietatum personalium differentiam in divinis dici debet, sicut Augustinus dicit in libro *Contra Maximum*. Cum enim dicitur Filius a Patre genitus, non ostenditur inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ secundum se. Hactenus sanctus Thomas.

Digitized by Google

cit Patri : *Glorifica me gloria, quam habui a principio apud te, antequam mundus esset* [19]. Deus enim Verbum, qui ante mundum gloriam Patris habebat, quia extremis diebus factus est homo, oportebat ut caro propter unionem cum Verbo, illud fieret quod Verbum est ; fit autem hoc, quia illud accepit, quod habebat ante mundum ; hoc autem erat Spiritus sanctus, nihil enim aliud est ante sæcula præterquam Patrem, et Filium et Spiritum sanctum, idcirco ait hic : *Gloriam, quam dedisti mihi, dedi ipsis, ut per eam in unum mecum copulentur, et per me tecum* [20]. Rursus idem, libro primo *contra Eunomium* : Si autem semper est gloriosus Pater, qui est ante sæcula ; gloria vero Patris est Filius, qui est ante ævum, similiter autem gloria Filii est Spiritus Christi, qui semper cum Filio et Patre intelligitur ; unde sapiens iste, et ex qua disciplina pronuntiat antiquius in iis quæ naturaliter sunt honorata? Ex his efficitur manifestum, quod in Trinitate, quæ supra substantiam est, nullo modo alia est energia, sive operatio, et manus per quam Deus Pater omnia creat et facit, nisi solus Filius et Spiritus sanctus, qui sunt manus Dei supra quam substantiales, sicut alicubi scriptum est : *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me* [21], nec alia sapientia et virtus Dei, nisi hæc ipsa supra substantiam. *Verbo* enim *Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* [21*], nec alia imago et gloria cœterna Deo, nisi Filius, qui est supraquam principium, et Spiritus ejus, qui est ante sæcula, et et sine ulla variatione imago et gloria Dei Patris non habentis causam.

CAPUT VII.

Quod in Trinitate, quæ est supra substantiam, non est alia vita, vel voluntas, vel charitas, vel beatitudo, vel pulchritudo, vel sanctitas, neque bonitas, vel forma, vel regnum, nisi ipse Filius Dei, et sanctus ejus Spiritus.

Chrysostomus explanans illud : *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum.* Cum audies, inquit, *In ipso vita erat*, ne existimes Deum compositum : siquidem prodiens ex Patre, ait : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso* [22] ; etenim alibi etiam dicit, quod lux est Deus [22*] ; et iterum quod lucem habitat inaccessibilem [23] ; hæc omnia dicta sunt, non ut suspicemur compositionem, sed ut paulatim ad excelsitatem dogmatum elevemur. Quia enim non facile quis ex vulgo cogitaverit, quomodo est vita ejus per se exsistens, primum quidem illud dixit, quod humilius est ; deinde jam eruditos ad altius ducit. Qui enim dixit : *Dedit et vitam habere*, hic rursus ait : *Ego sum vita* [24]. Magnus Athanasius, in libro *De adventu Dei in carne* : Manifestum igitur est iis qui advertunt, quod excitato corpore, Filius dicitur apud Paulum excitatus esse a mortuis [25] ; corpus enim dicitur pro persona, sic ergo cum dicitur : Vitam dedit Pater Filio, intelligere oportet vitam carni datam. Si enim vita est ipsius carnis, quomodo vita vitam accipit? Sanctus Cyrillus, libro quinto *Dialogorum* ad Hermiam : Si igitur, inquit, non est Filius vita secundum naturam, erit omnino in propria aliqua natura sortitus vitam suam aliam quam quod ipse est. Respondeant ergo qui sic corrupta et depravata dogmata defendunt, sub quo genere erit nobis, ut illi opinantur? Demonstratum enim est, non esse factum. Her. Vita, inquit, facta est a Patre, dixit enim Joannes : *Quod factum est in ipso, vita erat* [26]. Verbum cujus vita est. Cyr. Qui colligavit igitur ambo, et in unum aliquid contulit vitam et Filium, non aliud esse dicit præterquam vitam, quæ in ipso est : ita ut diversis nominibus natura unius qui intelligitur, nobis significetur sive Filius, sive vita forte dicatur (*a*). Her. Sic, inquam. Et rursus idem libro VII : Subjicientur, inquit, nobiscum sacris et divinis litteris, quæ aperte prædicant, non vitæ ab alio manantis ministrum esse, sed re esse ipsam vitam spiritum vitæ secundum naturam vivificum et sanctum ; sic enim ait alicubi Paulus : *Si Spiritus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in nobis ; qui suscitavit Jesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora nostra per inhabitantem Spiritum ejus in nobis* [27]. Spiritum igitur vitæ secundum naturam, prorsus nihil aliud præter ipsam vitam est secundum rectam rationem. Et adhuc in capitibus *De Spiritu sancto* : Scriptum est rursus : *Si Spiritus, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, habitat in nobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora nostra per inhabitantem Spiritum ejus in nobis.* Sed si Spiritus sanctus creatura esset, et factus, ut insane tradunt hæretici, quomodo totam operationem Dei haberet? Non enim quisquam tantum, ut opinor, a sana mente excidet, ut audeat vel dicere solum, divinæ substantiæ per instrumenta quædam foris creata ministrari ad operationem ex se ipsa naturaliter transeuntem ad aliquos, qui sunt ad recipiendum illam idonei et apti. Quia vero Filius vita est secundum naturam, Spiritus vero ab ipso datus vivificat, relinquitur necessario, ut confitendum sit esse ex substantia ejus, cum omnem Filii et Dei virtutem et operationem habeat, ut si vapor ex aqua ascendat, et per ea quæ operatur, eos apud quos est, refrigeret, et naturam aquæ, unde emittitur, significet. In eisdem : *Lex*, inquit, *Spiritus vitæ* [28], ne Spiritus sanctus reperiatur tantum legem ferre, sed reperiatur jam etiam

[19] Joan. XVII, 5. [20] ibid. 22. [21] Psal. CXVIII, 73. [21*] Psal. XXXII, 6. [22] Joan. V, 26. [22*] Joan. I, 5. [23] I Tim. VI, 16. [24] Joan. XIV, 6. [25] Galat. I, 1. [26] Joan. I, 4. [27] Rom. VIII, 11. [28] ibid. 2.

(*a*) Quod si nihil aliud est quam vita, totus est vita, et sua vita et suum esse, et non factus.

Digitized by Google

spiritus vitæ ; et quæ vita ? sane Christus, qui ait : *Ego sum veritas et vita* [29]. Christo igitur legem ferente, Spiritus ejus utpote ex ipso, et in ipso naturaliter exsistens legem fert. Magnus Athanasius, in uno ex libris *contra Arianos :* Sed impii, inquit, non concedunt esse Filium Verbum, et consilium vivens, verum fingunt accidere Deo humano more velle, et sapientiam tanquam habitum habere ; et omnia movent ac Valentini intelligentiam et voluntatem objiciunt. Sanctus Cyrillus in *Thesauris :* Si consilium, inquit, et voluntas Patris est Filius, ut quidem est, quomodo voluntas antecedit essentiam ejus ? Et rursus in eisdem : Aut enim necesse est vos aliam fingere sapientiam, in qua, cum voluit, Filium peperit, ut vos dicitis ; aut si alia non est, sed est ipse solus sapientia Patris, ipse est et voluntas. Et in iis quæ de Spiritu sancto scripsit : Spiritus sanctus, inquit, qui est mens Christi, omnia quæ in ipso sunt, edisserit discipulis, non in propria quadam voluntate, neque rursus in aliena, sed tanquam ex substantia ejus procedens, et totam ejus voluntatem, sicut et operationem habens. Et divinus Damascenus : O miraculum novum ex omnibus olim miraculis ! Dei enim consilium est, qui in utero gestatus est, ut infans. Et Gregorius Theologus, in oratione in laudem Gregorii Nysseni, cujus principium est, *Amici fidelis* : Deus, inquit, pacis, qui reconciliavit nos per crucem, qui propter peccatum eramus oppugnati : qui evangelizavit pacem iis qui longe, et iis qui prope, iis qui sub lege, et iis qui extra legem erant, Pater charitatis, charitas ; his enim nominibus præ cæteris vocari gaudet. Gregorius Nyssenus in Commentariiis Cantici canticorum : Quia igitur unum est connubium, et una sponsa, et uno sponso imponitur corona ; nihil enim penitus interest, vel Filium Dei vocare unigenitum Verbum, vel Filium dilectionis ejus, ut Pauli voce utamur [30]. Et sanctus Cyrillus, cum de Spiritu sancto scribit : Quantam benignitatem in nobis operatus est omnium Dominus, docens Paulus ait : *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* [31]. Si igitur Deus charitas est, ut Joannes loquitur [32], et non est aliud ipse, et aliud quod in ipso est (est enim simplex, et expers compositionis), diffusa est autem per Spiritum sanctum habitantem in nobis : est igitur charitas Spiritus sanctus, qui tanquam Deus in nobis habitat, et idcirco plane Deus. Idem libro primo ad Hermiam : Ipse enim, qui est pulchritudo incorrupta Dei Patris, summa beatitudo, et forma, atque species ; qui ex ipso, et in ipso Deus Verbum abjecit seipsum in exinanitionem.

A Magnus Basilius scribens ad Cæsarienses : Si non est, inquit, simplex Spiritus sanctus, compositus est ex substantia, et ex sanctitate : at quis ita vecors est, ut compositum dicat Spiritum sanctum, et non simplicem ? Et Gregorius Theologus : Si enim alia est sanctitas præter Spiritum sanctum, quæ hæc intelligatur, dicat quispiam. Sanctus Cyrillus disserens de Spiritu sancto : Quid opus est longo circuitu verborum et multiplicibus notionibus? Illam enim ipsam virtutem sanctificantem ex Patre procedentem, quæ perfectionem imperfectis tribuit, dicimus esse Spiritum sanctum. Et magnus Athanasius, in disputatione Orthodoxi et Anomœi ait : Sic dicis bonum Spiritum sicut Patrem et Filium ? Orth. Maxime. Spiritus enim in participatione B bonitatis (1) bonum est, sed rursus bonum, id est, bonitas est. Sane Matthæus quidem evangelista ait dixisse Dominum : *Si igitur vos cum mali sitis, nostis bona data dare filiis vestris : quanto magis Pater cœlestis dabit bona petentibus eum* [33] ? Audis, si aures habes? quòd evangelistæ cum scirent Spiritum idem esse quod bonitas, et bonitatem idem quod Spiritus ; ille quidem bona dixit ipsum Spiritum, alius vero Spiritum ipsa bona. Magnus Basilius, in capitibus *De Spiritu sancto :* Bonus Spiritus, sicut bonus Pater, et bonus ex bono genitus substantiam habens ipsam bonitatem. Sanctus Cyrillus scribens de Spiritu sancto : Accedit, inquit, quidam in Evangeliis, et dicit Domino et Deo nostro Jesu Christo : *Magister bone.* Ad hoc Christus respondit : *Quid me dicis bonum ? Nemo bonus, nisi unus Deus* [34]. C Christo igitur dicente unum esse vere et substantialiter bonum, David ait : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam* [35]. Si ergo Filii, qui est bonum, Spiritus est bonum, liquet divinæ naturæ esse, de quibus vere dicitur bonum proprie et singulari modo. Magnus Apostolus : *Qui cum in forma,* inquit, *Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* [36]. Magnus Basilius : Illud *in forma Dei,* inquit, substantiæ Dei est ; non enim aliud est forma, et aliud substantia Dei, nec compositum sit. Qui igitur est secundum formam æqualis, secundum substantiam quoque æqualis est. Sanctus Gregorius Nyssenus cum explanat illud : *Adveniat regnum* D *tuum :* Creatura, inquit, servit, servitus autem non est regnum, atqui regnum est Spiritus sanctus ; regnum vero plane regnat, non regnatur ; si igitur regnum est Spiritus sanctus, quomodo ipsum naturæ servienti annumerant insani isti ? Et Gregorius Theologus : His quidem lumen quod expromi non potest, succedit, et contemplatio regalis Trinitatis splendentis clarius et purius, et quæ

[29] Joan. XIV, 6. [30] Coloss. I, 13. [31] Rom. V, 5. 18, 19. [32] Psal. CXLII, 10. [33] Philipp. II, 6. [32] I Joan. IV, 16. [33] Matth. VII, 11. [34] Luc. XVIII,

Scholia.

(1) *Spiritus in participatione bonitatis bonum est.* Id est, in participatione nostra bonitatis creatæ est bonus Spiritus tanquam auctor et creator bonitatis a nobis participatæ; ipse vero Spiritus natura est ipsa bonitas supra bonitatem, itaque ea quæ de Deo et de creaturis æquivoce dicuntur, de Deo dicuntur secundum naturam, de creaturis vero per participationem.

Digitized by Google

tota cum totis misceatur, quam regnum cœlorum esse censeo. Ex his manifestum fit, quod in Trinitate supra substantiam, nihil ex iis quæ a theologis enumerata sunt, effugit, quin declaret solum esse hæc in Deo Patre, Filium ejus verum Deum, et sanctum ejus Spiritum, quocirca qui dixit divinam Trinitatem, quæ est supra principium, hæc simul et alia complexus est.

CAPUT VIII.

Quod in Trinitate nihil est quod non sit substantia, et persona; nec est in ea aliquid naturale et substantiale Patri, quod quidem non sit Filius, et Spiritus sanctus; neque quidquam aliud sunt in Deo rationes eorum quæ sunt, nisi implicite unigenitum Dei Verbum.

Sanctus Cyrillus in *Thesauris* libro XIX : Non quia in nobis sapientia et scientia non est in sua hypostasi, id est, non exsistit per se; idcirco sapientia, quæ inest in Deo, idem incommodi patietur, ut non exsistat per se; sed quandoquidem confiteris non esse Deum more nostro plane confiteris, omnia quæ illius sunt, non esse ut nostra sunt. Idem in primo *Thesaurorum :* Considerent oppugnatores Christi magnitudinem imprudentiæ suæ; cum enim nollent dicere unum Filium Dei similem esse Patri, duos dederunt; si voluntatem ejus dicent esse aliquid per se exsistens, si vero non per se exsistit, non erit character, id est, figura per se exsistentis, quod non per se exsistit. Idem in eisdem : Omnino necesse est, quod ex aliquo naturaliter prodit, simile ei esse secundum substantiam; quamvis ab illo ipso tanquam causa, habeat ut sit. Idem in eisdem : Inquirendus, inquit, est modus dissimilitudinis, quam habet ad Patrem voluntas. Si enim ulla ex parte tanquam minor ipso, non habet similitudinem ejus, videbitur aperte aliquid exire ex substantia Patris deterius eo et minus, non enim voluntas extrinsecus accedit, nec introducta est, sed ex ipso, et in ipso; deteriorem vero gignere nec iis qui naturam creatam habent, accidere arbitror. Magnus Athanasius, libro quinto *Contra Arianos* ait : Sicut, inquit, ex Deo Deus est, et ex sapiente sapiens, et ex rationem habente Λόγος, id est ratio, sive Verbum, et ex Patre Filius; sic ex persona, personam habens; et ex substantia substantialis, substantiamque habens; et ex exsistente exsistens. S. Cyrillus libro XIV *Thesaurorum :* Paulus, inquit, cum dicit proprietates naturales et substantiales, quæ in Deo Patre sunt, sic ait : *Qui solus habet immortalitatem* [37]. Si ergo nihil aliud quispiam definiet esse immortalitatem, nisi vitam; vita autem est Filius, qui dicit : *Ego sum vita* [38]; Pater habet vitam in se ipso, Filium scilicet, et nihil aliud quidquam præter ipsum. Idem in eisdem : Quæcunque dicuntur esse in Deo Patre naturaliter, et secundum substantiam, hæc omnia Filius est. Solus verus Deus dicitur Pater, quia solus habet Filium dicentem : *Ego sum veritas* [39] : solus sapiens, et potens similiter [40], quia Christus Dei virtus, et Dei sapientia [41], solus dicitur habitare lucem inaccessibilem [42]; habet enim in se ipso Filium dicentem : *Ego sum lux* [43], solus fons aquæ vivæ [44]; siquidem solus habet Filium qui dicit : *Ego sum vita.* Si ergo omne proprium Patris est Filius, cum Pater dicitur habere vitam in se ipso [45], Filium significat, et non aliud quidquam præter ipsum; cum autem exsisteret ipse in Filio secundum substantiam sine ulla variatione, et cum esset vita secundum naturam, dedit ipsam sibi ipsi. Athanasius, libro quarto *Contra Arianos :* Quandoquidem tota essentia Filii propria est substantiæ Patris, ut splendor ex lumine, et ex fonte fluvius; ut tandem qui videt Filium, videat quod proprium Patris est : et intelligat quod essentia Filii, quæ ex Patre est, sic in Patre est. Est autem et Pater in Filio, quia quod est ex Patre proprium, hoc Filius est, sicut in splendore sol, et in ratione mens, et in fluvio fons : sic enim qui contemplatur Filium contemplatur proprium substantiæ Patris; et intelligit quod Pater in Filio est. Cum enim species et divinitas (1) Patris sit essentia Filii, consequens est Patrem esse in Filio, et Filium in Patre. Sanctus Cyrillus, in capitibus *De Spiritu sancto :* Reperitur alicubi scriptum, imo dicit beatus Joannes evangelista : *In hoc cognoscimus quod in nobis est Deus, ex Spiritu quem dedit nobis* [46]; et rursus : *In hoc cognoscimus quod in ipso manemus, et ipse in nobis, quod ex Spiritu suo dedit nobis* [47]. Si igitur habitante in nobis Spiritu per participationem, Deus est qui habitat, et nos sumus in ipso, et ipse rursus in nobis, quia Spiritum ferimus, quomodo Spiritus non erit Deus, cum habeat in se secundum substantiam totam proprietatem Dei Patris, cujus Spiritus per Filium creaturæ tribuitur? Magnus Dionysius, cap. 5 *De divinis nominibus :* Exemplaria vero dicimus esse rationes rerum in Deo, effectrices substantiarum, et unite præexsistentes, quas divinus sermo vocat prædefinitiones, et divinas atque bonas voluntates, quæ ad distinguendum et efficiendum ea quæ sunt, valent; secundum quas qui est supra substantiam, omnia quæ sunt, prædefinivit; et produxit. Quo in loco divinus Maximus : Exemplaria, inquit, quæ vocant

[37] I Tim. VI, 16. [38] Joan. XIV, 6. [39] ibid. [40] Rom. XVI, 27. [41] I Cor. I, 24. [42] I Tim. VI, 16. [43] Joan. VIII, 12. [44] Jerem. II, 13. [45] Joan. V, 26. [46] I Joan. III, 24. [47] Joan. IV, 13.

Scholia.

(1) *Species et divinitas Patris.* Non vocat hic speciem, universale quod de pluribus differentibus numero prædicatur; hujusmodi enim species dividitur. Neque figuram vocat; Deus enim caret figura; sed speciem vocat formam, id est, substantiam vere et proprie, quæ a nullo scilicet pendet, sicut Paulus vocat formam Dei : *Qui cum in forma,* inquit, *Dei esset.* In hac significatione posuit hic speciem Athanasius.

Digitized by Google

ideas, jam quidem superius declaravimus, quomodo definiantur; scilicet notionem per se perfectam æternam æterni Dei vocant ideam, id est exemplar. Hic tamen explanat Dionysius Scripturam, cum ideas vocat prædefinitiones, significans obscure Paulum, qui in epistola ad Romanos ait : *Quos autem prædefinivit*, sive *prædestinavit, hos et vocavit* [48]. Et alibi : *Qui prædestinavit nos in voluntate sua* [49]. Voluntatem enim, et prædestinationem, sive prædefinitionem ideas et exemplaria dicit. Et iterum magnus Dionysius, cap. 7, *De eisdem divinis nominibus* : Verbum Dei laudatur a sacris Scripturis, non solum quia rationis et mentis et sapientiæ largitor est; sed quia causas omnium in se ipso una forma (*a*) anticipavit; et quia per omnia meat, pervadens, sicut ait Scriptura, usque ad finem omnium; et potissimum quia Verbum Dei supra omnem simplicitatem simplex est, et ab omnibus supra omnia supra substantiam absolutum est. Quem locum edisserens S. Maximus : Nominatur, inquit, Verbum Dei Λόγος, id est ratio, quia habet omnium causas in se; rationes enim omnis naturæ in ipso sunt tanquam in causa omnis creationis; per ipsum enim omnia; ideæ namque et exemplaria in ipso, non alia in alio; sed æternæ notiones sunt, et rationes facientes omnia. Ex quibus fit manifestum, quod in Trinitate, quæ supra substantiam est, omne quod per se non est substantia, et per se non exsistit, ejectum et exclusum est; si quid vero est in ea, substantia est, et per se exsistens, idcirco omne quod est Deo Patri naturale et substantiale, Filius est, et Spiritus sanctus, lumina ejus per se exsistentia, et supra substantiam; imo et omnia exemplaria in Deo, et rationes omnium rerum implicite unum Verbum Dei sunt, quod illas in se habet tanquam non alia in alio; unum enim est unigenitum Dei Verbum; et una sapientia Dei Patris, Spiritus ejus supra quam sanctus.

CAPUT IX.

Quod in Trinitate præter tres personas divinas, quæ non reciprocantur, quia Pater non est Filius, neque Filius Pater, nihil est quod non sit alterum alterius essentia. Vita enim Filii non est aliud præter Patrem; et rursus, vita Patris non est aliud præter Filium, similiter in Spiritu sancto: et hoc est incedere personas deificas per se ipsas et in se ipsis vicissim.

Magnus Dionysius capite secundo, *De divinis nominibus* : In divina, inquit, in unum copulatione, id est, in substantia supra substantiam copulatum quidem et commune in Trinitate; quæ est unum omnium principium, essentia est, quæ est supra substantiam; divinitas supra divinitatem (1); bonitas supra bonum, idem supra omnia in tota proprietate, quæ supra omnia est (2); unitas supra unitatem principalem (3), ineffabilis, multarum vocum, ignoratio (4), ex omni intellectilis (5), omnium positio, omnium demptio, supra omnem positionem, et demptionem, divinarum personarum in se ipsis, si ita loqui fas est (6), mutua mansio, et collocatio, in totum supraquam copulata in unum, non confusa in parte ulla; sicut lumina lampadum (ut exemplis sub sensum cadentibus et familiaribus utar) quæ sunt in una domo; et tota sunt in se totis vicissim, non permista; ac per se exsistunt (7)

[48] Rom. VIII, 30. [49] Ephes. I, 5.

Schólia.

(1) *Divinitas* ὑπέρθεος, id est, supraquam divina, supra divinitatem, scilicet creatam; eorum dico, de quibus scriptum est : *Ego dixi, Dii estis. (Psal.* LXXXI, 6.) Deus enim est qui illos sanctificat, et facit deos per participationem : unde divinæ personæ a Dionysio et a Patribus vocantur θεαρχικαί, id est, deificæ; et Spiritus sanctus vocatur ὑπέρθεον πνεῦμα, hoc est, Spiritus supra deos, quos scilicet sanctificando facit deos, sive in cœlo, sive in terra.

(2) *Idem supra omnia in tota proprietate quæ supra omnia est.* Sunt proprietates substantiales eædem in creaturis cujusque speciei, ut rationale proprietas substantialis in homine; in angelis sunt proprietates eorum substantiales eædem; in animantibus aliis suæ item proprietates substantiales eædem; et in aliis naturis similiter : sed ratio proprietatis, et ratio ejusdem proprietatis in creaturis non potest comparari cum proprietatibus substantiæ divinæ, et cum identitate earum : hæc enim sunt sine differentia in re ipsa divina substantia : unde personæ divinæ vocantur a Dionysio μονοειδεῖς, id est, uniformes,

(3) *Unitas supra unitatem principialem.* Quia in creaturis reperitur unum, quod habet rationem principii, ut in igne est unum principium caloris; in sole unum principium luminis, sed in his nec unitas, neque ratio principii comparari potest cum proprietatibus istis principii divini.

(4) *Ignoratio.* Ignorationem vocat quamdam inscientiam, quæ est quædam tenebræ animæ; sed relicta omni cogitatione rerum externarum, omni intelligentia a proposito aliena, uniri in quodam silentio secundum meliorem partem cum Deo ignoto quid sit, qui est supra omnem cognitionem et nihil aliud cognoscendo et contemplando, supra mentem cognoscere et contemplari, ut Dionysius, in *Mystica theologia*, cap. 1, tradit. Hæc ignoratio vocata est in Exodo caligo, in quam dicitur Moyses ingressus, ut sanctus Maximus notavit. Hanc unionem optat Dionysius Timotheo, in principio *Mysticæ theologiæ*, unde melius eam licet intelligere. Unio autem supra mentem est, cum mens se relinquit; relinquit autem se, cum vacat omnino a suo motu proprio, et nihil proprium sui habet, neque sui est, sed est tota in Dei contemplatione.

(5) *Ex omni intellectilis*, id est, ex creaturis Dei, et providentiis ejus, quibus universum plenum est.

(6) *Si ita loqui fas est.* Quia hæc vocabula mansio, et collocatio distinctionem secum inferri videntur, et ad locum referri (quod enim in aliquo manet et collocatur, non videtur esse idem quod est illud, in quo aliquid manet tanquam in loco, et in quo collocatur), idcirco correctionem adhibuit Dionysius, inquiens : Si ita loqui fas est.

(7) *Ac per se exsistunt.* Non est usus hoc exemplo Dionysius, ut quidam existimarunt secundum opi-

(*a*) Id est, sine ulla compositione,

Digitized by Google

perfecte inter se mutuo singulatim distincta, conjuncta in unum discrete, et discreta conjunctim. Hæc sanctus Maximus cum adnotat : Advertendum, inquit, est illud : In se ipsis vicissim, esse secundum mansionem et collocationem divinarum personarum, ut cum ait Scriptura : *Ego in Patre, et Pater in me* [50], sic et de Spiritu sancto Apostolus ait [51]. Sanctus Joannes Damascenus in capite *De Trinitate :* Etenim creaturæ et loco distant, et tempore differunt, et voluntate dividuntur, et viribus, et forma, id est figura, et habitu, et mistione, et dignitate, et studio, et omnibus proprietatibus signantibus ; ac potissimum in eo differunt, quod non sunt in se ipsis vicissim, sed separatim : unde et duo, et tres, et multi dicuntur ; contra vero in sancta Trinitate, quæ supra substantiam est, et ultra omnia, incomprehensa ; unus enim conatus, sive impetus motionis, et una substantia, una bonitas, una virtus, una voluntas, una operatio, una potestas, una, inquam, et eadem ; et non tres similes inter se ; sed una atque eadem motio trium personarum, unum enim habet unaquæque earum cum altera, non minus quam secum commune : id est, unum sunt secundum omnia Pater, et Filius et Spiritus sanctus. Magnus Athanasius, in epistola ad Serapionem : Deinde, cum Pater sit, ut Paulus dixit, solus sapiens, qui est Deus, Filius est sapientia ejus ; Christus enim Dei virtus et Dei sapientia : et cum Filius sit sapientia, nos Spiritum accipientes, Filium habemus ; et in ipso sumus sapientes, sic enim scriptum est : *Dominus solvit ligatos* [al. *compeditos*], *Dominus erudit* [al. *illuminat*] *cæcos* [52], et cum datur nobis Spiritus : (*Accipite enim Spiritum sanctum* [53], aiebat Salvator) Deus est in nobis ; sic enim Joannes scripsit : *Si diligimus invicem, Deus in nobis est : quoniam in ipso manemus, et ipse in nobis ; quoniam ex Spiritu suo dedit nobis* [54]. Cum autem Deus est in nobis, est etiam Filius in nobis ; dicit enim ipse Filius : *Ego, et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus* [55]. Deinde, cum vita alioqui sit Filius : *Ego*, inquit, *sum vita* [56] ; vivificari tamen dicimur in Spiritu sancto : *Qui enim suscitavit Christum Jesum a mortuis, suscitabit et mortalia corpora nostra, per Spiritum ejus inhabitantem in nobis* [57]. Nobis autem in Spiritu vivificatis, ipse Christus in nobis dicitur vivere. *Christo* enim, inquit, *confixus sum : Vivo autem non jam ego, vivit autem in me Christus* [58]. Et rursus : Sicut opera quæ Filius faciebat, dicebat Patrem facere : *Pater* enim, ait, *in me manens, ipse facit opera : non creditis mihi, quia ego in Patre, et Pater in me est? Alioqui propter opera ipsa credite* [59] ; sic quæ in virtute Patris operabatur Paulus, aiebat Christi esse opera : *Non* enim, inquit, *audebo aliquid dicere eorum quæ non operatus est Christus per me in obedientiam gentium in verbo et operatione, in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti* [60]. Talis conjugatio et unitas cum sit in Trinitate, quisnam deinceps Filium a Patre, aut Spiritum sanctum a Filio, aut ab ipso Patre separabit? Aut quis erit ita audax, ut dicat dissimilem, et alterius naturæ esse apud se Trinitatem ? vel Filium esse substantiæ alienæ a Patre? vel Spiritum sanctum alienum a Filio? Si quis rursus interroget, quomodo hæc sunt? quæratque quomodo, cum Spiritus sanctus est in nobis, Pater dicitur esse in nobis, et cum Filius est in nobis, Pater dicitur esse in nobis ; aut quomodo cum Trinitas est, in uno significatur Trinitas ; aut quomodo cum unum est in nobis, Trinitas dicitur : vel separent primum a lumine splendorem, aut sapientiam a sapiente, vel dicant, quomodo hæc erunt ; quod si hoc non possunt, multo magis quærere hæc de Deo, insanientium audacia est. Divinitas enim non in demonstratione verborum tradita est, ut diximus, sed in fide, et pia ratiocinatione cum reverentia. Et iterum idem libro IV *Contra Arianos :* Quia igitur Filius est imago Patris, necesse est intelligere, quod divinitas et proprietas Patris essentia Filii est, et hoc est illud : *Qui cum in forma Dei esset* [61] ; et : *Pater in me.* Non autem ex parte est forma divinitatis, sed plenitudo paternæ divinitatis essentia est Filii, et Verbum Deus est Filius, idcirco æqualis Deus *non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo* [62]. Et rursus, quia Filii divinitas et species non est alterius quam Patris ; hoc est quod diximus : *Ego in Patre ;* sic Deus erat in Christo mundum sibi re-

[50] Joan. XIV, 10. [51] I Cor. III, 1 seqq. [52] Psal. CVL, 6. [53] Joan. XX, 22. [54] I Joan. IV, 12, 13. [55] Joan. XIV, 23. [56] ibid. 6. [57] Rom. VIII, 11. [58] Galat. II, 19, 20. [59] Joan. XIV, 11, 12. [60] Rom. XV, 18, 19. [61] Philipp. II, 6. [62] ibid.

Scholia.

nionem eorum qui tradebant lumen esse substantiam corpoream, et non qualitatem ; quod enim posuit Dionysius lumina lampadarum per se exsistere ; non ad lumina retulit, sed ad lampadas quæ per se exsistunt, sicut faces et tædæ. Itaque faces ardentes, sive lampadas accensas luminibus in unum conjunctis per se exsistentes cum proprietatibus hypostaticis per se subsistentibus in lumine suprasubstantiali Trinitatis discrete unitis, et unite discretis comparat ; et quod sequitur in Dionysio : Et si quis unum luminare, id est, unam facem accensam educat e domo, simul exibit totum proprium lumen, nihil quidquam aliorum luminum in se ipsa simul habens, nec aliquid sui illis relinquens ; ad mysterium incarnationis retulit, ut Pachymerus notavit, interpretatusque est illud : *Ego a Patre exivi.* Filius enim factus homo, qui erat fax quædam humanitatis accensa lumine divinitatis, non traxit secum Patrem, neque Spiritum sanctum, neque quidquam proprium divinitatis illis reliquit ; quin potius eamdem totam divinitatem quæ in illis est, tulit manens in illis. Ad idem mysterium incarnationis retulit hoc exemplum Leontius monachus, auctor eruditissimus, in libro quem contra Nestorium et Eutychem scripsit. Docet enim sic substantias uniri posse sine mistione, ut hic sine mistione uniuntur qualitates luminum, et uniuntur splendores stellarum, salva proprietate quanti in quali in eo quod manet Filius tantum.

Digitized by Google

concilians [45]. Proprium quidem substantiæ Patris est Filius, in quo creatura Deo reconciliata est, sic quæ operabatur Filius, opera Patris sunt, forma enim divinitatis Patris est Filius ; et paterna forma in ipso, demonstrat in ipso Patrem : atque ita est Pater in Filio, et proprietas atque divinitas ex Patre in Filio, demonstrat Filium in Patre inseparabilem ab eo. Ex his patefit, quod in Trinitate, quæ supra substantiam est, exceptis tribus personis deificis, quæ non reciprocantur, aliis remeantibus, quod est una persona, hoc ipsum est alia ; quia sunt una et sola trium personarum essentia : et quod est unius, hoc idem est reliquarum personarum sine ulla varietate, sicut demonstratum est. Quare si essentia Filii est vita, necessario Patris et Spiritus sancti est eadem vita, quæ erat essentia Filii. Qui amplius quærit, si Filius habet sapientiam Patrem, ubi est hujus Filii sapientia? fatuus plane et insipiens est, cum audiat, vitam quam habet Pater, non esse aliam ullam præter Filium, et vitam in Filio non esse ullam aliam præter Patrem, et verum dicere qui dicit : *Ego in Patre, et Pater in me* [46]. Una enim, ut diximus, est essentia Trinitatis, et una solum semper. Hæc igitur essentia singularissima trium, assumens ineffabiliter nomen Patris, quod est supra substantiam, solum Patrem generantem Filium manifestat, rursus assumens supraquam intelligi potest, nomen Filii, quod est supra substantiam, solum Filium demonstrat generatum a Patre ; rursus hæc ipsa essentia assumens nomen Spiritus, quod est supra substantiam, Spiritum tantum declarat a Patre procedentem per Filium, ut si exempli gratia et quidem tenuis dicamus, natura hominum, quæ una est, in quibus solum assumit virtutem gignend , patres tantum declarat ; in quibus autem assumit genitum, filios solum, est nihilominus, una natura humana patrum et filiorum. Cum igitur dicimus esse Filium, in eo quod manet Filius tantum, simul inducitur esse Patrem (1), et Spiritum sanctum ; quia essentia eorum est una ; similiter utravis aliarum personarum ponatur, necessario sequitur reliquas duas esse ; quod enim est alicujus essentia (2), hoc simul cernuntur esse quæ illam definiunt. Cum enim essentia alicujus demonstratur, proprietates quæ ad illam pertinent, simul patefiunt : ut quod habet tres angulos æquales duobus rectis, necessario omnis trianguli naturam ostendit. Nisi quis hoc recte dicat, omnino hoc dissentire ab imagine et similitudine unius et ejusdem naturæ Trinitatis, quæ supra naturam, et supra omnia eadem est. Per se ipsas igitur et in se ipsis vicissim divinæ personæ meant, et una posita, necessario tota Trinitas declaratur, sicut ostenso solum radio, tacite sol et lux simul ostenduntur ; vel sicut demonstrata charitate, qui diligit et quod diligitur, simul demonstrantur : vel sicut posito fonte, fluvius et aqua, et quæcunque aliæ imagines sacræ et similitudines hujus rei ex sacris Scripturis symbolice exprimuntur.

CAPUT X.

Quod supra omnem rationem et mentem est omne quod in Trinitate, quæ supra substantiam est, contemplamur, et penitus incognitum, et intelligentia incomprehensum, quomodo una et eadem essentia et in unaquaque persona ex tribus tota et sola est ; et in tribus simul eadem tota et sola ; et in nulla persona ulla in re a sola et tota dimovetur, trine simul et singulariter culta.

AUT SIC :

Quod in Trinitate, quæ supra substantiam est, non secundum deificas personas (3) *essentia ejus terminatur ; sed est supraquam ratione comprehendi potest, una trium essentia.*

Sanctus Maximus in centuria IV, cap. 1, ait : Unum est bonum supraquam sine principio, et supra substantiam, sancta scilicet trium personarum unitas, Pater, Filius, et Spiritus sanctus, trium qui immensi sunt, immensa naturæ consociatio, quæ rationem essentiæ suæ, et quomodo, ac quid, et qualis sit nullis penitus perviam facit, siquidem omnem notionem intelligentium fugit, nequaquam ex abdito et penetrali naturæ suæ egrediens, et omnem cognitionem summam et excellentissimam in infinitum superat. Idem in eadem centuria cap. 4 : Unus Deus unius Filii genitor Pater, et unius Spiritus sancti fons, unitas sine confusione, et Trinitas sine divisione, mens sine principio, solus solius Verbi

[45] II Cor. v, 19. [46] Joan. XIV, 11.

Scholia.

(1) *Simul inducitur esse Patrem*, et Spiritum sanctum. Non hoc accipiendum est dici secundum relationem ; sic enim Filius non refertur ad Spiritum sanctum, sed ad Patrem tantum, sed accipiendum est dici secundum circumincessionem, quæ περιχώρησις a Græcis Patribus dicitur, quia in Filio sunt Pater, et Spritus sanctus ; et Filius in Patre, et Spiritu sancto ; et Spiritus in Patre, et in Filio, et denique unaquæque persona in aliis vicissim.

(2) *Quod enim est alicujus essentia.* Sicut qui hominem demonstrat, animal rationale demonstrat, quia essentia hominis est animal rationale ; sic qui unam personam divinam demonstrat, reliquas duas ostendit : quia figura, quæ habet tres angulos, æquales duobus rectis, omnis trianguli naturam demonstrat, quia una et eadem natura trianguli est in omnibus triangulis : sic una persona reliquas demonstrat, quia una et eadem natura est in tribus ; tametsi infinito intervallo absunt hæc exempla a divinis personis, quæ non possunt definiri, quia sunt infinitæ : et natura in eis non dividitur proprietatibus hypostaticis, sicut in creaturis, sed est ἁπάντων ἐπέκεινα ταυτότης, id est, est idem supra omnia eadem.

(3) Non secundum personas deificas definitur essentia Trinitatis ; definiretur autem, si quia est una et eadem, et tota in unaquaque, non esset eadem tota in tribus simul ; aut si, quia est una, eadem et tota in tribus, non esset eadem tota sine ulla variatione et differentia in singulis. Personas deificas vocat, id est, divinas, quia persona quæ deos facit, non potest esse nisi Deus.

Digitized by Google

sine principio secundum substantiam genitor, et solius æternæ vitæ tanquam Spiritus sancti fons. Item in secunda centuria cap. 1: Unus Deus, quoniam una divinitas; unitas sine principio, et simplex, et supra substantiam, et expers partis, et individua, eadem unitas, et Trinitas, tota eadem unitas, et tota eadem Trinitas; unitas tota eadem secundum substantiam, et tota eadem Trinitas secundum personas; Pater enim et Filius, et Spiritus divinitas: et in Patre, et Filio, et Spiritu sancto divinitas; tota eadem in toto Patre, et in eadem tota totus Pater; et tota eadem in toto Filio, et in eadem tota totus Filius; et tota eadem in toto Spiritu sancto, et in tota eadem totus Spiritus sanctus, tota Pater, et in toto Patre; et totus in tota Pater, et tota totus Pater; et tota eadem totus filius, et tota eadem in toto Filio, et totus tota, et in tota eadem Filius, et tota eadem Spiritus sanctus, et in toto Spiritu sancto, et totus Spiritus sanctus tota, et totus in tota eadem Spiritus sanctus. Non enim ex parte divinitas in Patre, aut ex parte Deus Pater nec ex parte in Spiritu sancto divinitas, aut ex parte Deus Spiritus sanctus: nec enim partibilis est divinitas, nec imperfectus Deus Pater, vel Filius vel Spiritus sanctus; sed potius tota est eadem, perfecta perfecte in perfecto Patre; et tota perfecta perfecte eadem in perfecto Filio; et tota perfecta eadem in perfecto Spiritu sancto, totus enim in toto Patre, et Spiritu sancto perfecte est Filius; et totus in toto Patre, et Filio perfecte est Spiritus sanctus; quamobrem et unus Deus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, una enim et eadem substantia, et virtus, et operatio Patris, et Filii, et Spiritus sancti, cum nullus sine altero sit, aut intelligatur. Magnus Athanasius, in epistola ad Serapionem: Videamus vero præterea ipsam etiam a principio relictam traditionem, et doctrinam atque fidem Ecclesiæ catholicæ; quam Dominus quidem dedit, apostoli vero prædicaverunt, et Patres servarunt. In hac enim fide Ecclesia fundata est, ab hac qui exciderit, nec erit neque dicetur Christianus. Trinitas igitur sancta et perfecta est in Patre, et Filio, et Spiritu sancto, nihil alienum, nec extrinsecus collectum habens, nec ex creatore constans, sed tota creatrix, et effectrix; sui similis, et secundum naturam individua, et una hujus operatio. Pater enim per Verbum in Spiritu sancto omnia facit, et sic servatur unitas Trinitatis; et sic unus Deus in Ecclesia prædicatur, qui est super omnia, et per omnia, et in omnibus; super omnia quidem, ut Pater, ut principium, ut fons; per omnia vero per Verbum; in omnibus autem in Spiritu sancto. Trinitas vero est non solo nomine, et fictione Verbi, sed veritate et exsistentia Trinitas. Sicut enim qui est, est Pater; sic qui est, est super omnia Deus, qui est hujus Verbum; et Spiritus sanctus non est non exsistens, sed potius exsistit et subsistit vere. Neque minus his sentit Ecclesia catholica, ne in errorem eorum, qui cum Caipha, et Judæis, atque Sabellio sentiunt, incidat; neque plus his excogitat, ne ad multitudinem deorum cum gentilibus volvatur. Et quod hæc sit Ecclesiæ fides, intelligant quomodo Dominus, cum mitteret apostolos, præcepit eis jacere hoc fundamentum Ecclesiæ: *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti* [66]. Apostoli autem profecti sic docuerunt. Et hæc est in universa Ecclesia quæ sub cœlo est, prædicatio: et hoc est fundamentum fidei Ecclesiæ. Ex his planum fit, quod omnis plenitudo divinitatis est Pater, Filius, et Spiritus sanctus; tota enim et sola divinitas de unaquaque trium personarum sine differentia ulla, et ex omni parte prædicatur, et reciprocatur prædicatio de eodem; nec variatur in ulla re, nisi in hypostaticis: atque hoc est illud mirum in modum ingens et arcanum, atque abditum, et quod nulli naturæ in ulla re contingit, quomodo trium personarum, et (si fas est dicere) trium subjectorum una est essentia actu, sola et tota in unaquaque persona, ut si una persona absolute exsisteret: unam essentiam actu dico magis unam, quam quæ est maxime omnium singularis. Ut autem repetendo summatim manifesta fiat expositio materiaria, quæ hac decade continetur, demonstratum est per propositiones affirmantes, quod non est alia, et sola natura non creata, nisi solus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; nec alia divinitas, et virtus, et operatio, nisi solus idem Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, nec est alia unitas supraquam divina, nisi Pater, Filius, et Spiritus sanctus: nec est alia in Trinitate discretio, nisi in eo quod est esse Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum; nec est in Trinitate alius fons et principium totius divinitatis, nisi solus Pater; et quod naturales et substantiales operationes ex ipso prodeuntes sunt Filius, et ejus Spiritus sanctus; nec alia est operatio, et manus, et digitus ejus, qui est supra bonum per quem omnia Deus operatur, nisi ejus Filius, principium deificandi nos, et Spiritus sanctus: neque quæcunque singulatim naturales et substantiales energiæ, sive operationes Dei dicuntur, aliæ sunt præter Filium, et sanctum ejus Spiritum; neque quæcunque uno verbo naturalia et substantialia Dei dicuntur, alia sunt præter Filium, et Spiritum sanctum; neque quæcunque in Trinitate reciprocantur, pium est dicere quidquam in eis esse et dici unius personæ, quod non sit et dicatur essentia alterius: neque quæ sunt personæ deificæ, et essentia Trinitatis, pium est dicere alterum non esse essentiam alterius; supra omnem vero mentem et rationem in tribus personis, sive subjectis una est et tota, et sola trinæ supra naturam, et infinitæ unitatis essentia supraquam divina. Perfecta itaque sunt quæ in hac decade contexta sunt et exposita, ita ut nihil desit. Est autem inscripta decas, *De infinitate in Deo*, quia omnis infinitas in Deo est Trinitas, quæ supra naturam, et supraquam incognita

[66] Matth. xxviii, 18.

Digitized by Google

est; et ipsa sola est is qui super omnia, et per omnia, et in omnibus laude et gloria celebratur unus et trinus Deus: et esse ejus est substantia, et substantia omnium; et non est in ipso ulla privatio, neque quidquam non subsistens: nec est in eo plus aut minus nisi quæ ab ipso extra se ipsum voluntate propter exuperantiam bonitatis suæ producta sunt.

DECAS DECIMA. — *DE DIVINA SIMPLICITATE.*

CAPUT I.

Quod non oportet quærere in Trinitate, quæ supra substantiam est, habitus et dispositiones, neque sunt aliqua circa ipsam quæ substantiam ejus compleant.

Sanctus Maximus, in centuria quarta, capite octavo: Ne, inquit, quæras habitus et habilitates in simplici et infinita substantia sanctæ Trinitatis, ne eam facias compositam, sicut creaturas; quod quidem in Deo cogitare absurdum et nefarium est. Divinus Damascenus: Voluntas, et sapientia, et virtus Patris est Filius; non enim oportet dicere in Deo qualitatem, ne dicamus eum ex substantia et qualitate compositum esse. Magnus Athanasius in apologetico pro synodo Nicæna, cujus principium est, *Bene fecisti, ut declarares mihi.* Si quis igitur, inquit, existimat Deum esse compositum, ut quod ex substantia et accidente compositum est; aut habere extrinsecus aliquod operimentum, et tegi; aut esse quædam circa ipsum, quæ substantiam ejus compleant, ita ut cum nos dicimus Deum, vel nominamus Patrem, non ipsam inaspectabilem, et incomprehensam substantiam ejus significemus, sed potius aliquid circa ipsum, accusent synodum, quæ scripsit, ex substantia Patris esse Filium. Considerent, quod duo blaspheme, et in Deum contumeliose proferunt, cum sic cogitant: Deum quemdam corporeum introducunt, et Dominum non ex ipso Patre, sed ex iis quæ sunt circa ipsum, mentiuntur esse. Sin autem simplex quidpiam Deus est, ut quidem est, manifestum fit quod cum dicimus Deum, et nominamus Patrem, nihil tanquam circa ipsum, sed ipsam ejus substantiam significamus (1). Et rursus idem in oratione, cujus principium est, *Omnibus vobis qui in unum convenistis*, de eo quod Patres synodi Nicænæ recte usi sunt verbo *homousii*: Quia igitur, inquit, excusatio de iis qui scandalizantur, improbabilis demonstrata est, dicite deinceps vos, quomodo non placet vobis nomen substantiæ? hoc enim necesse est primum excutere: atqui et vos scripsistis ex Patre genitum esse Filium. Si igitur cum Patrem nominatis, vel Dei nomen dicitis, non substantiam significatis, nec eum intelligitis, qui est id quod secundum substantiam est; sed aliud quid circa ipsum (2), vel aliquid deterius (3) (ne a me expromatur) his no-

Scholia.

(1) *Cum dicimus Deum et nominamus Patrem, Nihil tanquam circa ipsum, sed ipsam ejus substantiam significamus.* Non contradicit Joannes Damascenus, cum ait libro primo *Theologiæ*, cap. 9: Bonum, et justum, et sanctum, et alia hujusmodi consequuntur naturam, non autem ipsam substantiam declarant. Et capite 10: Pater, Filius et Spiritus sanctus non declarant substantiam, sed relationem. Et paulo post: Ex his ad divinam substantiam manuducti, non ipsam substantiam comprehendimus, sed quæ circa substantiam; hoc enim dixit Damascenus, scilicet non significare nomina Dei substantiam ejus, quia nullum nomen exprimit quid est Deus perfecte; sed cum significant imperfecte, sicut creaturæ imperfecte repræsentant; sic enim Damascenum interpretatus est sanctus Thom. p. 1, q. 13, art. 2, in resp. ad 1: Præterea consuetudine intelligentiæ nostræ locutus est hic Damascenus: quia enim imposita sunt nomina ad significandas res, quatenus in nostram intelligentiam cadunt; superat autem intelligentiam nostram, ut quæ propria sunt alicujus naturæ, ea intelligamus esse ipsam naturam per se subsistentem; quod in Deo tantum evenit; idcirco de iis quæ propria sunt substantiæ divinæ, tanquam de propriis naturæ creatæ, quæ non substantia, sed circa substantiam sunt, et illam consequuntur et complent loquimur, sic, inquam, loquitur Damascenus de perfectionibus divinæ substantiæ, ut loqui solemus de propriis accidentibus, quæ circa substantiam contemplamur, quæ naturam consequuntur; similiter nomen Patris, quod prius convenit Deo, quam creaturæ, et nomen Filii, et nomen Spiritus sancti, relationem, et non substantiam dicit significare; hoc etiam dicit consuetudine intelligentiæ nostræ ex creaturis sumptæ; quia hoc nomen Patris secundum modum significandi et intelligendi nobis usitatum non personam, sed relationem significat, quæ per se non subsistit, ut quidem subsistit in divinis; et ideo non potest significare relationem, quin significet substantiam personæ, quia ipsa relatio per se subsistit: sed quia hoc superat intelligentiam nostram, ideirco secundum consuetudinem intelligendi, et secundum nostrum modum significandi dixit Damascenus non significare nomen Patris substantiam personæ Patris, sed relationem, Gregorium Nazianzenum secutus, qui hoc etiam dixit in oratione prima de Filio, licet ibidem concedat ei, contra quem disputat, significare etiam substantiam. Si enim existimasset Damascenus, ideo non significare substantiam in divinis, quasi relatio non per se exsisteret, error plane fuisset, ut sanctus Thomas, 1 p. q. 33, art. 2, in resp. ad 1 notavit: Damascenus enim notasse videtur, licet non nominatim, pro ea qua fuit modestia, cum ait: Ut quidam falso opinati sunt. Item Anastasius Antiochenus in oratione prima de rectis dogmatibus veritatis: Nomina, inquit, Trinitatis, Pater, Filius, et Spiritus sanctus non significant esse, sed quomodo esse; nec enim qui Patrem dixit, substantiam significavit, sed omnino habitudinem.

(2) *Sed aliud quid circa ipsum.* Scilicet accidens individuum, quod consequitur materiam ultimam. Quod enim circa substantiam est, accidens per se est, et substantiale, quod totam speciem consequitur, quod ex principiis subjecti efficitur; quod in Deo esse non potest, in quo nihil est factum; et multo minus accidens materiale.

(3) *Aut aliquid etiam deterius*, id est, aliquid non in ipso tanquam accidens, neque circa ipsum

Digitized by Google

minibus significatis, oportebat ut non scriberetis A vos, ex Patre Filium genitum esse, sed ex his quæ circa ipsum, vel in ipso sunt; ut cum refugitis a dicendo vere Patrem Deum, et eum qui simplex est, compositum et corporeum cogitatis, novarum blasphemiarum inventores reperiamini. Cum autem sic cogitatis, necessario etiam verbum non substantiam, sed nomen solum existimatis, denique usque ad nomina opinionem vestram affertis; et quæ dicitis, non creditis esse, sed potius non esse sentitis. Hæc autem audacia Sadducæorum potius (1), et eorum qui apud gentiles sine Deo sunt, exsistit. Quocirca neque ipsam creaturam ipsius qui Deus est, fabricam esse dicetis, si hoc nomen Pater et Deus non ipsam causam eorum quæ sunt, significant, sed aliud quidpiam quod vos fingitis: verum hoc B indecorum, et valde impium est vel solum cogitare. Sin autem cum audimus: *Ego sum qui sum* [65]; et illud, *In principio fecit Deus cœlum et terram* [66], et: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Dominus unus est* [67], et illud, *Hæc dicit Dominus omnipotens*, non aliud præterquam simplicem, et beatam, et incomprehensam ejus qui proprie est, substantiam intelligimus (etsi enim non possumus comprehendere quid tandem est, tamen cum audivimus dici Patrem et Filium, et omnipotentem, nihil aliud quam substantiam ipsam ejus qui est, significari intelligimus; et vos dixistis ex Deo Filium, scilicet ex substantia Patris eum dixistis, quia et ante nos dicunt Scripturæ Dominum Filium Patris, et ante ipsas C idem Pater dixit: *Hic est Filius meus dilectus* [68]; filius autem nihil aliud est, nisi fetus ex patre), quomodo non videntur Patres bene dixisse ex substantia Patris esse Filium, recte arbitrati idem esse dicere ex Deo, et dicere ex substantia Dei? Ex quibus fit manifestum quod in unitate, quæ supra substantiam est, non oportet quærere habitus et dispositiones; nec an sint circa ipsam aliqua naturalia, et substantiæ propria ad complendam substantiam ipsam: nisi forte a nobis sic dicuntur consuetudine intelligentiæ nostræ; et quia non possumus aliter intelligere, qui nunc vitam per speculum, et in ænigmate transigimus.

CAPUT II.

Quod non oportet quærere in Trinitate accidentia quæpiam, quæ in substantia ejus exsistant: nec differentias substantiales in ipsa intelligere, siquidem et in incorporeis, quæ ab ipsa producta sunt, non oportet quærere differentiam substantiæ, et energiæ, neque tanquam aliud in alio ista ut exsistant, accidere.

Sanctus Cyrillus lib. xxxi *Thesaurorum*: Si igitur non quæcumque dicuntur inesse in Deo secundum naturam, hæc omnino erunt substantia ejus, relinquitur ut dicamus esse ea accidentia substantiæ sic voce tenus intellecta (*a*). Non enim potest natura humana aliquid majus (*b*) in Deo dicere, quam secundum se (2); idcirco consuetudine propria utimur, cum ea quæ naturæ nostræ conveniunt, majorum rerum exempla facimus, ut qui in parva tabula orbem cœli describunt. Idem in eodem libro: Sapientis est dicere, nihil accidere substantiæ Dei, quia habet ex se ipsa perfectionem, sed videmus quod multa ratio coget nos ad intelligendum in Deo tanquam accidentia ea quæ hujusmodi sunt, etsi penitus non acciderunt. Et idem adhuc: Si ergo quædam res tanquam accidentia Deo, intelliguntur, quid frustra contenditis non esse dicendum accidisse Deo ingenitum esse, cum quædam hujusmodi appareant, quæ sunt secundum substantiam ejus? Et rursus idem: Non enim est substantia Dei ingenitum, aut incorruptibile, aut immortale, vel inaspectabile, nam si unumquodque horum substantiam (3) significat, ex tot substantiis compositus erit Deus, quot sunt ista quæ

[65] Exod. III, 14. [66] Gen. I, 1. [67] Deut. VI, 4. [68] Matth. XVII, 5.

Scholia.

tanquam complens substantiam ejus, sed aliquid circa ipsum extrinsecus, ut indumentum, ut paulo supra dixerat idem Athanasius.

(1) *Sadducæorum potius.* Antiqui ignorantes vim intelligendi, et non distinguentes sensum ab intellectu, existimarunt nihil esse in mundo, nisi quod sensu et phantasia comprehendi posset; et quia in phantasiam non cadit nisi corpus, existimarunt nullam rem esse in mundo nisi corpus, ut Arist. IV *Physic.* tradit; ab istis profectus est error Sadducæorum, qui aiebant, non esse Spiritum, hæc S. Thom. I p. q. 50, art. 1: Idem evenit gentilibus, qui sine Deo erant colentes opera manuum hominum

(2) *Hoc* est quod dicit S. Thom. I p. q. 39, art. 2, quod sæpe alias repetit, intellectus noster res divinas nominat, non secundum modum earum, quia sic eas cognoscere non potest, sed secundum modum in rebus creatis inventum.

(3) *Si unumquodque horum substantiam significat, ex tot substantiis compositus erit Deus, quot sunt ista quæ reperiuntur convenire illi naturaliter.* Contra Eunomium disputans hoc dicit; ille enim, quia ingenitum dicitur de Deo Patre et ingenitum aliud nomen est a genito, argumentabatur aliam substantiam significare ingenitum, et aliam genitum, quasi una substantia non posset diversis nominibus affici. Sic enim sanctus Maximus in eo loco orationis primæ Gregorii Nazianzeni, de Filio, ubi quærit Eunomius, quid Pater significet, explicans eum: Interrogabant, inquit, hæretici, Est ne Pater nomen substantiæ, an energiæ? ut si dixerimus esse nomen substantiæ, hinc colligant, Filium esse diversam substantiam a substantia Patris: ὡς τῆς αὐτῆς οὐσίας δύο μὴ ἐπιδεχομένης καὶ διάφορα κυρίως ὀνόματα, id est quasi una substantia non reciperet duo et diversa proprie nomina, si enim pater est nomen substantiæ, nunquam ejusdem substantiæ nomen erit Filius. Hactenus sanctus Maximus, et beatus Basilius libro II *Contra Eunomium*: Quomodo igitur, inquit, o sapientissime, si diver-

(*a*) Id est secundum modum significandi et intelligendi nobis consuetum capit.

(*b*) Id est, aliquid majus, quam ut ex rebus creatis dicit, ex quibus scientiam capit.

Digitized by Google

motus et status illic saltem per se subsistentes sunt, et virtutes viventes, ac superiores, quam ut in eas cadant variationes eorum quæ fluxa et corporea sunt. Potes autem aliter etiam intelligere virtutes, et operationes, virtutes quidem, quia nondum omnia creata essent, virtute tamen omnia in Deo prius exstiterunt, quæ producenda erant ab ipso; operationes vero, quando jam creatura ad effectum adducta est. Ex his manifestum fit, in unitate, quæ supra substantiam est, non posse accidens versari, neque secundum habitum, neque secundum (*a*) dispositionem, neque secundum operimentum (1), neque secundum subexsistentiam (*b*), neque secundum consequentiam. Si autem tanquam accidens dicatur, voce tenus tantum secundum cogitationem humanam, quia dicitur tantum, ostenditur: neque differentias substantiales pium est in hac Trinitate intelligere; est autem extremæ impietatis excogitare aliud in hac; aliud enim in alio, et tanquam in subjecto, denique accidens (*c*) neque in incorporeis cœlitibus (2) ab ipsa creatis, qui materia vacant, locum habet.

CAPUT III.

Quod in unitate, quæ supra substantiam est, non est quærenda ubique differentia causæ, et causam habentis, ubi ex se ipsa dicitur exsistere; et ubi ex se ipsa prodit sua energia, sive operatio, et ubi ex se ipsa, et per se ipsam ad seipsam remeat.

Magnus Dionysius cap. 9 *De divinis nomin.*: Quid autem de divino statu, vel sede dicimus? quid vero aliud, præterquam manere Deum in seipso, et in eodem statu immobili firme fixum esse et supraquam fundatum esse stabiliter, et secundum eadem, et circa idem ipsum, et similiter operari; et omnino esse a se ipso immutabilem, et non posse transmoveri, et esse ex toto immobilem, atque hæc quidem supra substantiam. Idem in hymnis amatoriis ex S. Hierotheo: Producens, inquit, una est simplex virtus, per se movens ad amatoriam quamdam mistionem ex bono usque ad extremum eorum quæ exsistunt, et ab illo rursus consequenter per omnia ad bonum, ex se ipsa, per se ipsam, et in se ipsa se ipsam revolvens, et ad se ipsam semper eodem modo revertens. Idem, in epistola ad Titum: Sic enim contemplantes scilicet mysteria nuda velis, venerari poterimus fontem vitæ videntes in se ipsum effusum, et in se ipso manentem, et unam quamdam virtutem simplicem, per se mobilem, per se operantem, nunquam se ipsam derelinquentem, sed cognitionem omnium cognitionum vincentem, et semper se ipsam per se ipsam videntem. Adhuc idem cap. 4 *De divinis nominib.*: Amorem vero, inquit, et charitatem Deum vocant, utpote vim ad se adducendi habentem, qui solus est ipsum propter se pulchrum et bonum, et qui est sui per se ipsum patefactio, et eximiæ copulationis in unum bona emanatio, et amatoria motio, simplex, per se mobilis, per se agens, pro-

Scholia.

potentias ejus operatrices, quæ energiæ dicuntur, et motum proprium ad operationes naturæ angelicæ, et quietem quibus angelorum natura definitur, per se dicit subsistere; motus dixi ad operationes, quales sunt ministrationes propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, sicut Apostolus ait (*Hebr.* 1, 14); item contemplatio Dei, et perpetua laudatio, et in eis stare, ac quiescere; hæc, inquam, substantialia sunt, id est, propria substantiæ eorum: unde illis tribuit sanctus Maximus, quod substantiæ, ad quam pertinent, convenit, id est, per se subsistere et vivere, et non per accidens; quia hæc in substantia angelorum copulata sunt μονοειδῶς, id est, in unam unionem cum ipsa, salvis alioqui, et non confusis propriis rationibus singulorum, ut ibidem ait Dionysius: alia est enim ratio proprietatis et alia substantiæ, cujus est proprietas, quæ est accidens per se, sive proprium; sic etiam locutus est Simplicius, quem S. Thom. in illo art. quæstionis, quam paulo ante dixi, citat, etsi non probat: Sapientia autem, inquit Simplicius, quæ est in anima, habitus est; quæ autem in intellectu (id est, in substantia intellectuali) substantia est; substantiam dixit pro eo quod est substantialis; sic enim intelligendum est, ut S. Maximus intellexit, siquidem substantialia philosophi, ut antea dixi, et ut idem S. Maximus notavit, ad substantiam referunt, et hoc nomine substantiæ illa comprehendunt, alioqui idem S. Maximus cap. 1, *De divinis nominib.*, Sciendum est, inquit, quod aliud est substantia, aliud potentia; substantia enim est ex iis quæ per se exsistunt, potentia vero ex iis quæ in alio sunt.

(1) Accidens id est, κατὰ περιβολήν, id est, secundum operimentum, est tegi extrinsecus, ut habere, indumentum, quod ad categoriam habendi pertinet; de hoc Athanasius paulo ante, cap. 1 hujus decadis: Accidens κατὰ παρυφίστασιν, id est, secundum subexsistentiam, est accidens secundum privationem, ut invisibile, tenebræ, et similia: privatio enim est omnino non ens, quia habet subexsistentiam in habitu, cujus est privatio, et per quem cognoscitur; ut tenebra in luce, cujus absentia est tenebra, quæ cognoscitur cognoscendo lucem abesse. Accidens κατὰ συνέχφανσιν est accidens quod consequitur naturam, quod vocatur accidens proprium, quod ex principiis essentiæ rei nascitur; ita ut declarata natura, simul declaretur quod eam consequitur, ut risibile consequitur naturam hominis; Damascenus vocat παρεπόμενον τῇ φύσει. Quod alienum etiam est a Deo, qui est supraquam simplex natura. Cum ergo dicimus in Deo esse sapientiam, justitiam, et alia similia ei tribuimus, ita loquimur, ut assueti sumus cogitare; quia intellectus noster non res secundum modum earum, sed secundum modum suum intelligit; itaque voce et locutione secundum humanam cogitationem, quam de creaturis habet, accidentia tribuimus Deo, non autem re et veritate.

(2) *Accidens neque in incorporeis.* De accidente communi quod materiam consequitur, quod proprie dicitur esse in subjecto, intelligendum est; accidens enim proprium ipsius naturæ potius dicitur esse substantiale, quam esse in subjecto, quia non potest adesse et abesse a subjecto.

(*a*) Ut cum Deus dicitur indutus, non significatur accidens ex categoria habere.

(*b*) Ut privationes subexsistunt in habitibus.

(*c*) Accidens scilicet, quod materiam consequitur, id est, accidens corporeum: quia angelus non est corporeus, et multo minus Deus, imo in infinitum minus.

Digitized by Google

dicns in bono, et ex bono in creaturas manans, et rursus in bonum remeans, in quo et fine et principio carere divinus amor egregie demonstrat, sicut quidam perpetuus et sempiternus orbis propter bonum conversione inerrante se circumvolvens, et in eodem secundum idem et procedens semper, et manens, et revertens. Sanctus Maximus in scholiis in Dionysium c. 1, *De divinis nominib.* : In universum igitur non est audendum loqui neque cogitare de divinitate supra substantiam, et abdita. Divinitas enim solius Dei omnibus occulta virtus est θεαρχικὴ eorum qui dii dicuntur, tum angeli, tum homines, quatenus effectrix est eorum qui participatione efficiuntur dii ; ipsa, quæ vere ex se et sine causa est per se divinitas. Gregorius Theologus : Et ad unum, eorum qui ex ipso, consensus. Quem locum cum edisserit sanctus Maximus : Nisi fallor, inquit, unam dicit divinitatem ; ex ipso autem uno tres personas. Divinus Damascenus : Divinitatem in tribus splendentem, uno splendore ex una Divinitate trium personarum fulgente. Patrem sine principio, ejusdem naturæ Verbum Patris, et conregnantem ejusdem substantiæ Spiritum. Sanctus Theophanes : Unum trium fulgorem subsistentem ex una prodeuntem divinitate, idem tribus fulgoribus splendens ex una divinitate prodeuntibus. Et iterum : Tanquam enim ex uno sole Trinitas splendens. In actis sextæ synodi œcumenicæ, Utriusque naturæ, inquit, utramque operationem scimus, naturalem dico, et substantialem, et congruam sine divisione (1) ex utraque substantia et natura prodeuntem secundum operationem et qualitatem naturaliter insitam (*a*) ; et simul neque partibilem, neque confusam alterutrius substantiæ operationem conjuncte (2) inductam, hoc facit differentiam operationum in Christo, sicut et differentiam naturarum. Ex quibus efficitur manifestum, in unitate, quæ supra substantiam est, non oportere considerare quod ex se ipsa existere dicitur, vel ex se ipsa prodit operatio ; vel ex se ipsa, per se ipsam, in se ipsam revolvitur, et idcirco differentiam causæ et causam habentis sequi : quin potius manifestum est prodire ex se ipsa sine distantia, et sine causa, et sine divisione ; ut si esset virtus quædam absoluta, et motus simplex : per sei psam mobilis, per se operans, ex se ipsa, per se ipsam, ad se ipsam revertens et ad ipsam semper eodem modo se revolvens, et conversione inerrante circumiens. Simul tamen demonstratum est non oportere ubicunque aliquid ex aliquo dicitur, quærere differentiam causæ, et ex causa proficiscentis ; demonstratum, inquam, est non solum ex iis quæ prius diximus, sed etiam ex iis quæ modo subjecta sunt, quibus ostenditur confitendum esse tres personas ex una divinitate prodire. Si ergo dici ex aliquo, ubique differentiam causæ, et causam habentis, introduceret, necessario tota Trinitas causam haberet ; ex quo fieret, ut Pater in Trinitate ex causa profectus esset ; at hoc absurdum est. Non igitur jam ubicunque ex aliquo, in divinis dicitur, ibi differentia causæ, et ex causa proficiscentis ostenditur ; ac præterea prodire in divinis sine divisione tantumdem est, quantum sine distantia, sive differentia, et sine causa esse, siquidem quoad Trinitatem, quæ supra substantiam est, quatenus Trinitas colitur, non habet in ea locum τὸ ἀδιαίρετον, id est, illud sine divisione, quin potius dividitur divinis et deificis personis : critque, quatenus Trinitas est, vere discreta Trinitas, sicubi vero dicatur Trinitas non divisa, non quatenus Trinitas dicitur, sed quatenus ipsa Trinitas unitas est ; igitur non esse divisionem in divina unitate, est non esse differentiam in ea, nec esse causam ejus.

CAPUT IV.

Quod in unitate Trinitatis non oportet quærere aliud substantiam, et aliud energiam sive operationem : neque tegi homonymia verbi energiæ, *nec existimare non idem esse in ea substantiam et energiam.*

Sanctus Gregorius Nyssenus, libro IX *Contra Eunomium* : Quis est, inquit, dic mihi, Deus ? quibus dominatur, qui est aliud quid præter potentiam ? Si dominatur, et aliud est potentia, igitur vincitur potentia a non potentia ; quod enim est aliud quam potentia (3), potentia prorsus non est :

Scholia.

(1) *Sine divisione.* Scilicet personæ ; non enim propter differentiam substantiarum divinæ et humanæ divisus est Christus, quin potius idem est perfectus Deus, et perfectus homo ; rursus sine divisione, quia operatio divinæ naturæ est operatio trium personarum, quarum unitas essentiæ, ut est in synodo sexta, actione 11, non potest partiri, nec alteri unitati copulari, sed potius singularis est, extra omnem numerum.

(2) Operationem *alterutrius substantiæ conjunctæ inductam dicit*, quia sic operabatur utraque natura quod proprium erat, ut altera simul operaretur convenienter sibi, et ut se decebat ; sive enim operationes essent Deo convenientes, ut miraculum, caro operabatur, ut cum potestate divina remittebat peccata, et ore dicebat, *Remittuntur tibi peccata tua*, et potestate divina restituebat visum, et manu et sputo linibat oculos ; sive operationes humanæ naturæ convenirent, ut sitire, esurire, fatigari, Verbum operabatur permittendo, et volendo sive operationes essent mistæ, id est, partim divinæ, partim humanæ, hoc est Deo convenientes, et homini ; ut ambulare super mare ; ambulare enim homini conveniebat, non deprimi ambulando super mare, Deum decebat, quæ operationes θεανδρικαὶ a Dionysio dicuntur, id est, simul divinæ et humanæ.

(3) Deus est suum posse, et suum esse, et suum operari, et non est in eo aliud posse, aliud esse, aliud operari, sed potius unus simplicissimus actus, et una simplicissima substantia ac potentia, sive virtus.

(*a*) Qualitatem naturalem vocat proprietatem utriusque naturæ.

Digitized by Google

atque ita reperitur, quatenus potentia non est, A dominari potentiæ. Justinus martyr in iis quæ Photius patriarcha ex eo recitat, Alia quidem, inquit, potentia sunt aliquando, et actu ; Deus autem, ut mens perspicax intelligere potest, semper est energia, id est, actu, non enim ex imperfecto ad perfectum procedit ; nec aliud quidquam præter ipsum per se actum, est ipsa per se substantia. Theodorus cognomento τῶν Γραπτῶν, in sua *Contra oppugnatores imaginum* tractatione : Non, inquit, ut quidam olim nugati sunt, cœlos a persona sua vacuos cum carnem assumpsit, facere voluit, esseque nobiscum secundum substantiam, energia vero et dignitate apud Deum Patrem, quia aliud substantiam, aliud energiam, ut in iis quæ corporea esse cogitantur, sic in Verbo Dei ponebant ; quod quidem pii negant. Sciunt enim in simplicibus et incorporeis (1) nihil ista differre : quia non sunt hæc inter se discernenda, ne quod est supra omnem simplicitatem, compositum esse intelligatur. Sanctus Maximus in adnotatione extrinsecus apposita ad cap. secundum centuriæ primæ: Bonum, inquit, proprie secundum substantiam ex iis quæ sunt, cognoscimus creaturarum effectorem, quod est, non quid secundum naturam est, plurimum enim differt credere aliquid esse, ab eo quod est, scire quid demum est hoc. Ex bonitate igitur et energia, et ex operibus providentiæ propriis cognoscitur Deus, sed non ex substantia. Energiam vocamus hic opera, non autem potentiam, sive virtutem operationis ; hæc enim nihil aliud est, præterquam substantia Dei, ne compositio in Deo esse existimetur. Magnus Athanasius libro primo contra Arianos : Interrogent, inquit, Græcos, ut cum audierint quot significationes habet verbum, discant se non bene scire de quibus loquuntur. Et in epistola ad Serapionem : Cum hæc sic sint, et tanta differentia spirituum ostendatur, meliores essetis, si de creato spiritu audientes, de uno quopiam ex dictis sentiretis. Et sanctus Maximus, in disputatione contra Pyrrhum : Dicere, inquit, et non prius distinguere significata verbi, nihil aliud est quam omnino confundere, et obscura relinquere ea, de quibus quæstio est : quod quidem alienum est ab homine rationis participe. Idem in eodem : Superius etiam dictum est, oportere eum qui de veritate disserit, distinguere eorum quæ dicuntur, significata, propter errorem ex homonymia proficiscentem. Sanctus Anastasius Antiochenus in libro qui inscribitur, *Quod Deus est incircumscriptus :* Tripliciter, inquit, dicitur energia, potestas, sive vis, secundum quam naturale est Deo operari ; et habitudo operantis ad opus factum, et ipsum illud opus factum. Præterea sanctus Joannes Damascenus in sermone inscripto, *De proprietatibus Christi :* Energia, inquit, aliquando significat virtutem operandi, aliquando operari, aliquando opus effectum. Magnus B Basilius in v. Ἀντιῤῥητικῶν : Illud ex aliquo accipitur, inquit, vel quatenus pertinet ad creationem, ut cum dicimus omnia ex Deo ; vel ad generationem ut illud : *Ex utero ante luciferum genui te* [69] : et illud : *Ego enim ex Deo exivi* [70] ; vel naturaliter, ut cum dicimus, Energia nostra ex nobis est (*a*), splendor solis ex ipso. Si igitur corpus Christi divinum ex Spiritu sancto est, non potest esse ex eo genitum, quia quod natum est ex carne, corpus est ; quod autem ex Spiritu, spiritus, neque rursus naturaliter ex ipso esse, sicut energia ejus, quoniam in simplici (2) et incorporea natura eamdem rationem subit substantia et energia ejus ; relinquitur igitur ex ipso esse tanquam creaturam ejus. Idem libro C secundo : Si quidem nihil commune habet virtus cum substantia, quomodo ex creaturis, quæ sunt effectus virtutis, ad cognitionem ejus facta est via ? Sin autem idem est substantia atque virtus, quod virtutem signat, signabit plane etiam substantiam. Divinus Theodorus cognomento Γραπτὸς, tractans dictum Basilii : Sic, inquit, pie intelligatur divina energia sive operatio æterna : quin potius ipsa per se energia, ut non distinguatur a substantia, sed potius eamdem rationem habeat propter proprietatem simplicitatis, et incorporeæ naturæ. Magnus Athanasius, in disputatione Anomœi (3), in persona adversarii : Dic, inquiunt, energiæ imaginem (4).

[69] Psal. cix, 3. [70] Joan. xvi, 27.

Scholia.

(1) *In simplicibus et incorporeis nihil ista differre.* Scilicet substantiam et energiam. Loquitur de simplicibus et incorporeis, quæ sunt suum esse, cujusmodi sunt personæ divinæ, unaquæque enim earum est suum esse, et actus purus, et ideo non potest esse Deus subjectum accidentis ; subjectum enim comparatur ad accidens, sicut potentia ad actum.

(2) *In simplici et incorporea natura* eamdem rationem subit substantia et energia. Id est, idem sunt essentia et virtus ejus operandi ; de substantia simplici, quæ est purus actus qui solus Deus est, intelligendum est sicut intelligendum est quod dixit Boetius, formam simplicem non posse esse subjectum ; sic interpretatus est S. Thom. D 1 p. q. 54. In angelo enim non est idem essentia ejus, et virtus ejus intellectiva ; sed potius hæc est accidens a materia liberum in essentia angeli tanquam in subjecto recepta.

(3) In disputatione *Anomœi et Orthodoxi*, quæ tota est de ingenito, et genito, Anomœum vocat Athanasius Eunomium, et Ætium, qui Filium faciebant dissimilem Patri, hoc enim significat Ἀνόμοιος, sive Anomœus.

(4) Dic, inquiunt, *energiæ imaginem*. Quatenus energia est virtus Dei effectrix, idem est atque substantia Dei ; et Filius est imago energiæ Dei, sicut est invariabilis imago substantiæ, consilii, voluntatis, virtutis, sive potentiæ, et gloriæ, sicut ait idem Athanasius in eadem disputatione Anomœi,

(*a*) Energia nostra ex nobis, ut respiratio, cibi concoctio et similes operationes.

Digitized by Google

Si vero idem est energia atque substantia, substantiæ ergo imago erit Filius. Gregorius Nyssenus, libro XIII, *Contra Eunomium*, clarius hanc rationem explicans et distinguens : Progrediens enim, inquit, Eunomius, tanquam ratione recte conclusa, alia magis difficilia quam superiora, ut appellat, crimina in nos intendit, multa indignatus, et calumniatus rationem, auditoresque ad ea quæ dicenda sunt, vehementer irritato, in quibus quædam accusat impie a nobis confici, quasi nos non solum nominationes Deo attributas ad nostras cogitationes accommodemus, tacens interim quæ ista attributio nominationum, et quando, ac quomodo facta, sed quasi omnes res misceamus, et in unum atque idem Unigeniti substantiam et energiam conducamus, nulla de hoc ipso disputatione habita, neque demonstrato quomodo a nobis conficitur, unum et idem esse energiam atque substantiam. Apparet tamen ex verbis Eunomii, quod dogma Arianorum erat discernere a Dei substantia energiam ejus. Declarat autem hoc Eunomius in iis quæ contra Basilium Magnum scribit. Ait igitur : Non oportet eos qui veritati credunt, sequentes sententias aliorum non excussas et inconsideratas, dicere unum esse energiam atque substantiam. Adhuc idem : Igitur si ratio concluxit voluntatem esse energiam, non autem substantiam energiam, exstitit autem Patris voluntate Filius unigenitus, non ad substantiam, sed ad energiam, quæ est etiam voluntas, necesse est servare Filium similitudinem ; ac rursus non cum substantia imago ferat similitudinem, sed cum energia. Contra hoc autem objicit Basilius libro secundo Τῶν ἀντιῤῥητικῶν : Si Unigenitus est imago energiæ, energia autem est dignitatis, dignitas vero substantiæ, erit Unigenitus substantiæ imago. Et Gregor. Nyssen. in primo *Contra Eunomium* : Si non est, inquit, in propria substantia energia, quæ Deum quidem sequitur, Filium vero operatur ; quis tam cæcus est qui non videat blasphemiam confectam ? Ex quibus fit manifestum, quod in unitate quæ supra substantiam est, non est quærendum aliud substantia, et aliud energia ; neque oportet regi multiplici significatione verbi *energiæ* ; energia enim hic virtus operandi universum celebranda est, quæ est principium omnium, et cujus substantia est energia, non autem illa energia hic laudanda est (1), quam habitudo continet, vel habitudinis effectus ; utrumque enim horum cum sit imperfectum, multum abest a perfectissimo principio, cui qui addit, nulla alioqui re indigenti, minuit addendo. Neque pium quidem erit existimare non idem esse substantiam et energiam, non solum propter ea quæ Ariani blaspheme in Filium Dei dicunt, sed quia imperfectum aliquid perfectissimæ unitati attribuere omnino fœdissimum, et a ratione maxime alienum est.

CAPUT V.

Quod in unitate, quæ supra substantiam est, non oportet quærere energiam (2) per se sine substantia, et non per se existentem ; neque cogitare simul aliud quid cum ipsa unitate, neque ab ea distinguere suam energiam.

Magnus Basilius in quarto libro Τῶν Ἀντιῤῥητικῶν, cap. 51 : Si quis dixit personam sine substantia, negavit etiam exsistentiam substantiæ ; quod enim substantiam non habet, et per se non exsistit, significat naturam, quæ non exsistit, neque prorsus est. Gregorius Nyssenus libro primo *Contra Eunomium* : Si enim, inquit, energia Dei naturalis non exsistit per se, et in hac includitur opus ex non exsistente confectum, talis plane naturæ esse intelligitur opus factum, qualis natura ejus causæ quæ opus effecit ; cogitatione ficta est ; quod enim factum est ex non exsistente, et in eo continetur, omnibus manifestum est non exsistere. Idem in eisdem : Effectum enim non exsistentis non parum demonstrat consecutio hæc necessaria ; quin potius sic demonstrat, ut neque per prædicationem dicere periculo vacet (3). Sicut enim necessario confitendum est esse quod ortum ducit ex eo quod est (*a*) ; sic contra, necessario confitendum erit non

Scholia.

de qua paulo ante memini. Ut vero accipiebant Ariani vocabulum energiæ pro virtute Patris generativa ; aiebant fuisse Filium in Patre σπερματικῶς. At, inquit Athanasius, si splendor est in luce σπερματικῶς, id est, seminaliter, sit etiam Filius. Deinde genitus est, inquit, Filius perfectus ex perfecto et non προκοπῇ τελειούμενος, id est, non est proficiendo ad perfectum adductus, sicut quæ in semine continebantur, ex imperfecto ad perfectum progrediuntur. Idcirco, inquit Athanasius, dixit Apostolus *Character substantiæ*, et non *energiæ*. Character autem substantiæ non perficitur proficiendo, sed in ipsa essentia habet perfectionem ; sicut homo est character substantiæ hominis non ex profectu sive progressione, sed ἐξ αὐτῆς σῆς ταυτότητος, id est, ex ipsa eadem natura humana. Energia itaque quæ Deum sequitur, non differt a substantia ejus, sed idem penitus est, secus de operationibus, quæ non sequuntur naturam divinam, sed ex voluntate ejus, et non ex natura pendent.

(1) *Non autem illa energia hic laudanda est, quam habitudo continet.* Id est, non laudamus Deum ab eo quod sit ipsa operatio, quæ refertur ad operantem Deum, et ad opus : hæc enim relatio est in creaturis, quæ a Deo pendet, sicut creatura, et ut accidens est, in hæret subjecto : utrumque autem est imperfectionis, et ideo non potest attribui Deo ; quod si non est operatio Deus, nec erit opus, quod operatione perficit.

(2) *Energia* proprie vocatur operatio, quæ consequitur naturam, quæ est virtus operandi ; quæ est in Deo infinita. Ariani enim energiam, sive operationem Dei naturalem a substantia distinguebant, et Filium aiebant esse non ex substantia Dei, sed ex energia ejus, id est, ex virtute generativa ; at in Deo omne quod est, Deus est quia est actus purus ; non sicut in angelis, qui, ut ait Dionysius in *Cœlesti hierarchia*, dividuntur in substantiam, virtutem et operationem : unde aliud est in eis substantia, aliud virtus intelligendi, aliud intellectio. Deus vero est sua intellectio, et sua virtus.

(3) *Ut neque per prædicationem dicere periculo vacet.* Quia in Deo dicimus esse sapientiam, bonita-

(*a*) Esse substantiæ est esse per se ; esse accidentis est inesse alteri.

Digitized by Google

esse quod ex eo quod non est, nascitur. Cum enim ipsum non est, quomodo aliud ex ipso per se exsistet? Si enim non est in substantia propria energia, quæ Deum quidem consequitur, Filium vero efficit, quis tam cæcus est, ut non videat, quæ blasphemia conficiatur (*a*)? Adhuc idem in eisdem : Si enim qui hæc absurda devitat, energiam dicit esse rem quamdam non per se exsistentem, cujus effectum esse Filium decernit, dicat rursus quomodo sequitur ex eo quod non est, id quod est? quomodo quod non exsistit per se, operatur ea quæ per se sunt? Reperientur enim in his consequi quidem Deum quæ non sunt, ea vero quæ non sunt, causam esse eorum quæ sunt; et quæ non exsistunt per se natura sua, definire et circumscribere naturam eorum quæ sunt : et virtus, quæ omnem creaturam efficit et creat, comprehensa erit in eo quod secundum propriam rationem non exsistit. Idem adhuc in eisdem : Hactenus autem dignum est consideratione, quomodo energiæ consequantur substantias; et quid sint secundum propriam naturam, aliudne præter substantias, quas consequuntur, an pars illarum, et ejusdem naturæ? quod si aliud sunt; quomodo, et a quibus productæ? sin autem idem ipsum, quomodo abscisæ, pro eo quod simul cum eis exsistere debebant, eas extrinsecus consequuntur? utrum necessitas quædam naturalis cogit ut involuntarie sequatur substantiam energia, quæcunque tandem ea sit; sicut ustio ignem sequitur, et vapores atque halitus corpora illa sequuntur, unde fiunt? at non puto ipsum dicere hoc, ut existimet variam quamdam rem et compositam esse substantiam Dei, quæ inseparabilem, et secum simul cogitatam energiam habeat, ut accidens in subjecto demonstretur, sed eam potius voluntarie et libere excitatam, energias ut videtur, dicit per se esse efficere. Ecquis quod ex providentia voluntarie fit, sequi dicit sicut aliquid eorum quæ foris sequuntur? Nec enim secundum communem consuetudinem in hujusmodi rebus hoc vocabulum tritum esse cognovimus, ut energia, id est, operatio laborantis (1) in aliquo, dicatur sequi laborantem; nec enim fieri potest ut qui alterum ab altero disjunxit, quod relinquitur, per se intelligat : imo qui energiam, id est operationem dixit, simul comprehendit ratione, quod secundum energiam, id est, operationem movetur : et qui meminit operantis, energiam, id est operationem simul cum eo tacite significavit; sed manifestius, quod dicimus, exemplis fiet. Dicimus quemdam fabrefacere, aut ædificare, aliudve aliquid eorum quæ talia sunt, operari; una igitur voce et energiam, id est operationem, et eum qui artem exercuit, per se oratio repræsentavit : ita ut si alterum separetur, non subsistat reliquum. Sanctus Cyrillus, libro VII *Ad Hermiam* : Simplex, et non compositus proprie et primum Deus, o amice! non ex natura et energia, tanquam alia præter ipsum, compositus esse intelligitur, sed potius unum quid esse omne. Et sanctus Maximus edisserens hanc rationem : Omne, inquit, quod habet aliquid simul cogitatum ad declarationem suæ propriæ exsistentiæ, compositum est, et non simplex proprie. Ex his efficitur manifestum, quod in unitate, quæ supra substantiam est, omnino absurdum est, energiam ejus quæ omnium efficacissima est, et supraquam infinitæ virtutis, ponere non per se exsistere secundum propriam suam rationem. Sin vero per se vere exsistit, majus adhuc absurdum, et magis impium appareat, simul cum ipsa unitatem, quæ omnem simplicitatem vincit, cogitare, vel prorsus hanc ab hac distinguere, existimareque aliud esse suam substantiam, aliud vero suam energiam, id est, suam virtutem propriam operandi.

CAPUT VI.

Quod in unitate Trinitatis non oportet quærere aliud substantiam, et aliud bonitatem; nec aliud formam, et aliud substantiam; nec aliud vitam, vel sapientiam, vel virtutem, aliud vero substantiam ejusdem.

Dominus in Evangelio ait : *Nemo bonus, nisi unus Deus* [71]. S. Cyrillus, in *Thesauris* libro XII, cap. 14 : Quomodo, inquit, est unus bonus, ut ipse testatur? nempe quia sancta Trinitas in unam divinitatem redit propter unam et eamdem substantiam, ut tantum divina substantia sit bonum proprie. Magnus Basilius : Bonus, inquit, Spiritus, sicut bonus Pater, et sicut bonus ex bono genitus, cujus substantia est ipsa bonitas. Sanctus Gregorius Nyssenus, in libro *De vita Moysis*, ait : Primum, et proprie bonum, cujus natura est bonitas, ipse Deus, quodcunque natura intelligitur (2), hoc est, et nominatur. Et magnus Apostolus : *Qui cum in forma*,

[71] Luc. XVIII, 19.

Scholia.

tem, justitiam, et alia hujusmodi, non quod per essentiam aliud sit in alio, quin potius idem est quod est, et in quo est, sed per prædicationem sic loquimur nullo periculo. Ut enim ait Cyrillus in *Thesaur.*, lib. II, cap. 1 : Multa de Patre et Filio divinæ Scripturæ prædicant, neque tamen diversitas nominum diversitatem substantiæ ostendit, nec ulla dissimilitudo essentiæ inter Patrem et Filium intelligitur, at prædicare Filium esse genitum ex non exsistente, neque sic quidem a periculo vacat, qui enim sic prædicat, consequenter dicturus est non exsistere genitum, aut genitum esse perfectiorem genitore.

(1) In iis quæ ad aliquid dicuntur, non habet locum alterum consequi, sed utrumque simul esse, et simul tolli, et idcirco de operatione quæ est habitudo, non proprie dicitur energia.

(2) *Quodcunque natura intelligitur*, hoc est, et

(*a*) Scilicet conficitur Filium genitum esse perfectiorem genitore, siquidem Filius per se est, et ex quo est, non est per se.

Digitized by Google

inquit, *Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo* [73]. Divinus Chrysostomus in oratione sexta, de Incomprehenso, sic ait : Cum, inquit, ejusdem formæ, et ejusdem figuræ esse dicit, quid aliud declarat, quam substantiam unam sine ulla varietate? Non enim est circa Deum forma, vel facies. Sanctus Cyrillus : Forma, inquit, in Deo substantia accipitur a Patribus, sicut ab Apostolo; nefas enim est et impium, in Deo, qui in aspectum non cadit, formam dicere speciem. Dominus in Evangelio : *Ego*, inquit, *sum resurrectio et vita* [74]. Sanctus Cyrillus in actis sanctæ et œcumenicæ sextæ synodi : Sicut unitas, inquit, non potest dividi in duas unitates (siquidem unitas in has divisa non erit unitas, sed duo), sic quod est unum summa copulatione, non potest dividi in duo; alioqui non amplius erit Deus universi simplex natura, siquidem est alia præter ipsum, quæ est in ipso vita. Et rursus idem : Primum quidem, non est simplex natura Deus universorum, sed potius compositus, et ex duobus constans; siquidem est alia præter eum, quæ in eo est vita. Gregorius Nyssenus in Vita Moysis : Ens entium est vera vita; hoc autem cognosci non potest; quia igitur cognitionem vincit vita vivifica, omne quod cognoscitur, non est vita. Divinus Apostolus : *Christus*, inquit, *Dei virtus, et Dei sapientia* [75]. Sanctus Gregorius Nyssenus libro VII *in Cantica canticorum* : Dominus, inquit, natura sua id ipsum quod est, veritatis, et sapientiæ, et virtutis substantia est; idcirco quod David dixit : *Omnia in sapientia fecisti* [76], interpretatus Apostolus Prophetam, in ipso ait omnia creata esse [76], tanquam hoc Propheta significaverit vocabulo *sapientiæ*. Idem Gregorius in eisdem : Qui omnium cognitionem in se ipso comprehensam habet, cujus infinita sapientia, quin potius cujus essentia sapientia est. Cyrillus in *Thesauris* : Non quia sapientia in nobis, et scientia non exsistit per se, idcirco sapientia, quæ in Deo est, non per se exsistet, sed si confiteris non esse naturæ nostræ Deum, plane confiteris, omnia quæ ejus sunt, non esse ex nostris, sed potius nostra superant, ac tantum superant, quantum superant et differunt secundum rationem substantiæ. Ex quibus fit manifestum, quod in unitate, quæ supra substantiam est, neque bonitas ipsius, neque forma ipsius, neque vita ipsius, neque sapientia, neque virtus ipsius alia quædam sunt præter substantiam ipsius : quin potius hæc omnia unica ejus substantia sunt.

CAPUT VII.

Quod in unitate, quæ supra substantiam est, non est quærendum aliud esse cognitionem ejus, vel charitatem ejus, vel pulchritudinem ejus, vel immortalitatem ejus, et alia ejusdem; aliud vero singularem ejus substantiam, et existentiam supraquam divinam.

Sanctus Cyrillus, in *Thesauris*, libro XXXIV : Deum esse simplicem, et compositionis expertem omnes fatebuntur; absurdum igitur est dicere habere eum hujusmodi cognitionem sui, qualem nos; etenim si aliud est ipse, et aliud præter ipsum cognitio in ipso, compositus est, et non simplex; at quia simplex confessione omnium est, non est aliud præter ipsum cognitio in ipso. Nos autem non sic; sumus enim aliquid proprie secundum substantiam; in substantia autem habemus positam cognitionem, ut colorem in corpore. Sanctus Maximus, in centuria tertia, cap. 5 : Omnis, inquit, cognitio earum rerum quæ sunt, habitudo est quæ extrema quædam colligat; eos dico qui cognoscunt, et ea quæ cognoscuntur; hæc autem non (1) cognoscitur ab istis qui cognoscunt, neque simul cognoscitur cum cognitis; non enim cognitio apta est natura sua ulla ex parte, ut cognoscatur : Deus autem secundum essentiam suam, quodcunque est secundum substantiam, cognitio est ineffabilis, quæ in Mente et Verbo et Spiritu per se exsistit. Deus igitur omnino est creaturis ignotus, utpote ipsa per se cognitio, nisi cui placeat dicere esse etiam Deum supra hanc immense. Et rursus Cyrillus in capitibus de Spiritu sancto : Deus, inquit, charitas est, ut Joannes ait [77]; et non est quidquam aliud ipse, et aliud quid, quod in ipso est; simplex enim et sine compositione est. Idem adhuc libro XXXIII *Thesaurorum : Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, et nemo cognoscit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius* [78]; quia scilicet nulla mens creata potest ullo modo divinam substantiam complecti, quia omnem mentem vincit : et supra omnem notionem fertur pulchritudo ejus quæ supra naturam est, et deleri non potest : et a se sola quid sit secundum naturam, cognoscitur. Sanctus Gregorius Nyssenus, in Commentariis

[73] Philipp. II, 6. [74] Joan. XI, 25. [75] I Cor. I, 24. [76] Psal. CIII, 24. [76] Coloss. I, 16. [77] I Joan. XI, 8. [78] Matth. XI, 27.

Scholia.

nominatur. Quid natura sit Deus, intelligi non potest; nec hic Gregorius contradicit, qui in eodem libro ait : Quid oporteat solum de Deo cognoscere, scilicet nihil eorum esse quæ humana mens cognoscere potest. Significat igitur hic Gregorius Deum ex creaturis, quas intelligimus, intelligi quod sit, et illa esse secundum causam, esto perfectiones nominibus Dei significatas Deo proprie, et prius, et essentialiter convenire, et a creaturis participari certum est, et in ea excellentia, in qua Deo conveniunt, non posse a nobis intelligi.

(1) *Cognitio* non cognoscitur primo ab intellectu humano cognoscente, quia primum objectum intellectus nostri in præsenti statu est ens et verum consideratum in rebus materialibus; cognitio autem est immaterialis, et ideo cognoscitur post objectum materiale prius cognitum; neque cognoscitur simul cum objecto cognito, ut cognitio lapidis non cognoscitur simul cum lapide, quia cognoscere lapidem non est perfectio lapidis cogniti; alioqui uno actu cognosceretur, sicut cognoscitur uno actu res cum perfectione sua; sicut angelus uno actu intelligit suam essentiam, et suum intelligere, quod est perfectio essentiæ ejus, ex S. Thom. I p., q. 87, art. 3.

Digitized by Google

in Cantica : Quod vero beatum est, ipse Deus est ; quidquid tandem esse eum ponamus; beatitudo est illa vita immortalis, et illud bonum immortale, et quod intelligi non potest; pulchritudo quæ non exprimitur, et ipsa per se gratia, et sapientia, et virtus. Et magnus Athanasius in quadam disputatione Orthodoxi et Anomœi : Orth. Aliam et aliam personam habemus; non autem aliam et aliam immortalitatem, quam per unum baptismum accepimus; si enim alia et alia immortalitas est, et aliud et aliud baptisma, et alia et alia fides: non est unus Christus, una fides, unum baptisma. Anom. At nostra persona alia est præter immortalitatem, et baptisma : igitur persona Christi alia persona est præter immortalitatem. Orthod. Minime; imo hæc ipsa persona et immortalitas est; et non solum immortalitas, imo etiam incorruptio, et justitia, et sanctificatio, et redemptio, et dominatio, et virtus. Ex quibus patefit, quod in unitate supra substantiam non oportet quærere, aliud esse sui cognitionem, quia habere eam dicitur, aut similiter aliud esse suam charitatem, vel pulchritudinem, vel immortalitatem, vel alia; sed suam singularem substantiam, et exsistentiam ; quin potius cum hæc abunde sit, ea ut se ipsam habet.

CAPUT VIII.

Quod in unitate supra substantiam non oportet quærere, quia hæc est omnia, idcirco multa ejus esse et diversa omnia, est autem ea omnia ipsa divina et beata ejus substantia, quæ habet omnia non ut alia in alio, sed sine habitudine et collecte, nihil habens duplex, et supra omne unum.

Sanctus Maximus in eo libro qui inscriptus est : *Quod in Christo est verum, id est, substantiarum differentia :* Omnis, inquit, differentia, quæ dissimilitudinem, vel diversitatem aliorum ab aliis secundum rationem aliquo modo exsistendi declarat, quantitatem rerum differentium secum naturaliter inducit, sive substantiarum, sive qualitatum, sive proprietatum; quod vero penitus simplex est, non admittit differentiam, quid idem penitus est sibi ipsi et singulare, et totum ex toto habitudine nudum, sicut genus in quantum non habet quod de se prædicetur : et ob eam causam omnino non numeratur, neque dividitur. Idem capite quinquagesimo, de energiis et voluntatibus : Cum omni, inquit, differentia simul inducitur quantitas, et cum omni quantitate conjunctus est numerus, qui eam declarat ; non enim fieri potest, ut vel differentia sit sine quantitate, vel quantitas sine numero, qui eam declaret, dignoscatur. Idem capite 5 centuriæ III : Quod est penitus unum proprie, non habet differentiam ; quod autem non habet differentiam, extra omnem etiam habitudinem est ; quod autem habitudinem non habet, etiam non coercetur; quod autem non coercetur, principio caret ; quod vero principio caret, etiam est infinitum ; solus igitur Deus est sine principio, et infinitus, et sine habitudine, et sine differentia; quia proprie est singularissimus natura, et simplex, et non circumscriptus, hoc est infinitus. Idem in cap. 4 ejusdem centuriæ : Nihil eorum quæ sunt, est non circumscriptum, quoniam neque liberum a prædicamento : solus Deus est extra prædicamentum, et idcirco ab omni circumscriptione liber, utpote infinite in infinitum celsior omni substantia, et mente, et ratione, et intelligentia. Sanctus Athanasius, in oratione, quam inscripsit Κηρυκτικόν in annuntiationem sanctissimæ Dominæ nostræ, Matris Dei : Quamobrem, inquit, et ipse Unigenitus Deus ait : *Omnia quæ habet Pater, mea sunt* [79] ; et Patri dicit : *Mea omnia, tua sunt, et tua mea, et glorificatus sum in ipsis* [80]. In omnibus enim, in quibus glorificatur Pater, cum de Deo sermo fit, glorificatur etiam Filius, et Spiritus sanctus ; hinc dicitur perfectus Deus Pater, perfectus Deus Filius, perfectus Deus Spiritus sanctus: quia nihil ex plenitudine divinitatis unicuique personæ deest; sed potius ἰσότιμον id est, æqualitatem habet omnium proprietatum ; in quarum æqualitate plenitudo divinitatis cernatur ; ab ἴσον enim, id est æquali vox feminina ἰσότης derivatur, id est æqualitas, quæ est comprehensio constituens æqualitatem multorum ; quorum enim æqualis quædam substantia est differentium proprietatum, ἰσότης dicitur, tanquam ἴσότης καὶ μία, id est, sancta et una ; et quia ἰσότης dicitur secundum etymologiam mutatione ι in ο, et accessione litteræ υ, efficitur interpretando, οὐσία, id est, substantia, tanquam quædam essentia ex pluribus in unam congregatis conflata ; hactenus Athanasius. Gregorius Nyssenus in sermone catechetico : Si enim, inquit, bonum, et justum, et sapiens, et potens similiter dicatur, item immortalitas, et sempiternitas, et omnis mens pia eodem modo confiteatur omni ratione differentiæ sublata : necessario simul tollitur ex dogmate multitudo deorum, cum idem ipsum esse in omnibus, fidem in unitatem circumduxit. Idem in eodem : Non enim extra compositionem erit hujusmodi opinio, quæ dicit aliud in alio esse, sed potius necesse omnino est, simplicitate extra controversiam et dubitationem posita, ipsam per se vitam esse Verbum Dei. Idem : Omne, inquit, quod circa Deum intelligitur (1), id erat ante mundi constitutionem ; sed tamen hoc nominari dicimus, postquam factus est homo. Hoc est quod ait S. Thom. 1 p. q. 13, art. 6. Hæc, inquit, nomina Dei bonus, sapiens, et similia, quantum ad rem significatam prius dicuntur de Deo, quam de creaturis, quia a Deo hujusmodi perfectiones in creaturas manant, sed quantum ad impositionem, inquit, nominis, imposita sunt creaturis, quas prius cognoscimus, significant enim bonitatem creatam bonus, et sapientiam creatam sapiens, etc., quæ Deo per essentiam conveniunt, et ἐξηρημένως, ut ait Dionysius, cap. 5 *De divinis nominibus*, id est, clare et eminenter, ipse enim est sua bonitas, et sua sapientia.

[79] Joan. XVI, 15. [80] Joan. XVII, 10.

Scholia.

(1) *Omne quod circa Deum intelligitur*, id erat ante mundi constitutionem, sed tamen hoc nominari dicimus, postquam factus est homo. Hoc est quod ait S. Thom. 1 p. q. 13, art. 6. Hæc, inquit, nomina Dei bonus, sapiens, et similia, quantum ad rem significatam prius dicuntur de Deo, quam de creaturis, quia a Deo hujusmodi perfectiones in creaturas manant, sed quantum ad impositionem, inquit, nominis, imposita sunt creaturis, quas prius cognoscimus, significant enim bonitatem creatam bonus, et sapientiam creatam sapiens, etc., quæ Deo per essentiam conveniunt, et ἐξηρημένως, ut ait Dionysius, cap. 5 *De divinis nominibus*, id est, clare et eminenter, ipse enim est sua bonitas, et sua sapientia.

Digitized by Google

men hoc nominari dicimus, postquam factus est qui nominavit. Et divinus Maximus, in scholiis in Dionysium cap. 5, *De divinis nominibus* : Quia, inquit, quidam dixerunt ideas et exemplaria per se foris exsistere, hos nunc ferit gentiles, et ait : Si ideæ non essent simpliciter et singulariter notiones supraquam simplices Dei supraquam simplicis, compositus esset Deus ex exemplari, et ex se ipso, quem dixit Dionysius omnem duplicationem recusare. Idem Maximus in eisdem scholiis, cap. 7, exponens quod Dionysius ait: *Imagines quasdam similitudinem divinorum exemplarium* : Quæ, inquit, sunt, id est, species, et singulæ creaturæ, ut omnes ordines angelorum, et omnia quæ sub sensum cadunt, imagines sunt et similitudines divinarum idearum, id est exemplarium, quæ in Deo sunt, quæ quidem exemplaria sunt æternæ notiones Dei, per quas, et secundum quas omnia erant in ipso non alia quam ipse; et producta sunt, sicut ait Joannes in Apocalypsi [81], quemdam in antiquissimis angelis dixisse ei, quod omnia erant, et facta sunt; ideas dixit fuisse; et imagines atque similitudines idearum, id est, exemplarium dixit esse omnia quæ producta sunt. Beatus Chrysostomus, in homilia de cruce, cujus principium est: *Quid dicam ? quid loquar ? quo nomine vos appellabo ?* Cum dico Deum sedentem in excelsis; non solum in uno, sed ubique sedentem dico ; non enim distantiam loci habet, qui est suus locus, qui ipse omnia capit, cum vero nihil capit. Quis enim potest capere naturam incorpoream, et materiæ expertem, atque infinitam, et quæ neque investigari, neque corrumpi, neque intelligentia comprehendi potest, quæ est Deus? Apud pios enim sic oportet intelligere Deum : ipse namque est omnia, ipse est nostra spes, ut antea dixi, sicut scriptum est : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* [82]. Magnus Dionysius, cap. 5 *De divinis nominibus*, ait : Ex ipsa unitate, quæ supra substantiam est, et in ipsa est ipsum esse, et rerum principia, et omnia quæcunque sunt, et quæ quomodocunque sunt : idque sine habitudine, et collecte, et unite ; siquidem in unitate omnis numerus uniformiter præexstitit ; habetque unitas in se ipsa singulariter omnem numerum, et omnis numerus in unum copulatus est, et in unitate est ; et quanto longius ab unitate procedit, tanto magis dividitur, et multiplicatur ; et in centro omnes lineæ circuli una copulatione simul exsistunt ; et habet punctum omnes rectas lineas uniformiter copulatas inter se, et cum uno principio, a quo exierunt ; et in ipso centro omnino copulatæ sunt ; et parum ab eo distantes, parum dividuntur ; magis autem distantes, magis, et ut semel dicam, quanto sunt centro propinquiores, tanto magis cum eo et inter se copulantur ; et quanto magis a centro distant, tanto magis et inter se distant ; imo et in tota natura universi, rationes uniuscujusque naturæ una copulatione non confusa collectæ sunt, et in anima copulatæ sunt uniformiter virtutes, quæ omnibus partibus corporis providenti ; non est igitur absurdum ex parvis et minutis imaginibus et exemplis ad causam omnium ascendentes oculis comtemplari omnia in causa omnium, et quæ sunt inter se contraria, uniformiter et copulate. Ad hæc sanctus Maximus adjungit : Illud in eo, et ex eo sic intelligendum est, ipsa per se supraquam bonitas, quæ est mens, et tota actus, ad se ipsam conversa in actu est, non potestate prius sine mente, postea mens actu : unde est etiam mens solum pura, quæ non intelligit intelligentia extrinsecus introducta : sed ex se ipsa penitus intelligit. Si enim substantia ejus alia est, quæ autem intelligit (1), alia ab eo, non intelligetur ipse, id est, substantia ejus ; si quid vero habet a se, non habet ab alio ; si autem a se, et ex se intelligit, ipse est ea quæ intelligit ; igitur qui est intellectus ejus (2) quod est, intelligit quæ sunt, tan-

[81] Apoc. IV, 11. [82] Joan. XVII, 3.

Scholia.

Quare cum S. Thom. dixit, quod hujusmodi nomina non solum dicuntur de Deo causaliter, ut quidam posuerunt, non notavit Dionysium, ut quidam suspicantur. De hoc iterum admoneo, ne tanto auctori hoc falso tribuatur, imo ipse idem S. Thom. interpretatus Dionysium cap. 5, cum ait : Et neque totaliter ipsi convenit aliquid æternaliter exsistentium, aut temporaliter subsistentium, sed et a tempore, et ab ævo, et ab iis quæ sunt in ævo et ab iis omnibus quæ sunt in tempore segregatur : Universaliter, inquit sanctus Thomas, non convenit ei aliquid de numero creatarum, sed separatur per quamdam eminentiam. Et rursus : Etiam, inquit, separatur ab iis quæ sunt in ævo et in tempore per quamdam eminentiam. Quod igitur dixit S. Thomas hæc Dei nomina bonus, et sapiens, et similia, significare esse hæc in Deo eminenter, ex Dionysio, quem interpretatus est, sumpsit, postremo in eadem q. 13, p. p. art. 2, quod Dionysius dixit cap. 1 *De divinis nominibus* : Omnium sanctorum theologorum hymnum invenies ad beatos processus nominationes dividentem : sic interpretatur, ut voluerit Dionysius significare, nomina Dei bonus, vivens, sapiens, et alia ejusmodi imposita quidem esse a processibus, sive providentiis Dei in creaturas manantibus, sed significare ipsum rerum principium, quatenus in eo est prius bonitas, et vita, sapientia, et quidem excellentius quam a nobis intelligatur et significetur : aliud enim est a qua re imponitur nomen, et aliud in qua re imponitur, sic nomina Dei imposita sunt a providentiis, quas alii vocant processus, ad significandam substantiam Dei, licet non perfecte eam significent ; sicut perfecte hoc nomen homo significat substantiam sive essentiam hominis, quia quid sit Deus, comprehendi intelligentia non potest, ut potest comprehendi quid sit homo, est enim animal rationale, quæ est perfecta essentia hominis, quam homo significat. Imo illud etiam est advertendum, vocabulum ipsum, eminentia, et eminenter, quibus S. Thomas uti solet, cum de nominibus Dei loquitur, et quid in Deo significent explicat, ex Dionysio sumpsisse, qui ὑπερηνέως, ut paulo ante notavi, dicere solet, quod varie licet interpretari, elate, exsuperanter, eminenter, eximie, excellenter, separate.—(1) *Quæ autem intelligit, alia ab eo*, etc., et paulo post (2) : Igitur *qui est intellectus ejus quod est, intelligit quæ sunt, tanquam qui est.* Non eo tendunt hæc, ut probet, quod Deus alia a se non cognoscit, aut non cognoscit cognitione propria, sed universe, qui fuit quorumdam error a S. Thom. notatus et reprehensus I p. q. 14,

Digitized by Google

quam qui est: quare si cum intelligit se ipsum, intelligit quæ sunt, ipse est ea quæ sunt; aut enim intelliget ea quæ alibi sunt, aut quæ in se ipso tanquam sua: quæ alibi sunt, non potest fieri ut intelligat; ubi enim sunt? an in iis quæ sub sensum cadunt? at quæ sub sensum cadunt, non sunt, utpote mutabilia, et ortum atque interitum capientia. Se igitur, et in se intelligit; quia vero Deus auctor est eorum quæ sunt, si in se ea non intelligit, intelliget in eo quod nondum est. At ipse archetypum est, id est, primum exemplar universi, et quæ intelligit, non accipit eorum typos, id est species, sive formas ab aliis, sed potius ipse est exemplar rerum. Quare nec ipse est in loco, neque quæ in ipso sunt, tanquam in loco sunt, sed habet ea ut se ipsum habens, et in eis exsistens; omnibus quidem simul exsistentibus, et in impartibili in ipso exsistentibus, distinctis vero in impartibili impartibiliter. Igitur notiones ejus sunt res, res autem formæ sunt, notiones vero non sic accipiendæ sunt, ut quia hoc intellexit, fuit hoc; hujusmodi enim notionem oportet ut antegressum sit aliquid quod intelligitur, quod fecit ut ipse intelligeret; sed potius intelligit, quæ sunt, nempe intelligens se ipsum, et cum iis quæ in ipso insunt, copulatus. Ex his liquet, quod in unitate, quæ supra substantiam est, non oportet quærere multa, et diversa, quæ in ipsa spectantur: primum quidem, quia natura differentium, quantitatem et numerum inducit in simplici, et sine confusione, et divisione uno et toto; secundo, quia omnia quæ in ipsa dicuntur, sunt divina et beata ejus substantia, utpote quæ est essentia ex pluribus in unam unitatem congregatis, omni differentia omnibus modis in congregatis sublata: et quæ inest in his sine habitudine, et singulariter, et non tanquam alterum in altero, sed maxime supraquam copulate, nulla duplicatione posita; nec enim tanquam in loco omnia exemplaria rerum habet unitas supra substantiam, nec ipsa horum locus efficitur, sed potius habet ea tanquam se ipsam habet; et inest ipsis tanquam substantia et essentia, quorum est substantia et essentia, solaque purissima, et sine omni subjecto actus.

CAPUT IX.

Quod in unitate, quæ supra substantiam est, neque principium ejus reperire licet, neque medium, neque finem; neque est aliquid totum, quia in unoquoque eorum quæ intelliguntur, est tota, et sola; nec est aliquid eorum quæ sunt, quia ipsa est omnia; neque licet uno nomine eam complecti.

Magnus Dionysius, in quinto *De divinis nominibus*, In uno enim, inquit, ut sæpenumero dictum est, omnia quæ sunt, præhabet, et exsistere fecit, præsens omnibus ubique secundum unum et idem, et secundum idem, omne; in omnia manens, et in se manens, et stans, et se movens; et neque stans, neque movens; neque principium, vel finem, vel medium habens, nec in quopiam eorum quæ sunt, est; neque quidquam eorum est; neque penitus ei convenit quidquam eorum quæ in ævo aut in tempore exsistunt; quin potius extra tempus, et sæculum, sive ævum, et extra omnia quæ in sæculo, aut tempore sunt, est; quia ipsum per se ævum, et ipsum per se tempus, et quæ sunt, et quæ illa quæ sunt, metiuntur, omnia per ipsum, et ab ipso. Sanctus Maximus, in centuria prima, cap. 7, ait: Omne principium et medium, et finis non usquequaque negant quin secundum habitudinem prædicentur, Deus autem in universum omni habitudine infinite in infinitum superior cum sit, consentaneum est ut neque principium, neque medium, neque finis sit; neque quidquam omnino habet eorum, in quibus natura secundum habitudinem prædicatio ad aliquid cerni potest. Idem in eadem centuria, cap. 82: Omnis cognitio habet significationem multitudinis ut minimum duorum; media enim est habitudo duorum extremorum, quæ inter se copulat intelligentem, et rem intellectam: neutrum enim potest usquequaque servare simplicitatem, quia cum eo qui est, aliquam rem subjectam intelligens, simul cogitatur habere potestatem intelligendi: et quod intelligitur subjectum quoddam est, vel in subjecto, cum quo simul cogitatur quod possit intelligi, aut cogitatur simul præsubjecta substantia, cujus est potestas; non enim est res aliqua omnino, quæ ipsa per se sit simplex substantia, aut cognitio, ubi et unitas sit individua. Deus autem, sive substantiam dicamus, non habet potestatem intelligendi, quæ naturaliter cum eo intelligatur; ne habeatur compositus, sive dicamus cognitionem, non habet subjectam substantiam, quæ naturaliter recipiat cognitionem, sed id ipsum quod secundum substantiam est, cognitio est Deus, et totus Deus, et solum; et ipsa cognitio substantia, et totus substantia, et solum, et supra substantiam totus, et supra cognitionem solus; quia unitas est individua, expers partis, et simplex. Et adhuc idem: Deus in utroque penitus simplex, substantia sine subjecto, et cognitio non habens ullum plane subjectum. Sanctus Cyrillus, in *Thesauris*, libro III, cap. 4: Primum quidem, inquit, necesse est dicere compositum esse Deum ex diversis, eisque secum inter se valde pugnantibus, simili scilicet et dissimili; quæ quidem inter se in uno subjecto misceri et cohærere non possunt, et si ex parte similis, ex parte alia non erit similis, non erit totus lumen, neque totus veritas, neque natura Deus. Præterea etiam ad ipsum qui genuit, manabit blasphemia gravis: erit enim compositus Pater ex substantia et conceptu mentis. Magnus Basilius, libro secundo Τῶν ἀντιῤῥητικῶν, Siquidem, inquit, tanquam

art. 6. Imo dicit Deum omnia alia a se cognoscere, cum se ipsum cognoscit, at se ipsum perfectissime cognoscit; igitur cognoscit omnia alia a se perfectissime, et quidem propria cognitione, quia in ipso sunt perfectissime, imo ipse est illa ipsa omnia ut causa efficiens, et exemplaris; et ipsa divina essentia est propria ratio uniuscujusque creaturæ, quæ Deum quomodocunque participat.

Digitized by Google

partem substantiæ acciperemus ingenitum, locum haberet istius sermo, cum ait, compositum esse quod ex diversis constat : sin vero substantiam Dei lumen ipsum ponimus, vel vitam, vel bonum totum, quod quidem est totum vita, totum lumen, et totum bonum ; habet autem vita ingenitum consequens, quomodo non est incompositus, qui est secundum substantiam simplex? Non enim modi proprietatem ejus demonstrantes, rationem simplicitatis lædent. Gregorius Nyssenus, libro primo *Contra Eunomium*, cap. 41 : Simplicitas enim, inquit, dogmatum veritatis tanquam fundamentum jacit, Deum, quid est, neque nomine, neque alia quapiam cogitatione et intelligentia comprehendi posse. Sanctus Epiphanius, in hæresi contra Ptolemaitas : Quæ potest ab ullo dici tanta illius audacia, quam de Domino universi evomuit? Qui simul ut intellexit, perfecit hoc, quod quidem voluit ; hoc intelligens, quod vult; et tunc volens, cum intelligit, totus intelligentia, totus voluntas, totus mens, totus lumen. Ex quibus fit manifestum, quod in unitate Trinitatis neque reperitur principium, neque medium, neque finis ; si quis vero aliquid horum quærat, multa reperientur, et non unitas ; principium enim, et medium, et finis eorum plane sunt, quæ dividi possunt ; unitas vero individua est ; similiter quod habet principium, et medium, et finem, totum aliquid est ex his coagmentatum ; quod autem sic est totum, ex partibus etiam est totum ; partes autem multæ ; igitur totum ex multis, unitas vero expers partium est, et non ex multis, aut ex partibus totum. Præterea, quod neque principium, neque finem habet, neque terminum in utroque habet ; et idcirco infinita est unitas : Bifariam enim, inquit, cum infinitum contemplamur, scilicet secundum principium et finem, quod non est in his, et est supra hæc, infinitum appellatum est. Sed neque formam habet, vel figuram, vel speciem, vel colorem divina unitas ; sic enim magnus Basilius, libro IV Τῶν ἀντιῤῥητικῶν : Si, inquit, Filius vere est imago Patris, omnis autem imago vel substantiæ, vel formæ, vel figuræ, vel speciei, vel coloris imago est ; Deus autem in nullo horum est, sed in sola substantia ; Filius igitur cum sit imago substantiæ, sequitur ut sit homousios, id est, ejusdem substantiæ Patris ; et relinquitur ut sit unitas expers formæ, et figuræ, et speciei, et coloris ; expers igitur est formæ, quia idem est forma, et substantia Dei. Hoc enim ab omnibus theologis concessum est. Igitur in sola substantia est Deus, non igitur in forma circa substantiam, hæc enim forma non est sola substantia, est etiam sine figura, quia demonstratum est non habere medium. Si autem non habet medium, neque rotundi, neque recti particeps est ; quia ubi non est medium, nec extrema æqualiter a medio distabunt, quod quidem in rotundis evenit : neque rursus ab extremo ad extremum æqualiter procedit linea, quod quidem in rectis reperitur; si autem nec hoc, nec illud, caret igitur figura unitas divina. Est præterea expers speciei, quia species continentur in generibus : unitas vero divina nec est in alio, nec in se : in alio quidem si esset, eveniret ei perinde ac si in medio esset comprehensa, quod in circuli centro contingit. Demonstratum vero est non habere eam partes, neque figuram. Non est igitur in alio, imo nec in se, alioqui idem etiam quod circulo, ei accideret, si ipsa se complecteretur, et contineret : non enim potest esse aliquid in se ipso, quin a se ipso contineatur. Etsi enim Deus ex se, et ipse ipsum continet, tamen fieri non potest, ut idem contineat, et a se contineatur ; si autem ab alio continetur, hoc est quod dicebamus ad figuras pertinere. Caret etiam colore, quia est substantia quæ non est in subjecto. Quomodo recipiet colores quæ non potest cadere sub aspectum, qui colores discernit? Sicut ergo non est hæc omnia divina unitas, sic neque habet universitatem, vel universum : quod partes recipit, alioqui incidet utrumvis eorum quæ diximus. Omnis enim oratio vel effertur universe in universis (*a*), aut in universis non universe, sed particulariter, et hoc est quod ait Dionysius : Quamobrem primum bonus Deus eorum auctor esse dicitur, deinde eorum universe, postea partium eorum, tum participantium ea universe, deinde participantium in parte, sive particulariter ; quæ perinde sunt, ac si diceret : Genera et species simul, Deum habent auctorem : deinde partes illis subjectæ, et quascunque universitates quis dicat, postea has tanquam absolutas et abstractas producit Deus, deinde tanquam aliquorum, et ipsorum aliquorum universitates, non est Deus universitas secundum has universitates, id est, ad similitudinem harum, sed ipsa sola universitas, quæ in nulla est universitate, universa ipsa et sola universitas est, omnes universitates ex se producens, et a nulla universitate coercetur : nec enim ipse est in aliquo, nec aliquid in ipso ; substantia enim est nihil habens quod sit in subjecto, et cognitio est nihil prorsus subjectum habens ; idcirco ipse est omnia, et non est quidquam omnium, qui a nullo eorum quæ sunt, continetur ; nec est nomen ejus, quo per rem aliquam ex iis quæ sunt, nominetur ; unde enim nominabatur, si nihil est ex iis quæ sunt? Præterea totum et solum in unitate, essentiam exsuperantem repræsentat, et non positionem quamlibet rerum ; perinde enim est dicere, totus substantia, et solum est Deus, et in sola substantia est, atque dicere supra omnem substantiam esse, et non adnumeratur ulli substantiæ earum quas produxit, sed est sola ex aliis exempta, et prima, et cujus substantia est actus.

(*a*) Universum universe omnis vita, universum non universe, sed in parte, sive particulariter, ut vita.

Digitized by Google

CAPUT X.

Quod unitas Trinitatis supra omnem substantiam est, et supra omnem unitatem, et Trinitatem nobis cognitam; et quod neque substantia est, nec unitas, neque Trinitas ab ullo cognita; nec infinita, aut in multis numerata.

Magnus Dionysius, cap. 13, *De divinis nominibus:* Oportet, inquit, nos a multis ad unum virtute divinæ unitatis conversos, singulariter laudare totam et unam divinitatem, unum quod est omnium causa, ante omne unum, et multitudinem, et partem, et totum, finitionem et infinitionem, finem et infinitatem? quod omnia quæ sunt, et ipsum esse terminat, et omnium, et totorum omnium, et ante omnia, et supra omnia una causa, et quod supra ipsum unum, id quod est, determinat: siquidem quod est unum, in iis quæ sunt, numeratur; numerus enim particeps essentiæ est, quod autem est unum supra substantiam, et quod est unum, et omnem numerum definit, ipsum est et unius, et numeri, et omnis rei principium, et causa, et numerus, atque ordo. Quamobrem et unitas, quæ laudatur, et Trinitas, quæ est Divinitas supra omnia, non est nec unitas, neque Trinitas, aut a nobis, aut ab alio quopiam eorum qui sunt, cognita, sed ut quod in ipsa est supra quam in unum copulatum, et fecunditatem vere laudemus, trinum et unum Deum nominamus illum, qui supra omne nomen est; nulla autem unitas, vel Trinitas, neque numerus, nec unitas, vel fecunditas, nec aliud quid eorum quæ sunt, aut quæ ab aliquo eorum qui sunt, cognita sunt, explicat obscuritatem, quæ omnem rationem et mentem vincit: obscuritatem dico Divinitatis, quæ supra substantiam, supra rationem et mentem est. Rursus idem extremo capite *Mysticæ theologiæ:* Rursus autem ascendentes dicamus, quod nec anima est, neque mens; nec imaginationem, vel opinionem, vel rationem, vel intelligentiam habet, neque ratio est, nec intelligentia, neque dicitur, vel intelligitur, neque numerus est, neque ordo: neque magnitudo est, neque parvitas, neque æqualitas, neque similitudo, neque dissimilitudo; neque stat, neque movetur, neque quiescit, neque habet vim; nec est vis, neque lumen, neque vita est, neque substantia est, neque sæculum, neque tempus, nec est ejus tactio sub intelligentiam cadens, neque scientia, neque veritas est, neque regnum, neque sapientia, nec unum, nec unitas; neque divinitas, neque bonitas, neque Spiritus est, ut nos Spiritum cognoscimus; nec est Filius, neque Pater, nec aliud quidquam eorum quæ nobis, aut ulli eorum qui sunt, cognita sunt, nec aliquid eorum quæ non sunt, neque quæ sunt; neque quæ sunt eam cognoscunt, quatenus est, nec ipsa cognoscit quæ sunt, quatenus sunt (1); nec est illi ratio, neque nomen, neque cognitio, neque tenebra est, neque lumen, nec error, neque veritas; nec est ejus in universum positio, nec ablatio. Imo cum eorum quæ post ipsam sunt, positiones et ablationes facimus, ipsam neque ponimus, nec tollimus: quia supra omnem positionem est perfecta et singularis omnium causa, et supra omnem ablationem exsuperatio omnium simpliciter abstracta, et ultra omnia. Hæc adnotavit sanctus Maximus, inquiens: Nota, quod neque divinitas substantia est Dei, sicut nec unum aliquid eorum quæ dicta sunt, neque contrariorum eis: quare nihil ipsorum est, non enim sunt hæc substantia, sed gloria circa eum (2). Sic Sextus, ecclesiasticus philosophus, dixit, et Gregorius Theologus lib. III Theologiæ suæ, quod neque divinitas (3), nec ingenitum, neque paternitas substantiam Dei significant. Observa præterea, quod neque Spiritus est, ut nos Spiritum cognoscimus, neque Filius est, neque Pater, ut nos Patrem et Filium cognoscimus; illud enim: Ut nos cognoscimus, in omni negatione superiorum accipe; declarat autem, quod dici solet, secundum nostram cognitionem. Neque te moveat hoc caput, ut putes hunc divinum auctorem aliquid blaspheme dicere; propositum enim est ei demonstrare Deum nihil eorum esse quæ sunt, sed esse supra omnia; etenim si ipse omnia produxit, quomodo potest esse aliquid eorum quæ sunt? Dixit autem, quod nec ea quæ sunt, cognoscunt Deum causam omnium; at non cognoscere Deum, interitus plane est. Verum statim idem exposuit quod dixerat, cum subjunxit: Quatenus ipse est, quod perinde est, ut si dicatur: Nihil ex iis quæ sunt, cognoscit Deum, quatenus est, id est substantiam ejus, quæ supra substantiam est, et quæ intelligi non potest, vel exsistentiam secundum quam exsistit. Dictum enim est, quod *Nemo cognoscit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius* [83]. Ac rursus subjungit magnus Dionysius, et ait: Nemo cognoscit Filium, quatenus est, nec ipse Deus cognoscit ea quæ sunt, quatenus sunt, id est, non novit intendere mentem secundum sensum ad ea quæ sen-

[83] Matth. xi, 27.

Scholia.

(1) *Quatenus sunt* Id est, non cognoscit alia quatenus sunt in se ipsis, sed in se ipso, id est, in sua essentia, in qua omnes species rerum sunt comprehensæ, et multo excellentius in eo, quam in se ipsis sunt.

(2) *Sed gloria circa eum.* Non dixit gloria in eo, quæ est increata, id est, ipsa essentia, sed circa eum sunt, quæ ab eo creata sunt, ex quibus a nobis glorificatur et laudatur.

(3) *Neque divinitas substantiam* Dei significat, neque substantia Dei est, scilicet ut nos divinitatem cognoscimus; cognoscimus enim divinitatem creatam in iis qui per participationem dicuntur, sive angeli, sive homines sint; hujusmodi autem divinitas creata, nec est, neque significat divinitatem Dei, quæ essentia, sive substantia ejus est; sed potius divinitas, bonitas, sapientia, et cætera, ut nos cognoscimus ista, gloria sunt circa Deum, quia ab his quæ ab eo creata sunt, glorificatur et celebratur.

Digitized by Google

silia sunt, nec ad substantias, quatenus substantiæ sunt : hoc enim non convenit Deo. Nos enim, qui homines sumus, ea quæ sensu percipiuntur, aut aspectu, aut gustatu, aut tactu, intelligimus quid sint : ea vero quæ sub intelligentiam cadunt, aut per disciplinam (1), aut doctrinam, aut per illuminationem cognoscimus. Deus autem nullo modo ex istis novit ea quæ sunt, sed potius ex se ipso cognitionem omnium habet, hoc enim significat subobscure Scriptura, quæ ait : *Qui novit omnia antequam fierent* [a], quod quidem declarat, non secundum rationem productionis eorum novisse ea Deum secundum sensum aut intelligentiam, sed potius supra omnem sensum et intelligentiam in se tantum intuens. Idem ibidem : Quæ sunt, inquit, id est creaturæ, non possunt supra naturam suam ferri intelligendo : consentanee igitur cum in se intuentur, divinam naturam ignorant secundum illud quod ipsa est ; sic igitur divina natura in se ipsam intuens, non novit in se esse creaturas secundum rationem substantiæ eorum (2) ; hoc enim significavit cum dixit : Quatenus sunt, siquidem est supra omnia quæ sunt, et ipsum esse supra substantiam habet, aliter enim nemo dicet ignorare Deum creaturas suas. Ex quibus fit manifestum, quod unitas supra substantiam, ab omnibus abstracta est, et supra omnia est ; immensis enim mensuris, et quæ conferri non possunt, causæ supra effectus locantur (3), et eximuntur, et ab eis absunt, ut sæpe dictum est. Quomodo enim creaturæ, et facta, et quæcunque vocabulo entium significantur, conferri possunt cum natura, quæ ultra omnia est ? Unde convenienter sibi, causa omnium non est unum eorum quæ sunt, non dico quæcunque aliquis numeraverit, sed si quis cogitatione fingeret, et ad illa quæ ultra sæcula sunt, refugeret, opiniones essent rationis apud nos inaniter quidem ad illa quæ ultra omnia sunt, proficiscentis ; tantum vero a re distantis, quantum simulacrum a veritate, et domus ab eo qui eam fabricavit ; et umbræ ab iis quæ sunt, et per se exsistunt. Non enim fieri potest, ut quæ finita sunt, pertranseant quod infinitum est, quamvis mens multas infinitates reperiat, et secum reputet, nihilominus ab infinitate vera excidit, et tanquam cum umbra pugnare convincitur attrectans ; sicut qui tenebris crassissimis involuti sunt, et in eis ruunt. Ob hanc causam theologiam secundum negationem in multis valentiorem esse theologia affirmante demonstratum est ; non quidem quod theologia ex negantibus magis Deum assequatur, et attingat (ex æquo enim utraque aberrat a conjectura de Deo), sed quod theologia negans plus profiteatur nescire ; qui enim dixit, quod nec unitas est Deus, propius accessit ad incomprehensam unitatem, quam qui posuit esse Deum unitatem secundum morem unitatum quæ nobis notæ sunt. Ut igitur summatim repetam quæ in hac Decade exposita sunt, demonstratum est a theologis, non oportere quærere in unitate, quæ supra substantiam est, habitus et dispositiones, vel alia circa ipsam, quæ substantiam ejus complcant ; nec aliqua in ea accidentia, neque differentias ad substantiam ejus pertinentes ; neque quia ex se ipsa exsistere dicitur, idcirco oportet constituere ipsam esse sui causam, nec ponere aliud in ea esse substantiam, et aliud energiam, sive operationem : nec existimare operationem suam creatricem substantia secundum se carere, et non per se exsistere ; nec aliud esse suam substantiam, et aliud suam bonitatem, et similiter in cæteris ejusmodi ; nec aliud esse substantiam suam, et aliud cognitionem sui, et similiter in reliquis similibus ; et omnia quæ in ea sunt, non differre a se ipsa ; nec in ea posse reperiri principium, medium et finem, nec unitatem divinam, quæ est ὑπέρθεος, id est, supra eos qui dicuntur dii, esse substantiam ; nec esse unitatem quæ vocatur, neque Trinitatem ab ullo cognitam : sed potius supra substantiam esse, et supra omnem veritatem, et supra omnem Trinitatem excogitatam vel assimilatam (4), et supra omne unum tale abstractam esse, et ad eam accedi non posse. Recte igitur et quæ in

[a] Dan. XIII, 42.

Scholia.

(1) *Per disciplinam.* Cum ex magistro discimus ; per doctrinam, cum nostro studio et industria sine magistro docemus ; per illuminationem, cum Deus revelat.

(2) *Secundum rationem substantiæ eorum.* Quia ipsa divina essentia est propria ratio substantiæ cujusque creaturæ in infinitum, perfectior quam propria ratio substantiæ in ipsa creatura.

(3) *Causas* dicit propter personas divinas, quæ sunt alioqui una causa creaturarum, sicut una essentia.

(4) *Supra omnem Trinitatem excogitatam, vel assimilatam.* Observavit Manuel Calecas, in libro De *Trinitate* imagines, quas Patres excogitarunt ad assimilandum eas utcunque Trinitati. Gregorius Nazianzenus cum oculo fontis, et fonte, et fluvio comparat ; item cum sole, radio, lumine ; item cum mente ἐν θυμήσει, id est, consideratione, anima, in quibus non est divisio, vel sectio ; item cum triplici sole, et una luminis commistione ; Gregorius Nyssenus, in libro *De Spiritu sancto contra Macedonium*, cum tribus lampadibus, quarum una flamma ; idem Gregorius Nyssenus, in libro *De Trinitate*, hæc tria dicit esse in nobis, quæ sunt, νοῦς, λόγος, πνεῦμα· Mens, inquit, parit rationem ; ratio movet mentem ; et neque mens sine ratione est, neque ratio sine mente ; similiter sine spiritu, qui est in nobis, non exit ex mente ; hæc, inquit, sunt æqualia, et separari a se vicissim non possunt : sic, inquit, intelligendum est in Trinitate ; alii cum fonte, fluvio, et lacu ; cum igne, flamma et lumine ; Cyrillus cum radice, ramo et fructu ; idem cum digito, manu et brachio ; et alias cum rosa, flore, et odore. In his omnibus reperiuntur quædam inseparabilia a se mutuo, quæ assumuntur ad declarandum utcunque esse tres personas inseparabiles proprietatibus distinctas, et unius substantiæ, ita ut ab alio sumatur τὸ ἀχώριστον, id est, inseparabilitas personarum ; ab alio τὸ ὁμοούσιον, id est, consubstantialitas.

Digitized by Google

hac Decade sunt, secundum expositionem materiariam exposita sunt neque quidquam divinæ simplicitati deest. Convenienter autem huic inscriptioni de simplicitate divina tota Decas ad divinam simplicitatem contexta est apte ad duas antegressas decades, per propositiones enuntiantes ad infinitatem Dei procedens : siquidem nulla infinitas ex iis quæ dicuntur, cum infinitate Dei æquabitur, nec enim infinitas materiæ, et carere eam forma et specie, cum infinitate Dei conferendum est (materia enim finitur et terminatur specie, et forma speciei, et hæc, species scilicet, et earum formæ, sunt termini et fines materiæ), nec infinitas corporis, quia corpus in infinitum dividi potest, infinitatem Dei dirimit, quippe cum in corpus dimensio, et divisio primum cadat; neque secundum primas qualitates, quæ in infinito insunt, infinitas Dei comparanda est, quia in ipsis primum cernitur plus et minus ; neque rursus infinitum secundum generationem, et generationis perpetuitas retundit infinitatem Dei simpliciter, et incircumscripte circumeantis, et non ad instar circuli motionem habentis, quæ solummodo est cum fit; neque quidquam quod in cœlo, et in motu ejus rotundo accidit (habet enim hic motus infinitatem propter infinitam potentiam Dei moventis), immobilem infinitatem Dei excludit : neque infinitas universi temporis, quia actus ejus, quo metitur periodos eorum quæ in tempore sunt, nunquam deficit, et numero est infinitus, infinitatem Dei coercet, quæ est supra omnem numerum, et omnem periodum : item immutabilem esse mentem et animam (scilicet a libertate arbitrii), et totam simul in omnibus sui corporis partibus adesse, et ob eam causam continua et infinita facultate motus corporis gubernare, non progredietur ad infinitatem Dei, qui has facultates animæ insevit, nec innumerabilitas angelorum (millia enim millium, et decies centena millium astant throno magnificentiæ ejus [65]), neque perennitas sine dimensione, ac perinde infinitas vitæ eorum et immortalitatis, infinitatem Dei, quæ omnem numerum et omnem cogitationem vitæ continuæ superat, pertransibit : nec ipsum ævum, et infinitudo ejus omnibus nota et vulgata, quæ omnem infinitatem intellectilium continet, æque porrigetur ut infinitas Dei, qui illud produxit ; creatum enim a Creatore infinitis mensuris superari notum est. Si igitur infinitas Dei supraquam infinita nulli ex istis infinitatibus simili cernitur, solus igitur est infinitus, fons infinitatis effector, qui est unum solum secundum substantiam bonum et infinitum, qui omnem infinitatem ex nihilo fecit. Etsi enim illæ post Deum infinitates dicuntur, non tamen sunt secundum substantiam infinitates, sed secundum mensuram tantum, et participationem, et infinitam multitudinem, et secundum vitam dimensione carentem, et secundum totam sui præsentiam in totis, et id quidem a causa sola effectrice, et non allo modo habent. Consentanee igitur dictum est Deum esse ultra omnem infinitatem ; solus enim Deus est essentia infinitus, et sola essentia, sive substantia Dei est simplex, et uniformis (*a*), et expers qualitatis, et quieta, et seditione carens, infinita, omnipotens, et effectrix omnium ; cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[65] Dan. VII, 10.

(*a*) Quia est immutabilis secundum esse et secundum affectiones et operationes, quomodo non sunt angeli, licet habeant.

INDEX SCRIPTORUM

IN DECADIBUS CYPARISSIOTÆ CITATORUM.

Major numerus Decadem, minor caput denotat.

Abucara sive Carrarum episcopus. Vide infra, synodus contra Manichæos.

Anastasii Sinaitæ oratio de transfiguratione, VI, 4, 5, 7.

Anastasius Antiochenus libro, quod Deus est incircumscriptus, X, 4. In primo libro de nostris dogmatibus veritatis, VII, 9 ; IX, 4 ; contra Monophysitas, VIII, 10. Confutans opinionem Manichæorum Dionysium Alex. citat. id.

Andreas Cretensis in magno canone, VI, 6.

Athanasius, I, 8 (Quæst. ad Antiochum, VIII, 8) ; II, 8 ; IX, 1, 2. Contra Arianos, VII, 1 ; IX, 7 ; libro primo, X, 4 ; secundo, VI, 8 ; VII, 5 ; IX, 6 ; tertio, III, 6, 7 ; VII, 4 ; quarto, IX, 8, 9 : quinto, IX, 6, 8. Disp. Nicæna contra Arianos, III, 6. Λόγῳ κηρυκτικῷ in Annuntiationem B. Virginis, X, 8. Oratione, cujus initium : *Omnibus vobis, qui in unum convenistis* ; quo Patres Nicæni recte usi sunt voce *homousii*, X, 1. Apologetico pro synodo Nicæna, IV, 8 ; X, 1. De adventu Dei in carne, IX, 7. De Incarnatione Verbi, V, 9 ; IX, 3. Epist. ad Serapionem, VII, 3, 4, 9 ; VIII, 2 ; IX, 5, 6, 9. Dialogo Orthodoxi et Anomœi, IX, 4, 7 ; X, 4, 7 ; in Expositione fidei in prima synodo (symbolum intelligit), IX, 3. Disp. contra Arian. IX, 6. Contra eos, qui serviunt verbis et non nominibus sacrarum litterarum, IX, 6.

Digitized by Google

Bartholomæus, apostolus, VI, 10, ex Dionysii c. 1, *De mystica theol.*

Basilius, II, 3; III, 4; IV, 8; V, 10; VI, 6; IX, 2; 1, X, 2. De Spiritu sancto, VII, 3. Capitibus de Spiritu sancto, IX, 7. Contra Eunomium, secundo, III, 5; IX, 5; X, 5; tertio, VII, 5; quarto, III, 5; IV, 4, 5, 6; IX, 5; quarto ἀντιῤῥητικῶν, X, 9, capite 31; X, 5; quinto, ἀντιῤῥητικῶν, X, 4. In Hexaemeron, VI, 1; VII, 8. Sermone de fide, IX, 4. In Psalmum XLIV, VI, 4. Orat. de principio Proverbiorum, III, 4. In moralibus, III, 7. Epist. ad Eustathium, IV, 7. Ad Gregorium fratrem, VII, 4, 5. Psalmo XXVIII in homilia moralium, VII, 8. In Psal. XXII, VII, 5; libro quinto ad Amphilochium, VII, 9. In illud: *Attende tibi*, VIII, 8. Epistola ad Terentium comitem, IX, 4. Ad Cæsarienses, IX, 7.

Chrysostomus, I, 3; III, 4; VI, 6, 9; VII, 1. Homilia 64, in Matthæum, III, 4. Homilia 56, VI, 4. In illud, *In ipso vita erat*, IX, 7. Homil. 15, in Joannem, VIII, 8. Homil. 42, VI, 5, 6. In Epist. ad Corinth. hom. 29, VII, 5. Ad Ephesios hom. 13, VII, 5. Homilia de Eutropio, I, 6. Ad Theodorum lapsum VI, 4, 5; VIII, 8. Homilia de cruce, cujus initium, *Quid dicam*, X, 8. Explanans illud: *Vidimus gloriam*, VI, 6. Orat. de incomprehenso, VIII, 8. De transfiguratione, VI, 6. Oratione contra hæreticos et in petitionem filiorum Zebedæi, VI, 8. In illud: *Ex plenitudine ejus omnes accepimus*, VII, 4. Oratione in laudem S. Joannis theologi, VIII, 6.

Clemens philosophus, V, 4.

Divinus Cosmas, VI, 4. Canone festi transfigurationis, VI, 6, 7. In iis quæ in mediam Pentecosten canuntur, VI, 6.

Cyrillus Alex. III, 3; VIII, 10. In thesauris, IV, 9; VII, 2, 3; IX, 6. Libro primo, IX, 8; libro III, capite quarto, X, 9; libro XIV, IX, 6, 8, 10; libro XV, IX, 6; libro XIX, IX, 8; libro XXVI, X, 2; libro XXXII, X, 7, capite 33, IX, 5, 7; libro XXXIV, X, 7. Disserens de Spiritu sancto, VII, 2, 3, 5; IX, 6, 7. Explanatione in Lucam, VI, 4. Libro primo ad Hermiam, IX, 7. Libro quinto Dialogor. ad Hermiam, IX, 7. Libro septimo eorum quos more dialogi scripsit, VI, 7. Libro septimo Dialogorum ad Hermiam, VII, 4; IX, 6; X, 5.

Cyrillus Hierosol. in Catechesibus, VII, 1, decima Catechesi, VI, 4.

Divinus Diadochus et silentii magister, VIII, 8. (*Libro de perfectione spirituali citatur a Turriano scholiis ad X, 2. Episcopus Photices in Epiro, quem S. Maximus citare et sequi solet, libro aureo quæstionum de anima separata et angelis, quem inscripsit Apocalypsin, id.*).

Dionysius Areopagita passim per totum opus. Theologus, VIII, 10.

Dionysius Alex. scholiis ad Dionysium Areopagitam, I, 1; II, 2.

B. Ephræm oratione in transfigurationem, VI, 4.

S. Epiphanii Panaria, III, 4; V, 2. contra hæresin Marcosiorum, VIII, 10. Hæresi contra Ptolemaitas, X, 9.

Eunomius in iis quæ contra Basilium magnum scribit, X, 4.

Eusebius Cæsariensis, III, 4.

Euthymii dogmatica panoplia, III, 2.

Sanctus ac divinus Germanus in Expositione fidei, VIII, 10.

Gregorius, theologus, I, 3; IV, 8; VI, 7, 9. Libro primo de Filio, VIII, 1; IX, 5; X, 2, 3. Libro secundo, VI, 6. Orat. de Spiritu sancto, III, 4; VII, 5. Secundo de theologia libro, I, 6; II, 4, 5, 7, 8, 9; III, 4; VI, 6, 9; VIII, 8; IX, 3. Libro tertio Theologiæ suæ, X, 10. Disputans contra Eunomium, III, 1. De divinitate ad Evagrium monachum, IV, 8; VII, 4. Oratione cum factus est presbyter, V, 9. De baptismo, VI, 3, 10; IX, 3. Ad Heronem, VI, 5. In sermone Epiphaniæ, IV, 1. Libro de statu episcoporum, III, 6. De constituendis episcopis, IX, 2, 5. In Natalem Domini, VI, 7; VIII. Oratione de bono ordine disserendi, VI, 5, 6. Secunda de pace, VII, 9. Tertia IX, 3. In Pentecosten, VII, 9. In laudem Gregorii Nysseni, IX, 7.

Gregorius Nyssenus, II, 5; IV, 8, 9; VII, 8, 10; IX, 1, 2, 4, 5. Orat. ad Pulcheriam, IX, 6. Contra Eunomium, IV, 5; V, 9; VIII, 6. Libro qui incipit *Prima quidem*, I, 6. Libro primo, V, 9; VII, 8; IX, 3, 6; X, 4, 5; capite XLI, X, 9; libro secundo, III, 5; V, 9. Contra Eunomium nono, IX, 4; decimo tertio, IV, 6; X, 4. Libro de Abrahamo, IX, 3. De vita Mosis, II, 8; VIII, 8. Explanatione Cantici canticor. IV, 3; VII, 4; IX, 7. X, 7. In illud, *Adveniat regnum tuum*, IX, 7, 9. Epist. ad Theophilum Alex. contra Apollinarium, VI, 6. Libro primo in Ecclesiasten, VI, 7. Explanatione beatitudinum, VIII, 8. Libro inscripto, Quæ sit Christiani professio, IX, 2. In Catechetico, IX, 5; X, 8.

S. Hierothei divina principia, VII, 2 (ex Dionysio Areopag.); hymni amatorii, VIII, 1.

Joannes Damascenus, III, 3; V, 9; VI, 6; VII, 1; VIII, 10; IX, 1; X, 1, 2, 3. Theologus, III, 7; IV, 8; VIII, 2. Divinissimus, VI, 4. In transfigurationem, VI, 4. Capite de Trinitate, IX, 9. Libri III de orthodoxa fide, caput 12, V, 9; caput 62, III, 4; caput 63, IX, 4. Canone in transfigurationem, VI, 7. Sermone inscripto De proprietatibus Christi, X, 4.

S. Justinus, philosophus et martyr, VIII, 10. Oratione de recta confessione, VIII, 1, 8. In iis quæ Photius patriarcha ex eo recitat, IX, 4.

Sanctus Justus, V, 8. Ex Dionysio c. 11, *De divinis nominibus.*

Digitized by Google

(*Leontius Byz. contra Aphthartodocetas, citatur in scholiis Turriani ad VIII*, 9, *auctor eruditiss. lib. Contra Nestorium et Eutychen, ad IX*, 9.)

(*Manuel Calecas, libro De Trinitate citatur in Turriani scholiis, ad X*, 10.)

S. Maximus ad Dionys. Areopagitam, I, 1; III, 8, 9, etc. Explanatione subtili precationis, *Pater noster*, IX, 3. In theologicis, II, 3, 4, 6, 7, 9; VI, 9. Centuriæ I, capite septimo, X, 9. Capite 38 et 39 centuriæ quintæ, VII, 5. Disp. contra Pyrrhum, III, 3; V, 9; X, 4. In sententiis Gregorii theologi, III, 2; VIII, 1. Speculatione magis dilatata de transfiguratione, VI, 5. Basilius adnotatis a S. Maximo de energia contra Monothelitas, III, 4. Libro, quod in Christo est rerum, id est substantiarum, differentia, X, 8. Capite 9 centuriæ quartæ de charitate, VII, 9. In centuriis theologicis, centur. III, capite tertio, X, 8; quarto, X, 7; septimo, VII, 10; cap. 42, *ibid.*; centuria prima, cap. 2, VIII, 1; cap. 33, VIII, 4; cap. 6 tertiæ centuriæ, VIII, 2. Octava Centuria, cap. 88, VIII, 4; cap. 87, VIII, 5. Centur. III de charitate, cap. 21, VIII, 5; cap. 27, VIII, 7; cap. 29, VIII, 9. Centuria VI, cap. 81, VIII, 6. Centuria IV, cap. 1 et 4, IX, 10; cap. 8, X, 1; adnotatione extrinsecus posita ad caput 2 Centuriæ primæ, X, 4.

Phædo philosophus, infra in synodo.

Photius patriarcha quæstionibus ad Amphilochium quæst. 75, VII, 1. Easdem citat Turrianus in scholiis ad VIII, 4.

Sadducæi, X, 1.

Sextus ecclesiasticus philosophus, X, 10.

Sophronius, Hierosolymitanus, IX, 2.

Synodus I œcumenica ex responsione Patrum ad philosophum, quam Eusebius litteris mandavit, III, 4. Disputatio contra Phædonem philosophum, quæ est in prima synodo, IX, 2.

Synodus habita contra Manichæos ab Abucara sive episcopo Carrarum (S. Archelao) ex Panariis (S. Epiphanii), III, 4; V, 2.

Synodus a Theodoro Abucara contra Manichæos habita, quæ fertur in iis quæ contra omnes hæreses scripta sunt, III, 5. *Suspicor, Theodori nomen adjectum esse ab aliena manu, et eumdem Archelaum atque Epiphanii Panaria intelligi.*

Editio sanctæ et œcumenicæ tertiæ synodi, IX, 2.

Confessio sanctæ et œcumenicæ sextæ synodi IX, 2.

Teuthes antiquissimus, qui nomina rebus imposuit, IV, 6.

Theodorus Abucara, supra in synodo contra Manichæos.

Theodorus Graptus, III, 7. Oratione contra Eusebium, VI, 4. Adversus Iconomachos, VI, 5; X, 4. Tractans dictum Basilii, X. 4.

Dictum est a theologis in quinta et quarta decade initiariæ expositionis divinorum nominum, VII, 6.

Divinus Theophanes, X, 3. In canticis suis, VII, 2.

Valentinus hæreticus, IX, 7.

Digitized by Google

ANNO DOMINI MCCCLV.

MATTHÆUS CANTACUZENUS

NOTITIA.

(Fabric., Biblioth. Græca ed. Harles, t. VII, p. 793.)

Matthæi Asanis Cantacuzeni (1), qui, Joannis Cantacuzeni filius, ab eo pronuntiatus imperator coronatusque a Philotheo patriarcha a. 1354, sed proximo anno captus a Joanne Palæologo, imperatoris titulum exemplo suasuque patris deposuit, in montem Atho secessit et monasticam vitam amplexus patre superstite decessit, *Commentarius in Canticum canticorum* Græce et Latine prodiit Romæ 1624, fol., curis Vincentii Riccardi, Clerici Regularis. De ejus lucubrationibus *in Sapientiam Salomonis* et *Monitis salutaribus*, quas collegisse vel dictasse traditur, nihil reperi.

[1] III Reg. IV, 31. [2] II Cor. X, 5.

IN CANTICUM CANTICORUM SALOMONIS

EXPOSITIO RELIGIOSISSIMI REGIS

MATTHÆI CANTACUZENI.

(Interprete Vincentio Riccardo Clerico Regulari.)

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

Οὐ πάνυ μοι δοκεῖ τυγχάνειν ὑγιὲς εἶναι ἐπὶ πράγμασι λογίων, οὕτω τὴν διάνοιαν ὑφηλοῖς, ὡς φάναι σχεδὸν τοῖς ἀῤῥήτοις ἐοικότα, σπουδήν τινα τολμᾶν ποιεῖσθαι. Ἃ γὰρ, ὡς ἐρωτικοῖς ὄντως συνεκάλυψεν ᾄσμασιν, καὶ ἐν ἀσαφέσι τὸ παράπαν εἱρηκε ῥήμασιν ὁ μαρτυρηθεὶς παρὰ Θεοῦ σοφώτερος εἶναι τυγχάνειν πάντων ἀνθρώπων, πῶς ἄν τις δύναιτο παρὰ τούτων ἐν ἀνοίξει τοῦ στόματος φθέγγεσθαι; Ἀλλ' ἐπειδὴ περ ἡ τοῦ Θεοῦ σοφία καὶ δύναμις, ὁ συνάναρχος Λόγος τοῦ Πατρὸς, καὶ ὁ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν ἄνθρωπος γεγονὼς, καὶ τὸ καθ' ἡμᾶς ὅλον ἀναλαβὼν, ἐνετείλατο πᾶσι λόγον διδόναι κατὰ τὸ μέτρον τῆς δοθείσης παρ' αὐτοῦ δυνάμεως, ὑπὲρ ὧν ἄν τις ἔροιτο· ταύτῃ τοι καὶ ἡμεῖς τεθαῤῥηκότες, καὶ ὅ φησι Παῦλος *αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ*, τὴν τῶν λογίων ὡς οἷόν τε συνεπτυγμένην τοῖς λόγοις ἀνεπτύξαμεν θεωρίαν. Εἰ μὲν οὖν

PROŒMIUM.

A Non admodum mihi sani hominis esse videtur, temerario ausu studium aliquod in vatum interpretandis effatis, impendere, quorum adeo abstrusa sunt sensa, ut arcanis fere simillima sint. Quæ enim sub involucro nimirum amantium contexit cantionum, et obscuris omnino protulit verbis, is cui, Deo teste, omnibus contigit hominibus fore sapientiorem [1]: quonam pacto os suum quispiam ad ea explicanda poterit aperire? Verum enimvero cum Dei sapientia ac virtus, coæternum sciliet Patris Verbum, eique coæquale, propter nostram salutem tota nostra humanitate assumpta, factum homo; mandaverit cunctis, pro accepta ab eo virtutis mensura, rationem reddere de quibusvis eo- B quispiam interrogaret; ea nos sane virtute freti: *In captivitatem* etiam, ut Paulus ait, *redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* [2]; implicitam oraculorum contemplationem sermonibus hisce,

(1) Vide Cangii *CPolin Christianam*, p. 261.

Digitized by Google

quoad fieri poterit, explicabimus. Quod si sapientis hujus aperuero sententiam, ejusque oraculorum sensa fuero assecutus, ipsi Deo habenda erit gratia, qui sapientiam cunctis præbet hominibus: ac non præmeditari præcipit, quæ interrogati respondeant [3]. Sin secus longe ab ejus mente quas nos attigimus, contemplationes fore, sapiens adverterit, et ipsius sapientia ac prædictione indignam plane protulisse comtemplationem; sit in nos, quæso, qui ignorantes peccavimus, indulgens is qui sua humanitate erratis ignoscit nostris: cum ipse præsertim propheta, ac sapiens, nos plane compulerit; nec enim gloriæ cupiditate tenti, hæc aggredi tentavimus, sed puris sincerisque cogitatis, horum duntaxat amore oraculorum compulsi: quibus, cum non secus ac lebeti contigerit, qui dum frigida plenus aqua ingenti igne torretur, acri vi spiritus quæ in se contegebat, emittere cogitur, animi nostri sensa egerendo, explicare cogimur. Quocirca nemo nos insciliæ vel temeritatis arguat, qui hæc ipsa ausi simus, sed nostro potius ignoscat conatui, et Deum nobis omnium conscium, propitium reddat: qui enim tyrannica amoris vi premitur, concito præcipitique fertur impulsu. Cæterum probet Deus, benigneque accipiat quod pro viribus efficimus, et noster hic labor fauste feliciterque cedat, Deo gratus et acceptus.

CANTICUM CANTICORUM,

Quod est Salomoni.

CAP. I.

1. *Osculetur me ex osculis suis; bona ubera tua super vinum*

SCHOLIA.

Salomonis nomen Hebræo sermone *pacificum* significat. Quocirca Davidis quoque filius Salomon, Spiritu sancto plenus, de pacifico Christo prædixit, eumque Salomonem appellavit, dicens: *Canticum canticorum, quod est Salomoni.* Hoc est, eximius, ac cæteris nostrorum hymnorum præstantior hymnus, pacifico dicandus est Christo. *Canticum* enim *canticorum* eximius est, ac præstans Deo dictus hymnus, qui cæteros exsuperat. Cum autem is de rebus divinis sermonem faceret, unigeniti Verbi Dei potestatem invocavit, dicens: *Osculetur me ex osculis oris sui.* Prophetæ namque figuris, ut eorum mos est, futura conantur exprimere. Cum itaque Dei Verbum verbis vellet exprimere, os protulit hominis, quo infirmitatem nostræ instauraret imbecillitatis: et a seipso argutam sapientemque exquisivit efficientem vim ac facultatem, siquidem osculatio, effectus actusque est, ac labiorum facultas, quam sane ubi assecutus est, de ecclesiis prædixit: *Bona ubera tua super vinum. Ubera* et *lac* effereus, nuper ad religionem genitos, novam hanc Sion, Dei nimirum filios, significavit, quos et meliores fore quam antiqua Hebræorum Ecclesia statuit. *Super vinum*

[3] Luc xxi, 14.

κατὰ τὴν τοῦ σοφοῦ ἔννοιαν, καὶ ὡς ἂν αὐτὸς προφήτευκε· χάρις τῷ χορηγοῦντι σοφίαν πᾶσιν ἀνθρώποις, Θεῷ· καὶ μηδ' ἂν προμελετᾷν ἅπερ ἐρωτώμενοι φθέγξαιντο προστάττοντι· εἰ δὲ ὑψηλότερα, ὧν ἡμεῖς ἁπτόμεθα θεωριῶν, ὁ σοφὸς διανενόηται· οὐδὲ οὕτω παντάπασι τῆς ἐκείνου σοφίας ὁμοῦ καὶ προφητείας ἁπρεπῆ τινα τὴν θεωρίαν προὐθέμεθα. Ἴλεως δ' ἂν ἡμῖν εἴη ὧν καὶ τυχὸν ἠγνοηκότες διημάρτομεν ὁ φιλανθρωπίᾳ χρώμενος ἐπὶ τοῖς ἡμῶν ἀγνοήμασιν, αὐτοῦ τοῦ σοφοῦ καὶ προφήτου πρὸ πάντων ἡμῖν καὶ διὰ πάντων συναιρομένου· οὐδὲ γὰρ φιλοτιμίας ἕνεκα ταῦτα τετολμήκαμεν, ἀλλ' ἐν τοῖς τῆς καρδίας ἀθολώτοις λογισμοῖς, τὸν τῶν λογίων κατέχουσιν ἔρωτα· οἷόν τις λέβης ὕδατος ὑπερπλήρης τυγχάνων ψυχροῦ, πυρός τε τετυχηκὼς σφοδροῦ, ἀναγκάζεται τὰ ἔνδον ὑπὸ τῆς τοῦ πνεύματος ἐκκενοῦν βίας· ἐν ἡμῖν οὕτω γινόμενος, τοὺς ἐν τῇ ψυχῇ λόγους ἔξω προάγειν βιάζεται. Τοιγάρτοι καὶ μηδεὶς ἡμῖν εὐήθειαν ἢ προπέτειαν τοῖς τετολμημένοις ἐγκαλείτω· συγγινωσκέτω δὲ μᾶλλον τῆς ἐγχειρήσεως, καὶ Θεὸν ὑπὲρ ἡμῶν τοῦ παντὸς ἔργου συνίστορα παραγέτω· τυραννὶς γὰρ ἔρωτος τάχ' ἂν καὶ κατὰ κρημνοῦ τὸν κεκρατημένον ὥσειε. Πλὴν καὶ Θεῷ φίλον τὸ κατὰ δύναμιν, καὶ τὸ ἐν ἡμῖν πάθος μακαριστὸν ὁμοῦ καὶ φιλόθεον.

Ἆσμα ἀσμάτων,

Ὅ ἐστι τῷ Σαλομών.

ΚΕΦΑΛ. Α'.

Φιλησάτω με ἀπὸ φιλημάτων αὐτοῦ· ἀγαθοὶ μαστοί σου ὑπὲρ οἶνον.

ΣΧΟΛΙΑ.

Τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ τὸν *εἰρηνικὸν* ἡ τοῦ Σαλομῶνος σημαίνει φωνή. Ταύτῃ τοι καὶ ὁ τοῦ Δαβὶδ παῖς Σαλομών, Πνεύματος ἁγίου πλησθείς, περὶ τοῦ εἰρηνικοῦ Χριστοῦ προηγόρευσε, καὶ Σολομῶνα τοῦτον ἐκάλεσεν, εἰπών· Ἆσμα ᾀσμάτων, ὅ ἐστι τῷ *Σολομών*· τουτέστι, τῶν ἡμετέρων ὕμνων, τὸν ἐξαίρετον, καὶ ὑπερέχοντα ὕμνον, ἀνηγητέον ἐστὶ τῷ εἰρηνικῷ Χριστῷ· Ἆσμα γὰρ ᾀσμάτων, ὁ καθ' ὑπεροχὴν πρὸς Θεὸν ὕμνος ἐστίν. Ἐπεὶ δὲ περὶ θείων πραγμάτων ὁ λόγος αὐτῷ, καὶ τὴν τοῦ μονογενοῦς τοῦ Θεοῦ Λόγου δύναμιν ἐπεκαλέσατο, λέγων· *Φιλησάτω με ἀπὸ φιλημάτων στόματος αὐτοῦ*· ἔθος γὰρ ἐστὶ τοῖς προφήταις συμβολικῶς τὰ μέλλοντα πειρᾶσθαι κηρύττειν. Βουλόμενος οὐκοῦν Θεοῦ Λόγον εἰπεῖν, τὸ στόμα παρήνεγκεν ἀνθρωποπρεπῶς, τὸ ἀσθενὲς ἐπανάγων τῆς ἡμετέρας αἰσθήσεως, καὶ τὴν ἀπ' αὐτοῦ σοφιστικὴν ἐξεζήτησε δύναμίν τε καὶ ἐνέργειαν. Καὶ γὰρ ὁ ἄσπασμὸς ἐνέργεια καὶ δύναμις χειλέων ἐστίν. Ἐπεὶ δὲ ταύτης μετέλαβε, περὶ τῶν ἐκκλησιῶν προηγόρευσε· Ἀγαθοὶ *μαστοί σου ὑπὲρ οἶνον. Μαστοὺς* καὶ *γάλα* εἰπὼν, τοὺς ἀρτιγενεῖς εἰς τὴν εὐσέβειαν τὴν νέαν ταύτην Σιὼν, τὰ τοῦ Θεοῦ τέκνα ἐσήμα-

Digitized by Google

νεν, οὗ; καὶ ἀγαθωτέρους τῆς Παλαιᾶς τῶν Ἑβραίων Ἐκκλησίας ὑπέθετο· *ὑπὲρ οἶνον* δὲ ἐπαγαγὼν, τὸν ἐκ τοῦ ἀμπέλωνος καρπὸν ἐδήλωσεν. Ἀμπελὼν δὲ ἡ τῶν Ἑβραίων καλεῖται συναγωγή. A addens, vineæ ostendit fructum. Vinea autem Synagoga vocatur Hebræorum.

ΤΑΣΜΑ.

Καὶ ὀσμὴ μύρων σου ὑπὲρ πάντα τὰ ἀρώματα.

ΣΧΟΛΙΑ.

σμῆς μύρου μνησθεὶς, καὶ τὸν κεχρισμένον ἐδήλωσε. Πάντες γὰρ οἱ τοῦ νόμου βασιλεῖς τε καὶ ἀρχιερεῖς τῆς τοῦ ἐλαίου χρίσεως ἠξιοῦντο. Ὁ δὲ τῆς δόξης βασιλεὺς καὶ ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτιῶν ἀρχιερεὺς γεγονὼς, καὶ ἑαυτὸν εἰς θάνατον ὑπὲρ ὑμῶν δοὺς Χριστὸς, οὐκ ἐκ τοῦ φακοῦ τοῦ ἐλαίου τὸ χρίσμα ἐδέξατο· ἀλλὰ τὰ πάντα διὰ τὴν ἡμετέραν ἐκπληρῶν σωτηρίαν, βαπτιζόμενος τῷ B παναγίῳ κέχριστο Πνεύματι ἐν εἴδει περιστερᾶς, ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς τοῦτο δεχόμενος, συμμαρτυρούσης τῆς φωνῆς ἄνωθεν, ὥσπερ καὶ ἐν βιβλίῳ Ψαλμῶν γέγραπται· *Διὰ τοῦτο ἔχρισέ σε ὁ Θεὸς ὁ Θεός σου ἔλαιον ἀγαλλιάσεως παρὰ τοὺς μετόχους σου.* Καὶ μετ' αὐτὸν Ἡσαΐας βοᾷ, λέγων· *Πνεῦμα Κυρίου ἐπ' ἐμὲ, οὗ ἕνεκεν ἔχρισέ με.* Καὶ ὀσμὴ μὲν ἡ καθαρωτέρα καὶ ναρὰ τῶν μύρων ἐστὶ δύναμις. Εἰπὼν οὖν, ὅτι *Ὀσμὴ μύρου σου ἀγαθωτέρα ἐστὶν ὑπὲρ πάντα τὰ ἀρώματα*, τὴν τοῦ παναγίου Πνεύματος δύναμιν ἀγαθωτέραν ἀπέδειξε πασῶν εἶναι δυνάμεων. Οὐ γὰρ ὥσπερ ἐπὶ τοὺς λοιποὺς τῶν ἀρχιερέων τὸ μύρον ἐκέχυτο, οὕτω καὶ ἐπὶ τὸν κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ ὑπὲρ C ἡμῶν ἀρχιερέα, τὸ μέγα θῦμα Χριστόν· ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον πρὸς αὐτὸν ἐξ οὐρανοῦ καταβάν, ἀντὶ πάσης ἦρκεσεν αὐτῷ χρίσεως.

ΤΑΣΜΑ.

Μύρον ἐκχυθὲν ὄνομά σου· διὰ τοῦτο νεάνιδες ἠγάπησάν σε. Εἵλκυσάν σε· ὀπίσω σου εἰς ὀσμὴν μύρου σου δραμοῦμεν.

ΣΧΟΛΙΑ.

Πολλῶν ὄντων τῶν κεχρισμένων, μόνος ὁ ἐμὸς Χριστὸς τὴν κλῆσιν ἐδέξατο· διὰ τοῦτο καὶ ὄνομα αὐτοῦ, *μύρον ἐστὶν ἐκχυνόμενον*, ἤτοι πανταχοῦ ὑπερπληρούμενον, καὶ πάντα πληροῦν τῇ ἑαυτοῦ θεότητι. Ἀλλὰ καὶ τῶν παρθένων, ὅσαι καθαραὶ ψυχαὶ, τοῦτον ἠγάπησαν. Περὶ αὐτῶν φησι, *Διὰ τοῦτο νεάνιδες ἠγάπησάν σε.* Ταυτὸν γάρ ἐστι φάναι παρθένον καὶ νεάνιδα, καθὼς καὶ ἐν Δευτερονομίῳ γέγραπται· *Ἐάν τις βιαστὴς κοιμηθῇ μετὰ νεάνιδος, ἐκδότω τῷ πατρὶ τῆς νεάνιδος ἑβδομήκοντα δίδραχμα ἀργυρίου. Καὶ ἀγαπήσασαι αὐτὸν εἵλκυσάν σε ὀπίσω αὐτοῦ·* ἦγουν ἠκολούθησαν αὐτῷ, αἱ μὲν διὰ μαρτυρίου τελειωθεῖσαι, αἱ δὲ διὰ ἐπιπόνου καὶ συντονωτέρας ἀσκήσεως. Φησὶ γὰρ, *Εἵλκυσάν σε· ὀπίσω σου, εἰς ὀσμὴν μύρου σου δραμοῦμεν·* τουτέστιν, ἐν τῇ δυνάμει τοῦ Πνεύματός σου τελειωθησόμεθα· ἀποφαντικὸς γὰρ ὁ λόγος, κατὰ ἐμοῦ κρίσιν, ὡς ἀπὸ τῶν παρθένων ψυχῶν δηλονότι λεγόμενος.

CANT.

Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.

SCHOLIA.

De unguenti odore mentionem faciens, cum qui unguento erat oblitus, expressit. Omnes enim legales tum reges, tum pontifices olei fuerunt unctione decorati. At Rex gloriæ Christus, qui propter peccata nostra factus est Pontifex, et seipsum pro nobis tradidit in mortem, non ex olei lenticula unctionem recepit, sed omnia propter nostram explens salutem, baptizatus, sacrosancto unctus est spiritu in specie columbæ [6], eo a Deo, et Patre suscepto, cœlestique vocis testimonio comprobatus, quemadmodum et in libro Psalmorum scriptum est: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis* [5]: et post eum clamat Isaias dicens: *Spiritus Domini super me, cujus causa unxit me* [6]. Et Odor quidem purissima, spiritualis, et a fæce separata, unguentorum est virtus. Cum itaque dixit: *Odor unguenti tui melior est, quam omnia aromata*, sacrosancti Spiritus virtutem demonstravit cunctis meliorem esse virtutibus. Non enim quemadmodum in reliquos pontifices, ita et in hunc secundum ordinem Melchisedech pro nobis Pontificem, magnamque victimam, Christum, unguentum effusum est: sed Spiritus sanctus ad ipsum de cœlo descendens, totius in eo unctionis vice suffectus est.

CANT.

2, 3. *Unguentum effusum nomen tuum. Ideo adolescentulæ dilexerunt te. Traxerunt te; post te, in odorem unguenti tui curremus.*

SCHOLIA.

Cum multi forent uncti, solus meus Christus uncti excepit vocabulum, idcireo et nomen ejus est, *Unguentum effusum*, quod nimirum ubique redundet, et omnia sua repleat divinitate. At quia virgines, nimirum quot quot purgati sunt animi: *Ipsum dilexerunt*, de illis dicit: *Ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Liquet enim idem esse virginem, et adolescentulam, ex eo quod in Deuteronomio scriptum est: *Si quis perstupraverit adolescentulam, persolvet patri adolescentulæ septuaginta draskmas argenti* [7]. *Et quæ dilexerunt eum traxerunt te. Post ipsum*, videlicet, secutæ sunt eum, quædam consummatione martyrii, quædam vero laboriosa, jugique religiosa exercitatione vitæ. Dicit enim: *Traxerunt te, post te, in odorem unguenti tui curremus*: hoc est, in virtute spiritus tui perfectæ reddemur. Enuntiativus namque sermo est, meo quidem judicio, tanquam a virgineis utique prolatus animis.

[6] Matth. III, 16. [5] Psal. XLIV, 8. [6] Isa. LXI, 1. [7] Deut. XXII, 28, 29.

Digitized by Google

CANT.

Introduxit me Rex in promptuarium suum, exsultabimus, et lætabimur in te.

SCHOLIA.

Incerta videlicet, *et occulta sapientiæ suæ manifestavit mihi* [9]. De seipso enim hoc dixit Salomon filius David, ea namque optime pernoscens, nobisque impertiens ad salutem, tanquam omnium nomine exsultabundus, hymnis Dominum celebrat. Dicit enim : *Exsultabimus et lætabimur in te.*

CANT.

Diligemus ubera tua super vinum ; rectitudo dilexit te.

SCHOLIA.

Ubera tua, novam videlicet discipulorum Ecclesiam. *Super vineæ fructum.* Antiquam nimirum, Judæorum synagogam. Sed et omnes qui recto sunt corde, ipsum dilexerunt ; dicit enim : *Rectitudo dilexit te.*

CANT.

4. *Nigra sum, et pulchra, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, pellis Salomonis.*

SCHOLIA.

Veluti ex persona novæ discipulorum Ecclesiæ sermocinatur cum Jerusalem, et loquens cum filiabus ejus, et synagogis, contenta, ferventique voce dicit : O filiæ Jerusalem, *pulchra sum*, quamvis adhuc incomprehensa decumbam ; id enim significat, *Nigra sum* ; et Rex pacificus requiescet in me, non secus ac dux in tentoriis, et in aulæis Salomon. Cedar enim apud Hebræos Æthiopum significat ducem, quemadmodum Isaias dicit : *Deficiet gloria filiorum Cedar* [9]. Ac rursus Deus ex ore Jeremiæ dicit filiis Israel : *Mittite me ad Cedar, et discite si immutarunt gentes deos suos ; populus autem meus immutavit gloriam suam* [10]. Pellis vero aulæa appellantur, quemadmodum idem rursus Jeremias dixit : *Afflixit me tentorium, et divulsæ sunt pelles meæ* [11]. Et David : *Extendens cœlum sicut pellem* [12].

CANT.

5. *Nôn intueamini, quod ego nigra sim ; quoniam non est intuitus me sol.*

SCHOLIA.

Neque suspicemini, rursus ait, me penitus luce cassam esse. Nam etsi nondum verum illud in me apparuit lumen, apparebit tamen, et illustri gloria perfundar.

CANT.

Filii matris meæ pugnaverunt contra me.

SCHOLIA.

Deinceps tanquam ex persona novæ discipulorum Ecclesiæ loquitur de Jerusalem, seque ab illa gravia perpessuram, clamat dicens : *Filii matris meæ*

A

Ἆσμα.

Εἰσήγαγέ με ὁ βασιλεὺς εἰς τὸ ταμεῖον αὐτοῦ, ἀγαλλιασώμεθα, καὶ εὐφρανθῶμεν ἐν σοί.

ΣΧΟΛΙΑ.

